Digitized by Google

Digitized by Google

8
8-f
9

9
14
13

8 > 10 : 1 : 9

Digitized by Google

Digitized by Google



VIRIDARIVM SACRÆ, ET PROFANÆ ERVDITIONIS,

A R. P. FRANCISCO

DE MENDOÇA OLYSIPONENSI,

SOC. IESV, DOCTORE THEOLOGO,

Olim in Conimbricenſi Academia Primario Eloquentiæ Magiſtro, & Philoſophiæ Profeſſore, poſtea in Eborenſi diuinorum Oraculorum Interprete,

CONSTRVCTVM,

ET

A P. Franciſco MACHADO eiuſdem Soc. Theologo, florum collectore, denuò

EXCVLTVM.

Nunc auctius terſiuſque lucem videt.

LVGDVNI,

Sumptib. LAVRENTII ANISSON, & Soc.

M. DC. XLIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Domus Probationis Romanæ Scholar. Piar. 1701.

Digitized by Google

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO

PRINCIPI

ALEXANDRO,

EXCELLENTISSIMI

Principis Theodoſij ſecundi
Ducis Brigantini
filio.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

INGREDITVR vltimò nunquam egreſſurus, Magnanime ALEXANDER, Regiam veſtram Domum Mendoça noſter, ſeu potiùs veſter, quia, vel adhuc mortuus memor quærit, quos viuus habuit in deliciis. Quærit verò Ariſtoteles Chriſtianus Alexandrum ſuum: quærit Latinus Homerus etiam poſt mortem Alexandrum. Ingreditur autem non iam Regio, ſed florido habitu inſignitus. Iccirco tamen, Princeps Excellentiſſime, antiquum hoſpitem ne dedigneris; quamuis enim immatura dies acerbiſſimo pollicis ictu pulcherrimum florem decerpſerit, colores adhuc natiuos retinet,

— *nec dum ſua forma receſsit.* *Virgil. Æneid. 11.*

Præſertim quòd amœnus hic liliorum, & roſarum cultus non dedeceat Regium tuum genus, in quo paſſim

— *inſcripti nomina Regum* *Virgil. Eclog. 3.*
Naſcuntur flores.

Planè nihil eſt, quod excellentiſſimis fratribus inuideas, plurimum verò de quo glorieris; & quia nec Salomon *in omni gloria ſua* tantam induit maieſtatem, & quia donum etiam Regium recognoſcis, atque adeò Mendoçæ cineres non ingratos erga te ſentis, ſed optimè animatos experiris. Et licèt vt minor natu vltimus accedas ad munus, primitias recipis omnium *Luc. 12.*

ã 2 fructuum,

fructuum, quos feliciter protulit Mendoçæ ager, quaſi verò qui ſorte poſterior, prior fuiſſes in amore. Et cui æquius ſacrandum erat ſuauium florum Viridarium, quàm flori totius Regiæ nobilitatis? Quis humaniùs humaniores, & amœniores ſapientiæ floſculos excepiſſet, quàm humaniſſimus, & ſapientiſſimus Princeps? Quis laureatos apices, triumphales coronas, palmatas veſtes, liliatas togas pluris faceret, quàm Alexander? Cùm verò ſæpe Martio æſtues calore, haſce inter reſpirabis veris roſas, & beatiſſimæ voluptatis ſedes, lucóſque

——amœna

Horat. lib. 3. od. 4. *Quos & aquæ ſubeunt, & auræ.*

Neque inuictum illud animi robur, quo horribilem aprum excipis; neque illa incomparabilis corporis dexteritas, qua Troianum ludum exerces; neque validus ille virium conatus, quo haſtam ingentem quatis, & iam videris

Horat. lib. 4. od. 14.
——impiger hoſtium
Vexare turmas, & frementem
Mittere equum medios per igneis.

Neque, inquam, Martius ille calor delicatiſſimas exurit roſarum opes. Enimuerò cernimus aliquando Martem abire in Narciſſum, Bellonam in Floram, & ſpicula mutari in lilia, haſtas in roſas, atque inter rubentes galeas, & ferreos belli apparatus floridus apex erũpit, & delicias expandit mille colorum.

Claud. de Nup. Hon. & Mar.
——Mauortia ſigna rubeſcunt
Floribus, & ſubitis animantur frondibus haſtæ.

Scio te Muſices concentu beari immortaliter: Muſas audies, &

Horat. lib. 2. epiſt. 1. *——Albano Muſas in monte locutas.*

Quòd ſi in ſylueſtres aliquas fortè incidas, ne pudeas immorari paululum, & affari.

Virg. Eclog. 2. *——Habitarunt DI quoque ſyluas.*

Maximè quòd ſub ruſtico habitu optimè internoſces ciuilem togam, vrbanumúmque ſermonem, qualem in te admiramur omnes, & veneramur,

Claud. de Conſ. Mal.
——Rigidi ſed plena pudoris
Elucet grauitas faſtu iucunda remoto.

Nec deſunt plurima Philoſophiæ documenta, & ornamenta, quæ doceant, quæ oblectent. Qua propter, Luſitane Alexander, nihil tuis detrahit laudibus Macedonis Alexandri laus, & gloria, quia ſub huius Ariſtotelis diſciplina diſces præſtantiùs,

Digitized by Google

tiùs, formaberis rectiùs, euades ſapientior. Deinde ſi diuinos
amas Poëtices afflatus, Latinum Homerum offerimus, pului- *Plut.in Alexand.*
no quidem tuo dignum. Qui non Vlyſſis Troiæ euerſoris, ſed
Chriſti ſalutis noſtræ aſſertoris labores canit, & triumphos.
Diuina Homeri huius verba præclarius te excitabunt ad pie-
tatem, quàm Alexandrum illum Achillis facta ad pugnam.
Ille autem magnopere ſibi placuit in Apellis tabula, & Lyſippi
ære, ſiquidem

Edicto vetuit, ne quis ſe præter Apellem *Horat.lib.2.epiſt.1.*
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra
Fortis Alexandri vultum ſimulantia.

Cæterùm Apellis manus Alexandrum adeò ad viuum expreſ- *Plut.in Alex.*
ſit, vt vulgò etiam iactaretur duos eſſe Alexandros, quemdam
à Philippo genitum, quem nemo poterat gladio imitari; alte-
rum ab Apelle depictum, quem nemo poterat reddere peni-
cillo. Tuum etiam Apellem, Luſitane Alexander, feliciùs
ſortitus es, qui te coloribus non delineauit, ſed floribus anima-
uit, è quibus ſuauiſſimi efflantur odores, qui ſenſus capiunt, &
titillant meos. Odoror, & delibo tuæ pietatis violas, tuæ hu-
manitatis roſas, tuæ nobilitatis lilia, tuæ maieſtatis cariophyl-
la, tui ingenij hyacinthos, & reliquos virtutum tuarum ve-
nuſtiſſimos flores;

Quos neque frigoribus Boreas, nec Sirius vrit *Claud. de Laud. Stil.*
Æſtibus, æterno ſed veris honore rubentes.

Ille denique Alexander penſiles Babylonis hortos non ſolùm *Curt.lib.5.*
laudauit, verùm etiam in perenne miraculum religioſus ſer-
uauit. Age igitur, Luſitane Alexander, diſtringe fulmineum *Plut.in Alex. Curt.*
enſem, non ad Gordium aliquem nodum dirumpendum vt *lib.3.*
Alexander, ſed ad hoc Viridarium, vel, ſi mauis, Paradiſum
cuſtodiendum, vt Cherubinus. Rectè ſub ſapientis Cherubini *Geneſ.3.*
cuſtodia, ſiue tutela manet ſapientiæ Paradiſus. Hæc autem
cuſtodia, tutelaris Cherubine, *non tibi erit*, vt Auguſtini verbis *Auguſt. de Gen. ad lit.*
vtar, *laboris afflictio, ſed operatio voluptatis*. Quis autem tam *lib.8.cap.8.*
parcus, & infrequens Piorum cultor, vt tam ſacros aditus ten-
tare audeat? Quis tam proiectus, & amens, vt illibatos flores
polluere non reformidet? Gladio ancipiti obarmatus pro fori-
bus Viridarij vtriuſque eruditionis excubat Alexander; *Nam* *Curt.lib.3.*
& hic Alexander eſt: excubat Cherubinus,

—— Procul ô, procul eſte profani, *Virgil. Æneid.6.*
Conclamat vates, totóque abſiſtite luco.

Digitized by Google

OPTIMO FLORVM LECTORI

SALVTEM PLVRIMAM IMPERTIOR.

EN tibi aperio Viridarium, quo nihil iucundius indagari, nihil amœnius inueniri poterit. Locus eſt genialis totus, ac plenus deliciarum: virentibus herbis veſtitus, recentiſſimis floribus ornatus, pellucidis fontibus irriguus, feliciſſimis arboribus conſitus, opacis nemoribus coronatus, pulcherrimis areolis diſtinctus, reſupinis puluinorum toris compoſitus, ſingulis tramitum ſulcis diuiſus, omnibus gaudentis naturæ donis accumulatus.

Horat. 1.od.17.

——— Hinc tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.

In geniale ſcilicet vtriuſque eruditionis domicilium te introduco, floridis librorum ambulationibus compoſitum, gratiſſimis problematum areolis diſtinctum, ingenioſis argumentorum puluinis ornatum, venuſtiſſimis omnibus ſapientiæ floribus coronatum. Habes itaque Viridarium & humanarum, & Sacrarum litterarum. Placuit ſic inſcribere, tum propter incredibilem rerum varietatem, tum propter maximam ipſarummet rerum iucunditatem. Si diſplicet, diſpliceant etiam auctores, & boni cultores ſcientiarum, qui in hortis genialibus floruerunt, ibique Academias ſuas inſtituerunt, & collocarunt. Morem approbauit, & laudauit Hieronymus vtriuſque eruditionis caſtiſſimus Profeſſor. Nec inuenuſtè ſapientiam Viridario componimus, quando Baſilius cœlum ipſum ſideribus ornatum, tanquam floribus picturarum conſiderat: quando Ambroſius ex cœlo ſtellas, veluti ex Viridario roſas in faſciculos colligit, & cœleſtibus zonis annectit; quaſi verò venuſtatem potiùs à floribus ſidera, quàm à ſideribus flores mutuari videantur. Diſperſos autem flores ſtudioſiùs legi, & collegi.

D. Hieronymus lib.2. aduerſ. Iou.

Baſil. Exaem. hom.4.
Ambr. Exaem. lib.4. cap.2.

Horat. lib.3.od.2.

——— apis Matinæ
More, modòque

Grata

Digitized by Google

Grata carpentis thyma per laborem,
Plurimum circa nemus, viuidique
Tiburis ripas.

Plurimos non potui inuenire, quia ſi omnes, quos fœcundiſſimus protulit Authoris ager, flores collegiſſem, innumera dubio procul viridaria conderentur. Ex his verò paucis non venena, vt aranea: ſed mella vt apis ſedulò lege; ſi illud facias, Cleopatram in tuam peſtem; ſi hoc, Poëtas in tuam laudem imitaberis, qui quidem,

Plinius.

Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant.

Lucretius lib.3.

Si flores inter ſpina latens togam carpat, & manum pungat; nil mirum, cùm natura Roſam ipſam omnium florum Reginam quaſi quadam ſpinarum cuſtodia munierit. Stimulos autem tribuit, non dolores, amatorios potius, quàm amaros dedit aculeos, quia amorem voluit conciliare, non iniicere horrorem. *Vt ſtimulus illis*, inquit Baſilius, *ægrè contactum admittentibus ad maius deſiderium colligentes prouocet.* Verùm cùm tribuli, & ſentes non floris, ſed criminis fructus ſint, quia ante peccatum, Baſilio teſte, ſpinis roſa caruit, quidquid ſuaue, cùm floribus natum, quidquid aſperum, aliunde adueniens iudicetur: nulla in Authore aſperitas, nullus erat aculeus.

Baſilius epiſt.149.

Exaëm. lib.5.

Singula ſingulis librorum veſtibulis expono. Iam ades auidiſſimus: optas fieri cum Argo oculus, cum Catullo naſus. Eſto, pollicem inſige, quà oculus, quà magis voluptas fert: ſelige roſas venuſtiores, necte in faſciculos, admoue ſenſibus per ſummum delicium. Colores artifici cuique penicillo æmulari fas, æmulari certè, ſed non facilè imitari.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV in Prouincia Luſitana.

EGO Antonius d'Abreu, Societatis IESV, in Luſitania Prouincialis, è facultate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Generali Mutio Vitelleſchi, facultatem concedo, vt hoc opus, Viridarium ſacræ, ac profanæ eruditionis *inſcriptum, à* P. FRANCISCO DE MENDOÇA, *noſtræ Societatis Doctore Theologo, & in Eborenſi Academia ſacrarum litterarum Profeſſore, compoſitum, & eiuſdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbatum, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſcriptas, & ſubſcriptas, ſigillóque noſtro munitas dedimus. Conimbricæ* 8. *die Nouembris, anno* 1628.

ANTONIVS D'ABREV.

CENSORVM IVDICIA.

R. P. BALTHASAR ALVAREZ, Doctor Theologus, & quondam Eborenſis Academiæ Cancellarius.

PERVIDI, qua potui cura, P. FRANCISCI DE MENDOÇA *peruigilia Natalis Domini; itémque ſanctiſſimæ Virginis, ſacrorum Doctorum, Philoſophiæ, humanorúmque literarum problemata varia, necnon orationes eas, quas habuit Auctor dum Rhetorem ageret Conimbricæ, atque Olyſipone; quæ omnia neque à fide Catholica, nec à ſanis moribus abhorrere palàm iudico; imò qua pietate, qua eruditione, qua dictionis elegantia, & nitore aſpergi vniuerſa, legentibus ſicut & vtile, ita erit manifeſtum; quapropter dignum opus cenſeo, quod æternitati mandetur. Conimbricæ in Collegio Societatis IESV, anno* 1628.

R. P. LVCAS VELLOSO, quondam Olyſipone, & Conimbricæ primarius Eloquentiæ Profeſſor, modò in Academico Conimbricæ Collegio diuinarum literarum interpres.

LEGI hoſce P. MENDOÇÆ *flores è ſacro, ac profano agro benè collectos, ſuiſque ordinibus venuſtè diſpoſitos. Opus eſt primæ iuuentutis, non tamen crudum, nec ingratum gentis Rhetoricæ animis, & auribus. Vnde quis poterit oratoriæ dignitatis opes habere, Romanæ Eloquentiæ leges haurire, diſputationum vires cogere, ac dicendi modos vtiles diſcere. Non laudo Poëticam ſupellectilem è Muſarum hortulis delectam accuratè, & quæ poteſt iuueniles animos chori poëtici mulcere grauiter, ac mollire honeſtè. Inde enim ſacra omnia ad mores poliendos, ad pios motus animi ad Chriſti honores curandos. Quid plura? Compendio vtor, opus eſt, arte nobile, rebus grande, moribus vtile, nec à ſuo Auctore alienum. Quare typis mandetur. Conimbricæ in Collegio Societatis IESV, anno* 1628.

Digitized by Google

R. P. Balthasar Tellius, quondam in Eborenſi, Olyſiponenſi, & Conimbricenſi Academia primarius Eloquentiæ Profeſſor.

IVDEX *datus fui ad examen præclari huius operis caſtigandum. Legi ego, & incredibili gaudio perlegi: atque, vt ex animo loquar, non largiùs vnquam voluptati indulſi; illa mihi lectionis ſors facta ex vſura Gratiarum venuſtate multò feſtiuior.*

——— Cœlo ne peractum Stat. 1. Sylu.
Fluxit opus?

Illud in hoc diuino opere veriſſimum, quod in cunctis difficillimum, vetuſtis nouitatem dare, nouis authoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, gratiam faſtiditis. Plinius *Ergo vt incerta admiratione exultantem, & euagari geſtientem animum per hoc ingenioſum Viridarium comprimam, quos flores priùs colligam? Quæ quibus anteſcram? Olorinos ne priùs carminum mirabor cantus, & morabor quibus nouem Muſas mella poëtica crediderim inſtillaſſe? Illis profectò præcinunt,*

——— Quorum ſtupefactæ carmine Lynces, Virgil. Ecloga 8.
Et mutata ſuos requierunt flumina curſus.

An ſolutæ orationis ligatas leges priùs legam? Quantus enim in Rhetorica eſt! Quantus ore hanc tonat? Quid ſi ad decorum ſophiæ puluerem accedam colligendum? Nullibi certè gratius Virgo beatiſſima, vt Flos campi, & lilium conuallium, Cant. 2. *quàm in hoc Viridario reuireſcit. O magna fœcunditas ingenij! O flores, & odorum ſuauitate, & ſaporum dulcedine, quibus Alcioni damnoſa pomaria verè cedunt. Quare, iam non*

——— Elyſeos miretur Græcia campos; Virgil. 1. Georg.

adſunt enim Mendoçæ noſtri, quem nobis aſtra tulere inuidioſa, vnius ingenij fontibus horti irrigui pullulantes: adſunt diuino pollice humaniores floſculi prælibati; hîc

——— Zephyris melioribus halant Claud. 1. de raptu.
Perpetui flores.

Ne videlicet Magnus Mendoça, ſolos nobis diuinarum literarum perennes hauſtus propinaret, verùm etiam amœniori nos calamo ſpoliata omni humanæ eruditionis gratia recrearet; vtrumque enim in tanto Doctore magnum, in vtroque fuit ille verè Maximus. Hoc nobis de importuna eius morte ſolatium, vt ex vitali eius tumulo, velut ex animato Phœnicis cinere, fauillæ in violas, in virentia, ac viuentia lilia mors ipſa refloreſceret. Enimuerò, qui hos nunquam morituros huius Viridarij flores legerit, & collegerit, nónne verius hic repetet admirabundus,

Num

Perſ.ſat.1. — Num non è manibus illis?
Num non è tumulo, fortunatáque fauilla
Naſcuntur violæ?

Quapropter, iudicium hoc meum eſto, hæc ſcripta non ſolùm typis mandanda, verùm etiam

Horat. in arte poëtica. — Linenda cedro, & leui ſeruanda cupreſſo.

Conimbricæ in Collegio Societatis IESV, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octauo.

R. P. FRANCISCVS DE MACEDO, quondam in Olyſiponenſi, & Conimbricenſi Primarius, modò in noua, ac Regia Madriti Academia primus, & primarius Eloquentiæ Profeſſor.

VIRIDARIVM P. Franciſci Mendoçij, & vidi, & percurri, non minus oculis, quàm animo. Omnigena florum varietas cum odoris, tum coloris ſuauitate mirificè recreauit. Singulos more apis inſedi, libaui. Suxi merum mel, merum nectar. Vtinam huc reliqua ſtudioſarum apum examina conuolent, vt fauos conſtruere collecto hinc melle poßint. Hic roſæ Theologiam, lilia Scripturam, cariophylla Eloquentiam; violæ Poeticam, hyacinthi Hiſtoriam, redolent, ac ſpirant. Nec Auctoris morte marcent: viuunt, creſcunt ſub aliena manu, quæ quidem iiſdem neruis, ac ſanguine, quibus Auctoris, conſtat. Dignum planè opus, ex quo omnis literaria Reſpubl. ſolemne faciat florilegium. Ergo typis mandandum cenſeo. Conimbricæ in Collegio Societatis Ieſu, anno 1628.

R.P.SEBA

R. P. SEBASTIANVS D'AMAYA, Primarius quondam in Conimbricenſi Academia Eloquentiæ Profeſſor.

MVLTVM ſanè aperitur orbi Viridarium, inter cuius amœnitates ſiquidem videas ſpatiantem, dicas:

Hunc tacitum ſyluas inter reptare ſalubres,
Curantem quidquid dignum ſapiente, bonóque eſt. Horat.lib.1. epiſtol.4.

Excoluit non Alcionus aliquis voluptarius, ſed Franciſcus ille acerrimus virtutis ſectarius. Non mendoſus aliquis Adonis, ſed Mendoça ille Deo vnicè habitus in amoribus. Non Babylonia vlla Semiramis areolas compoſuit, aut penſili opere librauit hortos, ſed cæleſtis illa egregij Doctoris manus, & calamus Lyſium hoc viretum concinnauit in Elyſium, quo poſſet animos mentéſque legentium florum varietate, diuite rerum gremio, fœcundo eruditionis ſinu, ſententiarum vbertate, dictionis baſilico ornatu, & arcana locorum indagine prendere, & ſuſpendere.

—— hinc tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu. Horat. carm. lib.1. od.17.

Nam pratum hoc Paradiſo conterminum non Pomona irrigauit, ſed ſuis Flora pinxit lenociniis quod vltima finxit antiquitas. Habes tamen hîc, (fide Attica dictum crede,) habes lucos, cæli

—— amœnæ
Quos & aquæ ſubeunt, auræ. Horat. carm. lib.3. od.4.

Licèt tu Peſtana roſeta, licèt Tyburis delicias, Coricij ſenis ſarculo verſatas glebas, Ætnæos Proſerpinæ hortos, aut alios quoſque ad ſtuporem diuitiis, ac deliciis affluentes ingrediare, è veſtigio illa tua ſubibit animum magni Baſilij ſententia. Cùm obiter in domum viri valde opulenti ingreſſus fuero, & videro ipſam omnigenis floribus illuſtratam, noui quòd hic nihil pretioſius poſſidet his, quæ videntur: ſed inanimata quidem magno ſtudio ornat; animam verò incultam habet. *Quia ſcilicet oculos illa paſcunt, non animos. Si tamen in hoc Mendoçæ Viridarium pedem inferas, viuentem illius adhuc, & vigentem odorem doctrinámque vel etiam poſt obitum vireſcentem cùm videris, illos ſcientiæ flores, an fructus diuinum quid mentibus inhalantes, illam etiam num ſpirantem ſapientiæ fragrantiam, cordis tui credo ſenſa illa explicabis in eloquentiam cum eodem Patre Baſilio.* Illic florem non ad breue tempus fulgentem, ſed durabilem iucunditatem habentem, gratum aſpectu, indeſinentem delectationem præbentem, inſatiabilem fragrantiam reddentem, & coloris præſtantia inſigniter

D. Baſil. conc. ad diuites.

D. Baſil. conc. de Paradiſo.

ſigniter coruſcantem, non ventorum violentiæ exoluunt; non nouilunia tabefaciunt, non glacies congelat, non Solis ardor comburit. *Dices cum eodem eſſe locum*, in quo eſt exortus lucis, in quo deliciæ animæ, & pulchritudo virtutis à multifaria ſapientia initium habens.

Quod mirum quantum quadret, & cadat in hoc Mendoçæ Viridarium, vbi mentes deliciari poſſunt in gaudijs à multifaria ſapientia initium habentes, ſiquidem hortus iſte ſapientiæ omnigenæ pomarium complectitur. Vnde pro ſcientiarum varietate vt vt libuerit poma licet cuilibet excerpere. Illum qui in hoc ſapientiæ plantarium ſe penetrauerit, beatum ter, & amplius inclamabo. Erit *enim*

Pſalm.2.3. tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. *Nam qui ita ſe gerunt*, ſemper virent gloria, & honore. Quamuis enim interdum à carnali-

Bellarm.in Pſalm. bus deſpiciantur, tamen à ſapientibus, & ab ipſo Deo honorantur, *vt ſcitè Bellarminus Cardinalis ad id Pſalmi. Hoc ergo fortunatum nemus, ſedéſque beata ſi te habuerit cultorem, efficiet profectò, vt colonum Mendoçam omnium ſcientiarum coronis exornes, laurea Apollinari, olea Mineruali, virenti*

Horat. carm. lib. 1. od. 1. *baccare*, hedera frontium doctarum præmio. *Téque omnino perducet, vt meæ ſententiæ ſubſcribas, dum vero verius cenſeo digniſſimum eſſe opus, in quo tuam operam colloces aſſiduam: digniſſimum itidem quod ab vmbra ad Solem, à priuatis parietibus ab forenſem lucem, non quidem ad exigui prædicationem temporis, ſed ad memoriam præclariſſimi Doctoris ſempiternam emittatur. Olyſipone anno Domini* 1628.

FACVL

Digitized by Google

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS *Societatis Ieſu, in Prouincia Lugdunenſi.*

STEPHANVS BINETVS, Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis, Henrico III. 10. Maij, 1583. Henrico IV. 20. Decembris, 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij, 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque Superiorum permiſſione imprimant; permittit IACOBO CARDON, Lugdunenſi Bibliopolæ, vt librum, cui inſcriptio, *Viridarium vtriuſque eruditionis, tam ſacræ, quàm profanæ, Authore P. Franciſco Mendoça, Societatis IESV Theologo*, ad ſex proximos annos imprimere, ac diuendere liberè poſſit. Datum Lugduni 29. Decembris, 1630.

STEPHANVS BINETVS.

CENSVRA OPERIS.

NOs infrà ſcripti ſacræ Theologiæ Doctores fidem facimus, lectum, ac perlectum à nobis librum, qui inſcribitur, *Viridarium vtriuſque eruditionis, tam ſacræ, quàm profanæ, Authore P. Franciſco Mendoça, Societatis IESV Theologo*, in quo nihil fidei Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ contrarium animaduerſum. Lugduni die 8. Octobris, 1630.

FR. CL. COCHET.

FR. BERNARDINVS MOLLIASSON,
Lector in Conuentu S. Bonauenturæ.

R.D.D. THOMÆ DE MESCHATIN LA FAYE, *huius libri imprimendi Facultas.*

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi. Liber inſcriptus, *Viridarium vtriuſque eruditionis, tam ſacræ, quàm profanæ, Authore P. Franciſco Mendoça, Societatis IESV Theologo*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 3. Ianuarij, 1631.

MESCHATIN LA FAYE.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIV. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, ac patentibus Literis cautum, ne quis in regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à primæ impreſſionis die vltima inchoandos & numerandos, excudat, vendat, ſeu excudendum vel diuendendum curet librum cui titulus eſt, P. FRANCISCI DE MENDOÇA *è Societate* IESV *Viridarium ſacræ & profanæ Eruditionis*, auctum & locupletatum, præter LAVRENTIVM ANISSON Bibliopolam Lugdunſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem authoritate Regia omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quemquam, vbicunque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti LAVRENTII ANISSON. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis die Februarij 1647.

De mandato Regis,

Signatum

LOVYS.

Deſiit prælum primæ editionis 3. Ianuar. 1649.

MAVSO

Digitized by Google

MAVSOLEA POSTHVMÆ AC PERENNIS GLORIÆ MAGNO MENDOCÆ ERECTA.

DEDICATIO IMMORTALIS.

ERGO tuis, Magne MENDOÇA, piiſſimis Manibus, geminum erigimus Mauſoleum, materia diuinum, pulchritudine egregium, arte ingenioſum. Tuis, inquam, æternis Manibus æternum ſuſpendimus, æternum ſacramus Mauſoleum. Nempe

——— *Ære perennius,*
Regalique ſitu pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere: aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum. Horat. carm. lib. 3. od. 30.

Perenne, ac ſolenne erigimus opus, nobili virtutum tuarum animatum cælatura, illuſtri pietatis tuæ titulo inſcriptum, vnico tui nominis elogio ſatis elegans, ſatis laudabile: quia laudis materiam dare facilius potes, quàm accipere. Geminum Collegium, & Conimbricenſe, & Eborenſe geminum tibi ponit Mauſoleum, germano quidem affectu. Redit ad luctum, quem nondum depoſuit, ad lacrymas, quas nondum abſterſit. Et ſi reliquias beatóſque cineres Patriæ negaſti, eximium eius erga te amorem acerbo tuo funere non abſtuliſti. Hæres in oculis animiſque, & quem vidimus, & au-

diuimus, non obiiſſe, imò nec abiiſſe arbitramur. Planè qui primos ſemper honores viuus fugiebas, ſupremos modò mortuus non effugies. Vtrumque Collegium Magiſtro ſuo ſapientiſſimo, Rectori ſuo admodum colendo, Patri ſuo indulgentiſſimo ritè parentat, &

Virgilius lib. 4. Æneid.

——— *extremus ſi quis ſuper halitus errat,*
Ore legit.

Adeſte igitur glorioſi Manes, veſtrum ingredimini Mauſoleum, veſtrum quidem, quia ex pulcherrimis veſtrarum virtutum gemmis extructum. Sin autem ob hanc cauſam tibi ſeueriſſimo honorum contemptori minus placuerit, placeat ſaltem ob artificem, qui ſanè fuit fraternus Amor, quo nihil ingenioſius, quo nihil tibi vnquam gratius. Vos tamen, ſiue Amici, ſiue Cultores præſtantiſſimi hominis, non iam lacrymas, ſed flores date, & *plenis manibus*; fas enim eſt Moſoleum illius viri, qui fuit virtutum omnium flos, hortulum dici potius, quàm tumulum. Interim, Magne MENDOÇA, dum apprecamur, *æternùm ſalue, & vale.*

Virgil. 6. Æneid.

Virg. 11. Æneid.

MAVSO

Digitized by Google

MAVSOLEVM

Poſthumæ, ac perennis gloriæ, quod Collegium Conimbricenſe Regium, & Academicum P. FRANCISCO DE MENDOÇA, Rectori quondam ſuo, erexit, & conſecrauit.

OLYSIPO.

Ad Magni MENDOÇÆ Cœnotaphium.

QVA Tagus Oceani committit fluctibus vrnam,
Diues Vlyſſæum radit & vnda ſolum.
Oſtendit vitreum cryſtallina gemma ſepulchrum,
Et ſcintillantem diuite rore torum;
Mendoçæ tumulum, ſed amico puluere inanem,
Credo ego, non caperet tam breuis vrna virum.
Ad tumuli molem ferali ornata cupreſſu
Stat Nympha, & multo proluit amne ſinus.
Amne tument oculi, manibus ſoluuntur amictus:
Vngue perit facies, & pia cura mori eſt.
Poſtquam vocis iter patet, in ſuſpiria vocem
Fundit, in has voces maxima damna vocant.
Cur nullum in ſaxum mea membra dolore rigeſcunt?
Nónne meo minor eſt quiſque dolore dolor?
Saxea fit Niobe nimio ſi victa dolore,
Non animũ excruciant damna minora meũ.
Et viuo, nec facta ſilex? ſed viuere votum eſt,
Ne ſenſum amittam ſaxea facta mali.
In lacrymas ibunt oculi, dum vita manebit
In queſtus voces, in mea verba dolor.
Sed quia communem communia damna dolorem
Poſcunt, in planctus & manus vna parum eſt.
Lugete Heroës primo de ſanguine Regum
Amiſſum è veſtra nobilitate virum.
Et Vatem Vates, Oratorúmque Magiſtrum
Orator, morum turba ſacrata ducem.
Et vos qui petitis de ſacro lumina libro,
Ereptam extincta luce dolete facem.
Nam meruit Mendoça nouo ſolennia ritu,
Quem procul à patrio mors tulit atra ſolo.
Heu mortem inuiſam! quàm cæco tela furore
Mittis, Mendoçæ dum caput vna petis?
Nónne fuit ſatius vires in Maura ciere,
Pectora in audaces arma ciere Getas?
Viuit Arabs, fruitúrque Getes melioribus annis,
Et fugiunt vitijs debita damna ſuis.
Viuunt & fures, moritur Mendoça, nec annos
Explet Neſtoreos dignus inire dies.
Credo equidem, nõ æqua vices aut nomina librat
Nec iam mors æquo ſub pede pulſat humum.
Ah pudeat rapuiſſe hominem fandi arte potentem,
Et quo Roma potens, dum loqueretur, erat.
Vidiſti Periclem Romana ad roſtra tonantem,
Et ſacrum Hippolyti moribus ire virum?
Vidiſti calami flores, patriæque nitentes
Fortunæ radios, & malè ſæua furis?
Certè animi dotes vel tellus bruta probaret,
Et ſophiæ vires hoſtis in hoſte probat.
Vidiſti quantum iaculatus carmen in aſtra
Ebibit inuidiæ dira venena tuæ:
Quàm læto excepit fati Reus Atropon ore,
Ad Chriſti faceret dum pia verba Crucem?

Nec pudor eſt talem, ac tantum rapuiſſe Magiſtrum?
Certè debueras erubuiſſe nefas.
Sed mea culpa fuit, quia vincula nulla paraui,
Cùm longam vellet miſſus inire viam.
Cur amplexa pedes precibus non mille tenebam?
Flexiſſent faciles vel fera corda preces.
Cur tacuere oculi, ſi ferrea pectora fletu
Vincuntur? lacrymis crederet ille meis.
Cur vim non feci? rapuiſſe licebat Alumnum,
Et caſtus amor vires ad pia furta daret.
Sed quia ſubtraxit mihi ſegnis inertia mentem,
Heu patior vitio damna parata meo.
Mendoçam tumulo dum mors ingrata recondit,
Tam procul ex oculis, quàm procul à patria.
Et queror, & doleo, minor eſſet cauſa dolendi,
Si foret illa meis terra propinqua vadis.
Vngere ſi poſſem, & funus curare, ſupremo
Audire, & pariter reddere verba ſono.
Non poſſum roſeo cineres perfundere nimbo,
Nec charum in noſtro corpus habere ſinu:
Nec premere amplexu manibúſque aptare ſepulchrum,
Nec poſſum plantis oſcula mille dare.
Si poſſem, hoc ſaltem obſequio ſolabar amorem,
Sed mala ſors nullum nouit habere modum.
Mendoçam eripiens peregrina in ſede locauit,
Num vidiſſe negat, non ſemel illa nocet.
Tales (nunc repeto) caſus mihi dira canebant
Somnia, nec mendax ſomnia miſit ebur.
Nam rabido armatum rictu, hamatiſque leonem
Vnguibus vna mihi noctis imago dedit.
Carpere viſus erat toto mea membra furore,
Et raptare feris viſcera vulneribus.
Horreſco, abſcedit cruor, & tremor obligat artus,
Sed non ſum fato credula facta meo.
Hæc quia, nunc repeto neglecti conſcia fati,
Mendoça erepto viſcera rapta fleo.
Cur ego non flerem? ſi flendi maior origo,
Quo maius damnum eſt? plus mihi fata nocent.
Quis noſtrum poſt hac caput inter ſydera condet,
Mendoçam tumulo ſi Libitina premit?
Quis ſacro inſanum moderabitur ore theatrum?
Et Regum in medium facta polita dabit?
Quis tetricæ vitæ mores audebit amare?
Et ſacros patria dirigat arte greges?
Hæc mihi rapta queror vitæ ſolatia, quando
Mendoçam è terris mors inopina rapit.
Hinc dolor, hinc lacrymæ, neque enim ſuſpendere fletus,
Si qua venit ſubitò, magna ruina poteſt.
Fundite perpetuos mea lumina, fundite riuos,
Creſcant de noſtris flumina luminibus,
Vt quoties vitreum ſacra flumina Mauſoleum
Abluerint, fletus deferat vnda meos.
Sic fatis viſum eſt meus vt Mendoça periret,
Ne qua mihi poſthac læta Camœna foret.
Quò tamen æternos teſtemur pectoris ignes,
Inſcriptum in ſolido marmore carmen erit.
Nympha ſuo vitreo tumulum cum extruxit Alumno,
In medio vellet corde ſepulchra dare.
Spes erat, vt ſeros prius iret Alumnus in annos,
Sed ſpes tam vana eſt, quàm bene ſemper alit.
Vidiſſe haud meruit, ſaluum cùm optaſſet Alumnum,
Nulla tamen proprij certa Sibylla mali eſt.
Mors Lugdunenſi Mendoçam abſcondit in vrna.
Gallorum gentes Lyſia damna beant.
Terris ereptus cœlum Mendoça petiuit.
Sic repetunt patriam Numina magna domum.
Quòd moritur, fati nulla eſt vis inuida, cælo
Digna eſt, quæ potuit ſpernere vita ſolum.
Quod procul à patria: Nympham diſcedere cogit,
Abſentes cineres quærere mandat Amor.
Ibit: Mendoçæ pignus raptare licebit,
Si capiat, diues pignore Nympha redit.
Tunc ſpolia hæc poterat vitreo mandare ſepulchro,
Tantus vt afficiat plura ſepulchra decor.
Monſtrabit cineres vitrea ſub imagine ſedes,
Monſtrabunt cineres ad pia facta viam.

P. LVCAS VELOZO primarius quondam Eloquentiæ Profeſſor in Olyſiponenſi, & Conimbricenſi Academia, modò in Regio Conimbricæ Collegio diuinarum Literarum interpres.

LACRYMÆ

Digitized by Google

LACRYMÆ

Prouinciæ Luſitanæ, ob ereptum ſibi Lugduni acerba morte
P. FRANCISCVM DE MENDOÇA.

Elegia I.

HEV Mendoça vbi es? Et quæ te ſors abſtulit? Et me?
Cui venit à fato vitave, mórſve tuo.
Siccine te rapuit mors? Et mihi dicere mortem
Fas erit? Et forſan non erit ante mori?
Hic reditus tuus eſt nimium expectatus? & illa
Seruata in reditum gloria magna tuum?
Huc recidit ſpes certa olim: nunc irrita? In auras
Sic mea vota, meæ ſic abiere preces?
Quos ego non ſuperos, quæ non Altaria adiui?
Quæ non pro reditu vota, precéſque tuli?
In te animo, in te oculis proiecta, ex ore videbar
Intenta in reditus ora tenere tuos.
Pandebámque manus: & tota veſte vocabam,
Téque mei optabam cordis inire ſinum.
Eheu quàm ſubitò mea me ſpes luſit hiantem!
Inque animo dolor eſt, inque oculis lacrymæ.
Non hæc diſcedens dederas promiſſa. Fides eſt
Nunc tua vbi? Illa mihi non dubitata fides?
Ah monui quoties, vt vitæ cautior eſſes
Ipſe tuæ, & vitæ cautior meæ!
Te tamen abripuit tuus heu! mihi cognitus ardor;
Ille tuam vitam ſuſtulit, ille meam.
Extinxit te, méque ſimul: communo duorum eſt
Funus: & vna duos mors rapit, vrna tegit.
Cùm ſceleris purus, maculæ cùm vixeris expers;
Vt ſis crudelis mors tua ſola facit.
Quid loquor? Aut vbi ſum? Mentem dolor excutit. An tu
Vel reus exigui criminis eſſe queas?
Imò ego crudelis, quæ te diſcedere in Vrbem
Compuli, & inſuetas ire, redire vias.
Te nunquam amplexu è noſtro dimittere nunquam
Debui: at in medijs condere viſceribus.
Non erat is Mendoça, meis quem cedere ab oris,
Eque meo paterer tam procul ire ſinu.

A Patribus Prouinciæ congregatis Procurator Romam miſſus.

Nec tam ego crudelis, quàm ſtulta & neſcia dicar,
Nec pudeat culpas accumulare meas.
Neſcia, ſi pretium non noui: at ſtulta, quòd illud
Si noui, abieci: perdere nec timui.
Extinxi te mèque ſimul: nec crimen vtrique eſt:
Inque meum culpa iam rediere caput.

P. Francisco de Macedo, quondam in Olyſiponenſi, & Conimbricenſi primarius, modò in noua, ac Regia Madriti Academia primus, ac primarius Eloquentiæ Profeſſor.

Elegia II.

NOn opus eſt alias ſceleris me pendere pœnas,
Grande mihi ſatis eſt mors tua ſupplicium.
Amiſi exemplar morum, Sophiæque ſolebam
Cui us ad exemplum fingere docta meos.
Heu! vbi ſiderei diuina modeſtia vultus,
Atque decens oris cum grauitate nitor?
Sunt vbi limatæ fœcunda ſilentia linguæ?
Illaque ponderibus verba retenta ſuis?
Quæ facies? quive inceſſus? nam corpore in ipſo
Nil mortale, nihil corporis inſtar erat,
Quid referam dones animi? Vis ignea mentis
Quàm rapida! & motus quàm ingenij!
Ah quoties illum, cùm prælia mentis agebat,
Vidimus æquales mente præire ſuos,

Artium Magiſtrum Conimbricæ geſſit.

Abdita naturæ rimari arcana ſolebat:
Delius in Logicis fluctibus alter erat.
Si quando placuit pro roſtris dicere: lingua
Quantus erat patria, quantus erat Latia.

Rhetoricem docuit annos plures, & conciones plures habuit.

Aurea dicentis manabant flumina ab ore,
Fortius inque ipſo flumine fulmen erat.
Ludere ſi vellet (námque illum & Phœbus amauit)
Carmine, & incertos verba ligare pedes:

Poëticæ deditiſſimus. Publicus Scripturæ profeſſor in Eborenſi Academia.

Aurea currebant de diuite carmina vena,
Carmina, quæ roſo cudit ab vngue labor.
Quòd ſi occulta ſacra reſerare arcana Mineruæ
Pergeret, atque ſuis reddere ſenſa locis:
Mira fides! quantum ingenio, quantum arte valebat?
Iudicio quantus; pondere qualis erat?
Cum Patribus qui conſenſus Concordia qualis;

Quæ

Digitized by Google

Quæ ſtudij vis? copia, lingua, fides?
Scilicet hæc Regum clamant monumenta, per orbem
Sparſa, nec Autoris morte perempta ſui.
Quæ tamen heu pendent fato interrupta: nec vnquam
Mortali dignè perficienda manu.

Edidit viuus 2. tomos in lib. Regum. Poſthumum huncce reliquit.

Nec minus ille habilis clauum tractare regendo:
Flectere & imperio colla aliena ſuo.
Imperij fuerant artes: vigilare, præire
Exemplo: factis iuſſa probare ſuis.

Superior item renunciatus.

Præmia virtutis, culpæ proponere pœnam:
Nec miſcere minus præmia ſupplicijs.
Omnia lance pari ſtabant: mercéſque ſolebat
Vel benefacta ſequi, vel malefacta, ſua.

Præfuit ſubditis egregiè.

Seu freno eſſet opus, celeres frenare peritus:
Sæpe monens cœli cautiùs ire viam.
Nec minus afflictos ſolari, ægríſque mederi,
Spem timidis, lapſis porgere ad aſtra manum.
Omnibus ille Parens, Nutrix quoque: Cenſor & idem:
Idem ſidereæ dúxque coméſque viæ.
Hoc duce ſacra ſuum ſeruabant iura vigorem:
Summus erat patriæ Relligionis amor.
Scilicet illa Dei (ad te iterum Mendoça reuertor,
Ad te mens iterum tacta dolore redit.)
Illa Dei quondam Aſſiſtrix Sapientia Sedis
Te docuit: ſedique aſtitit illa tuæ.

Inito Doctoratu Conimbricenſis Collegij celebres habuit conciones ſuper illa verba: *Da mihi Domine ſedium tuarum Aſſiſtricem ſapientiam.* Quæ Conimbricæ hodie quàm maximè celebrantur.

Tecum prima tui caperes moderamina claui,
Et nouus imperio non tamen ante fores:
Vidimus Aſſiſtritem illam in tua vota vocantem,
Quæ foret imperij digna Magiſtra tui.
Alma ſuis vocem hanc repetit Conimbrica natis:
Illa tuum meruit prima ſubire iugum.
Te duce qui mores? quæ tempora? non magis vnquam
(Sæpe fit) illa domus viſa referre polum eſt.
Talis erat nuper tecum Ebora: talibus illa
Auſpiciis ſuperos eſt imitata choros.
Et quanquam deſerta, ſuóque orbata parente
Ingemat, & lacrymis triſtia damna luat,

Rector erat Collegij Eborenſis, quo tempore miſſus eſt Romam.

Spirat adhuc diuina recens à vulnere, & ignem
Æthereum, flamma dum propiore calet.
Ipſa ego te volui noſtris caput addere rebus:
Et dare captiuas in tua iura manus.

Prouincialis futurus erat procedente die.

Et quanquam inuitum, & vinci te poſſe negantem,
Vel precibus poſſem flectere, vel lacrymis:
Si clauum tractare, notóſque vocare liceret,

Atque

Digitized by Google

Atque mea regeres per freta nauis iter:

Facies Prouinciæ eo Prouinciali hæc procul dubio futura erat.

O ego qui rerum curſus foret ille mearum!
Afflarent votis aſtraque ſórſque meis!
Iámque coronata poſſem mare currere puppi,
Tuta maris, portus conſcia, certa via.
Sed fortuna meis aduerſa, vel inuida rebus
Luſit, & inceptum rumpere ſcit iter.
Vix curſu in medio, ventus cùm ſubſtitit, vnda
Subsîdit, mediis deſtituítque vadis.
Heu qui Mendoçam turbo abſtulit: abſtulit heu me!
Ille tuos curſus obruit, ille meos.

Eiuſdem Auctoris.

Elegia III.

O Fallax hominum ſpes! ô contentio inanis!
Fortuna ô fragilis! Sors maleſida bonis!
Frangimur heu! ſpatio in medio cursúque ſub ipſo
Obruimur! Cùm iam in limine portus adeſt!

Rediens ab Vrbe mortuus eſt Lugduni.

Quàm prope erat portum Mendoça! Ex Vrbe redibat,
Credebatque parum iam ſupereſſe via.
Proh quantus meritis! Proh quantus honore redibat!
Cum maior fama viſus in Vrbe ſua eſt.

Celebratus à Romanis eſt maximè.

Virtutem ciues mirati, exemplaque morum,
Claraque diuini Flaminis indicia.

Conciones habuit Romæ præclara commendatione famæ.

Illum & ſcribentem omnes, & ſtupuere Tonantem;
Nec Franciſcus erat nomine; Paulus erat.
Inde ego magna mea capiebam fœnora laudis,
Pignore viuebam Lyſia ſæpe meo.
Lyſia viue: Vrbes, Populique, & Regna ſonabant,
Pignore viue diu, Lyſia viue tuo.
Felicem me iterum, fortunatámque vocabant,
Quòd gremio poſſem tegenuiſſe meo.
Illa tamen tecum extincta eſt iam gloria; quæque
Te viuente aderat, te moriente abijt.

Lugduni apud Cardon eius libri excuſi.

Hoc maior dolor eſt, quòd te illa vrbs abſtulit, illa
Quæ modò erat ſcriptis nobilitata tuis.
Térve, quartérve typis dederat tua nomina; tu illi
Autor famæ: autor funeris illa tibi.

Lugdunum alio nomine, & Hiſpano quidem Leo dicitur.

Heu! terra ignota diro data præda Leoni es:
Exuperat Pœnos hic feritate Leo.
Vrbs fera, quàm bene, vel potius malè dicta Leonis

Mendo

Mendoçam rabido ſic premis vngue meum?
Debuerat Mendoça tua manſueſcere voce:
Lambere depoſita iam feritate pedes.
Sed quid ego incuſo fuerit cùm criminis expers?
Supplicium culpæ mors fuit illa mea.
Non igitur fera; ſed potius benedicta Leonis
Nomine, quæ factis ſit generoſa ſuis.
Illa etenim febri correptum, animámque trahentem,
Materno excepit officioſa ſinu.
Multa manu experta eſt medica, prece multa: nec vnquam
Deſtitit; arte omni ſollicitata ſalus.
Sed medijs inerat tabes inimica medullis:
Imaque torrebat peſtifer oſſa calor.
Sic furor heu morbi, furor igneus, omnia luſit,
Nec ferientis erat forma, furentis erat.
Et quoniam viuum haud potuit ſubducere morti:
Defuncto exoluit funeris officium.
Illam ſupremam animam bibit expirantis ab ore,
Et facies illi commorientis erat.
Illa oculos preßit, lacrymaſque effudit, & vnà
Fletu, morte, oculos clauſit vterque ſuos.
Nec lymphis opus; vt lacrymarum profluit imber,
Hoc melius viuo flumine membra luit.
Illa etiam corpus ſi pollincire liceret,
Et myrrham, & caſiam, cynnama, thura daret.
Sed foret hic vanus labor, & cura irrita, quando
Iſtud erat niueæ Virginitatis opus.
Incorrupta ſuo ſe membra pudore tenerent:
Laus erat hæc membris debita virgineis.
Neſcia virginitas cariem ſentire, ſitúmque,
Nulla ligant tumuli vincla pudicitiam:
Non tamen aut inopem meriti, aut virtutis egentem,
Abſtulit; abſtulerit mors tamen ante diem.
Dum morbo implicitus, febrique æſtúque laborat,
Intimaque extremus permeat oſſa dolor:
Mira animi requies: nulla impatientia, nullus
Horror, non etiam ſigna dolentis erant.
Imò ridentis ſpeciem præ ſe ore referre
Viſus, & in medijs viuere delicijs.
Cumque ſalus ſpe iam exigua penderet, & aura
Inciperet cœli liberiore frui.
Ille ſacras de more epulas ſumpturus; Amoris
Pignus, vbi paruo conditur orbe Deus:

Curatus à noſtris diligentiſſimè.

Funus egregiè & Collegium, & Ciuitas procurauit.

Virginitatis florem Mendoça ſeruauit illibatum.

In morbo magnum patientiæ, pietatíſque ſpecimen præbuit.

(Sic

(Sic etenim ille ſuis iuſſit morientibus, eſſet
Vt comes extremæ, ſubſidiumque viæ.)
Corripuit lecto, quo fato vrgente iacebat,
Membra; nec illud erat ſomnium, at ardor erat.
Incumbénſque genu, elatis ad ſidera palmis,
Subſtitit, æthereas ore vibrante faces.
Hoc habitu indignum referens ſe ſe hoſpite tanto,
Exhibuit puri pectoris officium,
Hoc ſemel, hoc iterum letho iam inſtante peregit:
Is vigor affecto in corpore mentis erat.
Quid referam, quæ ſuprema moriturus in hora
Edidit afflatu iam propiore Dei?
Quos ignes, quas ille faces iaculatus amoris?
Quæ pius emiſit vota, precéſque tulit?
Quod mortis deſiderium? quæ tædia vitæ?
Totus in æthereo Numine ſenſus erat.
Quæ mandata meis, extrema in morte reliquit?
Quàm pia, quàm ſanctæ pignora amicitiæ?
Hæc ego ſeruabo mediis infixa medullis:
Hæc animo recolam dum memor ipſa mei.
Mortem obijt tandem repetito nomine IESV.
Æterna hoc illi nomine nota ſalus.

Sumpturus viaticum in ſolum è lecto ſe dedit.

Sub mortem miro ſenſu pietatis multa egit ſanctè, dixitque piè.

Eiuſdem Auctoris.

Elegia IV.

QValis odorifero cùm flos ſucciſus in horto
Languidulum inclinat morte premente caput.
Nec dum illi decor omnis abeſt, nec forma recedit:
Gratus at inflicto vulnere ſurgit honor.
Sic Mendoça meus flos occidit, vt tamen olli
A fato indueret lúxque decúſque genas,
Vrbs quoque ſidereum mirata eſt floris honorem;
Diuinus membris viſus ineſſe vigor.
Ergo purpureis compoſitum floribus ambit;
Nec flores inter flos erat ille minus.
Hic Roſa, Narcyſſus, Viola, Caltha, atque Hyacinthi,
Hic pubeſcentis gratia veris erat.
Langueſcente omnes marceſcere caule videres,
Cúmque ſuo pariter flore cadente mori.
Illi maior honos, cui iam ſua forma recedit,

Floribus compoſitum in pheretro caducis ſpargitur.

Qui

Qui propior pheretro eſt, pallidiórque iacet.
Quæ genti litio pro ſtemmate Gallia iactat,
Hic etiam amittunt lilia mæſta decus.
Vno palleſcunt & flos, & lilia fato,
Formaque pallenti concolor alba manet,
Nec te pœniteat manibus dare lilia plenis
Gallia; in hoc tumulo ſpes quoque adempta iacet.
Aſpiceres magnis concuſſam luctibus vrbem,
Ad tumulum triſtes ingeminare modos.
Stabat ferali frontem redimita cupreſſo,
Sparſa manus, veſtem ſciſſa, ſoluta comas.
Nunquam viſa manus Leo Mæret flebilis, & flens:
Ipſe habitus flentis, vox quoque flentis erat:
Daphni tuum Phœnos fatum ingemuiſſe Leones
Ne iacta, ſeruat fabula nulla fidem.
Falleris. Hoc tantùm Mendoçæ fata dederunt.
Hoc primum viſus funere flere Leo.
Fleſſe hunc, non ſatis eſt, fleuerunt hic quoque rupes,
Hæc flexere oculos funera pumiceos.
Humanum, mitémque Leo ſe præbuit: hic ſe
Exuit: hic potuit dedidiciſſe feram.
Depoſita feritate pios manſueuit in vſus,
Ille Leo poſthac non erit, agnus erit.
Nunc ad te, & tua magna Leo benefacta reuertor,
Vrbs mihi fraterna ſemper habenda fide.
Egiſti Patriam, egiſti pietate Parentem:
Officiis video nil ſupereſſe meis.
Quæ tibi ego tanto referam pro munere? quiſve
Penſare officiis debita tanta queam?
Non mihi ſi gemmis, opibuſque Orientis onuſta,
Quot nunquam, redeam in mea tecta rates.
Et quaquam his poſſent æquari debita: non hæc
Diſſoluenda forent nomina diuitiis.
Quòd ſi reſpicias animum, & debentis amorem:
Debita amor ſoluet ſátque ſupérque meus.
Si tamen haud animum recipis: nec pendis amorem;
Et ſunt hæc aliâ diſſoluënda viâ.
Sit ſatis heu! noſtri Mendoçæ corpus habere:
Hoc ſuperat pretio debita noſtra ſuo.
Cúmque illos retines & nos quoque: vbi ſitus ille eſt,
Nos ſumus: heu ſecum corda ſepulta tenet.
Vixi, dum vixit Mendoça: hoc mortuo, & ipſa
Mortua ſum. Quæ illum, me quoque buſta tegunt.

Lilia Gallorum Regum ſtemmata gentilitia.

Lilium ſymbolum ſpei.

Totius ciuitatis ad funus concurſus.

Gratias agit refértque Luſitania prouincia Collegio Lugdunenſi.

Eiuſdem Auctoris.

i

Digitized by Google

Eiuſdem P. FRANCISCI DE MENDOÇA.

EPITAPHIVM.

SIſte hoſpes. Iacet hic Mendoça. Quis ille? Requiris.
Accipe. Erit merces hæc ſatis ampla moræ.
Hic patria Luſus. Genus alta è ſtirpe. Latino
Tullius eloquio. Carmine Virgilius.
Viſus Ariſtoteles ſophia. Documenta ſalutis
Dum dedit, Os aureum dictus, & Ambroſius.
Scriptura Hieronymus. Paſtor bonus arte regendi.
Doctrina quantus Laurea parta docet.
Et Pius in Superos, & Moribus integer. Idémque
His titulis tantus, ſpe quoque maior erat.
Ex illo Regum monumenta, & Fama ſuperſunt.
Præterea Cinis eſt, & Dolor heu! Patriæ.

Eiuſdem Auctoris.

Patauij cum Lugduno de dignitate contentio orta ex D. Antonij, & P. FRANCISCI DE MENDOÇA apud ſe ſepultura.

VRbis Vlyſſeæ clariſſima pignora ſeruant
Italia terra ſuum, Gallica terra ſuum.
Hanc Franciſcus habet, tenet illam Antonius: illum
Lugduni, hunc Patauii mors vel acerba tulit.
Inter vtramque piâ ſeritur diſcordia lite,
Vtra ferat palmas pignore nixa ſuo.
Sunt patriâ, clariſque pares natalibus ambo:
Doctrina ſimiles, & pietate pares.
Vrbs Patauii linguâ. Pennâ valet altera: vt ille
Clarior eſt linguâ, clarior hic calamo eſt.
Tunc dirimit lites hac Lyſia voce: Meorum
Optima lingua tibi eſt: optima penna tibi.

Eiuſdem Auctoris.

QVERI

QVERIMONIÆ

In obitu P. FRANCISCI DE MENDOÇA.

EPISTOLIVM.

IBis ad Elyſios, ſine me, mea littera campos,
Ad Lyſios iterum non reditura lares.
Mens ſimul ire cupit, ruptis comes ire catenis,
Vt quò non poſſum corpore, mente ferar.
Cæleſtes te magna vocant ad gaudia ciues,
Et ſimul ad lacrymas triſtia fata vocant.
Ite procul lacrymæ, cælum iubet, ite dolores;
Triſtitiámque potens in mare ventus agat.
Cælicolas hîc nulla premunt ſuſpiria; mœſtis
Quæ ſalit ex oculis, non habet vnda locum
Æternùm, procul Elyſiis dolor exulat oris,
Solaque tranquillo gaudia corde ſedent.
Ire tamen mœror, lacrymæ procul ire recuſant;
Haud noua lacrymis fœdera mœror habet.
Obductum liceat verbis vulgare dolorem,
Quæ quondam in primo clauſerat ore dolor.
Audiat ille meas, qui temperat aſtra, querelas,
Si non auerſa reſpuit aure preces.
Dum ſuperos, dúmque aſtra voco crudelia vates;
Dum iubet ad lacrymas ſoluere fræna dolor.
Siccine Franciſcum cœlum tulit? aſtra tulerunt
Aurea, delicias inuidioſa meas?
Siccine crudelis rapit inclementia Mortis,
Atque auida ingentes depopulatur opes?
Illa meis lacrymis ſolatia nulla reliquit,
Ferret vt ad ſuperos gaudia cuncta Deos.
Cur tibi ſæua dedit ſæuos Leo Gallicus vngues,
Vnguibus Hircanæ dilaceranda feræ?
Si fama eſt mites tantum ingemuiſſe Leones
Interitum, & Libycas illacrymaſſe feras:
Vltrices poſuêre ardentia lumina flammas,
Nec non erectas fortia colla iubas:
Diſce precor Libitina feris truculentior ipſis
Funeribus diras abſtinuiſſe manus.
Non te, crudelis, Latiæ facundia linguæ
Flexit, & auratæ fila canora Lyræ?
Non animi ornamenta, & honeſtæ gaudia frontis,
Non generis, rarâ cum probitate, decus?
Conde veneratas Mors impia, conde ſagittas;
Maius ad arbitrium nil manet orbe tuum.
Nec vereor totum lata diffuſa per orbem
Occumbat telis fama petita tuis.
De te, magne parens, primùm queror, & mea ſemper
Sit de te, natis prima querela tuis.
Tantáne te Lyſiæ ceperunt tædia, vt optes
Molliùs Alpinas inter obire niues?
Hoc tamen, hoc ſuperûm iuſſere oracula, vt illa
Quæ dederat vitam, non tibi fata daret.
Deficis ergo, moræ impatiens? hic ille paternus
Eſt amor? hæc animi pignora clara tui?
Non rediturus abis? tecum ô tecum ibimus omnes:
Dulce fuit tecum viuere, dulce mori eſt.
Et ſi rura petis felicia Paſtor, amicum
Quid iuuat in terris deſeruiſſe gregem?
Ducimus imbelles extrema per omnia vitam;
Sæpe Deum in pœnas crimina noſtra vocant:
Quot ſcelerum portenta, & quot violata Deorum
Iura, tot in clades horrida bella tument.
At te longa manet ſpatiis melioribus ætas;
Fortunæ nullas experiêre vices.
Dúmque agis optatum ſuperis regionibus æuum,
Nulli te caſus, nulla pericla manent.
Cæleſtes ſuperûm ſedes, ſtellantia cœli
Clauſtra vides plantis inferiora tuis.
Viue ergo Elyſiis, noſtri non immemor, aruis:
Hæc qui verba iubet ſcribere, ſignat Amor.

P. IOANNES DA ROCHA, quondam in Eborenſi, in Olyſiponenſi, Conimbricenſi Academia primarius Rhetoricæ Profeſſor.

ECLOGA

In obitu P. FRANCISCI DE MEMDOÇA Lugduni.

DAPHNIS,

NEMOROSVS, AMYNTAS.

STellatus quà Monda vagis ſpatiatur arenis,
Geryoniſque ſolum vitreis interſecat vndis,

Digitized by Google

Paſtores ; alter Nemoroſus ; & alter Amyntas ;
(Nos amor in lacrymas ire, ac ſuſpiria cogit,
Extincti nuper ſocij, quem funere acerbo
Abſtulit atra dies alienâ in ſede morantem,
Dum procul à Patria viuit peregrinus in oris.)
Seu petit Oceanum, ſeu ſol nouus exit ab Indis,
Nocte, diéque ſimul, (tantus dolor vrget amantes,)
Et nemora, & ſcopulos querulis clamoribus implent.
NEM. Nónne vides vt Monda fluat lutulentus ; vt ipſæ
Plus ſolito triſtes ſedeant in margine Nymphæ ;
Cuilibet vt gemini perſtent duo lumina fontes,
Auctus vt his abeat lacrymarum fontibus amnis?
Vt ſuper intonſas ferali carmine ſyluas
Triſtitiam bubo reſonet ; campóſque per omnes
Nec virgulta pecus tangat, nec flumina libet?
Luctus vbique ſonat: valles, colléſque ſupini,
Antra, nemúſque dolent ; ingens ſtat luctus vbique.
AM. Nil mirum, ſi cuncta gemant ; mors improba quando
Lætitiam, & Daphnim tumulo demerſerit vno.
NEM. Daphni, ſuperbificæ dum te Capitolia Romæ
Alta tenent, pulchróque æquata palatia cœlo ;
Dumque niues, duroque infames frigore montes,
Tabificóſque ſubis violento ſole calores ;
Ipſæ ſe virides, vmbroſa cacumina, fagi,
Ipſi te fontes, ipſa hæc tua rura vocabant.
AM. Daphni, tuum referunt, Gallum ingemuiſſe Leonem
Interitum : fleuit Rhodanus, defleuit amatis
Ipſe Araris lacrymis, tua cùm luctantia morte
Membra vident, lethi & torpentia lumina ſomno.
NEM. Heu miſer, externa moreris Peregrinus in vrbe,
Nec potui infelix digitis tua lumina ſomno
Condere, ſupremumque vale morientis ab ore
Audire, & patrio corpus mandare ſepulchro?
O Lugdunenſes, Gallorum maxima ſemper
Gloria, nunc populo populus felicior omni,
Qui veſtro in tumulo ſanctum, ac venerabile pignus
Seruatis ; longos vbi ſpes tua, Lyſia, in annos
Vnà extincta iacet, ſed non æterna doloris
Vulnera, quæ viuis remanent infixa medullis.
AM. Aſpera feſtinum cùm te tua fata vocabant
Heſperiam in magnam (tunc vlteriora colebas
Rura Tagi, Paſtorque gregem non pauperam agebas)
Vidi ego te Patriæ fines, & flumina nota
Linquere: tunc oculis abeuntem proſequor vdis ;
His oculis ; his, inquam, oculis, quos poſt tua, Daphni,
Funera, non oculos, propriori nomine dicam
Flumina arenoſis longè ſtagnantia ripis.
Daphni, ego te vidi cùm primo limine portæ
Pes tuus offenſo, fatum ſignauit iniquum ;
Vt vidi, ingemui, tacitoque in pectore dixi :
Iſta mei Daphni, precor, vt ſint ſigna regreſſus
In Patriam ; procul ô fatum, procul omen abeſto.
Læua, ſed heu, cantu vicina ex ilice, cornix,
Funereos iterabat auis, reditúſque negabat.
Illa tibi reditus negat, & concedit Amyntæ
Illa tuo, lacrymas oculis, & corde dolores.
NEM. Ante oculos, ô Daphni, meos tua viuit imago.
Illa ſerenatæ ſtat viua modeſtia frontis,
Atque verecundi flagrantia ſigna pudoris
Sparſa per ora rubent : duro Methanea flagello
In te ſæuit atrox ; nullus crudelior hoſtis
Te, tibi, Daphni, fuit, nullus te mitior inter
Paſtores aliis, qui nunquam liuida ab ore
Verba iacis, ſemper raro moderamine linguæ
Vixiſti. Sed proh! qualis, quantúſque loquendi
Daphni, tibi ardor erat, cùm te videre tonantem
Romulidum procere Romæ, qua Tullius olim
Non ſic eloquij tractauit pectora habenis
AM. Dicite Lugduni Gens ô mihi chara, beatos
Vt veſtros ſubijt Daphnis meus aduena portus,
Quo deſiderio, vel quo flagraſtis amore
Spectandi, quem iam toto vulgauerat orbe
Fama loquax ; Regumque, Ducum & monumenta priorum
Qui Solymæ imperium multos tenuere per annos,
Grande opus ingenij, quo non felicius vllum
Lyſia produxit, nec ſecula noſtra tulere?
NEM. Dicite Paſtores, ſubito quot gaudia luctu
Mutauere vices, vbi toto corpore Daphnis
Serpit dira lues, extremiſque oſſibus hæſit
Ardor, & immeritos corrupit Lethifer artus?
AM. Vera fides memorat, multos ſubiiſſe labores
Paſtores Rhodani, dum venis pellere morbum
Fruſtrà

Fruſtra agitant, peſtémque imo de pectore Daphnis.
Quot vigiles ducunt inſomnia lumina noctes,
Quótve dies? tanta eſt Peregrini cura ſalutis.
NEM. *Applicat ægrotæ quæ non medicamina Daphni*
Officioſa manus; veniunt pretioſa colore
Sandala purpureo: nigris portatus ab Indis
Combibitur lapis: hic immiti corda veneno
Liberat, & veſtras deperdit, toxica, vires.
His tibi pro meritis, pro tanto, Gallia, amore,
Immemor haud, iuges perſoluet Lyſia grates.
AM. *Hei mihi quòd nulla mors eſt medicabilis arte.*
Occidit ignota, ſed non ignotus, in ora
Ille meus tandem Daphnis, qui liuida morte
Lumina luminibus figens pendentis IESV,
Dulcia clauigeris dum congerit oſcula plantis,
Atque Catenatis amplexibus arctus inhæret,
Illuſtrem efflauit generoſo è pectore vitam.
NEM. *Poſtquam Paſtores frigentia membra feretro*
Impoſuere cauo; violas, & lilia flores
Purpureos ſuperinfundunt, ſic corpus ad ima,
Floribus ornatum deſcendit buſta; patentem
Sic mens plena roſis virtutum, aſcendit Olympum.
AM. *Dant tibi cæleſtes diuina palatia ſedes;*
Sub pedibuſque vides nubes, & ſydera, Daphni,
Felices inter Manes, cœtuſque beatos.
Ergo aut ingratas ſi non obliuia mentes
Cœlicolûm inuadunt; ſocios nos reſpice ab Alto,
Daphni, tuos, quos mundanæ vaga murmura ritæ
Sollicitant miſeros, & falſa inſomnia ludunt.

P. GREGORIVS DE PINA, Conimbricæ primarius Rhetoricæ Profeſſor.

Luſitania vbi natus, Gallia vbi extinctus, MENDOÇA pariter lugent.

LYſia te genuit, te Gallia magna recepit:
Illa tibi vitam præbuit, iſta necem.
Lyſia deſeruit, quem Gallia funere merſit,
Lugent ablatum prima, ſecunda virum.
Vna quòd in Romam te miſerit, altera quòd te
Paladiæ eſt gentis paſſa perire decus.
Erepto Mendoça tuæ pro munere vitæ,
Bina genas lacrymis regna notare ſine.
Abluat extinctum lacrymarum Gallia fonte,
Non ſatis eſt lacrymis Lyſia quanda tuis.

P. FRANCISCVS ARANHA Humanitatis Magiſter.

Quare Lugduni fato conceſſerit?

CAius cognomen caligæ cui ceſtra dedere,
Dum caliga indutus Martia bella gerit,
Lugduni inſtituit certamina Palladis vrbe,
Qua foret aſſiduum Martis, & artis opus.
Concio Mæonio viguit ſermone Latina,
Explicuitque ſuos vtraque lingua ſonos.
Lugduni emoritur doctiſſimus ille Magiſter,
Cui lingua in promptu Græca, Latina fuit.
Scilicet vt docti certaminis arbiter eſſet;
Nam muti cineres Iudicis inſtar habent.

Eiuſdem Auctoris.

Lugduni, ſeu Gallici Leonis Olyſiponi de obitu MENDOÇÆ.

EPISTOLA.

SIc ad Vlyſſæam ſcribit Leo Gallicus vrbem,
Sed tamen vt Libycus non viget ore Leo:
Nil ferat indomitum, nil portet epiſtola durum,
Sit ſatis autori nomen habere ferum:
Et meritò ſæuum cupio deponere nomen,
Ne videar tanti funeris eſſe reum.
Huc, tuus aduenit Mendoçius Vrbe relicta,
Huc, vetitum à Parcis vnde redire fuit:
Nec tamen hoſpitium, nec me incuſare licebit;
Non ego prima mali cauſa reperta fui:
Siue labore viæ cadit, aut Iouis igne viator,
A patrio nouit ſeu procul eſſe ſolo:
Sed quæcunque foret, morbique, & mortis origo,
Sum pius ad thalamum viſus adeſſe Leo:
Nec potui tenui ſemel indulgere quieti,
Tunc vera effigies euigilantis eram.

Cauſa (nec immeritò) Mendoçius extitit æger,
Hic trahit inſomnem ſollicitudinibus.
Cura nec hoſpitio, nec defuit arte medendi.
Sed tamen incaſſum cura, labórque fuit.
Heu quia deficiunt placido pia lumina vultu!
Præuenit inſtantem pallor in ore necem.
Corde tamen fatum Mendoçius ante peregit,
Iniiceret falcem quàm Libitina ſuam.
Stat prope, quod metuũt Erebi prætoria, ſignum
Æthere ſublatum quod minor ara tenet.
In cruce cæruleos oculorum contrahit orbes,
Et tenet in dulci lumina fixa thoro:
Sæpe intérque manus & brachia verſat IESVM;
Quàm dulce ad lacrymas fudit ab ore melos!
O mea vita (canit moribundus cycnus) & ô cor
Dulce meum vitam tu modò claude meam.
Adderet his vltro quàm dicere plura valebat,
Sentiret clauſum ni fore vocis iter.
Sic (cùm fata vocant) trahit exequialia cycnus
Carmina, Mæander, qui natat amne tuo.
Emoritur, Chriſtique animum ſub fronte relinquit,
Vt qui vnimum dederat primus, hic ore legat.
Hinc volat (vt phœnix, qui pulchrior igne reſurgit)
Fortunata viri ſors morientis erat.
Crede illum interitum ne me ingemuiſſe Leonem,
Et nimium damnis condoluiſſe tuis:
Profuit id nouiſſe virum virtute decorum,
In quo grande ſophos ſuſtulit atra dies.
Inter acerba reor te ſomnia cernere noctis,
Vrbs Ithacæ magni nomine clara ducis:
Nigra ſed occultat roſeum modò palla decorem,
Eximius fuerat qui tibi frontis honos:
Nec procul effigies fluuij lacrymantis oberrat,
Déque tuis oculis flumina bina cadunt:
Haud ſecus Eridani ſoror olim fleuit ad vndas,
Cui Phaëton tanti cauſa doloris erat.
Mœrentem ire Tagum lacrymarum flumine vidi,
Flumine, vicinum quo rigat ille ſolum.
Non illum ripa, non vrna crepidinis vrget,
Liberior toto funditur amne via.
Non illum gemmæ, pretioſa nec ornat arena,
Clara nec irriguo perſtrepit vnda ſono:
Triſte ſed imme nſis clamoribus æthera complet,
Totaque lamentum vox lacrymantis abit.
Liberior pulchro de corpore veſtis oberrat,
Huc illuc rapido fertur adacta noto:
In patria Tagides regione iacere videbam,
Quam terere alterno ſcit chorus ille pede:
Nec iam diuitibus ſunt tempora pulchra coronis,
Nec viget antiquus fronte, vel ore nitor:
Sed quid plura, virum quid non doluiſſet ademptum,
Cognita quæ noti nomine mater erat?
At, qui magnanimæ te nomine dicis Vlyſſis,
Vrbs Luſitani gloria prima ſoli:
Pone modum lacrymis, ſatis eſt doluiſſe parũper;
Ne plus quàm iuſtus ſit tibi corde dolor.
Ne rapidum incuſes in me indignata Leonem,
Ore quòd hæc maneat condita præda meo.
Gallicus ah quantum Leo ſum mutatus ab illo,
Mendoçæ quando cæde cruentus eram!
Tunc ſæuus, nunc Franciſci dulcedine in ore
Viſus Samſonis melleus eſſe fauis:
Attamen iſta tui mellis cœleſtia dona,
Quæ mihi de puro miſſa fuére polo;
Hæc tua, quæ fundis, lacrymarum flumina turbant;
Ne lacryma; & dulci nectare diues ero:
Ne tuus in gemitus fletus me vertat, amara
Aut mella hinc potiùs pocula fellis erunt.
Id ſatis eſt voluiſſe mori Mendoçius vrbe,
In qua poſt nomen nil feritatis erat:
Hoc erit extremum patriæ ſolamen amantis,
Forſitan hoc etiam quod morientis erat.
Funeris at cauſam ſi fortè rogauerit vllus,
Incola ſeu maneat, ſiue viator eat.
Hæc eſt, quam meritò poteram celare ſepulchro;
Præ deſideriis hic perit ille poli.
Ergo vale ô patria, & Mendoçæ gloria nati,
Hæc patria in votis emorientis erat.

P. FRANCISCVS VEIHO
Humanitatis Magiſter.

MENDOÇÆ exequiæ.

ELEGIA.

ERGO ferali frontem redimita cupreſſu
Huc ades infauſtas Muſa ſoluta comas.
Huc ades ad tumulum, viridi quem ceſpite inanem
Ponimus, ad ripas, & leue murmur aquæ;
Quâ Monda auratis decurrit fluctibus; & quâ
Oſtentat colles Franca ſuperba ſuos.
Mendoçæ exequiis (ac triſtia dona) paramus:
Sunt hæc de lacrymis dona parata meis.

Exigua

Digitized by Google

Exigua ingentis ſint hæc ſolatia luctus:
Quis ferus in chari funere flere vetet?
Vos mecum ô montes, vos ſaxa horrentia flete;
Flete precor: fatum hoc ſaxa mouere poteſt.
Tuque ô Monda (dolor ſi te idem tangit) acerbum
Mendoçæ ad funus ſiſte parumper aquas:
Sic tibi, cùm palagi fuerit tibi curſus in vndas,
Tranquillum præſtet Doris amara vadum.
Hoc ne erat in fatis patria cùm excedere vidi
Mendoçam in fines Roma opulemta tuos?
Tunc mihi neſcio quid prædixit ab ilice cornix:
Hoc erat, hoc triſti voce canebat auis.
Iuit at ille tamen patriis peregrinus ab oris:
Iuit, at in patriam non rediturus erat.
Siſte gradum, ſubeant ne tanta obliuia noſtri;
Hei mihi! iam Franci præda Leonis eris.
Saxa per, & montes, per deuia luſtra ferarum
Errauit: tenuit per freta longa viam.
Non illum Alpinæq; niues, canæq; pruinæ,
Non iræ indomiti detinuere maris.
O vtinam Mauros bellum ad nauale cohortes
Tunc raperet, vitreas obſtruerétque vias.
Et voluit: ſed fata viam importuna negarunt.
Heu quantum hæc nobis pax inimica fuit?
Terrarum dominam venit nouus hoſpes in vrbem,
Quem placido excepit terra beata ſinu.
Hinc ad IESVadum ſe confert ſedulus arcem,
Sacra vbi militiæ ſigna Tonantis erant.
Ductorem ante omnes, genti qui præſidet omni
IESVadum, noſtrum congreditúrque caput.
Monſtratur digito cunctis: Hic maximus ille eſt,
Qui celſo eloquij fulminat ore Deus.
Hic ille eſt, ſacris arcana recondita libris
Promere quo meliùs nullus in orbe poteſt.
Iam pridem notus famâ ſuper æthera; toto
Noſcitur ille ſuis orbe voluminibus.
Scilicet vt ſimili referuntur prole parentes,
Authorem prodit ſic opus omne ſuum.
Inde Petri ſedes, ſacrataque limina adiuit,
Limina polluto non adeunda pede.
Illius ardentis mirata eſt fulmina linguæ,
Abſtinuitque ſuis Roma libidinibus.
Et reditus iam tempus erat: dare vincula amoris,
Mendoçæq; parat Roma tenere pedes.
Feciſſetque vtinam: ſtabant fata aſpera contrà;
Roma tenere cupit, fata redire iubent.
Carpit iter. Iam Lugdunum deuenerat vrbem.
Ergo cadit, morbo corripiturque graui.
Nec mora fit, lethi iam vis inimica propinquat;
Nil ſtudium, medicæ nil valuere manus.
Eheu! labentes vrget iam ſomnus ocellos:
O dura! at nulli non ſubeunda quies.
Hoc ne fuit quod Franciſci præuiderat ante
Præſcia mens funus vaticinata ſuum?
Lugduni nobis liceat operare quietem,
Abijcere & longæ tædia longa viæ.
Hæc erat illa quies, hæc ſe ſuprema manebant
Fata, tot heu damnis impoſitura modum.
Siſte precor (ſocij dicunt,) breuis eſt mora, ſed iam
Ire animus vinclis liber in aſtra parat.
Emoritur, moriénſque ſuum dum cernit IESVM
In cruce, olorinos ſoluit ab ore ſonos.
Accipito hanc animam mea ſola & ſumma voluptas:
Strata vtinam tua nunc crux mihi blanda daret.
Diceret vt qui me extrema vidiſſet in hora:
Hæc facies Chriſti, cùm pateretur, erat.
Da latus; hîc ſaltem requieſcam in morte: columba
Sic dormit petræ clauſa foraminibus.
Da precor ô circum vitæ dare brachia lignum.
Hæc ait, amplexu perfruiturq; Dei.
Non ſic frondentem vitis religatur ad vlmum,
Quàm ſunt Franciſci brachia nexa Cruci.
Et dum lingua nequit, ſuſpiria voluit in imo
Pectore: habent voces torque, animuſq; ſuas.
Ergo dum properant iam fata extrema, relinquit
Oſſa vigor; corpus ſpiritus; ora color.
Libera mens cœli patrias volitauit in oras;
Haud ſecus in patriam qui redit, ille redit.
Fleuerunt montes, fleuerunt & pia ſaxa,
Ipſæ etiam agreſtes ingemuere feræ.
Vos etiam ô Rhodani ſinuoſa fluenta, dolore
Tecta, reluctantes continuiſtis aquas.
Et Pallas viduata ſuo plorauit honore.
Errauitque altis mæſta cacuminibus.
Ergo ne ignota Franciſce iacebis arena?
Extera det cineri terra ſepulchra tuo?
Sed bene in externo tumularis littore: tellus
Hæc fuerat fatis debita iure tuis.
Lyſia gens vt fleret, & vt gens Gallica: fleri
Vno non poterat tanta ruina loco.

Tu tamen, hoc ſpolio felix ô Gallia; ſemper
Mendoçæ foueas molliter oſſa mei.
Sedibus vt ſaltem placidis in morte quieſcat,
Cui fuit aſſiduus nil niſi vita labor.
Æternum Franciſce vale: te te extera ſeruat
Terra; tuo cineri ſit precor illa leuis.
Aſt ego, cui ſine te durum eſt producere vitam,
Exequias lacrymis proſequar vſque tuas.
Has inter ſalices iuuat indulgere dolori,
Et flere ad ſonitum prætereuntis aquæ.
Ite citi, Mondæ ſtellati currite fluctus;
Currite, déque meis creſcite luminibus.
Hic queſtus iterans te te Franciſe vocabo;
Inſcribam & teneris carmina corticibus.
Et quantum ſalices, tantum dolor improbe creſces:
Creſce; atque in luctus ſurge tyranne meos.
Glauca ſalix, quæ me plorantem protegis vmbra,
Déque meis oculis imbre rigata vires:
Viue diu, fletúſque mei non immemor vnquam,
Hoc precor in memori cortice carmen habe.

Dum vagus in pelagus leni fluet agmine Monda,
Franciſcus noſtri cauſa doloris erit.

P. Ioannes Albuquerius,
Humanitatis Profeſſor.

COLLEGIVM CONIMBRICENSE
LVGDVNENSI,

Pro acerbo funere P. Francisci de Mendoça.

Ah frater, tam non frater, ſed durus, & expers
Hoſtis amicitiæ, ſed feritate Leo.
Ah Leo crudelis Buſiride ſæuior ipſo,
Qui nudo hoſpitium polluit enſe ſuum.
Haud tua clementi genuit te Gallia cælo,
Sed rigido genuit terra Libyſſa ſinu.
Stemma Galliæ. *Quid tria dure refers gentilia lilia, cùm te*
Plus deceant rabidi tela triſulca Iouis.
Progenies primi cedat tibi prima Parentis,
Quæ fratri nuulſit ſanguinolenta caput.
Cedat, & egregiæ ſoboles diuiſa Rachelis,
Auſa vel in fratrem bella ciere ſuum.
Hæc Ignatiadum fuit indiuiſa voluntas?
Hæc ſacra fraternis fœdera ſanxit Amor?
Hoc Loyolæum tibi perfide ſacramentum?
Hæc iurata fuit dextera militiæ?
Hæc fuit hoſpitij nobis data teſſera? nobis
Hoc fuit antiquæ pignus amicitiæ?
Quid iura abrumpis, quid pacta refringis amoris?
Sic agnata ligat dulcia vincla fides?
Quid Mendoça meus potuit committere tãtum,
Hoſpitij leges vt violaret amor?
Qui ſine labe fuit, poterat committere crimen?
Nullum crimen erit, ſit niſi crimen amor.
Nam fueras illi Rhodanum noua cauſa videndi,
Flectendique nouas ad tua tecta vias.
Hos illi reditus, hæc illi præmia, & illi
Has meritas, frater Punice, reddis opes?
Quid loquor, aut vbi ſum, quæ mentem inſania mutat?
Quis dolor arbitrij non ſinit eſſe mei?
Ipſe dolor mentem, non mens fert ipſa dolorem.
Ille dolet verè qui ſine mente dolet.
Ferreus, & ferus eſt qui non dolet, atque dolorem
In Mendoça tuas exprimit inferias.
Parce tamen frater, veniam concede precanti,
Si facilem veniam crimen amoris habet.
Heu mihi cæcus amor rabidas exarſit in iras,
Atque in non meritos impulit ire modos,
Heu pudet indignis fratrem incuſaſſe querelis,
Et vertiſſe atris munera funeribus.
Ex hoc incipiam zephyris dare lintea retrò,
Cùm mihi ſis rebus portus & aura meis.
Iam dolor impatiens liquidos miteſcit in amnes,
Iam ſua compoſitus dicta recantat amor.
Hic Leo mellifluos ſoluit mihi fœnore fructus,
Parturit ore fauos, parturit ore roſas.
Ora Palæſtini cedant tibi blanda leonis,
Mortuus ille habuit, quæ bona viuus habes.
Non tibi rugitus, rabies nec dira Leonis, Cura Collegij Lugdunenſis erga Mendoçam ægrotum.
Sed teneri agnelli pax erit apta magis.
Nulla tibi lacrymis ſine, nec ſine fletibus hora,
Atque oculis requies irrequieta tuis.
Nam ſuper ægrotum vigiles traducere lunas,
Et pariter ſoles ſedula cura fuit.
Tam mitem agnoſcunt cæleſtia ſigna leonem,

Excubet

Digitized by Google

Excubet vt prædam peruigil ante ſuam.

Mendoçæ cadauer floribus coronatum ſepelitur.

Iam bene conueniunt niueo tibi ſtemmata flore,
Mille aperit flores frons tua, mille roſas.
Mille ſuper dulces ſparſiſti lilia Manes,
Lilia purpureis miſta papaueribus.
Quod tibi frater erit tanto pro munere munus?
Gratia quas grates reddere grata poteſt.
En Mendoça mei tibi ſit pro munere amoris,
Hunc quæcunque tegit, cor tegit vrna meū.
Cor tibi ſoluo meum, (num quid dare maius habebo?
Plura licèt dederim munera, nulla dabo.
O nimium felix! nimium ô tibi fauſte, ruinis
Fertilis, & damnis ditior ipſe meis!
Heu tamen infauſto mihi ſydere tollis honores
Inuide, nunc noſtris inuidioſe oculis.
Non merui Nato miſerum producere funus,
Nec legere errantem (ſi foret) ore animam.
Non merui ſertis vitale ornare ſepulchrum,
Nec celebrare roſis funeris exequias.
O cineres! ô relliquias! ô pignora vitæ!
O tumulum, noſter quo tumulatur amor!
Gallia te meruit, quem non meruiſſe fatemur?
Quid meritum dicam, cui ſua terra parum eſt?
Si meus hinc ieras, cur non meus inde rediſti?
Noſter eras viuus, mortuus eſſe negas.

Lugduni morbo impeditus, & ibi diē obijt.

Heu ſubitò incubuit membris inimica mali vis,
Et tenuit greſſus ad mea tecta tuos.
Finis ego magnarum, ego meta extrema viarum,
Et pretium tanti dulce laboris eram.
Haud equidem Eboreos repetis Mendoça penates.

A Rectoratu Eborenſi ſe abdicauerat, & Conimbricā petebat, vt ibi libros Regum abſolueret.

Eſt Rectoris honos, grande laboris onus.
Cauſatus fueras diuina volumina Regum,
Cauſa tamen reditus hæc domus vna tui.
Argumentum ingens, quanto tibi charior eſſem,
Et quanti Herculeos feceris ipſe lares.
Aſtringunt proh quanta tibi mea nomina, malis
Cùm ſeruire meis, quàm ſupereſſe tuis!
Sed Deus oppoſuit votis ſua numina noſtris.
Iuſſit & in media ſpem cecidiſſe via.
Sed non in ſtantis cecidit mens conſcia fati,
Mens meliùs pœnas inter adulta ſuas.
Mille noues afflat patriæ cœleſtis amores,
Et vocat in portus aura ſecunda ratem.
Prædulcem ambroſiam, & diuini nectaris hauſtum
Sumit in æthereum ſponte viator iter.

Comites viæ in Sacello Conimb. Mendoçæ acta, & fata narrant.

Dicite vos fidi Comites, & dulcia Nati
Pignora, fatalem vos memorate diem.
Dicite vos quantas iaculatur ad aſtra ſagittas
Mille poli facibus, mille cupidinibus.
Seu legit appenſum vitali ex arbore Numen,
Seu faciles libat Virginis ore manus.
Vos mihi narraſtis, flendóque æquaſtis amores,
Aſtra quibus moriens in ſua vota tulit,
Vos eritis teſtes, vultúſque, oculique meorum.
O quas exanimis elicuiſtis aquas!
Quis tibi tunc animæ frater dulciſſime ſenſus?
Vrget adhuc oculos Doris amara tuos.
Mitte renaſcentem lacrymis lactare dolorem;
Námque meis ſi vis parcere, parce tuis.
Si tamen vſque iuuat lacrymis vrgere ſepulchrum;
Et lenire modis marmora flebilibus:
Ah peream, ſi læta placent mihi gaudia vitæ.
Tecum flere iuuat, tecum & amare iuuat.
Cúmque tuis præſtat lacrymis confundere noſtras,
Vna ſolet triſtes pœna leuare duos.
Tam bene condiderat Regum monumenta, ſepulchro
Conditur, at neutro conditur orbe decus.
Nam decus, & nomen titulis circunſonat orbem,
Et ſuperat meritis Solis vtramque domum.
Vnde orbis meritos gemini cùm excedat honores,
Conditur in meritis dignius ille ſuis.
Quòd ſi fata velint tumulo tumularier vllo,
Gallica præ cunctis digna ſepulchra forent.
Par erat, vt lucis moriens ibi linqueret vſus,
Vnde iubar lucis fluxerat, vnde decus.
Gratus vterque fuit, officioſus vterque,
Nempe ſuo viuis munere, at ille tuo.

Ille

Digitized by Google

Ille ſuo moriens peperit tibi funere famam,
Fama illi expoſito marmore viua fluit.
Ille quidem bene gratus, & ad tua munera
Lapſura in cineres ne tua dona ſuos.
Non obiit, ſed abiit, merces non parua ſepulchri eſt,
Quód capias tanti corporis exuuias.
Cera inter viuos ſcripta eſt tibi prima bonorum,
Et ſignata bonis prima tabella tuis.
Mendoçæ cadauer Lugduneoſi Collegio adſcriptũ. *Corporis hæredem nimirum ex aſſe reliquit,*
Corporis haud humilis dos tibi frater erit.
Te memorem compellat adhuc ſua poſthuma proles,
Poſthuma quæ primam poſthabuiſſe poteſt.
Illa patrem, auctorémque ſuum viuo exprimit ore,
Nec ſupereſt generis degener illa ſui.
Nempe alios fœtus niueos concepit in ortus,
Quos fauor excludet, quos calor ille tuus.
Poſthuma opera typis mandãda. *Regum alia, & pulchræ tibi prolis adorea creſcit,*
Accreſcit titulis, & noua palma tuis.
Sermonum accedunt pulcherrima corpora prælo,
Doctiloqui accedunt clara trophæa ducis.
Purpureas veſtes, ſeu ſtamina picta Mineruæ,
Seu ſophiæ chlamydes ars ſtudioſa parat.
Rhetoricæ mittant flores, & amœna vireta,
Quæ legit abroſo plurimus vngue labor.
Palmatos calamos victricia plectra, Camœnas
Cura triumphales officioſa dabit.
Quidquid Caſtalio de gurgite Phœbus anhelat,
Fatidico dabimus quidquid ab ore fluit.
Tanta illum inſignem dederat fœtura Parentem,
Et ſibi tam grauidum fecerat Auctor onus.
Hæc tamen excludent genuino lumine Fratres,
Domini Cardones erga Mendoçam & premiis, & prælis inſignes. *Carduus exornat quos ſine ſente nouus.*
Fortunati ambo quos nomina tanta coronant,
Nomina purpureis inuidioſa roſis.
Veſtra Palæſtinos decorant inſignia Reges,
Veſtra verecundas fert mihi ſpina roſas.

Haud ignarus ego quantum exhibuiſtis honorem,
Et quantum in mœſto funere funus erat.
Scripta igitur veſtris viuent animata tabellis,
Et ſuperas diſcent lucis inire vias.
Ergo ſepulchrales, germane, attolle triumphos,
Vt redimat ſocius nomen vtrumque labor.
Namque feret noſtrum Mendoça in ſæcula nomen,
Ingenio neſcit gloria parta mori.
Aurea marmoreis ſurgant monumenta ſepulchris,
Carminibus viuant quæ monumenta meis,
Lyſiacum viuet peregrino in marmore nomen.
Et quod fata negant marmora ſculpta dabunt.

EPITAPHIVM.

Siſte hoſpes: virtutum operoſam eſt cernere molem,
Ingenij poſuit quam pretioſa manus.
Iſaſidum cernis Regum monumenta, triumphos
Et Dauidis habes, & Salomonis opes.
Ingredere hic ſophiæ ſedes, & Apollinis aulam,
Serta vides, lauros collige, ſume lyras.
Perge: ſepulta vides clariſſima pulpita mundi,
Iſta triumphales dant monumenta togas.
Hæc offert Mendoça tibi ſpectacula: ſecum
Hoc habet in tumulo quidquid in orbe micat.
Siſte hoſpes: cerne hæc miracula: ſiſte,
Quod videas maius non habet orbis opus.

Horum Florum Collector, & Viridarij Cultor,

FRANCISCVS MAÇHADO.

MAVSO

Digitized by Google

MAVSOLEVM

Poſthumæ, ac perennis gloriæ à Collegio, & Eborenſi Academia P. FRANCISCO DE MENDOÇA Rectori ſuo erectum.

R. P. EMMANVEL FAGVNDES, Collegij, & Academiæ Rector, P. FRANCISCO DE MENDOÇA egregio Concionatori. Ad illud Ioan. 5. *Ille erat lucerna ardens, & lucens.*

DVM loquitur, vomit ore faces Mendoça, coruſcant
Fulmina verborum, dum tonat ore Deum.
Fnſcius eſt, ſed ſola qui luce refulget,
Verborum exemplo fulminat ille magis.
Diſcite qui colitis cæli tentoria: namque
Aures verba liuunt, pectora pulſat opus.

Maiórne fuerit P. MENDOÇA linguâ concionando, an calamo commentando?

AVrea lingua tibi fuit, ô Mendoça, loquendo
Orphea viciſti; cor rapis, ille feras.
De calamo quid verba ſonent, cùm ſcripta loquantur:
Scripta? tuo calamo; ad ſingula ſcriba Deus.
Lingua igitur magnus, calamo ſed maiors at orbi
Plus eſt, quod vita maximus ille fuit.

Eiuſdem Rectoris, & Auctoris.

In obitu P. FRANCISCI DE MENDOÇA.

Tob. 10. Heu me, vt quid te miſimus peregrinari?

LYſiadum decus, & noſtri noua gloria regni,
Heu Lugdunenſi conderis in tumulo!
Vt quid in Auſoniā peregrè te miſimus vrbē,
Clauderet vt mæſtum mors inopina diem?
Sacro nempe habitu peregrini indutus IESV
Relliquias toto ſpargis in orbe tuas:
Cælum animū rapuit, retinet cor Lyſia, corpus
Lugdunum, famam nominis orbis habet.

R. P. STEPHANVS COVTO, Doctor Theologus, & Academiæ Cancellarius.

Lumen oculorum noſtrorum, *Tob.* 10.

LVgduni Mendoça Pater tumularis: eiſdem
Et Bonauenturæ ſedibus oſſa iacent.
Ite pares oculi, ſcriptorum luce micantes?
Ætate, & vita relligione pares.
Ite pares oculi, lapsóque effundite ſeclo.
Doctrinæ ſanctum nocte diéque iubar.
Ite pares oculi, Fidei lux, aurea Morum
Lumina, virtutum paſſibus ite pares.
Ite pares oculi. Timeo tibi Gallia noctem,
Vrbs tua quando duas occulit vna faces.

Eiuſdem Cancellarij.

Solatium vitæ noſtræ, *Tob.* 10.

VOce, opere, & ſcriptis vitæ ſolatia præſtans
Cæleſtem nobis pandis in aſtra viam.
Sepſerat innocuum collecta modeſtia corpus,
Internóſque animi gratia dia ſinus.
Conceptus mens fœta ſuos ſolita edere, cæli
Afflatu largas parturiebat opes.

Nec

Digitized by Google

Nec tuba diuino pietatem accendere cantu
Clarior, aut calamo nobiliore manus.
Lingua animum fando, ſcriptis manus æmula linguam,
At vita exemplis vicit vtramque ſuis.

Eiuſdem Cancellarij.

P. MENDOÇÆ.

Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, *Geneſ.27.*

QVale Palæſtini fundunt opobalſama rami,
Et redolet verno tempore cultus ager.
Qualiter herrboſis ſpirant violaria campis,
Albaque purpureis lilia mixta roſis.
Sic tua fama recens volitans Mendoça per orbem,
Flagrat in Eoïs, occiduiſque plagis.
Nec mirum, quando Deus æthere miſſus ab alto
Fudit odorifera munera larga manu.
Gratia cæleſtes mores donauit; at artes
Natura humanas officioſa dedit.
Præditus his donis Mendoça impleuit odore
Et maria, & terras, æthereáſque plagas.

P. MICHAEL GODINHO, quondam Rhetoricæ Profeſſor.

In omni ore quaſi mel indulcabitur eius memoria, & quaſi muſica in conuiuio, *Ecleſ.49.*

DVlce ſonat Mendoça tuum dulciſſime nomen,
Dulce ſonat Gallos inter, & Auſonios.
Gallia te rapuit noſtro inuidioſa decori,
Nam decor, & nobis gloria dulcis eras.
Lyſia te dulcem, dulcem te ſenſit Vlysbo,
Dum ſacro eloquio dulcia verba tonas.
Ebora perpetuos lacrymis tibi ſoluet honores,
Propter olorinos, quos bibit aure, ſonos
Te liquidi fontes, te flumina noſtra ſonabunt.
Monda, Tagus, Minius, Bætis, Iberus, Anas.
Sed Tagus hos ſemper rumpet de pectore queſtus,
Quem rapuit Rhodanus, ripa aluere mea.
Ille ergo auriferas, & dulces deferat vndas,
Aſt ego Cocyto triſtior amne, fluam.

Eiuſdem Auctoris.

Ad P. FRANCISCVM DE MENDOÇA Lugduni in Gallia vita functum.

Quaſi leo ſic contriuit omnia oſſa mea, *Iſai.38.*

LVgdunum noſtri vulgò dixere Leonem,
Eſtque in Scripturis mors quoque dicta Leo.
Ergo duo aggreſſi te ſunt Mendoça Leones,
Gallicus, atque hominum qui vorat omne genus.
Cúmque ferè nunquam ſocientur ad arma leones.
Hîc tamen hunc morem deſeruêre ſuum.
Téque vnum vt poſſent fatali perdere morſu,
Mutuam ab alterutro iam leo poſcit opem.

P. SIMEON D'ABRANTES, quondam Rhetoricæ Profeſſor.

Aduena ego ſum apud te, & peregrinus ſicut omnes patres mei, *Pſalm.38.*

LVgduni, Mendoça, iaces in ſorte cubarent
Nónne Vliſſæis molliùs oſſa locis?
Par erat vt ſimiles, & mors, & vita fuiſſent.
Exul eras patriæ finibus, exul obis.

Eiuſdem Auctoris.

Non

Digitized by Google

Non in patria, ſed Lugduni extera ciuitate moritur P. FRANCISCVS DE MENDOÇA Rector Eborenſis.

VRbe quid ignotâ moreris Mendoça? quid exul
Abrumpis vitæ dulcia fila tuæ?
Luſitana olim puero incunabula ſpernis,
Et cineri reputas buſta minora tuo?
Nil mirum, ignotâ moreris Mendoça, quòd vrbe,
Non poteras patriâ mortuus eſſe tua.
Ergo hoc dum imperium, dum Lyſia regna manebunt,
Lyſiadum in viuo pectore viuus eris.

P. LVDOVICVS RODRIQVEZ, Theologiæ Doctor, ac Profeſſor.

Ad P. FRANCISCVM DE MENDOÇA Luſitanæ prouinciæ columen.

DVm Luſitano, & Latio ſermone tonabas,
Non videre parem ſæcula noſtra virum.
Dum Sophiæ nodos verbo velut enſe ſecares,
Æqua tibi ingenij vis, & acumen erat.
Laudibus attollit qui te Mendoça loquentem,
Laudat ſcripta tacens, & ſtupet in calamo.
In te manſurum poſuit ſibi gratia nidum,
Siue gregi velles, ſiue placere Deo.
Eſt tua grogenies regnum nutrita per aulas,
Vnicus vt Lyſiæ flos, & honoris apex.
Plura quid enumerem? paucis ſi dicere poſſum:
Solus hic ex omni parte beatus erat.

P. FRANCISCVS SOARIVS, Primarius quondam Olyſipone Rhetoricæ Profeſſor, modò Academiæ Gymnaſiarchus.

Cur promiſerat Deus, quòd P. FRANCISCVS DE MENDOÇA à Prælatura ſe abdicare.

QVid Pater ô Mēdoça petis, baculúmque recuſas?
Vota addens votis, cum lacrymiſque preces?
Munus vbi affectant alij, & regere omnia tentant,
Imperiúmque obeunt, hic tibi munus obit?
Certè vbi paſtoris voluiſti expellere curam,
Grex tuus extremam vellet obire diem.
Si coniectari fas eſt quod vertit Olympus,
Et quod ſponte ſua dátque, negátque Deus;
Te vocat, & ſuperum cæli iubet ire ſub axem,
Quòd paſtorali munere maior eras.

Eiuſdem Auctoris.

VNIVERSVS ORBIS MENDOÇÆ vitâ & funere clarus.

LYſia te genuit, peregrinum vidit Iberus,
Facta eſt acceſſu Roma ſuperba tuo.
Italia incolumi, reduci tibi Gallia plauſit.
Mortifero condit Belgicus vngue Leo.
Prodigiis fœtum mirata Europa, ſepulchri
Mendoçæ extremo marmore ſcripſit opus.
Oſtenſus terris tantùm, mox funere raptus,
Terrarum hic decus eſt, ætheris inuidia.

P. GASPAR CORREA, quondam Eloquentiæ Profeſſor.

In obitu P. FRANCISCI DE MENDOÇA.

ITe oculi in lacrymas, ite in ſuſpiria rupes:
Et concuſſa graui tecta dolore cadant:
Vos quoque prædulces argenti ex fonte liquores
Siſtite: lethiferis defluat imber aquis.
Inuidit fortuna mihi, rapuitque parentem,
Cuius amor fixus pectore ſemper erit.
Vicerat eloquio quos Roma, & Græcia nutrit:
Inter Lyſiadas Tullius alter erat.
Qui calamo vidit ſcribentem ænigmata regum,
Scribere Gregorium vidit, & Ambroſium.
Si patrem optares, patrio te more fouebat:
Si matrem velles, vbera plena dabat.
Ergo quid intentas mors immatura? quid vno
Tot mihi diuitias vulnere ſæua rapis?
Et vos ô Superi donum ſi tale dediſtis,
Cur ſubitò ex oculis fertis ad aſtra meis?
Æſtuat inuidiis cæleſtis curia? vel cur
Mendoçam rapiunt ſidera veſtra meum?
Cur non in terris aliquid cæleſte vigebit?
An nequeunt noſtræ ſidus habere plagæ?

ô Credo

Digitized by Google

Credo equidem, nobis cœlum ſua ſidera mallet
Fundere, quàm noſtro ſidere deſtitui.
Quid mirum fias ſi inter tot ſidera ſidus,
Qui mūdi in tenebris ſplendor, & ignis eras?

P. SEBASTIANVS D'ABREV, Philoſophiæ Profeſſor.

P. FRANCISCVS DE MENDOÇA peregrinatur, & moritur peregrinus.

INclyta Mendoçæ totum luſtrauerat orbem
Fama, atque extremas venerat vſq; plagas.
Ipſe tamen patria contentus ſede latebat;
Dulce eſt in tenebris viuere, dulce mori.
At quamuis fugiat lucem Mendoça, tot inter
Non potuit radios vſque latere ſuos.
Ergo parat Lyſiis è ſedibus ire relictis,
Atque nouum mundo ſpargere luce iubar.
Mirantur cuncti ſtantem, mirantur euntem,
Quiſque illum digito monſtrat, & ora notat.
Multa viri attoniti memorant, & multa fatētur
Audiuiſſe, oculis ſed modò plura vident.
Quin Lyſiam incuſant tanto quòd tēpore mundū
Exortem tanti paſſa ſit eſſe viri.
Non æquum eſt Solem, dicunt, Oriente morari,
Expectat radios orbis vterque ſuos.
Eſt Sol Mendoça, eſt orbis conceſſus vtrique,
Ac regio tantum non capit vna virum.
Virtutum mundo præbet Mendoça theatrum;
Ergo oculis mundi conſpiciendus erat.
Aſt, heu, tam longas dum ſpes Mendoça leuaret,
Aſtra orbi eripiunt inuidioſa virum.
O caſtra, ô cœli nimium inuidioſa poteſtas!
Cur heroa ſuum tollitis ante diem?
Cur non in patriam ſedem remeare dediſtis,
Inclyta ne extremo linqueret oſſa loco?
An quia de cœlo totus peregrinus in orbe eſt?
Omniaque in tanto ſunt peregrina viro?
Credo equidē, hæc legi ſunt veſtræ conſona, cuiquā
Vt ſit, quale fuit viuere, tale mori.

P. FRANCISCVS PINHEIRO, Philoſophiæ Profeſſor.

In vrbe, quam vulgò Leonem Galliæ dicunt, diem obiit MENDOÇA.

ITe oculi ad lacrymas; Leo corripit vnguibus agnum:
Specto, ſed optanti ferre negatur opem.
Heu dolor! effrænem prona eſt Iouis ales ad irā;
Attamen huic certè mitior illa fuit.
Mille aquilas Vrbis per propugnacula cernas,
Irruit in noſtrum nulla ſed vngue caput.
Adde quòd immanes aluit fera Roma dracones,
Hircana his etiam mœnibus alta fera eſt.
Sed draco, & tygres poſuere, cruoris
Immemores, Latio dum fuit ille ſolo.
Tu Leo, tu Stygios acuiſti in damna furores:
Scilicet imperium eſt in feritate tuum.
Stemma tibi fuerat ſubiectis parcere, quamuis
Oppoſito qui te læderet enſe foret.
Hic tamen in te enſem, neq; tela inimica coruſcat:
Non didicit mitis bella mouere manus.
Ergo quid vſque furis? prædæ ſi tanta cupido eſt,
Me pete; ne in tantum te ferat ira decus.
Quid loquor? Exanimem video, & iam luce carentem.
O Leo deliciis inſidiate meis!
Ibit hic in tumulos, me nempe ſuperſtite? Cælum ô
Si qua tibi eſt pietas, me quoque coge mori.
Maior adēpta mei pars eſt, moror altera fruſtra;
Quæ fuit huic, oro, ſit mihi cauſa necis.
Falcatum iniiciat nam ſi Leo feruidus vnguem,
Imperio forſan deſeret aſtra meo.
Sic, Mendoçā orbem ſtellatum ineunte receſſit
Flebilis, & tales edidit ore ſonos:
Vix equidem tanto dignas fero crimine pœnas,
Iure loco, imperio deſtituórque meo.
Nam tibi Lyſiadas per Gallica regna petenti
Iniecique vngues, eripuique diem.
Illa dies vtinam mihi vitæ extrema fuiſſet,
Illa foret, repeto, quæ tibi ſumma fuit.
Hæc ait: aſt illum ſummo iam vertice Olympi
Conſpicit; hic Iudæ dat ſua iura Leo.
Mille errant agni per picta coloribus arua,
Nec quenquam aſpectu territat ille ſuo.
Imò ne pleno lupus inſidietur ouili,
Quilibet illius nomen in ore refert.
Hic Mendoça inter cæleſtes conſtitit agnos,
Accipit & fauſtam, nec mora, fronte notam.
Viuat Io, æternos, ſi fas, precor impleat annos,
Et ſua, cui præerat, ducat in arua gregem.

P. RHOTERICVS SYLVIVS, eo tempore primarius Humanitatis Profeſſor.

Rectoris munere abdicari Romæ contendit.

EX quo Romanæ ſtant robore firmiùs arces,
Ex quo ſeptennis Vrbs ſedet alta iugis.
Quiſquis

Quiſquis in hanc auidè greſſum mouet, ambit honores:
Addere & ingentes, quà licet, ardet opes.
Iſte Magiſtratum deponere geſtit in Vrbe,
Nec, niſi depoſito, flectere gaudet iter.
Ambitioſa iſtud fieri qui cerneret Vrbe,
Diceret: Ecce nouum, ſæcula, prodigium.

Eiuſdem Auctoris.

Magno MENDOÇÆ EPICEDION.

Lyſia Mendoçam ſatis deplorat ademptum,
Nam iubar illius Solis ad inſtar erat.
Inter cæleſtes Sol aureus emicat ignes,
Inter præſtantes eminet ille viros.
Nobilior cunctis Phœbi eſt natura planetis,
Ille Patrum clarâ nobilitate viget.
Liberat immerſum Phœbus caligine mundum,
Ille ſua cæcos diſcutit arte dolos.
Solis inardeſcens radiis calor omnia complet,
Illius in ſuperos omnia vertit amor.
Singula percurrens luſtrat Sol aureus aſtra,
Illius eximio cuncta nitore micant.
Sol rotat æqualem nullo diſcrimine lucem,
Ille velut cunctis Iupiter æquus adeſt.
Impius aduerſus non audet dicere Solem,
Illius eſt auſus nemo negare decus.
Sólque Giganteis percurrit paſſibus orbem,
Ille volans ſuperat Solis vtramque domum.
Menſibus hic Phœbus biſſenis conficit orbem,
Confecit totidem menſibus ille diem.
Occidit in ſigno fulgens Mendoça Leonis,
Ille locus noſtri ſigna doloris habet.
Lyſiadum ſedes moriturus ſortè relinquit,
Ortus, & occaſus ne ſimul eſſe queant.
Denique ne Solis partim natura deeſſet,
Condidit illius terra, vel vmbra caput.
At licèt occiduum Solem vix vllus adoret,
Mendoçæ occaſum plurima turba colet.

P. ANDREAS MADEIRA, tunc Humanitatis, modò primarius Rhetoricæ Magiſter.

MENDOÇÆ

Vitâ functo apud Lugdunum, vulgò Galliæ Leonem.

O Leo barbariem quàm magnam oſtendis in vrbe,
Falſus es, inſidias hoſpiti in æde paras?
Parcere debueras, ſæuúmque auertere morſum,
Vel ſaltem tempus diſſimulare necis.
Hoſpitis eximij non te reuerentia tangit?
Mendoçámque meum qui petat, vnguis erit?
Hunc Leo conuiuam lacerans, licèt incolat vrbē,
Non fuit Vrbanus, ruſticus ille fuit.

P. PAVLVS SOARIVS, Humanitatis Magiſter.

Eboræ Lugduno pro acerbo MENDOÇÆ funere

EPISTOLIVM.

Hanc tibi, ne mea ſint ignota incommoda, mitto
Chartam, quæ lacrymis eſt madefacta meis.
Cur mihi Lugdunum fato prærumpis acerbo
Vitam, quæ multis vita perennis erat?
Vno Mendoçæ tollis mihi funere multos,
Vno communis vita ſepulta viro eſt.
Cùm mihi Mendoçam rapis, & ſolatia vitæ,
Hoc ſine vita mihi mortis habenda genus.
Ergo oculi geminos lacrymarum fundite riuos,
Sollicitent feſſas flumina larga genas.
Deſino mœſta queri nondum ſatiata dolore,
Et mihi iam fletu lumina feſſa tument.
At tu Lugdunum ſi te mea verba fatigant,
Verte precor lacrymas in mea buſta tuas.
Adde notis etiam tumulo maioribus; hic eſt
In quo Lyſiadum fama ſepulta iacet.

P. EMMANVEL MAGALIANVS, Humanitatis Præceptor.

Luſitania & Gallia certant de gloriæ primatu à MENDOÇA ſibi exhibito.

Lyſia Mendoçæ cunabula iactat, & ortum;
Gallia relliquias ſeruat, & oſſa colit.
Illa, vel illa ſui cuſtodit pignus amoris;
Altera in alterius, ſorte lucratur opes.
Iſta videns cunas diſcit bene viuere vitam,
Illa videns tumulum diſcit obire diem.
Vtraque diuinas alterno in munere normas
Quærit, & alternas vtraque præſtat opes.
Nam bene viuendi Gallis dat Lyſia legem,
Gallia dat Luſis iura decora necis.
Nulli etenim licuit meliorem abrumpere vitā;
Plus licuit multis viuere, non meliùs.

P. IGNATIVS MASCHARENIVS, Humaniorum literarum Profeſſor.

Digitized by Google

ORDO,
&
INDEX
Librorum, Peruigiliorum, Problematum, Orationum, Progymnaſmatum, Scholiorum, Saturnaliorum, & Capitum.

LIBER PRIMVS,
FLORES SACRI.
De Natali Domini.

PERVIG. I. VOTVM vouit, dicens, Domine exercituum, &c. 1. *Reg.* 1. 11. pag. 1.
2. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis, &c. *Luc.* 2. 13.
3. Puer accinctus Ephod lineo, &c. 1. *Reg.* 2. 18. 5
4. Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, &c. *ad Tit.* 2. 13. 7
5. Donec veniat deſiderium collium æternorum, &c. *Gen.* 49. 26. 10
6. Scribantur hæc in generatione altera, &c. *Pſalm.* 101. 19. 12
7. Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cithara. *Pſalm.* 56. 9. 15
8. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius. *Malach.* 4. 2. 16
9. Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, &c. *Pſalm.* 103. 20. 19
10. Cras erit vobis ſalus, cùm incaluerit Sol, &c. 1. *Reg.* 11. 9. 21

LIBER II.
FLORES SACRI.
De Virgine Deipara.

PROBL. 1. VTrùm liceat Virgini Deiparæ corporalia miſericordiæ opera exercere. 25
2. Vtrùm nobis vtilius ſit IESV nomen ſanctiſſimum implorare, an nomen Mariæ. 27
3. Vtrùm B. Virgo proprium actum pœnitentiæ aliquando exercuerit. 30
4. Vtrùm B. Virgo adoratione latriæ adorari queat. 32
5. Vtrùm B. Virgo ſuo patrocinio aliquem aliquando ab inferis eripuerit. 33
6. Vtrùm B. Virgo omnium prima virginitatis voto ſe obſtrinxerit. 35
7. Vtrùm B. Virgo præter gratiam ſacramentorum aliam ex opere operato acceperit. 37
8. Vtrùm B. Virgo vnum, aut plures Angelos cuſtodes habuerit. 38
9. Vtrùm B. Virginis cultorem in æternum damnari impoſſibile omnino ſit. 40
10. Vtrùm B. Virgo ſola, ac ſæpiùs diuinam eſſentiam intuitiuè cognouerit in hac vita. ibid.

LIBER III.
FLORES SACRI.
De ſanctiſſimis Eccleſiæ Doctoribus, & D. Paulo maximo gentium Doctore.

PROBL. 1. VTrùm D. Auguſtinus humiliorem ſe præbuerit in libris confeſſionum, an in libris retractationum. 42
2. Vtra fuerit laudabilior D. Hieronymi occupatio, tota vita docuiſſe, an tota vita didiciſſe. 45
3. Vtrùm D. Ambroſius ſi ſolum Auguſtinum docuiſſet, & conuertiſſet, lauream Doctoris Eccleſiæ mereretur. 47
4. Vtrùm D. Gregorius vtilior fuerit Eccleſiæ ſuo Pontificatu, ac ſuo Doctoratu. 49
5. Vtrùm nomen Angelici Doctoris conueniat ratione doctrinæ, an ratione vitæ. 50
6. Vtrùm D. Bonauentura rectiùs, & humiliùs egerit, frequentando Euchariſtiam, an ab illa multos dies propter reuerentiam abſtinendo. 52
7. Vtrùm D. Paulus ſua eloquentia veteres oratores ſuperarit. 54
8. Vtrùm D. Paulus abundantiùs omnibus Apoſtolis laborarit. 57
9. Vtrùm D. Paulus ſine vllo humilitatis diſpendio ſuas laudes euulgarit. 59
10. Vtrùm D. Paulus in paradiſum raptus, diuinam eſſentiam intuitus fuerit. 60

LIBER IV.
FLORES PHILOSOPHIÆ.

PROBL. 1. VTer ſitus hominis ſit præſtantior, ſeſſio, an ſtatio. 63
2. Quænam præſtantior ſit hominis ſtatura. 64

3. An

Digitized by Google

3. An ſcientia,& ingenium officiat,vel proficiat Principi ad rempubl. adminiſtrandam. 66
4. Vtrū perfectius ſit amicos diligere,an inimicos.68
5. Vtrùm ſenes plus quàm iuuenes mortem reformident. 70
6. Vtrùm noſtræ opiniones communiter probabiliores euadant,quàm antiquæ. 71
7. Patribúſne,an nutricibus filij ſimiliores euadāt.73
8. An voces virtutem habeant naturalem ad vitam prorogandam,vel mortem maturandam. 74
9. An qui ſe interimunt,ex animoſitate, vel ignauia id efficiant. 75
10. Vtrùm mors naturalis non ſolùm ſine dolore, ſed cum voluptate poſſit aliquando accidere. 76
11. Vtrùm quæ propter oculos faſcinatio contingit,naturaliter fiat. 77
12. An Pygmæi veri ſint homines. 79
13. Vtrùm fuga aliquando à fortitudine imperetur. ibi.
14. Vtrùm homini poſt vigeſimum quintum annum nulla creſcendi ſpes ſuperſit. 81
15. Vtra aptior ſit ad inſaniam inducendam,felicitas,an infelicitas. 82
16. Vtrùm dormientes propria vigilantium opera moliantur. 84
17. An viribus naturæ poſſit iuuenta ſenibus redire.85
18. Vtrùm ſint homines ſuapte natura monſtroſi. 86
19. Num hominis interiora plus hyeme, an æſtate caleant. 87
20. Quænā ætas ad diſciplinas perdiſcēdas ſit aptior.88
21. Quæ complexio ſit aptior ad ſcientiam. 89
22. An naturæ, vel artis beneficio ita diſponi quis poſſit,vt non lædatur à veneno. 90
23. Vtrùm aqua per ſe ſolùm nutrire valeat. 91
24. Vtrùm homo poſſit vltra nouem dies inediam tolerare. 92
25. Quod maius tormentum,ſitis,an fames. 93
26. An genus aliquod animalium in elementari igne viuat. 94
27. An ſerpentum incantatio naturali verborum poteſtate fiat. 95
28. An cor humanum medio in pectore ita locatum ſit, vt neque ad dextram declinet, neque ad ſiniſtram. 96
29. Vtrùm anima ſeparata ſe, & corpora à ſe diuiſa localiter mouere vel corpus aſſumere queat. 97
30. Quis color omnium præſtantiſſimus. 98
31. Vtrùm animi affectio ſit vehementior, ſpes,an deſperatio. 101
32 Num intellectus noſter poſſit vllam rem ſenſatam in hac vita percipere, nulla interueniente ſenſus operatione. ibid.
33. Vtrùm phantaſia cognitionem ſubſtantiæ poſſit attingere. 102
34. Nū brutæ animātes odore, & cantu recreentur. 103
35. An principium alendi, quod eſt in plantis ſit reuera anima. 104
36. Vtrùm primus dies artificialis in ſuperiori hemiſphærio illuxerit. ibid.
37. Vtrùm hemiſphærium ſit nobilius,ſuperius,an inferius. 106
38. Vtrùm intelligentiæ per ſe immediatè, an medio impulſu cœlum moueant. 108
39. Vtrùm luna creata ſit in plenilunio, an in nouilunio. 109
40. Vtrùm luna totam ſuam lucem à Sole mutuetur.110
41. Vtrùm luna inter duo luminaria magna à Deo condita rectè numeretur. ibid.
42. Quæ ratio ineundi naturalis diei ſit rerum conformior. 111
43. Sitne aſtris ad agendum potentius organum,lux,an motus. 113
44. Vtrùm zonæ torridæ,& extremæ frigidæ habitabiles olim fuerint. ibid.
45. Vtrùm tota terra motu trepidationis naturali euo moueri queat. 115
46. Vtrùm centrum grauitatis ſit vnum cum centro vniuerſi. 116
47. Vtrùm aer parte aliqua ſit nauigabilis. 117
48. Qui triſtior aſpectus, Cometæ rubentis, an Lunæ deficientis. 118
49. A quo magis pendeat hominis temperamentum, à victu ne,an ab aſtris. 119
50. A quo nato magis pendeat humanum temperamentum, ab aſtrorum ne influxu, an à locorum ſitu. 120
51. Qui pulchrior aſpectus,Solis orientis,an occidentis. 122
52. An dentur homines ſuopte ingenio bene fortunati ob aliquod aſtrum. ibid.
53. Quæ certior opinio,quæ cælos conſtituit,an quæ tenues & fluidos. 123
54. Vtrùm planetæ per intelligentias, an ad motum cœlorum moueantur. 124
55. Quæ mundi hypotheſis præſtantior ſit habenda. 125
56. Vtrùm cometæ, qui communiter apparent, ſublunares ſint,an cœleſtes. 127

LIBER V.

FLORES VARII.

PROBL. 1. Quid illuſtrius,Patrem appellari, an Dominum. 129
2. Qui ad bellum aptiores,barbati, & comati, an imberbes,& obraſi. 130
3. Quod magis Principem deceat, venationis exercitium,an lectionis ſtudium. 132
4. An errent qui ſolùm ebrios in conuiuiis coronari ſolitos aiunt. 133
5. Qui locus honoratior ſit. 134
6. Vter,vir loco,an locus viro ornamento ſit. ibid.
7. Inſuetum ne,an perantiquum malum perpeſſu facilius. ibid.
8. Auribus ne perceptæ,an oculis hauſtæ calamitates animum grauiùs affligant. 135
9. Qui meliores,& parentibus chariores, maioréſne, an minores natu filij. ibid.
10. An poëtæ inſani. 136
11. Quódnam reipubl. vtilius, optimi regis exemplum, an optimæ legis monumentum. 137
12. Vtrùm prudentius egerint Romani, qui pœnam acerbiſſimam in patricidas,an Græci,qui nullam ſtatuerunt. ibid.
13. An ſint mediocres poëtæ. 138
14. An ſcribere ad mortuos ſit abſurdum. ibid.
15. Quid glorioſius,honores adipiſci,an promereri. 139
16. An Cicero poëticæ gloria floruerit. ibid.
17. Quæ orbis imperia præcipuè floruerint. 140
18. Vter præſtiterit rei militaris gloriâ, Cæſar an Alexander. 142
19. Hiſtoriæ regnum cui deferes,Cæſarine,Liuióne,an Salluſtio. 144
20. De primis Romæ conditoribus quæ verior opinio. ibid.
21. An Domitianus procliuior fuerit ad eruditionem, quàm Nero. 145
22. Vter crudelior Nero,an Domitianus. ibid.
23. Vtrùm vſus pulueris tormentarij priſcis ſeculis incognitus,necne. ibid.
24. Quæ præmia militaria illuſtriora, quæ donabantur ob læſum hoſtem,an ob ciuem ſeruatum. 146
25. Ex coronis militaribus,quæ nobilior. ibid.

ō 3 26.Qui

26. Qui illuſtriùs triumpharunt, triumphabilibus quadrigis impoſiti, an ciuium brachiis delati. 147
27. Ruſtici ad bellum quàm vrbani aptiores, nécne. 148
28. Qui meliùs cenſebat, Cato delendam Carthaginem, an Scipio Naſica ſeruandam. ibid.
29. Quibúſnam deferes palmam magnitudinis, turritis olim Romanorum, & aliorum nauibus, an Indicis modò Luſitanorum. ibid.
30. Quibúſnam nauigandi artem tribuis, Ægyptiis, Reienſibúſve, an Argonautis. 149
31. Quæ magis arrident, nauium puppes imaginibus tutelarium depictæ, an roſis recentibus coronatæ. ibid.
32. Poëmate Homeri vllúmne extet in Græcia vetuſtius. ibid.
33. Vtrùm quemadmodum Homerus poëtarum nemini cedit nobilitate, itáne antiquitate. ibid.
34. Xenophon, Thucydides, & Herodotus de primatu orationis certant, ſed quis victor. 150
35. An ſint Beroſi illi libri, qui ſub Beroſi nomine circumferuntur. ibid.
36. Vtrùm vindicta nobiles magis dedeceat, an ignobiles. 151
37. Quibus maior honor ab antiquis præſtaretur, parentibúſne, an magiſtratibus. 154
38. Qui peritiores nauigandi arte, Luſitani, an Romani. ibid.
39. Quæ plus valeant apud milites, præmia, an ſupplicia. 155.
40. Præſtétne ſeruare ciuem, quàm lædere hoſtem. ibid.
41. Qui vtiliores reipub. boni ſcriptores, an boni Imperatores. 156
42. Vtrùm victoria parta inſidiis parum glorioſa ſit. ibid.
43. An Orator bonus eſſe poſſit, qui vir bonus non ſit. 157.
44. Conuiuia ſilentio celebranda, nec ne. ibid.
45. Conuiuium aptius nomen, an ſympoſium. ibid.
46. Quos difficiliùs inuenies, iuuenes eloquentes, an ſenes ſilentes. ibid.
47. An deceat Oratorem metus in principiis orandi. 158
48. Quæ hiſtoria applauſibilior, noua, an antiqua, vera, an falſa. ibid.
49. Sitne illud verum, *Græcia mendax*. 159
50. Hiſtoricíſne ſolemne implorare Numen ſicuti Poëtis, & Oratoribus. ibid.
51. An ad eloquentiam requiratur hiſtoria. 160
52. Sitne etiam Ducis officium, lectitare hiſtorias. ibid.
53. Vtrùm victores olim à victis nationibus, an victæ nationes à victoribus nomen mutuarentur. ibid.
54. An antiquitatis cognitio poſſit perfectè comprehendi. 161
55. Vtrùm hiſtoria ſit vtilior reipub. quàm poëtica, aut Oratoria. ibid.
56. An omnis rhetor orator, & econtrà. 162
57. An rhetore præſtet elocutio. ibid.
58. An in oratore hypocriſis excellat. ibid.
59. Vter præſtantior poëta Catullus, an Martialis. 163.
60. An rectè Græca verba à Martiale Epigrammatis Latinis inſerantur. ibid.
61. Nullum poëma iucundius epigrammate, nullum item difficilius. 164
62. Vnde Virgilius ſua Æneida auſpicatus fuerit. ibid.
63. Cur Virgilius Æneæ nomen in ipſo operis limine ſuppreſſerit. ibid.
64. Verúmne ſit quod Virgilius de Didone tota Æneide commemorat. 165
65. Vtrum polluctum, & pollinctum inter ſe diſtinguantur. ibid.
66. Vtrùm diuorum ſtatuæ ex ligno architectari ſolitæ fuerint. ibid.
67. An in tragœdiis proloquendum ſit. 166
68. Qua re differant tragœdia, & comœdia. ibid.
69. Quiſnam liber ſit notatus cedro. ibid.
70. An forma præſtantiſſima, digna imperio. 197
71. Quæ difficiliùs vincatur ſecunda, an aduerſa fortuna. 168
72. Vtra præualeat in poëtis natura, an ars. ibid.
73. An Epigramma quouis metri genere conſtare poſſit. ibid.
74. An ſit Ciceronis libellus ille de conſolatione, qui ei adſcribitur. 169
75. Qui aptior ad imperium, pulcher, an fœdus. ibid.
76. Quid nobilius, annulus in digitis, an lunula in calceis Romanorum. 170
77. Qui ad bellum aptiores, rapidi cum Marcello, an cunctabundi cum Fabio. ibid.
78. Quod certius laudis teſtimonium, ab amico prolatum, an ab inimico. ibid.
79. Vtrùm reipub. vtilius, Pacis, an Martis tempus. 171
80. Quæ facies magis deceat oratorem, triſtis, an hilaris. ibid.
81. Vtra ſpecioſior luna in cœlo, an roſa in viridario, 172

LIBER VI.

FLORES ELOQVENTIÆ.

ORAT. I. De Auguſtiſſimi Philippi IV. Hiſpaniarum regis ortu feliciſſimo. 174
2. De Eliſabetha Luſitaniæ Regina ſanctiſſima. 181
3. De eadem Eliſabetha Luſitaniæ regina. 188
4. Pro auſpicando Philoſophici pulueris curriculo. 194
5. Pro Dialecticæ vtilitate ſequenda. 199
6. In Baccalaureorum examinibus. 201
7. Pro auſpicandis eiſdem examinibus. 204
8. Pro auſpicandis Philoſophiæ diſputationibus. 206
9. De ſapientiæ laudibus. 208, & 213
10. De auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento. 219
11. De D. Antonio Luſitano. 221
12. De eodem. 224
13. De D. Franciſco Xauerio. 226
14. De Societatis amplitudine. 228
15. De Ioanne Baptiſta. 230
16. Pro auſpicandis Philoſophiæ menſis. 232
17. In laudem hiſtoriæ. 234
18. In laudem poëticæ. 235
19. In laudem Rhetoricæ. 236
20. Donatur ſuprema Philoſophiæ lau a Illuſtriſ. D. D. Ioan. Syluius Comitum Portalegrenſium, & Marchionis de Gouea frater germanus; modò in Regio ſacello Curio maximus, & in ſummo fidei Senatu Quæſitor digniſſimus. ibid.
21. In gradu philoſophici Magiſterij Illuſtriſ. D. D. Ioan. Mendocij Ecij, Henriquij, Noronij, in Collegio D. Petri collegæ. 238
22. Euehitur ad ſummum philoſophicæ dignitatis faſtigium Illuſtriſ. D. D. Iacobus Lupus, nunc Ordinis S. Iacobi Dominus Prior meritiſſimus, & in ſacro fidei Senatu Quæſitor digniſſimus. 240
23. Illuſtriſ. D. D. Ioanni Brigantino Epiſcopo Viſenſi primum Philoſophiæ curriculum inuiſenti. 241
24. In cuiuſdam doctoratu. 243
25. Pro ſuis Philoſophiæ candidatis in Philoſophiæ menſis. 244
26. In lapide Bacoalaureorum. ibid.
27. Philoſophiæ menſas Auditor indicit. 245
28. Ad ſuos philoſophiæ candidatos poſt conuiuales theſes. 246

29. Pro

29. Pro formatura ſua. ibid.
30. Pro licentiatus ſui gradu. 247
31. Pro veſperis ſuis. ibid.
32. Pro gradu doctoratus ſui petendo. ibid.
33. Gratiarum actio pro doctoratu ſuo. 248

LIBER VII.

FLORES RHETORICÆ.

Progymn. 1. DE Rhetoricæ, ac Ciceronis laude. 249
2. De natura Rhetoricæ. 250
3. De genere dicendi. 251
4. Ornatum dicendi genus quotuplex. 253
5. Oratorium dicendi genus quale ſit, & quotuplex. 255
6. De materia Rhetoricæ. 257

BREVE RHETORICES Compendium.

Cap. 1. DE natura Rhetoricæ. 258
2. De diuiſione Rhetoricæ. 259
3. De inuentione. ibid.
4. De argumentis inſitis, & remotis. ibid.
5. De his quæ incrementa ſunt ad genus dicendi demonſtratiuum. 260
6. Quid oporteat inuenire ad genus dicendi deliberatiuum. 261
7. Quid in genere dicendi iudiciali requiratur. ibid.
8. De diſpoſitione. 262
9. De exordio. ibid.
10. De narratione. 263
11. De confirmatione. ibid.
12. De peroratione. ibid.
13. De Eloquutione. 264
14. De tropis verborum. ibid.
15. De tropis ſententiarum. 265
16. De figuris verborum. 266
17. De figuris ſententiarum. ibid.
18. De ordine, iunctura, numeróque orationis. 268
19. De periodis, membris, articulis. ibid.
20. De memoria. 269
21. De pronuntiatione. ibid.

Rhetorices Commentationes didaſcalicæ.

COMMENTATIO I.

De natura Rhetorica.

Schol. 1. QVotuplex ſit artifex dicendi. 270
2. An orator vir bonus eſſe debeat. 272
3. De fine Rhetoricæ. 274
4. Oratoris laudem conſiſtere ſuo in fine conſequendo. 275

LIBER VIII.

FLORES HVMANIORVM LITERARVM.

Saturnaliorum Decas I.

Cap. 1. QVæ fuerint apud veteres legiones decimatæ. 276
2. Quid ſibi velit apud Ciceronem ſortis coniunctio, ac neceſſitudo. 277
3. Quis fuerit olim in talorum ludo iactus venereus. 278
4. Qui dicantur Gentiles, terræ filij, & gallinæ filius albæ. 279
5. De numero conuiuarum apud veteres, & quæ fuerint vmbræ in conuiuiis. ibid.
6. Quis dicatur apud Iuuenalem ſuccurrere poſſe lunæ laboranti. ibid.
7. Quæ animi indicia ex oris geſtibus colligantur. 280
8. Quæ dicantur apud Græcos leges Pelargicæ. 281
9. Quid triumphus, quid ouatio, & quo pacto diſtinguantur. ibid.
10. Quis dicatur dignus robore apud Apuleium: dignus culeo apud Iuuenalem: dignus piſtrino apud Terentium. ibid.

Saturnaliorum Decas II.

Cap. 1. QVid fluctus decumanus? quid intellectus dithyrambicus? 282
2. Quis dicatur Euripus homo? quis verſatilior cothurno. 283
3. Quid apud Horatium, nauigare Anticyras. ibid.
4. Quare teſtes magnæ fidei locupletes appellentur. ibid.
5. Quis locus fuerit apud veteres præſtantiſſimus. 284
6. Quibus iurandi formis ſuperi, quibus homines olim vterentur, & fœminæ. ibid.
7. Quæ literæ ſalutares, quæ lethales quondam dicerentur. 285
8. Græca fides, Punica fides, Attica fides. ibid.
9. Quæ apud Terentium, Aſymbolum venire in conuiuium: Quid apud Plautum, diem comburere? Qui apud Macrobium dicantur dies atri. ibid.
10. An rectè dicat Plinius in Panegyr. Principi nemo leges ſcripſit. 286

Saturnaliorum Decas III.

Cap. 1. QVinam fuerint pontes vbi ſuffragia imponebantur. ibid.
2. Quid ſit apud Horatium, Ode Monocolos, Dicolos, Tricolos, Diſtrophos, & Tetratrophos. ibid.
3. Quid apud varios, præſertim Ouidium, liber Iambus. 287
4. Latus clauus quid ſit. ibid.
5. Quid ſibi velint apud Iuuenalem, cùm de Neſtore loquatur, hæc duo carmina,
Felix nimirum, qui tot per ſecula mortem
Diſtulit, atque ſuos iam dextera computat annos. ib.
6. Aliquot formæ loquendi Plautinæ, quibus ſignificatur aliquis acriter puniendus. 288
7. Poppyſina, vel Poppyſmus quid? Item, Religio in me inceſſit, apud Terentium; vale venientibus ne, an recedentibus dumtaxat dicatur. ibid.
8. Liber Opiſtographus qualis ſit. 289
9. De natali hominum die. ibid.
10. Quid ſibi velint hæ loquendi formæ, conturbare; vertere ſolum; foro cedere. ibid.

Saturnaliorum Decas IV.

Cap. 1. QVo pacto interpretandus ſit Perſius ſatyra prima, cùm de Iano loquatur,
O Iane à tergo, quem nulla ciconia pinſit. 290

2. Quare

Digitized by Google

2. Quare diſtinguantur Congiarium, donatiuum, anathema. ibid.
3 Quid ſit apud Plautum, cor facit hiſtrionium. ibid.
4. De ritu vngendi capillos in epulis. ibid.
5. Dies Curiæ apud Ciceronem; Cœna pollucibilis apud Macrobium; Cœna recta apud Suetonium. 291
6. Ad clepſydram orare quid ſit. ibid.
7. Quid ſit apud Ouidium ire interiorem. 292
8. Quæ figura menſarum erat apud veteres. ibid.
9. Quid ſit apud Ciceronem, ſtrumam dibapho tegere. ibid.
10. Quid ſit odium nouercale. 293

Saturnaliorum Decas V.

Cap. I. Oſculandæ manus conſuetudo vnde defluxerit. ibid.
2. Pancraticè valere quid ſignificet apud Plautum. ibid.
3. Bellerophontis literæ quæ. 294
4. Quid in ſacrificiis fuerit ſalſa mola. ibid.
5. De ſalutandi ritu apud veteres. ibid.
6 Cur laribus canes appingerentur. 295
7. Quid apud Virgil. Liber & alma Ceres. ibid.
8. Inferorum, terreſtrium, ac cœleſtium Numinum ſacrificia, quibus rebus differant. 296
9. Solemne fuiſſe Græcis & Latinis victimarum cornua inaurare. ibid.
10. Quæ ſit tibia dextra, quæ ſiniſtra. ibid.
11. Quæ ſint apud Ciceronem imagines fumoſæ. 297.
12. Imagines inanes apud Ouidium. ibid.
13. Stare æneum apud Horatium, effari templa, ſiſtere fana, inaugurari. ibid.

Saturnaliorum Decas VI.

Cap. I. Quid ſit diſcinctus, & altecinctus. 298
2. Silius Italicus exponitur. ibid.
3. Siliares dapes, & veterum cœnæ prælibantur & inſtaurantur. 299
4. Laureata Romanorum munera explicantur. ibid.
5. Locus ex Suetonio in Nerone. 300
6. Fax obſcuro Martialis loco. 301
7. Ciceronis locus explicatus. ibid.
8. Alexander ab Alex. & Macrobius emendati. ibid.
9. Plauti locus in Menæchmis explicatur. 302
10. Quæ ſint apud Liuium, alióſque paſſim authores, velamenta ſupplicum. ibid.

Saturnaliorum Decas VII.

Cap. I. Horatius in Oda illuſtratus, & beneficentia laudata. 303
2. Explicatur locus Virgilij, & exornatur. 304
3. Quid ſit apud Poëtas, ac Virgilium in primis, *Dextræ coniungere dextram.* 305
4. Reges ſacerdotis munere fungebantur. ibid.
5. Rex Aricinus quis. ibid.
6. Luperci vnde dicti. 306
7. Dextrum, & ſiniſtrum fulmen. ibid.
8. Calceus mulleolus quorum fuerit inſigne. ibid.
9. Patricij maiorum, & minorum gentium & quid curia, & curiata comitia. 307
10. Quæ fuerit centuria, & centuriata comitia, & quæ tribus, & comitia tributa. ibid.

Saturnaliorum Decas VIII.

Cap. I. De funerum ritu præſertim apud Virgilium. 308
2. Tubæ, ac tibiæ, quibus funeribus adhiberi ſolitæ 310
3 Epitaphium, Nænia, Epicedium. ibid.
4. Amoris vis, & potentia, ex Virgil. 1. Æneid. *Nate meæ vires, mea magna potentia ſolus.* 311
5. Virgilius in 1. Æneid. explicatus. ibid.
6. Horatius illuſtratus in poëtarum gratiam lib. 4. od. 2. ibid.
7. Læuum Virgilij omen, & aliorum captatur. 312
8. Voti reus, & voti damnatus quis. ibid.
9. Terentius explicatus. ibid.
10. Quid Porcus Troianus, quid proteruiam facere, qui pileati fratres apud Catullum? ibid.

Saturnaliorum Decas IX.

Scipionis ſomnium diuinatur. 313

Saturnaliorum Decas X.

Cap. I. Virgilianus Dædalus, vt eius opera illuſtrantur, commendantúrque. 320
2. M. Tullius Cic. de ſenectute explanatur. 325
3. Fiſtula Ouidiana de fabiorum morte inflatur, 2. faſtor. 324
4. Regis Deiotari erga Romanos fides commendatur ex oratione Tulliana pro ipſo rege. 326
5. Sopor Virgilianus in 6. excitatur, & illuſtratur.
6. Maronis columbæ in 6. defenduntur præpete curſu. 328
7. Maleſuada fames, & turpis egeſtas apud Virgil. in 6. ibid.
8. Æneæ lacrymæ apud Virgilium defenduntur. 329
9. Tullius pro lege Manilia magnopere illuſtratur. ibid.
10. Virgilius in 1. Æneid. liberatur à multorum calumniis, & egregiè commendatur. 330

LIBER IX.

FLORES POETICI.

De ſacratiſſima Aſſertoris Chriſti Paſſione. 331
De Cunæ Bethleemici Infantis. 346
Auguſtiſſimæ Euchariſtiæ miracula. 347
Virginis magnæ Matris purificatio. 349
Ignatius Societatis Iesv auctor, ac parens ſanctiſſimus, vt quendam è ſcelerum lacu extrahat, in lacum ſe abdit. 351
Franciſci Xauerij Herois ſanctiſſimi oracula, & miracula. 352
Antonij Luſitani Herois ſanctiſſimi illuſtria facta. 353
Vrſulæ, & ſociarum laurea triumphalis. 355
Victricis Catharinæ Mauſoleum. ibid.
Erenæ Virginis Luſitanæ martyrium triumphale. 356
Hiſtoriæ laudes. 358
Naſcentis B. Virginis felix auſpicium. 359
Vrſulæ & ſociarum martyrium. ibid.
Tyburtini nemoris conſideratio. 360
Dulce bellum inexpertis. ibid.

VIRIDA

Digitized by Google

VIRIDARIVM VTRIVSQVE ERVDITIONIS, TAM SACRÆ, QVAM PROFANÆ,

A Doctore ſapientiſſimo P. FRANCISCO DE MENDOÇA ſatum, & excultum.

LIBER PRIMVS. DE FLORIBVS SACRIS.

Sanctiſſima NATALIS DOMINI *peruigilia.*

PROLVSIO.

IN *amœniſſimi huius Viridarij limine ſtatim ſe offert illi* flos campi, & lilium conuallium. *Quid ſuauius? Quid pulchrius? Etſi flores reliqui ad huiuſce viridarij ornatum defuiſſent, ſatis hoc vno quidem ornaretur. Habes ſcilicet ea Bethleemitici Infantis, ſeu ſuauiſſimi floris peruigilia, quæ apud Eborenſes diuinorum oraculorum noſter Interpres luculentis orationibus celebrauit. Credo non minorem modò tibi fore in legendo voluptatem, quàm alij quondam in audiendo conceperunt. Inuenimus enim flores adhuc recentiſſimos, quin marceſcerent per tot annos, imò colores retinent primos, & odores ſpirant ſuos, adhuc*

—— mater alit tellus, viréſque miniſtrat. Virgil. 17. Æne d.

Quid miraris? ingredere viridarium: roſas ſine ſpina, ſine aculeo fas legere, & nectere in faſciculos.

PERVIGILIVM I.

Votum vouit, dicens: Domine exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ; & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederiſque ſeruæ tuæ ſexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ meæ, & nouacula non aſcendet ſuper caput eius, &c. 1. *Reg.* 1. 11.

1. ANNA votum me compotem voti facit, vt veſtrûm omnium votis ſaltem aliqua ex parte poſſim reſpondere. Enimuerò ea eſt, ac ſemper fuit Eborenſis Academiæ erga Bethleemiticum Infantem pietas, ac religio, vt præter natalem eius diem nihil aliud in votis habere videatur. Nulla profectò dies hac vobis gratior, nulla ſanctior celebratur,

—— *hac † maxima ſemper* Virg. 8. Æn.

*Dicetur vobis *, & erit hac † maxima ſemper.* † quæ * nobis † quæ

Annæ igitur votum pro filio impetrando, nuncupatum veſtrûm omnium vota, atque ſuſpiria pro Chriſto nato videndo mihi videtur adumbraſſe. Tanto Anna deſiderio tenebatur impetrandi filium à Deo, vt pro illo obtinendo votum Deo vouerit. Vnde non immeritò poteſt appellare Samuelem filium votorum ſuorum, quo pacto mater Salomonis filium appellauit; ſic enim habetur Pro. 31. 1. *Verba Lamuelis Regis: Viſio, qua erudiuit eum mater ſua. Quid dilecte mi? Quid dilecte vteri mei? Quid dilecte votorum meo-* Prou. 31.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Chriſtus filius votorum.

rum? &c. Maiori ſanè iure appellare poteſt ſanctiſſima Virgo Chriſtum infantem filium votorum ſuorum. Itaque tres ſe nobis offerunt filij votorum. Samuel, id eſt, poſtulatus à Deo. Lamuel, id eſt, Deus in eo, & Emmanuel, id eſt, Deus nobiſcum. Sed pro omnibus noſter Emmanuel filius votorum. Quare illa verba matris Salomonis, ſeu Lamuelis ſuum filium alloquentis ad ſanctiſſimam matrem Domini transferamus. *Quid dilecte mi?* &c. Poſtquam mater Lamuelis vidit filium ad regiam maieſtatem erectum, ſublimi in ſolio collocatum, regio diademate inſtructum, famulantium, & gratulantium agmine circumdatum, exultabunda, & minimè ſui compos præ gaudio erumpit in voces non quidem integras, & plenas, ſed inciſas, & dimidiatas. *Quid dilecte mi?* &c. Talis beatiſſima Virgo cùm infantem illum Deum intueretur, non quidem auro, purpura, gemmiſque) indutum, ſed nudum, pauperem, & diuitiis omnibus ſpoliatum: non magnifico in throno inſidentem, ſed viliſſimo in ſtabulo vagientem; non inter Procerum, Dynaſtarúmque examina imperantem, ſed inter abiectiſſima pecora lacrymantem. Hæc & ſimilia cùm videret, ex intimo pectoris receſſu in illas voces erupit. *Quid dilecte mi?* &c. Non perficiebat orationem, ſed ſuſpenſam relinquebat; quia, auctore D. Bernardo *ſerm. 66. in Cant. affectus locutus eſt, & non intellectus: habent ſuas voces affectus, per quas ſe etiam cum nolunt, produnt. Neſcio quo pacto, quo plus latent, plus placent* Hæc ille. Sed ſuppleamus nos illas orationes, & redintegremus illas voces: *Quid dilecte mi?* &c. Verùm enimuerò, ſi illas Virginis voces, amoris quidem voces percipere deſideramus, cum illa Puerum amemus; amoris enim locutionem ſolus qui amat, intelligit. Bene Bernardus. *Quiſquis bonum cupit adipiſci notitiam, amet. Alioqui fruſtra ad audiendum amoris carmen, qui non amat, accedit. Non poteſt capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim Græcè loquentem non intelligit, qui Græcum non nouit, nec Latinè loquentem, qui Latinus non eſt: ſic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit, ſicut æs ſonans, aut cymbalum tinniens,* &c. Si ergo hunc Virginis ſermonem totum amore flagrantem intelligere velimus, eundem Virginis erga Puerum induamus affectum.

Bernard.

Amor cùm carus ſit, intelligit.

2. Sed quoniam Annæ votum, ſecundùm Ambroſium, pro Chriſto aliquando tandem naſcituro fuit emiſſum, ad illud oratio noſtra reuertatur. *Tacita clamabat*, inquit D. Ambroſius ſerm. 17. in Pſalm. 118. *Et interiori voce pia mentis excitabat Ieſum*, &c. Non tam Samuelem filium, quàm Chriſtum Dominum deſiderabat. In Chriſtum cogitationes ſuas intendebat, & quaſi dormientem illum conſiderans, votis, precibus excitandum fore iudicabat. Hoc autem Annæ votum ſuperioribus ante illam ſæculis, à primis parentibus fuit nuncupatum. *Fecit Deus tunicas pelliceas, & induit eos, & ait: Ecce Adam quaſi vnus ex nobis*, Geneſ. 3. 22. Iam tunc Deus ſe oppignerauerat redemptioni, pro quo ſuſpirabant primi parentes. Vnde Hebraica locutio pro illis verbis, *& induit eos*, habet, *Ieſum cor meum.* Quaſi verò tanto arderent Chriſtum videndi deſiderio, vt ab illo corda nullo vnquam tempore remouerent. Hæc parentum vota, atque ſuſpiria conſecuti ſunt nepotes, & Patriarchæ, & Prophetæ, & Reges Hebræorum. Singula ſingulis breui percurramus. [illegible] Abraham vir ſanctiſſimus nihil prius habebat in votis, quàm Chriſti aduentum (alios prætermitto.) Ioan. 8. 56. *Deſiderauit videre diem Chriſti*, vidit tandem aliquando, & riſit. *Cecidit in faciem ſuam, & riſit.* Geneſ. 17. 17. Hunc diem fuiſſe diem natalem Domini, interpretatur S. Auguſtinus tract. 43. in Ioannem, quem Doctores communiter ſequuntur. Ad hunc diem omnes ſuas ſpes referebat, in hoc omnes diuitias collocabat, hunc dumtaxat poſtulabat Geneſ. 14. miſit ſeruum ſuum Eliezer Meſopotamiam vſque, vt filij Iſaac nuptias ageret, & credidit ei magnam partem ſuorum bonorum. *Ex omnibus bonis eius portans ſecum*, &c. num. 10. ſeu vt vertit Chaldæus, *omnia optima eius.* Sed perpendite has opes dotales, has diuitias. Conſulite Rabbinos non indoctos, qui illas fuiſſe quandam teſſeram hoſpitalem arbitrantur, in qua ſpes de Meſſia futuro legebatur. *Spem de futuro Meſſia.* Quaſi ſeruo commendaret, ſi apud Meſopotamiam fueris rogatus de prædiis, de vectigalibus, de paſtionibus, de poſſeſſionibus, de illis denique fortunis, quas in filij dotem habeam deſtinatas, reſponde, me pro omnibus diuitiis vnam habere ſpem. *Spem de futuro Meſſia.* hac enim vna ſpe meus alitur animus, hac vna viuit. Hanc vnam hæreditatem filio Iſaac reliquit, qui patrem ſequutus Meſſiam continenter ardebat, & eius aduentum præ deſideriis odorabatur in filio. *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni.* Geneſ. 27. 27. Nam auctore D. Ambroſio lib. 2. de Iacob cap. 1. non Iacobi filij veſtem, ſed Chriſti humanitatem odoratur. *Hic eſt ager*, inquit D. Ambroſius, *de quo Eccleſia in Canticis: Adiuraui vos filiæ Ieruſalem in virtutibus, & fortitudinibus agri.* Cant. 2. *Hic eſt ager de quo & Dominus ait, & ſpecies agri mecum eſt*, Pſalm. 49. &c. præ omnibus odorem ſentit D. Bernard. in Cantic. ſermone 47. *Nec dum ſpeciem ſuam ille flos agri induerat, etiā dabat odorem ſuum, quando eum vt ſibi præ gaudio exclamaret præſenſit ſpiritu, corpore marcens ſanctus, & ſenex Patriarcha, caligans viſu, ſed odoratu ſagax*, &c. Itaque Chriſtus Dominus ager eſt à Deo Patre benedictus, in quo vernant gratiarum flores, efflantur odores, mature ſcunt fructus. Hos flores vernantis prati odoratus eſt etiam filius Iacobus, imò fructus collegiſſe, ſpe ſaltem, videtur.

Ioan. 8.
Geneſ.
Auguſt.
Spes, diuitiæ in Meſſia.
Spes Meſſiæ diuitiæ & opes maximæ.
Geneſ. 27.
Ambroſ.
Chriſtus pratum, & viridarium.
Bernard.

3. Omitto Iacobi deſideria, quæ toto vitæ ſpatio de Chriſto venturo habuit, accedo ad vltima. *Salutare*, inquit moriens, *tuum expectabo Domine*, Gen. 49. 18. Paraphraſtes Chald. *Non expecto*, inquit, *Saluatorem Gedeon, nec ſalutare Samſon, quæ eſt ſalus tranſitoria, ſed expecto redemptionem Chriſti filij David*, &c. Qua propter D. Gregorius Magnus homil. 8. legit, *Expectabo Ieſum tuum*, &c. *In quo verbo*, inquit, *beati Iacobi mens oſtenditur, quomodo Ieſu deſiderio ardebat, quem ſe moriens expectare perhibebat*, &c. Eius autem nepotes, duo illi gemelli infantes Phares, & Zaram, tantò Chriſtum videndi ſtudio flagrabant, vt vel in ipſo vtero contendere videantur vter primogenitus, & Chriſti parens futurus ſit, Geneſ. 35. Hunc primatum anhelabant, de Chriſto priùs cernendo fuit certamen, Chriſtus erat illorum athletarum adorea. Iam verò Prophetæ, quæ ſuſpiria ab intimo pectoris non eruperunt? Quas voces, & lacrymas non profuderunt? Teſtor pro omnibus Iſaiam 64. 1. *Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes. In perſona*, inquit ibi Rabanus, *omnium Prophetarum aduentum Chriſti deſiderantium loquitur*, &c. Et Hugo Cardinalis, *Notatur*, inquit, *ex parte*

Geneſ. 49.
Greg. M.
Chriſtus omnibus deſiderabilis.
Chriſtus omnium votis expetitus.
Iſaiæ 64.
Hugo Card.
Ambroſ.

Digitized by Google

parte petentium ardor deſiderij, ardebant enim ſanctè Patres in amore venturi, &c. Ardebat quidem Elias, & gemebat. *Derelictus ſum ego ſolus*, 3. Regum 18. 10. Quid modò ſic clamat, inquit, Rupertus, niſi quòd Meſſiam aduenire optabat, &c. *Oſtende mihi faciem tuam, vt ſciã te*, Exod. 33. 13. *Id eſt*, inquit Tertullianus contra Marcion. lib. 4. cap. 22. *Manifeſta mihi, vt cognoſcenter videam te, eum conſpectum deſiderans, in quo hominem eſſet acturus*, &c. Hac de cauſa Daniel *vir deſideriorum* dicitur, Dan. 11. 19. D. Auguſtinus hom. 64. de tempore. *Daniel*, ait, *ideo deſideriorum vir appellatus eſt, quia panem deſiderij non comedit, quia magis Chriſtum, quàm epulas deſiderabat*, &c. Nec Daniel ceſſauit, donec diuinum Verbum humana forma indutum viderit. *Tetigit me quaſi viſio hominis, & confortauit me*. Dan. 10. 18. Donec dicit Scriptura, inquit Cyrillus Hierſolymitanus catech. 12. *Tetigit me tanquam manus hominis, nõ potuit recreari Daniel*, &c. Nec diuinum Verbum aſpernatus eſt hominum ſermones. Nam, auctore Tertulliano contra Prax. cap. 16. *ipſe ad humana ſemper colloquia deſcendit ad Adã vſque ad Patriarchas, & Prophetas*. Rurſus Eſaias 3. 27. *Ecce nomen Domini venit de longinquo*. Vbi Septuaginta vertunt, *venit poſt tempus multum*. Audi D. Hieronymum pulchrè notantem hæc deſideria. *Poſt multum tempus venire dicitur, loquẽte humana impatientia*, &c. Ac ſi Propheta Meſſiæ votis adeò torqueretur, vt illum quaſi videret à longiſſima terra venientem, & nunquam accedentem ad ſe. Hæc deſideria in iuges lacrymas, & preces continuas Eſaiam impellebant. *Propter Sion & Hieruſalem ſilebo, donec egrediatur, vt ſplendor iuſtus eius*. &c. quaſi diceret, interprete D. Hieronymo, *Nec mea vnquam reticebit oratio, ſed precibus preces adiungam, donec veniat promiſſus*, &c.

2. Reg. 19. — Rupert. — Exod. 33. — Tertull. — Dan. 11. — Auguſt. — Dan. 10. — D. Cyrill. Hieroſol. — Tertull. — Iſai. 3. — LXX. Interpret. — Hieron. — Iſai. 62. 1. — D. Hieron.

4. Iam verò Reges quænam ſuſpiria pro Chriſto venturo non trahebant? Pro omnibus Dauid, *Sitiuit in te anima, mea*, Pſalm. 62. 1. *Quia*, inquit Lyranus, *Dauid ſummè deſiderabat Chriſtum de ſuo ſemine naſciturũ*, &c. *Quã multipliciter tibi caro mea; quia*, addit Lyranus *multi de Dauid deſcẽdẽtes, vt Ezechias, Ioſias, Eſaias, & Daniel, hoc deſiderauerunt*, &c. Vnde Dauid Pſalmos omnes Meſſiæ deſideriis conſecrauit, vltimúmque plenum ſuſpiriis Salomonis filio hæreditatis loco reliquit; hic eſt Pſalm. 71. Salomoni ipſi dicatus, ſeu, vt vult Genebrardus, Chriſto à Salomone oriundo, ideóque extremum canit, *Et replebitur maieſtate eius omnis terra: fiat, fiat*, &c. vbi Genebrardus, *Hic eſt*, inquit. *Pſalmus à Dauide poſtremò omnium conſcriptus, & quaſi teſtamento Salomonis filio relictus, vt fidẽ, & expectationẽ Meſſiæ ei commendaret*, &c. *Defecerunt laudes Dauid, filij Ieſſe*. Alij verò legunt, *Conſummata ſunt laudes Dauid*. *Id eſt*, inquit Genebrardus, *quando iſta fuerint repleta, tunc perficientur vota, & optata Dauid; hac euenirent, ſumma fuit votorum ipſius, fuit hic finis, quem Dauid in omnibus ſuis Pſalmis concupierat*, &c. Imò ex hac videndi Chriſtum ſpe viuebat bonus Rex, *Subſtantia mea apud te eſt*. Hac igitur expectatione alitus, & recreatus Betheleemicam aquam noluit haurire. Enimuerò de illo diuino fonte aliquando ibi naſcituro recordatus ſitim præſentem ſedauit. *Repreſſa*, inquit D. Ambroſius Apolog. Dauid cap. 7. *victor cupiditate profudit aquam Domino, vt oſtenderet, quòd ſitim ſuam Verbi conſolatione reſtingueret*. &c. Expreſſiùs Gloſſa, *Aquam non ſitiebat, ſed naſciturum Chriſtum in Bethleem præuidebat, lauacrum, & ſanguinem ſitiebat*, &c. Hanc ſitim lacrymis ſuis leuabat, & temperabat. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum*, ſeu, vt poteſt legi ex Hebræo, *virgam meam*, Pſalm. 6. 7. His lacrymis rigata virga Ieſſe, Virgo Deipara florem parturiit. *Ideo*, inquit D. Ambroſius, *tantam gratiam meruit, vt ex eius familia Virgo eligeretur, quæ nobis partu proprio Chriſtum ederet*, &c. Ah quàm doluit, quàm timuit, vt peccato illo ſuo Chriſti aduentus impediretur, vt tenet D. Ambroſius epiſt. 3. ad Rom. *Ignobilem, atque inutilem duceret ſanguinem ſuũ, niſi Chriſti sãguine iungeretur. Quæ vtilitas*, inquit Dauid, *in ſanguine meo dum deſcendo in corruptionem*: Pſalm. 29. 10. Quæ verba intelligit Caietanus de pœna, quam Dominus illi per Natham prophetam minatus fuerat. *Non recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum*, 2. Regum 12. 10. *In qua pœna*, authore Caietano, *clauditur primario generationis Meſſiæ ex Domo Dauid, & intẽdit proponere Deo quòd ſi pœna huiuſmodi haberet locũ, ad nihil eſſet vtilis progenies ſua*, &c. Vbi notare debemus, quàm nobilis ſit Chriſti naſcentis humilitas; cùm regiam proſapiam ſic nobilitet, quòd ſi abeſſet, omnis illa Regum progenies ignobilis redderetur. Nihil æquè doluit Ezechias Rex, inſtante fato, quàm ſibi reſcindi hanc ſpẽ, *Ezechias fleuit fletu magno*, & rationem ſubdit: *Non videbo* inquit, *Dominum meum in terra viuentium*, Iſai. 38. 11. Hebraica dictio: *Non videbo Deum de Deo*. Vel, vt Septuaginta exponunt, *Non videbo ſalutare Dei*, vel vt iuxta Euſebium Cæſarienſem lib. 2. demonſtr. Euangel. cap. 35. *Non videbo Ieſum Dei*. Non lacrymatur, quòd non viſurus ſit Deum in ſede maieſtatis ſuæ in cælo, ſed quòd non viſurus ſit in forma humilitatis noſtræ in præſepio. *Putabat enim*, auctore Caietano, *ex regali illa linea naſciturum promiſſum Abrahæ, & Dauidi, & valde triſtabatur, quòd ipſe excluderetur ab hac genealogia, qui verè erat filius Dauid, non ſolum genere, ſed imitatione*, &c. Omiſſis aliorum Regũ ſuſpiriis.

Meſſiam Patres ſuſpiriis, precibus, lacrymis vocabant. — Pſalm. 62. — Lyran. — *Dauid omnes Pſalmos Meſſiæ deſideriis conſecrauit.* — Pſal. 71. 19. — Genebrard. — *Sũma votorum Meſſia.* — Pſal. 38. 2. — D. Ambroſ. — Gloſſa. — Pſalm. 6. — D. Ambroſ. — *Lachrymæ Dauidis Chriſtum meruerunt.* — D. Ambroſ. — Caiet. — Pſalm. 29. — 2. Reg. 12. — *Chriſti humilitas Regũ proſapiam nobilitauit.* — Iſai. 38. — Euſeb. Cæſ.

5. Accedamus ad B. Virginis ſuſpiria, & longam de Chriſto venturo expectationem, cuius typus fuit Anna Samuelis mater. Sua deſideria ſatis expreſſit Deipara, quando ad Angelum dixit: *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum*. Nam, ſecundùm D. Bernardum, *fiat*, deſiderij eſt ſignum. Hinc eſt, quòd B. Virgo cum Gedeonis vellere conferatur, quia ita concepit Dominum, vt eum totum hauriret corpore. nam quò ardentiùs hunc rorem ſitiebat, eo auidiùs hauſit. Ad ſitim hauſtúmque huius roris alluſit Chryſologus. *Tota diuinitatis vmbra bibulo ſe noſtræ carnis celauit in vellere*, &c. Poſtquam verò Deipara hunc hauſit rorem, ſitim non expleuit. Nam, teſte Imperfecto in Matth. *additamẽtum cognitionis auxit deſideriũ cognitionis*. Vnde continenter per hoſce dies ſuſpirabat, *Oſtende mihi faciem tuã*. Enimuerò optimè agnouerat Filij dotes, & regiam maieſtatem ab Angelo decantatam. *Hic erit magnus*, &c. præſertim, quòd illi Filius, non necem, ſedem eſſet paraturus. Neronis mater, cùm præ deſideriis videndi natum filium cruciaretur, & ei de morte à filio inferenda oraculum redderetur, nihilominus ait: *Occidat, dum imperet*. Puer autem Bethleemicus cùm ſit Rex, *dabit illi ſedem Dauid*. Matri non funus, ſed regium munus parat. O quoties repetebat illud, *Oſculetur me oſculo oris ſui*. D. Ambroſius habet, *Oſculetur me oſculo oris ſui*. Et addit: *Non oſculum, ſed plura quærit, vt deſiderium ſuum poſſit explere*, &c. De Tobiæ matre inquit Scriptura, *Illa autem nullo modo conſolari poterat*,

Virginis erga ſuum filium deſideria. — Luc. 1. 38. — Bernard. — Chryſolog. — Imperfect. — *Neronis mater.* — Iſaias. — Ambroſ lib. de Iſaac. c. 3

Tob. 10. Tob. 10.7. Egregiè D. Ambroſius, *Neſciunt ma-*
Amb. de fi- *terna viſcera patientiam; matrem conſiderate, ma-*
de lib. 5 c. 1. *trē cogitate*, &c. Sola ſpe ſolabatur Deipara, ſolùm
Matris amor quàm efficax. ſuſpirando deſideria leniebat, ſed eo vehementiùs
ardebat, quo impenſiùs amabat.

6. Quanto autem deſiderio tenebatur Chriſtus
Chriſti de ſalute noſtra cura. nobis ſalutem ferendi? Teſtimonium duntaxat
vnum affero ex Pauli oraculo petitum. Sic Pau-
Hebr. 9. lus ad Hebr. 9. 26. *In conſummationem ſeculorum*
apparuit, &c. Quid ſanctè Paule, metam ſæculo-
rum dicis tempus, quo Chriſtus Bethleemico in
antro benignum terris vultum oſtendit? Nónne
poſt illud tot nobis ſæcula, tot luſtra prætere-
runt? Quid ergo conſummationem ſæculorum
Chryſoſt. appellas? Audite D. Chryſoſtomū. *Quam ſalutem*
Non patitur Chriſtus moras ſalutis noſtra. *ſtatim à creatione mundi hominibus non cōmunica-*
uerat, in finem ſæculorum reiectam putauit, &c. Ac ſi
tanto arderet ſtudio diuinum Verbum nobis ſa-
lutem conferendi, vt diem natalem ſuum, po-
ſtremum mundi diem iudicaret; adeò enim deſi-
derabat, vt tandem aliquando ſibi ille dies ad-
ueniret, in quo nobis ſalutem æternam impertiri
potuiſſet. Pudeat tot votis aliqua ſaltem ex parte
non reſpondere. Cum B. Virgine ſæpiùs repeta-
mus, *Quid dilecte mi?* &c. Antrum illud per
hoſce dies adeamus, & in eo diu immoremur,
omne tempus vitæ cogitationibus furemur, vt
Bernard. integrum Puero impendamus. Bene D. Bernar-
dus, *Beata anima quæ ſe ſibi furatur, vt Verbo fruā-*
tur. Si per hoſce dies quæſiti fuerimus, ſolùm
Bethleemico in antro reperiamur. Saul aliquando
nimis indignatus eſt in Danidem, eò quòd illum
in conuiuio non viderit. Ionathas verò furen-
1. Reg. 20. 28. tem animum leniebat. *Rogauit me obnixè, vt iret*
in Bethleem. Ita poſtulo, Auditores, per hoc tem-
pus non in ludis, non in conuiuiis, nec in aliis ani-
mi remiſſionibus immoremur, ſolùm Bethleemi-
cam ſpeluncam quæramus, & diligamus ſive in il-
la ſolum quæſiti inueniamur. Huc vſque licuit.

PERVIGILIVM II.

Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitu-
do militiæ cœleſtis, &c. *Luc.* 2. 13.

7. REdit ſactum Bethleemici Infantis peruigi-
lium, & Eborenſem Academiam in anni-
uerſariam ſpectationem, ſeu expectationem ex-
citat auſpicatiſſima illa dies,

Martial. —— *Luce ſacratior illa,*
Conſcia Dictæum quæ tulit Ida Iouem.

Bene Chriſti incunabula cum literis conue-
August. niunt. Stabulum ille Puer, quaſi ludum aperuit,
& antrum in ſchola conuertit. *Nam omnis*, in-
quit D. Auguſtinus ſerm. 15. in nat. *huius natiui-*
Verbū infans magiſterium exercet. *tatis ſchola humilitatis eſt officina*, &c. Et ſerm. 18.
Vide homo, quid pro te factus eſt Deus, doctrinā hu-
Bernard. ſer. 3. De natali Domini. *militatis agnoſce, etiam nondum loquente doctore*,
&c. Non loquitur lingua, ſed docent exempla.
Nec dum loquitur lingua, ait D. Bernardus, *& quæ-*
cunque de eo ſunt clamant, prædicāt, euangelizant,
ipſa quoque infantilia membra non ſilent, &c. Et
Cant. 5. 2. ſerm. 4. adducens illa verba, *Apparuit gratia Dei*
omnibus hominibus, erudiens nos. Apparuit, inquit,
gratia Dei ad eruditionem. Nec deſunt noſtro Do-
ctori Doctoris inſignia, eius enim caput pro Do-
ctoris inſigni, laurea, & corona, *plenum eſt rore,*
Chaldæus. ſeu *lacrymis*, vt interpretatur Chaldæus. Habetis
Magiſtrum, Auditores optimi, habetis Acade-
miam, deinceps nec magiſtrum nec veſtram Aca-
tis Academiam. *Quoniam*, inquit Clemens Alex. Clem. Alex.
in exhort. *ipſum Verbum cœlitus ad nos venit, non*
eſt nobis ampliùs eundum ad humanam doctrinam
Athenas, & aliam Græciam. Meritò igitur, Audi-
tores optimi, ad ſacrum peruigilium conflui-
tis tanquam ad ſcholam, vbi Chriſtus Doctor &
Magiſter eſt. Verùm enim verò, paululum iubet
calamos deponere, & gladios aſſumere, abiicere
libros, & arma induere. Hac tamen lege, vt ſcho-
lam ne deſeratis. Neſcio ſanè, quàm bene confe-
ratur militaris, & literaria ſchola. Iam ille Achil-
les, vt bellicæ virtutis gloria inſignis euaderet,
priùs parentum iuſſu, *quaſi in ſcrupea ſchola*, vt di-
xit Tertullianus, militare poſuit tyrocinium. To- Tertull. de Pall. c. 4.
tus igitur hodierna die nobis armatus apparet,
non literatus. *Facta eſt cum Angelo*, &c. Vix in lu-
cem editus cùm florentiſſimum cœleſtis militiæ
milliarum ſeligit. Credo quidem, quia mundum
ingreditur dimicaturus. *Iam enim*, inquit D. Ber- Bern.
nardus ſerm. 1. in nat. *aduerſùs hoſtes tuos dimi-*
cat, iam ſuperborum, & ſublimium colla tanquā Dei
virtus & ſapientia calcat. Duo ſūt tibi hoſtes, pecca-
tū, & mors, vtrumque debellaturus aduenit, &c. Ne- *In præſepe quaſi ſcuto Chriſtus poſitus.*
que aliud crediderim præſepe illud, quàm ſcu-
tum, ſeu clypeum; in quo bellum ſimul, ac belli-
cum Puerum reclinauit Virgo ſanctiſſima more
Lacænarum, quæ, ſi credimus profanis auctori-
bus, in clypeis pariebant. Iam verò Herculem, *Mos Lacænarum in pariendis filiis.*
Heroémque alium recèns natos Almena parens
poſuit in ſcuto vice cunarum, apud Theocritum
eidyllio 4.

Lauit vbi genetrix, & lacte impleuit vtrumque, Theocr.
Et rapto impoſuit clypeo, &c.

Ita puerorum cunabula erant clypei, quò for- 8.
taſſis alluſit ille alius loquens de Honorio,

Repſiſti per ſcuta puer. Claudianus.

Præſtantius quadrat in Puerum Bethleemicum,
Iſaias. quem Prophetæ vaticinium ablaturum ſpolium
Samariæ decantauit. *Belli ſignum non tuba*, vt pul- Tertul. lib. 3. Iud. cap. 9. & lib. 3. c. 8. Marcion. c. 13.
chrè dixit Tertullianus, *ſed crepitacillo daturum de*
nutricis, ac gerulæ ſuæ collo hoſtem deſignaturū, &c.
Godefredum tertium Brabantiæ Ducem infan-
tem adhuc & recens natum in cunis argenteis *Godefredus Brabantiæ Dux tertius.*
ſuſpenſum ex arbore ſui milites in media acie
conſtituerunt, cuius aſpectu ita accenſi, & con-
firmati præliantium animi, vt hoſtes auerterent,
ac profligarēt. Quis ad aſpectum Bethleemici In- *Infās IESVS imperator ducis exercitum.*
fantis non in cunis argenteis, ſed ita in præſepio
vili vagientis maiores vires ac animos aduerſùs
animi hoſtes non concipiat? *Certè*, inquit D. Cy- Cyprian.
prianus, *in Paruuli huius nomine cum hoſte antiquo*
congredimur, &c. Et paulò pòſt. *In ſtudio vitæ hu-*
ius ſe exercet militia Chriſtiana, præeunte Chriſti ve-
xillo, quem Paruulum indicamus, & cognouimus, &c.
Porrò autem quod vexillum? quod ſignum?
Num pauperculi illi panni, de quibus Angelus,
Hoc vobis ſignum, inuenietis Infantem pannis in-
uolutum? An fœnum & palæ, quarum manipulos è Lucæ 2. 12.
pertica longa ſuſpenſos veteres illi, pauperéſque
Romani pro vexillis in acie præferebant, de qui-
bus Ouidius,

Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos, Ouidius.
Vnde maniplaris nomina miles habet.

His equidem bellis, vel bellicis ſignis in ſta-
buli arce mortalia pectora bellus Puer expugnat,
blando tamen bello, & iaculis transfigit amoris.
Vires enim non adimit, ſed addit; dum facit vul- *Ieſus à Virginis vtero quaſi è tentorio prodijt.*
nera, ſimul ſanat; dum infert detrimentum, ſimul
confert emolumentum. Qui ad eius pedes cor-
ruit, palmam dedit, ſed non perdidit; amiſit pu-
gnam, ſed non victoriam. Tanquam è caſtris
egreſſu

Digitized by Google

egreſſurus in aciem ex Virginis viſceribus egre-
ditur. *Temoria* namque *pulcherrima ſplendentis*
vteri appellat D. Auguſtinus Virginis viſcera, ho-
Iudic. 6. 37. mil. 14. in natali. Hoc eſt vellus illud datum Ge-
deoni in belli ſignum, & victoriæ argumentum,
illud, inquam, vellus ſanctiſſimorum Patrum rore
madefactum Neque vobis ignota roris cum bel-
lo ſimilitudo. Nam Chuſai belli conſilium dans
Abſoloni contra Dauidis victorem exercitum
cum rore comparauit. *Operiemus eum ſicut cadere*
2. Reg. 17. *ſolet ros ſuper terram*, 2. Regum 17. 12. Apud Ro-
manos milites quidam *rorarij* dicebantur, qui le-
uioribus armis prælium, ſicut ros pluuiam, præi-
re ſolebant. Ad quem ſenſum explico nunc ver-
Iſaiæ 45. 8. ba illa, *Rorate cæli deſuper*, id eſt, mittite roreum
illum militem, ducem, ac ſaluatorem, qui ab ipſis
incunabulis humanum genus vindicet, ac propu-
gnet. In ſcrupea igitur illa ſchola militiæ ſuæ
conſtituit tyrocinium, & iam inde terrorem ho-
ſtibus incutit, bellum gerit, proſternit, vincit, &
triumphat. Moyſes adhuc infans terror fuit ho-
ſtibus Ægyptiis. Cùm nimirum impoſitum à Re-
gis filia capiti diadema, manibus detraxit, & pe-
Ioſephus. dibus proculcauit *Id quod*, Ioſepho auctore lib. 2.
antiquit. cap. 5. *mox ominoſum eſt viſum, & regno*
nihil boni portendere. Móxque ille ſacrorum ſcriba,
qui natiuitatem eius Ægypto cladẽ allaturam præ-
dixerat, occidere puerum volebat, vociferans. Rex
puer iſte, per cuius necẽ nobis ſecuritatem Deus pol-
licetur, vaticinium iam confirmauit inſultando ſuo
regno, & diadema calcando, &c. Simile habemus,
& multò certius de Chriſto puero vaticinium à
Simeone, & Sacerdote, & Vate pronunciatum.
Luc. 2. 34. *Ecce poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem mul-*
torum, &c. Crepundia illa bellum indicant, pan-
ni, & faſciæ pro militari baltheo Puerum induunt,
& obarmant. Honores abiicit, terrores incutit,
coronam ſpernit, palmam conſequitur.

10. Ex rupis igitur illius vmbra in certaminis are-
Luc. 2. 13. nam hoſtes prouocat Dux Bethleemicus. *Et facta*
eſt cum eo militia multitudo cœleſtis. Cœleſtem du-
3. Reg 22. cem cœleſtis indicat militia. 3. Regum 22. 30.
Mutauit habitum Rex Iſraël, & ingreſſus eſt bellum.
Ita noſter Rex cum hoſtibus ſuis congreſſurus
Arma Chri- mutuauit habitum ſuum; exuit ſcilicet maieſtatem,
ſti paupertas, induit humilitatem. Laudo D. Hilarium homil. 2.
humilitas. *Venit in mundũ, non depoſita, ſed depoſita maieſta-*
D Hilar.
Pantaleon. *te*, &c. *Regum*, inquit Pantaleon Diaconus orat.
de luminibus, *ſecutus eſt Chriſtus conſuetudinem,*
qui dum prædæ inſidiantur, ſepoſita regia maieſtate
militari ſe habitu amiciunt, &c. Ex illa ſpelunca,
quaſi ex ſpecula, hoſtes videt, & quaſi ex inſidiis
mentito habitu adoritur eoſdem. Præſepio, pa-
leiś, ſtabulo, pannis, & paupertate ſimulat maie-
ſtatem, regit diuinitatem: Chriſto autem ad de-
bellandos hoſtes nec haſta, nec gladio opus eſt;
pro gladio, pro haſta ſunt paleæ; pro clypeo ſatis
præſepium; pro thorace ſufficiunt panni. Paſto-
rali hoc habitu indutus monſtrum illud infero-
rum immaniſſimum proſternit, fortis enim ducis
eſt imbelli telo bellicoſum hoſtem proſternere.
Dauid 1. Regum 17. non Saulis galea protectus,
non lautica indutus, non gladio accinctus, ſed pa-
ſtorali indumento amictus, cum gigante congre-
ditur, palmam conſequitur, triumphabundus
Auguſt. euadit. Præclarum D. Auguſtini iudicium in
Pſalmum 54. *Domuit orbem, non ferro, ſed ligno,*
&c. Ligno autem iam non pugnat, qui ſub ligno
naſcitur. *Sub arbore malo ſuſcitaui te, vbi peperit te*
Brixian. *mater tua*, Cant. 8. S. Brixianus, *Pulchre conuenit*
in Chriſtum, quia ita promptè ad crucẽ acceſſit, ita-
Franc. Mendocæ Viridarium.

que eã tota vita eſt amplexatus, vt ſub ea natus eſſe
videretur, &c. In cruci naſci, canit Vates, *Ædifi-*
cauit ſicut vnicornis ſanctificium ſuum, Pſalm. 77. Pſalm 77.
69. Vnicornis, authore Iuſtino martyre, dialog.
cum Tryph. habet cornu in crucis ſimilitudinem
formatum; cubile igitur ædificaturus in terra
crucem aperit, & ſic in cruce viuere ac dormire
dicitur. Diuinus vnicornis, mundum expugna-
turus, non ferro, ſed ligno ab incunabulis obar-
matur Et ſic in ſpelunca paupertate ſuperat, quos
maieſtate ſuperare non poterat. Saul, dum per
montium cacumina inſedit, 1. Regum 24. 3. Da-
uidem conſequi non potuit, *Perrexit Saul ad inue-* 1. Reg. 24.
ſtigandum Dauid etiam ſuper abruptiſſimas petras.
Quid autem euenit? Dauidem non inuenit. De-
ſcendit, vallem ingreditur, antrum penetrat: ec-
ce tibi occurrit Dauid, *Domine mi Rex, Domine mi*
Rex, &c. Expauit Saul, ſomnium credidit, laruam
putauit, tandem firmato animo, ait: *Numquid hæc*
vox tua eſt, fili mi Dauid? En filium vocat, quem vt
hoſtem perſequebatur; poſtquam enim perpen-
dit in illo antro ſibi à Dauide vitam fuiſſe imper-
titam, regnum indultum, iniurias liberaliter con-
donatas, dolore tactus *leuauit vocem ſuam, & fle-*
uit. Non perinde miror, inquit D. Chryſoſtomus, Chryſoſt.
Moyſem, quod è ſaxo prærupto fontes elicuit lachry-
marum, vt admiror Dauidem, qui ex oculis lapideis
fontes eduxerit lachrymarum, &c. Cernitis caſtra,
& arma Dauidis, quibus ex homicida, vt loquitur
Chryſoſtomus, fecit patrem, ex ſanguinolento
conſanguineum. In ſimilem arenam hoſtes ſuos
laceſſit Dux Bethleemicus, vt amicos faciat. Quos
in montium ſummitate non ſuperauit, in vallium
humilitate ſuperat. Depreſſus poſternit, quos
elatus non profligauit. Reliquum eſt, vt vim il-
lam, quam Dauidis vox erga Saulem habuit, can-
dem ſaltem erga nos habeat vox Chriſti lacry-
mantis. Quid ergo, mi Domine, non efficiet tua
vox; non iam tonitrui confringentis cedros, &
deſertum concutientis; ſed pueri gementis, & pe-
ctora ſacra lacrymis emollientis? Ita cecinit eius Pſalm. 134.
Vates Pſalm. 134. 7. *Fulgura in pluuiam fecit*, Huc
vſque licuit.

Pervigilium III.

Puer accinctus Ephod lineo, &c. 1. *Regum*
2. 18.

EPhod ſanctiſſimam Chriſti humanitatem re- 11.
præſentabat? erat enim tunica parua, & li-
nea, & feſtiua. Sanctiſſima Chriſti humanitas par-
ua erat, adeò vt in minimo naturæ humanæ,
quod vnius apiculæ magnitudinem non excedit,
dicatur à D. Thom. generatus, & conceptus fuiſ- S. Thom.
ſe *A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque* Pſalm. 18. 1.
ad ſummum eius. Hinc eſt, quòd ante incarnatio-
nem nonnulli ex ſanctiſſimis illis heroibus ma-
gni dicerentur. *Iſaac magnus vehementer effectus* Geneſ. 26.
eſt, Geneſ. 26. 13. *Moyſes fuit vir magnus valde in* Exod. 11.
terra Ægypti, Exod. 11. 3. Ezechias quoque *ma-* 4. Reg 18.
gnus dicitur, 4. Regum 18. 21. imò & noſter Sa-
muel, *Magnificatus eſt puer Samuel apud Dominũ.* *Nato Ieſu ne-*
Tandem Baptiſta, *Erit magnus coram Domino*. At *mo magnus.*
verò poſtquam Chriſtus natus eſt, nemo dicitur
magnus, non Ioannes, non Iacobus, non Paulus,
non denique ipſe Chriſti vicarius, & totius Eccle-
ſiæ ſummus Pontifex D. Petrus. Quid hoc? D. Cy- Cyril. Alex.
rillus Alexandr. lib. 2. in Leuit. *Priuſquam adeſſet*

Digitized by Google

ille, qui verè magnus eſt, ad comparationem reliquorum hominum, magni appellati ſunt Sancti: vbi verò venit ipſe, qui non ex comparatione cæterorum, ſed ſui magnitudine magnus erat, vltrà iam magnus nemo eſt apellatus. Sic ille. Sed ego addo vlteriùs, neminem magnum appellatum, quia quo tempore magnus Dominus factus eſt paruus, æquum non erat, vt parui homines fierent magni, & magnorum cognomento dicerentur.

12. Erat prætereà veſtis linea: pura, non de carne, ſed de flore collecta: talis Chriſti humanitas. Dicitur Chriſtus *vermis & non homo*, Pſalm. 21. *propter humilitatem*, vt ibidem ſentit Theodoret. Sed vt alij, quos ibi Theodoret. refert, *propter puritatem*; ſicut enim vermis abſque ſemine, ſolo calore Solis generatur, ita Chriſtus Dominus ſolo diuini Spiritus afflatu & miniſterio in Virgine concipitur, & in lucem prodit. Vnde Lucas Euangeliſta cùm primogenitores Chriſti Domini recenſeret, totam illorum ſeriem retexuit vſque ad Adamum, imò & ab Adamo in Deum terminauit. *Ieſus*, inquit, *vt putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mattath, qui fuit Leui, & ſic deinceps, vſque ad Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei*, Luc. 3. 24. Quorſum ad tam alta principia deduxit & euoluit? Theophylact. *Vt cum homines viderent, Adamum verum hominem fuiſſe, & tamen non ex alio homine generatum, ſed ex Deo, intelligerent impoſſibile non eſſe, ipſum quoque Chriſtum Dominum non humana opera ex alio homine, ſed diuina virtute ex ſolo Deo proceſſiſſe.*

Theodor.

Theoph.

13. Addo cum Tertull. de carne Chriſti, *Sicut Adamus formatus à Deo fuit ex terra virgine, hoc eſt, ex terra nondum aperta vomere, nondum ſulcata, nondum ſeminata, ita & Chriſtum Dominum ex beata Virgine generatum.* Vnde rectè D. Ambroſ. ſerm. 37. *Adam*, inquit, *natus de terra virgine, Chriſtus de Maria Virgine, illius maternum ſolum necdum ſciſſum fuerat; iſtius maternum ſecretum nunquam concupiſcentia violatum. Adam Dei manibus plaſmatur è limo, Chriſtus Dei ſpiritu formatur in vtero: vterque ergo oritur Deo Patre, vterque oritur Virgine matre.* Sic ille. Erat tandem Ephod veſtis feſtiua, qua ſcilicet Leuitæ in præcipuis celebritatibus vtebantur; & ad hunc locum Iſidorus Clarius. *Talis eſt humanitas Chriſti Domini, feſtiuiſſimus fuit æterno Verbo cultus & ornatus*, iuxta illud Cantic. 3. 11. *Egredimini filiæ Sion, & videte regem veſtrum Salomonem, in diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Quæ, obſecro, feſtiuior dies inter homines eſſe ſolet, quàm dies deſponſationis? quæ maior lætitia, quàm illa, quæ non ſolùm circumfluit corpus, ſed intrò penetrat ac peruadit ad cor? Æternum igitur Verbum in die ſuæ deſponſationis, & in die lætitiæ cordis ſui, exultabundus hac tunica induitur, nullam aliam veſtem pretioſiorem credit, cùm hac ornatus, & cultus ad ſuas prodit delicias & diuitias.

Tertul. c. 27.
Ambroſ.
Chriſtus ex Virgine naſcitur.

Iſidor. Clar.

Cant. 3.
Corpus humanum veſtis pretioſa Chriſti, & feſtiua.

14. Quàm pulchra tunica! Qualem profectò non humana, ſed diuina induſtria arte fecit. Mirum eſt quanta diligentia, ac ſedulitate Deus Adami corpus formauit, & quanta, vt ita dicam, negligentia, ac facilitate animam eiuſdem Adami condidit. Nam formaturus corpus ipſe ſuis manibus, figuli vſus munere, collegit lutum, ſubegit, emolliuit, extendit in corpus, acuminauit in caput, diſtinxit in brachia, ac denique in reliqua membra coagmentauit: at verò creaturus animam nihil operæ, nihil laboris, vel ſudoris viſus eſt adhibuiſſe; vnico flatu illam creauit: *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, &c. Quid hoc eſt? Nobiliuſne erat corpus, quàm anima, vt pluris Deo illius molitio, quàm huius creatio conſtitiſſet? Abſit. Quid ergo? rem expendite. Corpus Adami maiorem cognationem habiturum erat cum corpore Chriſti Domini, quàm anima. Nam animæ rationales nulla inter ſe cognatione tenentur, cùm non per ſeminarias virtutes vna ex alia, tanquam ex traduce diffundantur; at verò corpora humana mutua ſe cognatione contingunt, cùm per ſeminarias virtutes vnum ex alio ſeriatim propagentur. Igitur Adami corpus cognatius futurum erat corpori Chriſti Domini, quam anima Adami animæ Chriſti Domini. Inde factum eſt, vt Deus acriores induſtriæ neruos exeruiſſe videretur, in poliendo Adami corpore, quàm in formanda eius anima; quia non ex hac deſumenda erat Chriſti anima; ex illo tamen deſumendum erat Chriſti corpus. Ita ferè ratiocinatur Theodoretus, & concludit, *Præſcius*, inquit, *futuræ incarnationis, tanto honore hominem dignatus eſt*, &c. Hinc eſt, quòd Tertullian. lib. de reſurrectione carnis, totum Deum in fabricando Adami corpore occupatum contempletur. *Recogita*, inquit, *totum illi Deum occupatum, ac dedicatum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientia, prouidentia, & ipſa in primis affectione, quæ lineamenta ductabat: quocumque limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur*, &c. Si igitur in materia tam remota, vt ita dicam, ex qua ſacroſanctum Chriſti corpus deſumendum erat, tantum laborem, induſtriam, & artificium collocat Deus, quantum in ipſo Chriſti corpore collocabit?

Geneſ. 2. 7.

Corporis humani dignitas.

Theodor. q. 25.

Tertul. c. 6.

Subſtantia mea in inferioribus terræ, inquit Dauid, loquens Chriſti nomine, de ipſius Chriſti corpore. In Hebræo eſt, *Acu pictus ſum, ſicut tapetum.* Nam vt tapetum, mirificè varium, & ornatum eſt, acu huc atque illuc intercurrente picturatum, & Phrygianis operibus intertextum: ita Chriſti Domini corpus omnibus donis, virtutibus, & chariſmatibus excultum, omnibus gratiarum dotibus exornatum, atque depictum. *Acu pictus ſum.* At tam pulchrum corpus, tam elegans, tam decorum, quò deuenit? Iſaias, *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, Saluator ponetur in ea, murus, & antemurale*, &c. Murus dicitur, ſanctiſſimum Chriſti corpus. An, quia tanquam murus nos protegit, ac tuetur? Ita planè. Sed vlteriùs addo; quia quemadmodum cùm vrbs ab hoſtibus obſideretur, omnia tormenta bellica in murum exploduntur, in murum incurrunt, & impingunt, murum quatiunt, & labefactant; ita in illam ſacroſanctam humanitatem iam inde à prima infantia, & à primo ſtatu, omnes pœnæ, labores, calamitates, quibus humana natura addicta eſt, ſuas faciunt impreſſiones. Et quia hoſtiles ictus nonnulli murum prætertlabuntur, & in ipſo hærent antemurali, propterea Chriſtus Dominus factus murus, & antemurale, vt omnes ictus in eo exciperentur; in eo lacrymæ, in eo paupertas, in eo frigora, in eo venti, ac turbines ſuas omnes vires exercerent, in eo ſuas omnes iras effunderent, vt nos immunes redderet, & illæſos. Subit mentem illa Dauidis perſonata, & mentita effigies. Mittit Saul Rex ſuos Magiſtratus Dauidem vinculis ligaturos; Michol autem coniux ſolertiſſimè per feneſtram emiſit illum, & ſaluum fecit, & incolumem; & in lecto ſuffecit ſtatuam. *Tulit autem Michol ſtatuam*, 1. Reg. 19. 13. ſeu, vt legit Pagninus, *ſimulachrum*, ſeu, vt vertit Arias, *imaginem, & poſuit eam ſuper lectum, & pellem piloſam caprarum poſuit ad caput eius, &*

15.
Pſ. 138. 15.

Iſai. 26. 1.

Chriſtus omnes labores & miſerias ſuſcepit, vt nos ab iis liberaret.

1. Reg. 19.
Pagn.
Arias.

operuit

operuit eam veſtimentis, &c. Quid verò deinde? Accedunt lictores, & illuſi in ſimulachrum deſæuiunt, bilémque omnem euomunt. En auditores ampliſſimi, Verbi infantis adumbrata effigies: ita diuini Numinis homines vndequaque incurſabat, immaniſſima ſcelerata patrata illos apprehendendos, & in carcerem coniiciendos quærebat, modò eos ſæua paupertas, vt durus ſatelles inſectabatur, modò veſana fames, labórque inteſtino odio proſequebatur. At verò Virgo Deipara, vt Michol altera ſapientiſſima, pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, noſtram imitata, & mentita effigiem; & in illud miſeri mortalis ſimulachrum irati Numinis ſatellites iras ſuas effundunt, in illo impetus ſuos, ac furores frangunt, & emolliunt.

Iesvs infans iram Dei mitigat, & auertit.

16. En Chriſti Domini humanitas. Sed quando ipſa tandem nobis occurret? Eius ſumus in peruigilio. Felicem ter, & amplius Decembrem, qui tales ac tantas nobis ſpes aperis! Imò fructus licet iam colligere. Enim verò naſcitur Chriſtus minoribus totius anni diebus, vt augmentum ſuſcipiant. *Ipſa quodammodo tempora*, inquit D. Ambroſ. *cùm Dominus naſcitur, conſequuntur augmentum; vno eodémque ortu lucem pariter intulit hominibus, & diebus*, &c. Quid ſi creſcant dies, & deficiant miſeri mortales? Equidem non defecit Regius Vates Pſal. 71.1. *Deus iudicium tuum Regi da*, &c. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus*, &c. Ac tandem claudit carmen his verbis: *Defecerunt laudes*, ſeu, vt legunt alij, *orationes Dauid filij Ieſſe*. Ac ſi diuini Infantis aduentu voti ſui iam compos fieret, nil ſibi aliud iam reliquum fore putabat. *Defecerunt orationes Dauid filij Ieſſe*. Ita planè eſt, munificentiſſimo cœleſtis Pueri aduentu nil nobis ſupereſt exoptandum, nil iam deinceps quærendum. In te diuine Puer quieſcit animus, & appetitus noſter ſatiatur, quin expleatur: ita enim tuum aduentum experimus, ita ille nos reficit, ac recreat, vt faſtidia non pariat, imò noua excitet amoris irritamenta & oblectamenta. Huc vſque licuit.

Ambr ſerm. 11. de natali Domini.

Pſal. 71.

Dato, & accepto Chriſto nil ſupereſt expetendum.

PERVIGILIVM IV.

Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, &c. *Ad Tit.* 2. 13.

17. REdiit ſanctiſſimi natalis Domini peruigilium; in quo in gratiam Pueri infantis, non tam fari, quàm ſilere, imò obſtupeſcere oportebat. Sed de more noſtro pauca dicamus ore, plura corde & cogitatione contemplemur. Quicunque animi affectus, quò magis ſuo fini, ſeu obiecto, vt vocant, appropinquat, eò magis accenditur, & inflammatur. Vnde eſt illud celebratiſſimum D. Auguſtini. *Amor meus pondus meum*. Nam quemadmodum res grauis, & ponderoſa, quo magis accedit ad centrum, eo maiori celeritate fertur; ita amor, & ſpes (& ſic de cæteris animi affectibus) quò magis ad rem amatam, ſperatámque accedunt, eo magis augentur, & intenduntur. Quare ſpes de Chriſto Domino venturo orta in Adamo, inolita in Abele, traducta ad Seth eiuſque poſteros, inde ad Noë, Abrahamúmque tranſmiſſa, rurſum ad Moyſem, Danidem, alióſque Patriarchas, & Prophetas transfuſa, vires acquirebat eundo; quouſque tandem ad hoc vſque peruigilium propagata, neceſſe fuit, vt mirandum in modum augeretur, vt non immeritò hic dies, hic menſis, dies & menſis bonæ ſpei debeat appellari.

Auguſt.

Dies aduentus Domini, dies ſpei dicitur.

18. Vnam vobis propono quæſtiunculam, ex cuius ſolutione præſens inſtitutum facilè colligetur. Cur voluit Chriſtus Dominus naſci hyberno tempore, menſe Decembri. Tripliciter mihi videtur aliquis poſſe reſpondere. Primò, quia hoc tempus eſt totius anni difficillimum: Chriſtus autem Dominus difficillima quæque huius mundi eligebat, pretioſiſſima repudiabat. Quare noti voluit verno tempore, menſe Martio, quando florebant agri, ridebant prata, vernabant omnia: naſci autem voluit hyberno tempore, quando ſquallebant agri, horrebant prata, niuibus & pruinis, & procellis omnia hyemabant. Mundi difficultates amabat, voluptates faſtidiebat. Hanc eius propenſionem probè nouerat Regius Vates. Poſtulaturus enim à Deo mundi Saluatorem, *Surge*, inquit, *Domine in requiem tuam*. Pſal. 131.8. At quam requiem appellat? Optimè Heſichius, *Surge*, inquit, *è ſinu Patris in requiem tuam, quam in Bethleem conſtituiſti: vtpote ſtabulum, præſepe, & faſcias*. Ita ille. Secundò reſpondebit, quia hi dies ſunt totius anni minimi; in his igitur oportebat naſci mundi Saluatorem, vt ſuo aduentu minimis diebus augmentum afferret, & incrementum. Dies illi, in quibus templum Zorobabelis ædificari cœpit, dies parui dicebantur; iuxta illud Zachar. 4.10. *Quis deſpexit dies paruos*, ſeu, vt Iſidorus Clarius tranſtulit ex Hebræo, *dies paruarum acclamationum*. Nam ſeniores Iſraëlitæ, qui prioris templi Salomonici magnificentiam recordabantur; videntes tum, quanto eſſet inferius, & humilius, quod denuo ædificabatur, tantum abeſt, vt gratularentur, vt potiùs lachrymarentur. Dies paruarum acclamationum. Quid ergo Propheta? Lachrymantes conſolantur ex ſpe futuri Meſſiæ, *Educet*, inquit *lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius*. ſeu, vt vertit Pagninus, *Educet lapidem primarium cum clamoribus. Gratia, gratia illi*. Quaſi diceret, ſi hos dies, in quibus templum Zorobabelis ædificatur, paruos dicitis, ſeu paruarum acclamationum, quia paruæ in eo gratulationes audiuntur: conſolamini, naſcetur enim Meſſias, qui ex paruis diebus magnos efficiet, & exiguas acclamationes in ingentes commutabit. Futurum enim eſt, vt à cælo, à terra, à paſtoribus, à Magis, ab Angelis, ab omnibus, Rex, & Imperator totius mundi adoretur, & ſalutetur. Quare bene D. Ambroſius, *Ipſa*, inquit, *quodammodo tempora, cùm Dominus naſcitur, conſequuntur augmentum: vno, eodémque ortu lucem pariter intulit hominibus, & diebus*. Sic ille. Tertiò reſpondebit, quia hic menſis eſt nouiſſimus totius anni. Chriſtus autem Dominus naſci voluit *& in fine ſæculorum*, vt teſtatur D. Paulus Hebr. & in fine ipſius anni, ſeu in ſenectute ſæculorum, & in ipſo anno iam ſeneſcente, vt ex vtroque principio filius ſenectutis diceretur; & quemadmodum filius ſenectutis indulgentiùs, & beneuolentiùs amatur. Nam ſicut in filio ſenectutis diutius ſubſtantia & memoria paterna conſeruatur, & propterea cariùs amatur: ita in Chriſto diutius perſeuerat omnium hominum vita; nam in vmbra illius viuemus inter gentes, ſeu potiùs inter Angelos. Quibus igitur bonis vltimus hic menſis non impleatur? *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, Pſ. 64.12. Hunc vltimum menſem, hanc totius anni coronidem magnæ tuæ benignitatis benedictione cumulabis, ſeu locupletabis; vnde quam-

Cur Decembri menſe natus Chriſtus?

Quia frigidus, & incommodus.

Pſal. 131.

Heſich.

Quia dies minimi, vt maiores redderentur.

Zach. 4.

Iſid. Clar.

Zach. 4.7. Pagn.

Ambr. ſer. 8. *Omnia Chriſto nato creſcunt.*

Hebr. 9. *Quia finis eſt anni, & Chriſtus in fine ſæculorum naſcitur.*

Pſal. 64.

Digitized by Google

uis hic mẽſis ſit totius anni ſterilíſſimus & infœcundiſſimus; tamen hac benedictione donatus, omnium ditiſſimus & locupletiſſimus euadet. *December corona anni.* Nam ſi ſeptimus dies in prima orbis conditione, in quo Deus nihil creauit, ſed potiùs à creando requieuit, ditior euaſit, quàm ſex priores, quorum ſingulos ſingulis opibus locupletauit, quia illum ſua conſecratione impertiuit, & ſua benedictione conſecrauit; vt Theod. Procop. & D. Chryſoſt. expendunt: (Theodoret. q 21. Procopius. Chryſoſt. homil. 10.) Quid mirum, ſi hic menſis, terrenorum fructuum inops, ſed huius cœleſtis fructus diues, fertilior ac fœcundior reliquis cenſeatur?

19. Verùm his rationibus omiſſis aliam reddo ad præſens inſtitutum accommodatam. *Germana ratio.* Naſcitur Chriſtus Dominus menſe Decembri, qui apud Latinos reſpondet menſi Caſleu apud Hebræos; in quo Nehemias de captiuitate Babylonica egreſſus animum appulit, manúmque adiecit ad vrbem Ieroſolymam inſtaurandam, reſarciendámque, 2. Eſd. 1. *Caſleu*, Beda interprete, idem eſt, atque *ſpes*. (2. Eſdr. 1. Beda ib. *Quia ſpei eſt.*) Naſcitur igitur Dominus menſe Decembri, quia reſpondet *Caſleu*, qui ſpes interpretatur. Nam ſicut *Caſleu* ex aduentu Nehemiæ bonam ſpem omnibus ingerebat; ita & December ex aduentu Saluatoris in magnam ſpem omnes excitabat. Tempus quidem hybernum eſt, ſi externa facies attendatur; at verò ſi myſterium ſpectetur, tempus eſt vernum. Nam ſicut verno tempore flores erumpunt, ex quibus magni fructus ſperantur: ita & hoc tempore omnia mihi effloreſcere videntur, quatenus magnorum fructuum ſpe omnia induuntur. Quid enim hoc tempore non ſperet, quid non effloreſcat? Terra, cœlum, Angeli, homines, ipſe Puer recèns natus, omnia effloreſcunt. *Florent omnia Chriſto naſcenti.* Effloreſcit in primis terra. Cur quæſo in prima orbis molitione prius terra floribus, quam cœlum aſtris à Deo illuminatur? Nam terra tertio die ornata eſt floribus: cœlum autem non niſi quarto, Sole, Luna, cæteriſque aſtris, & ſtellis picturatum. Reſpondet Anaſtaſius Sinaita, (Anaſtaſ. Sinaita lib. 1. hexaëmer.) *Ante cœlum terra ornatur, quia ante Angelos, homines terra geniti, Deum per incarnationẽ vidimus.* Sic ille. Prius ſcilicet ſolum floruit, quam cœlum ſplenduit, quia prius ille flos ſolum, quam cœlum natus condecorauit; æquum enim videbatur, vt priùs domus illa, quam Rex gloriæ erat ingreſſurus, ornaretur. Quid ergo, ſi tellus ante ſolem floruit, quia aliquando hoſpitio erat acceptura cœleſtem Puerum? Quid mirum, ſi ipſo hoſpitij tempore floribus admodum coronetur, vernáſque delicias mutuetur? ſiquidem Martius Sol ille benignus & blandus non deficit ad ipſos procreandos & producendos flores. Enimuerò noſter Sol iuſtitiæ, ac miſericordiæ vbi apperiit, radiis ſuis omnem terram in flores erumpere coëgit.

20. Vbi Pueri vox illa ſuauis, *vox illa turturis audita eſt in terra noſtra*, Cant. 2. 12. illiço tellus floruit. (Cant. 2. Bern. ſer. 19.) *Sonuit vox*, inquit D. Bernardus, *& ſplenduit flos.* Ceu potens Dei vox in mundi primordio ante ſolem natum terram floribus adornauit, amœnitate, & viriditate circumueſtiuit, *Producat terra herbam virentem.* Ita pueri naſcentis vox hyemem tranſtulit floridum in ver, ſonuit vox, & ſplenduit flos. Hac de cauſa ſponſa illa beata Chriſti aduentum vernis verborum ambagibus ſatis nunquam depingit. Cant. 2. 11. & 12. (Cant. 2.) *Iam hyems tranſiit, & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra.* Quaſi dicat, iam maliciæ æſtiuæ, iam autumni tonitrua, iam hyemales temporis tempeſtates penitus ceſſerunt, ſolùm vernant veris deliciæ. *Ita profectò*, inquit D. Ambroſius, (Ambroſ.) *ante aduentũ Chriſti hyems erat: venit Chriſtus, fecit æſtatem: ante omnia erant florum indiga, nuda virtutum; poſt Chriſtum natum omnia cœperunt noua gratia fœcundari germinibus*, &c. Ac ſi ante Chriſti aduentum omnis tellus extaret ſylueſtribus horrida dumis, poſt autem illum floribus coronata vireret. Verum enimuerò iam Martyrum copias innumerabiles erubeſcentibus roſis aſpicies laureatas, iam Virginum exercitus candentibus liliis ornatos: viridarium Eccleſiam dices, non deſertum; omnia vigent, florent, vernant omnia. De Iacob dicitur Gen. 35. 16. veniſſe *verno tempore ad terram, quæ dicitur Ephratam.* (Geneſ. 35.) Venit nimirum Bethleem floridiore, ac amœniori totius anni tempore. (*Chriſtus hybernum tempus vernum reddit.*) Quid mirum igitur, quòd ingrediatur Chriſtus verno tempore Bethleem; ſi Iacobus eodem illam ingreditur? Sit tamen hoc diſcrimen. Iacobus non fecit ver, ſed inuenit; Chriſtus autem non inuenit, ſed facit. *Tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum à facie Domini, quando venit*, Pſalm. 95. 12. (Pſalm. 95.) populus, abies, platanus, ſyluæ, nemora omnia ad naſcentis Pueri vultum opacantur ramis, floribus arbores coronantur. Ipſa etiam florent deſerta, & ſteriles agri locupletantur; olim quidem ſcatebant ſpinis, nunc verò roſis. Ideo Moyſes duxit populum per deſertum incultum, Chriſtus autem ducit diſcipulos per agrum ſeminatum. Bene D. Ambroſius. (Ambroſ.) *Moyſes per deſertum duxit populum Iudæorum, Chriſtus per ſeminata duxit. Chriſtus per lilia duxit, quia per paſſionem eius deſertum floret, vt lilium*, &c. Equidem naſcente Chriſto renaſcitur orbis, & in frondes & flores, in ſemina, & germina repullulat, & reuireſcit.

Cœlum quoque effloreſcit. *Rorate cæli deſuper*, canit Vates, Iſai. 45. 8. (Iſai. 45.) Leo à Caſtro iuxta LXX. transfert, *Florete cæli deſuper.* Cur floret cælum? Fortè, quia terra eſſe maluit, quàm cælum: cùm enim vidit Deum è cælo in terram deſcendiſſe, optauit cæleſtem deſerere naturam, & induere terreſtrem; nec iam vt cælum aſtris fulgere, ſed vt terram floribus picturari. Sed ad rem præſentem *florere* dicitur, quia noua ſpe repletur, fore vt à Chriſto reſarciatur, & locupletetur.

21. Angeli quoque floruerunt, & illa beatiſſima nocte ſe floribus coronarunt, & pulchrè admodum exornarunt, vt ſuauiſſimos Puero concentus effunderent, cúmque cantibus à lacrymis temperarent. (Cant. 1.) *Oleum effuſum nomen tuum*, canit Sponſa Cant. 1. 3. Senſus eſt. Ex antro illo Bethleemico perennis miſericordiæ, ac pietatis fons emanauit. Quid verò deinde? Ideò adoleſcentulæ dilexerunt te, eo quòd belliſſime Puer, benignus adeò, clemenſque enaſceris, ideo (exponit D. Bernardus) (Bern. ſer. 19. in Cant.) Angeli dilexerunt te. Cur autem Angeli adoleſcentulæ dicuntur? *Tribuit Angelis adoleſcentiam* inquit Bernardus, *ad florem naturæ Angelicæ indicandam*, &c. (*Angeli aſtra lilia.*) Datur igitur Angelis iuuenilis, ac florida ætas; vt oſtendatur pulcherrima florum facies, qua vniuerſus orbis naſcente Chriſto renaſcitur, ac iuueneſcit. Ante Chriſtum natum erant Angeli cæli ſtellæ: ita appellauit Dominus apud Iobum 38. 7. (Iob. 38.) *Vbi eras, cùm me laudarent ſimul aſtra matutina?* At verò poſt Chriſtum natum Angeli agri lilia nuncupantur. Luc. 12. 27. (Luc 12.) *conſiderate lilia agri.* Angelos ſcilicet, D. Ambroſio interprete, qui verè mundi iſtius flores ſunt, quòd eorum claritatibus ornatur mundus, &c. Angeli qui erant cæli ſydera, in ſoli lilia tranſmutantur, (*Tales Angeli, qualis Chriſtus.*) dum ſuum Regem in campi florem, liliúmque conuerſum aſpiciunt. Ceu

Regis

Digitized by Google

Regis purpurati Domini ſui cultum habitúmque induunt.

(Num. 15.) Iam verò homines efflorêſcere dicuntur, iuxta illud Dei ad Moyſem, *Loquere filijs Iſrael, vt faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum*, Num. 15. (Oleaſt.) 38. Oleaſt. ex Hebræo transfert, *vt faciant ſibi florere fimbrias, ſeu egredi fimbrias in morem floris*. Quaſi vellet Deus, vt Iſraëlitæ floribus amicirentur, vt ſub hoc florum typo indicaretur illa ſpes, quam de Chriſto Domino naſcituro habere oportebat. Hanc, quam ſuo animo Iacobus ſpem conceperat in itinere, pro alimento ſuſcepit. Enimuerò, quem lapidem non mouit, vt ſe hoc flore redimiret? Hac ductus ſpe, quamuis diues, in quas ſpontaneæ paupertatis non ſe redegit anguſtias? baculo Iordanem tranſiuit, lapidi caput dormiturus imponit. (Rupert.) Rupert. lib. 5. in Geneſ. cap. 21. *Fide paterna expectans, quòd de ſemine ſuo ſalus mundi naſceretur, & omnium gentium. O profugum cœleſtis aſyli protectione dignum, qui ſola fide, atque lectione Scripturarum doctus erat, quòd ad poſſidendam benedictionis hæreditatem, ad ſeminandam beati ſeminis expectationem, non pompaticè ſed humiliter, & conſcientia ſimplici ingrediendum erat*, &c. Hac igitur ſpe alebatur, & recreabatur peregrini illius animus. Ipſe Iacob, non autem Eſau benedictionem à patre exorauit Geneſ. 27. Cur ita? Credo, quia Eſau, nullis ſe floribus, ſeu floridis veſtibus excoluit, & exornauit ad benedictioné poſtulandam; at verò Iacob iis ſe veſtibus priùs induit, quæ flores, lilia, roſas, omniúmque pratorum (Gen. 27. 27.) odoramenta ſpirarent. *Ecce odor filij mei, quaſi* (*Præparari debemus ſpe ad aduentum Domini.*) *odor agri pleni*. Nam qui ſpe vacuus ad illud antrum Bethleemicum accedit, planè recedet benedictionis fructu deſtitutus, at verò qui bona ſpe plenus illò ingreditur, bonorum omnium fructuum benedictionem reportabit. Quare Dauid quaſi totus eſſet ex bona ſpe compoſitus, & (Pſalm. 38. Aquil. Chryſoſt.) conflatus, dicebat, *& ſubſtantia mea apud te eſt*, Pſalm. 38. 8. Aquila vertit, teſte D. Chryſoſtomo ibi, *expectatio mea*. Suam expectationem vocat ſuam ſubſtantiam; quia quemadmodum nemo ſine ſubſtantia ſubſiſtit, ita Dauid ſine hac ſua ſpe non conſiſtebat, ex illa viuebat, ex illa alebatur, & recreabatur.

22. (*Chriſtus flos vernans.* Cant. 2.) Ipſe etiam Puer in morem floris naſcitur. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos*, canit Sponſa Cant. 2. 9. Pro his vltimis verbis, *proſpiciens per cancellos*, eſt in Hebræo, *tanquam flos erumpens ex calicibus*. Extulit terris almum caput Bethleemicus Puer, tanquam roſa ex generoſo cortice erumpens. En (Iſai. 11.) Iſaiæ flos belliſſimus. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*. Iſai 11. 1. *Virga* (Ambroſ. de benedict. Patriarch c. 4.) *Maria*, exponit D. Ambroſius, *flos Maria Chriſtus, qui bonum odorem fidei toto ſparſurus orbe virginali ex vtero germinauit*, &c. Suauiſſimus quidem flos, qui non vni dumtaxat viridario, ſed orbi vniuerſo odorem & amorem induſit, & ſparſit ſuccum. Imò alij flores, vbi tellus non alit mater, viréſque miniſtrat, ſtatim elanguent, deficiunt, & marceſcunt, amittunt gratiam, venuſtatem, & amœ- (Idem de Spirit. ſanct. cap. 5.) nitatem. *Hic tamen diuinus flos*, inquit D. Ambroſius, *odorem ſuum ſucciſus reſeruat, contritus accumulat*, &c. Per totam vitam etiam in occaſu ſeruauit, quem in exortu ſuo afflauit odorem: paſſionis tormentis non emarcuit, ſed pulchriùs effloruit. Præſaga Iſaaci mens odorem præſenſit (Geneſ. 27.) Geneſ. 27. 27. *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni*. Non Iacobi filij veſtem, ſed Chriſti humanitatem odoratur, quæ non vt flos vnus olet, ſed vt plenus floribus ager adeò ſuauis, ſicut odor agri pleni. Dauidem video etiam odorantem, & florem iſtum admirantem. *In loco paſcuæ ibi me* (Pſalm. 22.) *collocauit*, Pſalm. 22. 2. Quo in viridario adeò florido & amœno delectatur bonus Rex, *Viridarium ſeu paſcua Chriſtus eſt*, ait Ambroſius, *ipſe nos paſcit, & reficit: carpis illic nouum florem, carpis lilium, carpis roſam*, &c. (Ambroſ *In flore Chriſto omnium florum gratia, & odor ineſt.*) Ac ſi hic vnus flos omnium florum venuſtatem & ſuauitatem mirabiliter contineat.

23. Omnia quidem floruerunt, præſertim antrum illud feliciſſimum. Ingrediamur ergo floribus coronatum, & à paſtoribus recentibus ramis adumbratum hoc antrum. *Ethnici quondam*, Tertulliano (Tertull. lib. 1. c. 35.) auctore, *recentiſſimis, & ramoſiſſimis laureis poſtes deorum perſtruebant*. Maiori ergo iure Bethleemici paſtores veri Numinis antrum ramis coronant. Hoc votum nuncupaſſe videtur quondam (Exod. 15.) Moyſes Exod. 15. 2. *Iſte Deus meus, & glorificabo illum*, ſeu, vt ex Hebræo fonte hauritur, *& tugurium faciam ei*. Hoc tuguriolum rudi ceſpite congeſtum frondibus ac floribus voti reus ornabat magnus ille dux, & illam paſtorum caulam in Regum aulam Chriſti præſentia abire exiſtimabat. Flores enim pro diuitiis, & aulæis habet, & (Cant. 1. 16.) auet bellus Puer. *Fulcite me floribus*, laudauit, & amauit Sponſa tugurium illud floribus variis aſperſum. *Lectulus noſter floridus*. Pueri pedes ſteriles, calamos, & arentes illas paleas in roſas, & flores tranſmutarunt. Non miror, ſiquidem Moyſis pedes arenoſum maris rubri litus in viridarium quoddam amœniſſimum conuerterunt. *In* (Sap 19.) *mari rubro*, teſtatur diuina Sapientia 19. 7. 8. *via ſine impedimento, & campus germinans de profundo nimio*. Si igitur pedes Moyſis, diuine Puer, maris arenas in roſas commutant, quare tui pedes antri illius paleas in roſas, in violas, in lilia non commutabunt? Mundi flores, vt elangues & marcidos iubet ſpernere Tertullianus, iubet vanas, & inanes ſpes relinquere, & hunc Bethleemicum florem perpetuum ſemper & recentem perpetuò amare, & commendare. *Quid tibi cum flore moritu-* (Tertull. de corona milit. c. 15.) *ro?* clamat Tertullianus, *habes florem de radice Ieſſe, florem incorruptum, immarceſſibilem, ſempiternum*, &c. Hunc faſciculum per ſummum delicium mentibus admoneamus odorandum, contemplandum, venerandum cum illa Sponſa. *Fa-* (Cant. 1.) *ſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*. Hunc commendat D. Bernardus (Bernardo) ſermone 43. in Cant. ſemper præ oculis habendum. *Habete*, inquit, *illum ſemper, non retro in humeris, ſed antè præ oculis, nec portantes, & non odorantes & onus premat, & odor non erigat*. Et cœlum, Angeli, homines, Puer ipſe, antrúmque ipſum floret, omnia florent.

24. Quid ergo ſupereſt? Niſi vt etiam floreamus, & ex tanto virore certam animis ſpem concipiamus, &, vt iuxtà illud D. Pauli ad Titum 2. 11. (Ad Tit. 2.) *ſobriè, & iuſtè & piè viuamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei*. (*Spem concipere oportet in aduentu.*) Quaſi diceret, Nos qui expectamus beatam ſpem, id eſt, Chriſtum naſciturum, qui obiectiuè dicitur ſpes, quia eſt finis ſpei noſtræ. Vocat autem ſpem beatam; licèt enim ſpes à beatitudine excludatur: quæ enim quis habet, quid ſperet, inquit Paulus? (Rom 8. 24.) tamen hæc ſpes de Chriſto Domino, cum ipſa beatitudine videtur coniungi, & ſociari. Cùm enim quælibet alia ſpes animum affligat, hæc ſola animum conſolatur. Vnde D. Paulus ſpem cum gaudio coniungit. (Rom 15. 13. Tit. 2. 13.) *Deus ſpei repleat vos omni gaudio*, &c. *Expectantes igitur beatam ſpem*,

Digitized by Google

ſpem, & aduentum gloriæ. Hic enim aduentus, qui miſeriæ, & paupertatis, & lachrymarum videtetur, planè dicitur aduentus gloriæ: in hac enim humilitate magna Dei gloria conſtituitur. *Magni*, inquit, *Dei*; licèt enim illum Infantulum, paruulum, tenellum, & imbecillum quis diceret, tamen magnum Deum appellat D. Paulus; ſub illa enim corporis paruitate immenſa Dei magnitudo deliteſcit. Hæc igitur expectantes, *ſobriè, & iuſtè & piè viuamus in hoc ſæculo.* Sobriè; ne ieiunij leges violentur. Veſtras vobis placentas, cupedias, bellaria, & tragemata non interdicit Apoſtolus: ſobrietatem tamen exigit. Imitemur puerum, qui butyrum quidem, & mel comedit: ita tamen, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum: tenet in illa lautitie epularum, ſcientiam, adeò iudicium non amittit. Et quidem ſcientiam omnium difficillimam ad reprobandum malum, & eligendum bonũ, ne imitemur Eſau, qui propter vnam eſcam primogenita vendit; & comedit, & bibit, & abiit parui pendens, quod primogenita vendidiſſet. Iuſtè. Abſque peccato, obſecro & obteſtor, totas has ferias natalitias, & præcipuè hoc peruigilium tranſigamus. Quid enim indignius, quàm naſcente Chriſto Domino ad tollenda hominũ peccata, homines nihilominus peccare? *Vſquequò deliciis diſſolueris filia vaga?* inquit Ierem. c. 31. 22. & rationem ſubdit; *quia creauit Dominus nouum ſuper terram, fœmina circundabit virum.* Quaſi nullo magis tempore, quàm hoc ſcelera omnia debeant exulare. Piè. Quæ enim res magis pietatem & animi affectum nobis extorquere, vel potiùs allicere debet, quàm Deus puer recèns natus? Pientiſſimus Abraham, qui hac vna ſolatus ſpe, *plantauit nemus in Berſabee, & inuocauit ibi nomen Domini*; explicat Interlinealis, *Saluatoris, quem expectabat.* Quaſi verò nullas alias ſibi vendicaret delicias ex tota illa ſua villa, quàm ſpes de Chriſti aduentu, hos ſolùm legebat flores, his ſolùm delectabatur, & reficiebatur animi remiſſionibus. Itaque illos ſcilicet, bonus ſenex legebat flores, quibus poſtea diuinus agrorum cultor terram mutauit in cælum. *Terram mutat in cœlum Dei agricola*, inquit Clemens Alexand. in adhort. ad gent. nimirum vitia extirpando, virtutes plantando. Petamus igitur per hoſce dies Bethleemicum antrum, ſiue vt viridarium, ſiue vt quandam villam, ſeu hortum amœniſſimum, & ibi inuocemus nomen Domini, florem illum legamus, vt ſalubres ſalutis æternæ fructus colligamus. Huc vſque licuit.

Magnum Deum in puſillo corpore. — Gen. 25. — Ierem. 31. — *Aduentus Chriſti vitã puram exigit.* — Gen. 21. 33. Interlin. — Clem. Alex.

PERVIGILIVM V.

Donec veniat deſiderium collium æternorum, &c. *Geneſ.* 49. 26.

25. Hieron ad Marcellam tom. 1.

MOri noſtro & expectationi veſtræ vt ſatiſfaciam, libet fari vnum, vel alterum verbum de Verbo infante. Quamuis me ad hoc incepto non parum deterreat D. Hier. qui ad præſentiam Verbi infantis obtupuit elinguis. *Quo ſermone*, inquit, *qua voce ſpeluncam tibi poſſumus Saluatoris exponere; & illud præſepe, in quo Infantulus vagiit, ſilentio magis, quàm infirmo ſermone honorandum eſt.* Hæc, inquam, Hieronymi mens, & ratio me ab incepto deterrebat; ſed mori noſtro, & expectationi veſtræ ne deeſſe videamus, vnum, vel alterum verbum de Verbo infante faciamus. Dicitur Chriſtus, Dominus in ſacris literis deſiderium. *Deſiderium collium æternorum*, Geneſ. 49. 26. Quod & actiuè & paſſiuè poteſt explicari. Actiuè deſiderium, quaſi deſiderans: paſſiuè deſiderium, quaſi deſiderabilis: atque adeò vtrouis modo ſumatur, totus deſiderium eſt. Ille deſiderat ad nos venire, nos deſideramus recipere. Deſiderat, & deſideratur. Vtinam noſtra deſideria ſic accreſcant, ſic augeantur, vt cum illius deſideriis ſi non exæquentur, certè comparentur. De vtriſque deſideriis paucula dicamus. Ardentiſſimo deſiderio veniendi ad homines inflãmabatur æternum Verbum, non quidem ab heri, & nudiuſtertius; ſed iam inde à prima orbis molitione, imò & ab ipſa æternitate. Adeò vt in quoſcunque annos, menſes, dies, horas, imò & momenta eius aduentus differrentur, ipſe quodammodo affligi, & torqueri videretur. Æternum Patrem alloquutus Dauid, *Diſtuliſti*, inquit, *Chriſtum tuum*, Pſal. 88. 39. hoc eſt, non ſtatim, ſed poſt multa ſæcula filium tuum è cælo in terras demiſiſti, *diſtuliſti Chriſtum tuum*, LXX. transferunt, *Iratus es contra Chriſtum tuum.* Quoties enim æternus parens filium ſuum in cælo detinebat, toties illum cruciabat *deſiderium.*

Gen. 49. — *Chriſtus totus deſiderium & noſtrũ, & ſui, & noſtri.* — Pſal. 88.

26. Sed cùm tandem venire datum eſt; quo pacto venit? *Saliens in montibus.* In morem ſaltantium, exultantium, tripudiantium, choreas celebrantium. *Saliens.* Saltare, & exultare, & tripudiare, & choreas celebrare ſibi æternum Verbum videbatur, quando ad terras deſcendebat. Tanto plauſu, tanta alacritate, tam feſtiuè veniebat. Nec exiſtimet quis illum, quòd cum choreis & tripudiis venerit, tardare, & immorari in via. Saltat quidẽ & tripudiat, ſed non immoratur. Velociſſimè currit. *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Giganteo curſu viam carpit velociſſimus. Sed quia velociores eſſe ſolent illi curſores, qui non de nihilo currunt, ſed de præda capienda contendunt: ſcitis quo pacto cucurrit? planè vt victor, qui inſequitur hoſtem fugientem, vt ſua eum præda exuat, & ſpoliet. *Semen Abrahæ apprehendit*, inquit Paulus Hebr. 2. 16. *vt innueret*, explicat D. Chryſoſtomus, *& hominem fugientem, & Deum ſequentem.* At quanta celeritate fugit homo peccator à Deo, qui in puncto ad inferna deſcendit? Sed maiori celeritate fertur Chriſtus, qui eum inſequitur & aſſequitur, & antequam ad inferos deuoluatur, in medio aëre ſiſtit, prendit, & in cœlum reuocat, ac reducit. Magna quidem velocitas, quæ à tantis deſideriis veluti calcaribus incitetur. Sed maior adhuc ex eo, quod ſequitur, innoteſcet. Tam velociter venit, vt velle ſe eripere ex hoſtium manibus à tergo inſequentium videatur. Magna celeritas. Qui velociter currit, quam illi, qui pro liberanda vita currunt? tranſiliunt montes, tranſcendunt colles, prærupta ſuperant, deuia tranant, per æquatas planities velis, vt aiunt, & remis, equis & quadrigis, remigiis dædaleis quàm citiſſimè rapiuntur; vt ſe ab inſequentium hoſtium manibus eripiant, & tutiora capeſſant loca. Ita & Chriſtus Dominus ad nos veniebat. *Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ*, &c. Dicebat ſponſa, cùm de primo Chriſti aduentu loqueretur. Sed quid eſt quod dicit, *fuge?* Nam Ioannes cùm de ſecundo loqueretur, cùm Chriſtum Dominum expectabat, non agnum, ſed leonem, non fratrem, ſed iudicem, non mitem, ſed terribilem; nihilominus dicebat, *Veni Domine IESV.* Et ſponſa cùm loquitur de primo aduentu, in quo agnus, & frater, & mitis, & comis, &

Cant. 2. 7. — *Chriſtus velociſsimè ad nos venit.* — Pſal. 18. 6. — Hebr. 2. — Chryſ. hom. 5. — Cant. 8. 14. — Apoc. 22 20

Digitized by Google

tranſuetus ſperatur exclamat: *Fuge*, hoc eſt, abi, & recede. Myſterium expendite. Non abire quidem iubet, ſed venire. At tanta celeritate, ac ſi fugere è cœlo in terras videatur, ac ſi à tergo inſtẽt hoſtes, vrgeant ſatellites, lictores inſequantur. *Fuge dilecte mi.* Veni, quaſi fugias velociſſimus. Tibi meliùs conſules, quo velociùs fugeri. Ita planè venit, quaſi fugiens. Magnum currendi calcar, magnum deſiderium. Quæ ne vobis expoſitio ficta, & commentitia videatur, audite Zachariam 9.9. *Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & ſaluatus.* Quid hoc eſt? Venitne Chriſtus, ſalutem vt accipiat, an largiatur? Planè ad vtrumque. Nam Originalis, vt accipiat, inquit, *venit ſaluatus.* Vulgaris, vt largiatur, ait, *venit Saluator.* Vtrunque verum eſt, Saluator & ſaluatus: quia ſic ſalutem nobis tribuit, ac ſi ſalutem ſibi tribuere videretur; dum nos ſaluat, ſe ipſum ſaluum putat, ac ſi noſtra in illum ſalus refundatur. D. Bernardus ſerm. 28. in Cant. *Meam ad hoc induit formam, vt ſuſcipiat cauſam.* Qui igitur pro noſtra, & pro ſua ſalute quodammodo deſcendit, quid mirum ſi velociſſimus deſcendat, magno ſcilicet nos inuiſendi deſiderio incitatus?

Zach. 9.

Optat ardenter Chriſtus ſalutem noſtram.

17. Qui currendo ad metas contendunt, nequeunt in ipſis metis, ac limitibus, terminiſque, ad quos feſtinant, ſiſtere, cõquieſcere, & currentes equos inhibere; ſed neceſſe eſt, vt incitati equi ſtatas metas tranſiliant, & præfixos terminos longiùs tranſgrediantur. Ita & Chriſtus Dominus, tanta celeritate venit, vt non potuerit ad præfixas metas adhæreſcere, ſed neceſſe fuerit eas omnino tranſilire. Quid ita? Decretum à Deo erat, vt Verbum ad terras veniret. Quod decretum ſatis ſuperque impleretur, ſi ipſe in arduis & ſublimibus montibus, in regiis & magnificis palatiis ſedem ſuam collocaret, vnde omnibus conſpicuus appareret. Sed planè magno ad currendum deſiderio incitatus, non ſe potuit ad has metas inhibere, ſed longè vlteriùs tranſiliuit ad profundam vallem, ad abiectum antrum, ad humillimum præſepe. Poſitus in præſepio. Falſi dij in excelſis montibus olim colebantur. Vnde eorum fana ac delubra per antonomaſiam dicebantur *Excelſa*, iuxta illud, quod in libris Regum in Regibus idololatris frequenter dicitur, *Verumtamen Excelſa non abſtulit*, id eſt, deorum fana demolitus non eſt. Itaque in montibus & in locis arduis, ac ſublimibus colebantur. Qua de re Procopius, *Conſilium*, inquit, *eorum erat idololatriæ humilitatem, locorum ſublimitate ſubleuare.* Sic ille. Res humilis & abiecta erat idololatria, & illi, qui per idololatriam dij colebantur. Quam à ſe auctoritatem non habebant, neceſſe erat, vt ea ex locorum ſublimitate conferretur. O ſummum ac verum Numen! deſcende feliciter ad vallem, in montibus ne quieſce. Neque enim ſublimitas montium tibi conferet ſublimitatem. Deſcende feliciter ad valles: vt tua ſublimitas vallium impleat humilitatem. Poſitus in præſepio, omnis ab hoc loco faſtus exulat, omnis ſublimitas. Rectè D. Hieronymus de hoc antro, *Vbi ſunt lata porticus? Vbi aurata laquearia? Vbi domus miſerorum pœnis, & damnatorum labore veſtita? Vbi inſtar palatij opibus priuatorum extructa baſilica?* &c. Videris, vt præſtitutas loci metas tranſiliuit? Videte vlteriùs, vt tranſilierit ſui ſtatus præfixos terminos. Decretum à Deo erat, vt hominum ſtatum, conditionémque ſubiret. Quod decretum ſatis ſuperque implebatur; quamuis ipſe magno diuitiarum apparatu, & opulentia frueretur. Sed planè tanto deſiderio currebat ad hunc ſtatum, vt non potuerit ſiſtere ad illius metas, ſed multò vlteriùs proceſſerit; in diuitiis non hæſerit, ſed in extremam deuenerit paupertatem. *Pannis volutum.*

Procop.

Deſcendit Chriſtus, vt aſcendamus.

Hieronym. citatus.

Hinc eſt, quòd Chriſtus Dominus per antonomaſiam pauper appelletur. *Ego vir videns paupertatem meam.* Thren. 3. 1. Eos oblitus eſt pes hominis egentis. Iob loquitur de magnis, & obſtinatis peccatoribus; quos, inquit, *oblitus eſt*, id eſt, tranſiliuit, *pes hominis egentis.* At quis eſt hic homo egens? Planè Chriſtus Dominus, qui antonomaſticè dicitur egere vrbe, domo, tecto: omnibus paupertatis hauſtus fluctibus, omnium egenus. *Hæc dicit Dominus*, ait Eſaias, *Chriſto meo Cyro.* Ex Hebræo legi poteſt, *Chriſto meo pauperi*, vel, *Chriſto meo quaſi pauperi.* Nullum enim elogium, nullum additamentum magis quadrat in Chriſtum Dominum, quàm pauperis. Sed non immeritò inſeritur illa particula, *quaſi pauperi.* quia quamuis hominum oculis pauper videatur; tamen re vera in illa eius paupertate omnes theſauri ſcientiæ, & ſapientiæ diuinæ includuntur. *Quaſi pauperi.* Nam, teſte D. Bernardo ſerm. 4. in vigil. natalis Domini, *pretioſiores panni Saluatoris omni purpura; & glorioſius præſepe hoc auratis Regum ſoliis, ditior denique Chriſti paupertas cunctis opibus, cunctis theſauris ſeculi.* Pauperem homines agnoſcunt, diuitem Angeli reuerentur. Inde eſt, cur cùm cæteri Euangeliſtæ ad alia Chriſti myſteria enarranda proceſſerint, ſolus Euangeliſta Lucas in eius paupere natalitio deſcribendo immoretur. Cur ita? Egregiè D. Ambroſius. *Satis ſe diuitem fore credit, ſi præſepe Domini ſibi ex omnibus vendicaſſet.* Sic ille. Parua ſunt hæc omnia. Non ſolùm enim humilitatis & paupertatis terminos tranſiliuit, ſed etiam humilitatis. Decretum à Deo erat, vt Verbum homo fieret. Satis huic decreto ſatisfaceret, quantum ad ſalutem hominum ſufficiebat, ſi ætatem attingeret virilem. Sed magno illo ſuo deſiderio incitatus non hæſit in his metis: ſed eas tranſiliens ad ætatem ſe abiecit infantilem. *Inuenietis Infantem.* Quis non obſtupeſcat mutus, & elinguis ad præſentiam Verbi infantis. Certè & Hieronymus, & reliqui omnes, qui pietatis cauſa totam Palæſtinam perluſtrabant; cùm ad hoc præſepe accedebant, memores Verbi infantis obſtupeſcebant In Chriſti villulla, inquit D. Hieronymus vbi ſuprà. *In Chriſti villula extra Pſalmos ſilentium eſt.* Quaſi diceret: nulla ibi reſonant murmura, nulli perſtrepunt tumultus, nullæ contentionum procellæ debacchantur; ſoli Pſalmi, preces, orationes, & cantus ſpirituales audiuntur; his exceptis, ſilentium. O Verbum infans non niſi ab infantiſſimis hominibus ſatis dignè cõtemplandum! Sed quid dico, ætatis virilis terminos tranſiuit, & in ætatem proceſſit infantilem? Imò hominem tranſgreſſus, abiit in non hominem. *Ego vermis ſum, & non homo. O nouiſſimum & altiſſimum!* exclamat D. Bernardus, *O humilem & ſublimem! O opprobrium hominum, & gloriam Angelorum!* &c. Verè deſiderium, actiuè deſiderans, qui ſic ad hominem cucurrit, vt & humanitatis limites excurrerit. 28.

Thren. 3.

Iobi 28. 4.

Iſai. 45. 1.

Paupertas Chriſti theſaurus.

Bernard.

Ambr. l. ad c. 2. Luc.

Hieron.

Pſal. 21. 7.

Bern.

Eſt etiam deſiderium paſſiuè. Totus deſiderabilis. Quis non videt, quanto deſiderio eius aduentus, non dico ab antiquis illis patribus, ſed modò à tota Eccleſia imploretur? Recolite, qui canonicis precibus vacatis, illas precationes, in quas Eccleſia per hoſce dies erumpebat. *O ſapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodiiſti. Veni ad docendum* 29.

Suſpiria ad Meſſiam.

dum nos viam prudentiæ. O Adonai, & dux domus Iſraël. Veni ad redimendum nos in brachio extenſo. O radix Ieſſe, qui ſtas in ſignum populorum. Veni ad liberandum nos, jam noli tardare. O clauis Dauid, & ſceptrum domus Iſraël. Venit & educ vinctum de domo carceris. O oriens ſplendor lucis æternæ, & Sol iuſtitiæ. Veni, & illumina ſedentem in tenebris, & vmbra mortis. O Rex gentium, & deſideratus earum. Veni & libera hominem, quem de limo formaſti. O Emanuel Rex & legifer noſter. Veni ad ſaluandum nos Domine Deus noſter. Sunt hæc vota, ſunt ſtudia, ſunt deſideria, in quæ per hos e dies Eccleſia erumpebat. Planè ardentiſſima. Deſiderium planè eſt Infans natus; totus deſiderabilis. Neque ſolùm per anteactum octiduum, ſeu hebdomadam, ſed etiam per omnes dies ſeculi deſideratur. Summus olim Sacerdos Sanctuarium ingreſſurus deferebat extremum veſtis ſacerdotalis limbum; ſiue iuſtitiam, ſiue fimbriam tintinnabulis diſtinctam. At quot putatis illa fuiſſe tintinnabula? Conſulite Clementem Alexandrinum, & inuenietis fuiſſe trecenta ſexaginta ſex, quot dies in anno numerantur? vt ſignificaretur ſingulis quibuſque diebus voces & clamores exaudiri, quibus æternum Verbum inuocetur, vt tandem in humanam naturam induatur. Quid mirum ita deſiderari illum, ex quo tam multa lucra in humanum genus deriuentur? Per quem inprimis acceſſum habemus ad Patrem. Bis ad Ioſephum eius fratres acceſſerunt. Semel ab eo excepti ſunt durè, loquebatur eis durè. Iterum clementer; at ille clementer reſalutatis eis. Imò cùm ipſe à fratribus ſolùm ſalutaretur, tamen clementer fratres reſalutauit; ac ſe effuſiorem, & beuolentiorem ſe in fratres exhiberet, quàm fratres in illum. Vnde hæc mutatio; vt quos non ita pridem toruè, ac duriter exceperat, paulo pòſt comiter & clementer exceperit? Rectè D. Ambroſius lib. de Ioſeph cap. 9. *Quando,* inquit, *ſine Beniamin venerant, loquebatur eis durè; quando venerunt cum Beniamin, loquebatur eis mitia.* Ac ſi fratres, vnius Beniamin clypeo & præſidio exarmati, iras in ſe acuerent, & accenderent Ioſephi: Beniamin verò præſidio inſtructi eiuſdem minas tranquillarent. Quas iras æterni Patris non emolliet Filius æternus homo? Huius Pueri clypeo exarmati diuini Iudicis, & vindicis iras non effugimus? armati hauddubiè eius iras tranquillabimus, ac mitigabimus. Huc vſque licuit.

Exod. 28.

Clem. Alex. lib ſtromat. 5.

Gen 42 & 43.

Ambr. *Deus nobis per* [illegible] *propitiatur.*

Pervigilium VI.

Scribantur hæc in generatione altera, & populus, qui creabitur, laudabit Dominum, quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo: Dominus de cœlo in terram aſpexit, *Pſalm.* 101. 19.

30\. *Verbũ infans ſilen io coledum.*

SAcrum peruigilium illius noctis, in qua naſcitur Verbum infans, nulla re magis, quàm ſacro ſilentio venerandum erat. Carmen genethliacum, ſiue natalitium Verbi infantis, nullum aliud, quàm ſilentium eſſe deberet. Suam in ſpeluncam abditus Helias Dominum expectabat. Venit ignis, venit cõmotio. Non in igne, non in commotione Dominus. *Venit ſibilus auræ tenuis.* Addunt LXX. *& ibi Dominus*, 3. Reg. 19. 12. Rupertus per illum ſibilum auræ tenuis intelligit aduentum diuini Verbi, quem in thalamo virgineo diuini Spiritus aura mirabiliter operata eſt. Chaldæus pro ſibilo auræ tenuis, parapharaſticè tranſtulit, *vox canentium in ſilentio.* Mira planè coniunctio vocis, & cantus cum ſilentio. Si voces audiuntur, ſi perſonant cantilenæ, ſi diuina encomia prædicantur; quo pacto hæc omnia in ſilentio tranſiguntur? Rectè quidem: quia pro Incarnationis beneficio numquam melius gratulatoria Deo carmina decantantur, quàm cùm illud ingens beneficium profundo ſilentio decoratur. Præſtaret igitur in hoc priuilegio cum Verbo infante infantire, quàm aliquid effari. Audietur quidem vox, & vox canentium; ſed in ſilentio. hoc eſt, pro ſuaui concentu, pro dulci modulatione ſolùm Verbo infanti ſilentium offerretur. *In hoc enim natalitio,* inquit D. Petrus Damianus, *ſtbelinguis lingua, immemor memoria, inſenſibilis ſenſus.* Nihilominus, quia Verbum infans etiam *linguas infantium facit eſſe diſertas*; æquum eſt, vt de more noſtro aliquid in hoc priuilegio dicamus, præſertim iubente Domino apud Iſai. 8. 1. *Sume tibi librum grandem,* &c. Date aures. D. Paulus ad Hebræos 8. integrum Christi in cœlum aſcendentis triumphum redegit ad vnum capitulum, ſic enim habet: *Capitulum ſuper ea, quæ dicuntur,* &c. Iſaias verò vnum tantùm ex his myſteriis, quæ latent in hoc ſtabulo deſcripturus ex Domini iuſſu *ſumit ſibi librum grandem.* Quid hoc magne Deus Filij trophæa glorioſè parta, laureas, & triumphos exiguo includi imperas capitulo? *Capitulum ſuper ea, quæ dicuntur.* Filij tamen paupertatem, ſtabulum, & paleas immenſo volumine iubes exarari? *Sume tibi librum grandem.* Ita planè, de hac enim paupertate maior, quàm de illa maieſtate ad ſcribendum loquendùmque ſe offert materia. Dicam igitur in primis de beneficio diuino, quod Deus in hac nocte hominibus impendit. Dicam deinde de obſequio humano, quod Deus ab hominibus repoſcit.

3 Reg. 19.

Canit ſuauius, qui magis ſilet.

Petr. Dam.

Iſai. 8.

Verbi infantia diſertiſſima.

Amplior ad dicendum ſeges Verbi incarnati humilitas, quàm gloria.

Argumẽtum bipertitum.

31\. Beneficium mihi videtur regius Vates cum ingenti gratulatione commemoraſſe Pſal. 101. 19. *Scribantur,* inquit, *hæc in generatione altera, & populus, qui creabitur, laudabit Dominum: quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo; Dominus de cœlo in terram aſpexit.* Expendite ſingula. *Scribantur hæc.* In Hebræo, & Græco eſt, *ſcribatur hoc.* Rectè quidem vtrumque. Nam hoc beneficium, ſi in ſe ipſo attendatur, vnum eſt, & vnicè vnum. Deus homo in vnitate perſonæ, eo genere vnionis in vno tertio, qua nulla maior in rebus creatis reperitur; vt Theologi oſtendunt. *Scribatur hoc.* Si autem magnitudo huius beneficij ſpectetur, adeò magnum eſt, vt plura beneficia continere videatur; & propterea non vnum, ſed plura beneficia appellentur. *Scribantur hæc. Scribantur,* inquit, non prædicentur, non euulgentur, non per voces ac ſermones ad paſtores transferantur. Quaſi diceret: Excidantur in ære, ſculpantur in marmore, altè in cordibus hominum infigantur, imprimantur, vt nulla temporis diuturnitate obliterentur, ſed ad memoriam poſteritatis ſempiternam tranſmittantur. *In generatione altera,* hoc eſt, in populo Chriſtiano. Vel, ſi malumus (nam de populo Chriſtiano ſtatim redibit ſermo) in quaſdam patheticas voces, in quoſdam vehementes affectus, in quædam exaggerata deſideria mihi videtur Propheta erupiſſe. Ac ſi diceret, ſatis non eſt, ſi vna tantùm hominum generatio hoc diuinum beneficium laudandum ſuſcipiat: vlterius opus eſt, vt noui à Deo orbes producantur, noui mundi fabricen

Pſal. 101.

Incarnationis beneficium nomine vnũ re multiplex.

Vnus orbis agendis pro Incarnatione gratiis ſatis non eſt.

bricentur, noua rerum,& creaturarum ſeries diſponatur: vt ab his omnibus ſimul tam eximium beneficium decantetur. De ſuo Imperatore Alexandro dicebat ille Hiſpanus Vates,

Vnus Pellao iuueni non ſufficit orbis.

De noſtro Imperatore Chriſto Domino, maiori iure dicere poſſumus verbis paululum immutatis, (vt nos etiam in gratiam Verbi infantis poëtemur,) vnus Ieſſæo puero,(Ieſſæo de radice Ieſſe,)

Vnus Ieſſao puero non ſufficit orbis.

Ad hunc puerum laudandum ſatis non eſt, ſi vnus tantùm orbis in gratulatorias ſoluatur cantilenas: neceſſe eſt, vt nouus creaturarum ordo renaſcatur, quæ omnes in illius laudes effuſiſſimè impendantur. *Et populus, qui creabitur, laudabit Dominum*, hoc eſt, populus Chriſtianus. Non dicit, qui generabitur, ſed *qui creabitur*, vt noua per gratiam reformatio, quæ à ſolo Deo eſt, intelligatur. *Fideles enim*, vt ait Paulus *creati ſunt in Chriſto Ieſu, in operibus bonis*. Epheſ. 2. 10. hoc eſt, per gratiam expurgati. Neque enim æquum eſt, vt ad hoc tam nouum & gratuitum beneficium laudandum accedant, niſi qui expientur per pœnitentiam,& qui per gratiam innouentur. At quod beneficium iſtud eſt, ô ſacer Vates, ad quod laudandum non ſolùm creaturas iam conditas inuitas, ſed alias atque alias deſideras condendas? *Quia proſpexit*, inquit, *de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cælo in terram aſpexit*. En beneficium. Si ſolus Dei in terram intuitus, imò proſpectus, hoc eſt, aſpectus è longinquo tantam non vnius mundi, ſed plurimorum gratulationem merebatur, quid aduentus, quid delapſus in terram? Certè quantumcumque mundorum à Deo producatur, quantumcumque gratiarum ab iis omnibus referatur, minus eſt, quàm quod pro tam ſingulari beneficio debetur.

Epheſ. 2.

Acturi gratias grati Deo eſſe debent.

32\. Olim Machabæorum mater, vt filium ſuum hortaretur ad martyrium fortiter ſubeundum, nihil aliud illi ob oculos propoſuit, quàm beneficium creationis. *Peto, nate, vt aſpicias ad cælum, & terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus. & hominum genus; fiet, vt non timeas carnificem iſtum*, 2. Machab. 7. 28. Si beneficium, quo Deus omnia de nihilo condidit, tantos potuit ſtimulos admouere ad omnia huius vitæ oblectamenta deteſtanda, & ad omnia mortis cruciamenta grauiter ſubeunda; quos ſtimulos admouebit illud beneficium, quo Deus peccatores nō de nihilo redimit, ſed ſemet ipſum tradidit pro hominum ſalute comparanda? Rectè D. Bernardus ſermone 14. in Pſalm. *Qui habitat. Fecit*, inquit, *te Deus tuus*. Quid plura? *Fecit tam multa propter te*. Quid deinde? *Fecit propter te & ſemetipſum Verbum caro factū eſt*. Rē planè inauditam! Vt propter vnum hominem non ſolùm cætera omnia efficiantur, ſed etiam ipſum Verbum caro fiat. Quis hanc amoris vim non admiretur! Quis hanc beneficij magnitudinem non obſtupeſcat? Rectè igitur ſubdit D. Bernard. *Quid ad hæc dormitat affectio? Imò verò mortua eſt illa, nō dormit, quæ huic beneficio non reſpondit*, &c. Miſit olim Dominus ad Dauidem per Nathan, quendam longiſſimum catalogum beneficiorum omnium, quæ apud illum collocauerat. *Ego*, inquit, *tuli te de paſcuis ſequentem greges, & fui tecum in omnibus, vbicumque ambulaſti; & interfeci vniuerſos inimicos tuos à facie tua; & feci tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum, qui ſunt in terra*. &c. 2. Regum 7. 8. Magna planè beneficia. Quæ propterea Deus Dauid in memoriam reuocauit, *vt recordans beneficiorum*, inquit Theoderet. *colat benefactorem*. Sed ante hæc omnia illud in fronte, & in capite præfixit, quod olim Iſraëlitis contulerat de terra Ægypti primùm egreſſis: *Neque enim*, inquit, *habitaui in domo, ex die illa, qua eduxi filios Iſraël de terra Ægypti, ſed habitabam in tabernaculo & in tentorio*, ſeu vt legit Theodoretus, *in diuerſorio*. Magnum planè beneficium & cæteris omnibus, quæ paulò antè memorauerat, præferendum. Deum in tentorio, ſeu in diuerſorio habitare in gratiam Hebræorum, quis non miretur? At quid hoc beneficium ad noſtrum? Non enim ſolùm Deus propter homines habitat in diuerſorio; quod ſatis humile & abiectum, imò & indignum Deo videbatur: ſed etiam excluditur à diuerſorio. *Quia non erat ei locus in diuerſorio*. Et obire compellitur in antrum, ſeu ſtabulum, latibulúmque ferarum. Conferte igitur illud diuerſorium, in quo Deum habitaſſe magnum fuerat beneficium. In illo quidem erat arca laureis laminis cooperta, tanquam ſcabellum Dei: erat aureum propitiatorium tanquam diuinæ maieſtatis ſolium. Erant vtrinque aurei cherubini, qui mutuo alarum complexu, & circumplicatu quoddam veluti efficiebant conopæum ſub quo diuina maieſtas regeretur, & anguſtiùs adoraretur. En diuerſorium, ad quod Deus ſe olim in Hebræorum gratiam abiecit. Nunc verò quàm diuerſum eſt illud diuerſorium, ad quod recedere compellitur? Vbi in illo aurum? Vbi aureæ ſedes? Vbi aurei cherubini? Nihil in eo planè, niſi pauperies, niſi indigentia cernebatur. Omnia in eo araneis, & inaniis replebantur. Si igitur habitare Deum in illo veteri diuerſorio, quod planè fuit magnificum, & anguſtum ædificium, magnum beneficium cenſetur; quantum omnino erit expellendi Deum à vulgari hominum diuerſorio, & in ferarum ſtabulum, ac latibulum compelli? Sane Regius Vates hoc Dei beneficium ſecum perpendens, ita ait Pſalm. 61. *Quoniam ab ipſo ſalutare meum*. quaſi dicat: deinceps Deo dumtaxat meas curas impendam, & eum ſolum amabo, ſiquidem filium ſuum in ſtabulo mihi videndum promiſit. *Propheticè*, inquit D. Baſilius homil. ſuper hunc Pſalmum, *prauidens futuram eſſe Incarnationis gratiā, hoc dicit quòd Deo ſeruire, & ipſum amare oporteat, qui tantum beneficium in genus humanum prior contulerit*, &c.

3. Mach. 7.

Amoris ſtimulus incarnatio.

D. Bernard.

Vigilat amor, ac Incarnationis beneficiū ſentiat.

2. Reg. 7.

Theodor.

Deus olim in diuerſorio, Incarnatus ne hoc habuit quidem.

Tabernaculi cum ſpelunca Bethleemicâ collatio.

Pſalm. 61.

Baſil.

Idem beneficium mihi videtur poſſe optimè expendi, ex iis, quæ Moyſes ad populum. *En*, inquit, *Domini Dei tui cælum eſt, & cælum cæli, terra, & omnia quæ in ea ſunt. Et tamen patribus tuis conglutinatus eſt Dominus, & amauit eos*, Deuteron. 10. 15 quaſi diceret, quamuis Deus tanta maieſtate, & poteſtate frueretur, vt à ſupremo cælo vſque ad imam terram omnia ſuo imperio coërceret: tamen amore hominum, etiam viliſſimorum, ſic exarſit, vt non eis modò adhæſiſſe, ſed omnino adglutinatus fuiſſe videtur. *Conglutinatus eſt eis, & amauit eos* At quando hoc amoris vinculum, hoc glutinum inter Deum, & homines interceſſit? Nempe quando eos in ſolitudine dirigebat, quando cibo ac potu recreabat, quando familiariter alloquebatur. Hoc autem, dic, obſecro, ſancte Moyſes, fuit adglutinari? Quid ergo erit, humanam induere naturam, artus ſibi aſſumere infantiles, vagire in præſepio, lacrymari, ſingultire; quidquid pœnarum naturæ humanæ poteſt accidere, patienter in hominum gratiam & ſalutem tolerare? Hoc planè diuini amoris 33.

Deut. 10.

Incarnatio glutinum amoris.

glutinum eſt, longè quàm illud efficaciùs ac tenacius. Quanto verius dici nunc poteſt, nobis conglutinatus? Sed vlteriùs eiuſdem beneficij magnitudinem commendauit Propheta Baruch

Baruch 3.

3. 32. Nam poſtquam multa diuinæ maieſtatis & poteſtatis argumenta expendit, dicens. *Qui præparauit terrã in æterno tempore, & repleuit eam pecudibus. Qui emittit lumen, & vadit*, &c. Poſtquam hæc, inquam, & plura alia diuinæ omnipotentiæ monumenta percutrit, tunc emphaticè concluſit, *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Poſt hæc, mira emphaſis. E tanta maieſtate, è tanta amplitudine, è tanta rerum omnium affluentia, ad terras ſe abiecit. *In terris viſus eſt.* Quid dico ad terras? Nam verum hoc eſſet; etiamſi in ſummis montibus ſiſteret, in magnis palatiis conquieſceret, in ſuperbis regiis moraretur. Etiam tunc dici poſſet in terris viſus. Ille verò nihilominus vlteriùs progreſſus ad inferiores partes terræ deſcendit. Nam ſicut olim deſcendit cum Ioſepho in carcerem, in fouеam, in ciſternam, in inferiores partes terræ, in antrum, in ſpeluncam, in tugurium abiectiſſimum ſe abdidit, & incluſit.

34. Præterea *cum hominibus conuerſatus eſt.* Sed quid dico, cum hominibus? Nam licèt ſolis Regibus, & Principibus, ac Dynaſtis familiariter vteretur; adhuc nihilominus dici poſſet cum hominibus conuerſatus. Verùm ille vlteriùs proceſſit;

Chriſtus abiectiſſimis hominibus familiariter vſus eſt.

nam etiam cum viliſſimis paſtoribus, imò cum iniquiſſimis peccatoribus voluit conuerſari: veteris non immemor Ioſephi, de quo dicitur, *Eratque cum filiis Bala, & Zelpha*, Geneſ. 37. 2. cum

Geneſ. 37.

filiis ancillarum. At cur non etiam cum filiis Liæ?

Lyran.

Optimè Lyranus, *Quia filij Liæ, vtpote liberi, & Principes, deſpiciebant filios ancillarum, & tanquã ſeruos reputabant. Et propterea*, addit Lyranus, plana quidem, ſed deuota oratione. *Et propterea faciebat illis ſocietatem, ad eorum conſolationem.* Ita planè & diuinus Ioſephus, non tam Regibus, ac Principibus, & clariſſimis hominum faciebat ſocietatem, ad eorum conſolationem; vt eorum vilem auditionem erigeret, moleſtias abſtergeret, labores recrearet, difficultates omnes indulgentiſſimè conſolaretur. Diuinum planè inuentum ad homines ad ſui amorem alliciendos.

Homines facilius humanitate, quàm ſeueritate conciliantur.

Deponit faſtum, vt amorem conciliet. Olim quando legem condidit ad montem Sina de cœlo deſcendit; quaſi verò exiſtimaret facilius fore homines alliciendos humilitate, quàm maieſtate ad legem ſeruandam. Audite D. Athanaſium

Athanaſ.

lib. 3. contra Arian. *Qui poterat ex ipſo cælo legem dictare, notat vtile eſſe hominibus, ſi è Sinai eam promulgaret, idque ideo fecit vt & Moyſes aſcendere poſſet, & illi de proximo ſermonem audientes meliùs crederent*, &c. Modò autem humiliùs deſcendit, & humiles paſtorum caſas habitare geſtit, vt homines ad ſe rapiat. *Cùm veniſſet Ieſus in domum Pe-*

Matth. 8. Chryſolog.

tri, Matth. 8. 14. arguté Chryſolog. ſermone 118. *Ad domũ Petri venit Chriſtus, vt domus Petri veniret ad Chriſtum*, &c. Sic egenus, ac pauper, omnique decore ſuo ſpoliatus omnium oculos ad ſe conuertit, omnium animos ad ſe rapit. *Ideo*, in-

Athanaſ.

quit Athanaſius, *hominum amator Deus corpus ſibi aſſumpſit, homo inter homines verſaturus, vt hominũ ſenſus præoccuparet, vt homines humana ſola cogitantes quocũque ſuos ſenſus conferunt, ibi ſe anticipari, præoccuparique notionibus animaduerterint*, &c. Itaque carnem aſſumpſit noſtram, vt ipſa hominis ſimilitudo nos ad illum propenſiùs inclinaret, eique impenſiùs ſtuderemus. Subit mentem vox illa ingenioſa Drogonis lib. 1. de ſacrament. Dominicæ paſſ. *Feciſti ergo mihi Domine, de*

Caro Chriſti ſpeculum noſtrum.

corpore tuo ſpeculum animæ meæ, &c. Quaſi verò Domini corpus naſcentis ſpeculum ſit, in quo repræſentetur mortalis hominum caro; vt nos ad ſe rapiat, & alliciat.

Videtis huius beneficij magnitudinem? Propetemus igitur ad illud antrum, ad illud præſepe, maiora in dies beneficia inde petituri. De quolibet iuſto inquit Dauid, & de Chriſto Domino ſub myſterio, *Tota die miſeretur, & commodat*, Pſalm. 36. 26. Sed quid ais, ſacer Vates! Nam Chriſtum Dominum extremè indigentem tota die miſereri, non admitor: affectus enim miſericordiæ etiam in paupere reperitur. At verò commodare eum, qui nihil habet, imò extrema inopia laborat, quis non miretur? præſertim cùm dicatur commodare *tota die*. Quaſi commodando, nunquam eius fontes miſericordiæ exhauriãtur; nunquam exinaniantur eius theſauri pietatis. *O optanda pauperies!* exclamat D. Ambroſius, *O ditior inopia!* Quia ſcilicet homines, ſi huc accedere vellent, pluſquam terrenis opibus locupletabuntur, Dauid lauabat per ſingulas noctes lectum ſuum, & lacrymis ſtratum ſuum rigabat; ſeu, vt habent alij, natare faciebat, Pſalm. 6. Miratur D. Chryſoſtomus homil. 30. in Geneſ. illos oculos lacrymantes, ſeu illas lacrymas defluentes. *Quid*, inquit, *illis oculis formoſius perpetuo lacrymarũ imbre, quaſi margaritarum decore ornatis?* Ita ille. Si lacrymæ ex oculis Dauidis diſtillantes, non lacrymæ, ſed magaritæ videbantur, lacrymas ex tuis aulis, diuine Infans, defluentes, quidni appellem gemmas? Quidni appellem margaritas? quidni appellem, ſi quid gemmis & margaritis pretioſius eſſe poteſt, pretioſiores? *Tu pretium gemmis addere gemma potes.* Verè Chriſtus gemma eſt. Clemens Alexandrinus, *Pulcherrima gemma ipſe eſt pulcherrimus Ieſus*, &c. Gemma in virginea concha reperta. En illa Euangelij margarita, cuius pretium inſtitor Euangelicus auidiſſimè quæſiuit. Nam venditis omnibus rebus ſuis illam emere feſtinauit. Nam, D. Ambroſio auctore ſermone 6. *maluit omnes ſæculi gemmas, quas habebat, amittere, vt vnam Chriſti emeret margaritam*, &c. *Cuius diuinitas*, inquit Salmeron tom. 7. tractat. 11. *in concha humanitatis continetur ex materia virginea & rore Spiritus ſancti concepta*, &c. Notũ eſt Plinianum illud lib. 9. cap. 31. *Partus concharum ſunt margaritæ pro qualitate roris accepti*, &c. Vnde Epiphan. & Ephrem appellant Virginem *concham, eo quòd paritura eſſet gemmam immortalẽ in mari, id eſt, in mundo*, &c. Audio Damaſcenum orat. 1. de natiuitate Virginis, *Lætetur mundus, mare, in ipſo enim concha gignitur, quæ cælitus ex diuinitatis fulgetro in vtero concipiet, & Chriſtũ ingentis pretij vnionem pariet*, &c. Quid enim Chriſti humanitas, niſi margarita diuinitatis auro mirabiliter incluſa, atque cælata? Huc igitur confluamus locupletandi. Adſunt gemmæ, adſunt margaritæ, adſunt lacrymæ, quæ non ſolùm noſtris nos malis expiabunt; ſed etiam infinitis propemodum bonis cumulabunt. Huc vſque licuit.

Right-margin notes, in order: 35 (beside "Videtis huius beneficij magnitudinem? Pro-"); Pſalm. 36.; Ambroſ.; *Chriſti paupertas nos ditat.*; Chryſoſt.; Clem.; Amb.; Salmer.; Plin.; Epiph.; Ephr.; Damaſc.

***

Digitized by Google

Pervigilivm VII.

Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cithara, *Pſalm.* 56. 9.

36. SOlcamus anniuerſarium tributum verborum Verbo infanti. Et ne ab ea materia, in qua verſamur, longiùs aberremus, ex ea nobis dicendi argumentum oriatur. Sumus in re muſica, inter illa muſica inſtrumenta, pſalterium, citharam, tympanum, & tibiam, quibus Prophetæ illi deſcendentes de excelſo pariter cum Saule prophetabant. Ab his igitur muſicis inſtrumentis dulce, ac ſuaue genethliacon naſcenti Puero decantemus. Libet ergo Infantem naſciturum verbis Dauidicis compellare. *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara.* Quibus verbis Dauid, vt multi Patres exponunt, alloquitur Chriſtum reſurgentem; ſed planè non repugnat alloqui & naſcentem. Singula igitur minutiùs expendamus. *Exurge gloria mea.* Ex Hebræo transferri poteſt, *Exurge lingua mea*, vel *carmen meum*, vel *canticum meum.* Omnia quidem aptiſſimè quadrant in Chriſtum naſcentem. Ipſe in primis dici poteſt *lingua noſtra*; nam primi parentes loquentes cum ſerpente, ſe ipſos quodammodo elinguarunt, ſeu lingua priuarunt, ne cum Deo loquerentur. Quid ergo? lingua nobis cœlitus delapſa opus erat, vt ad ſermones cum Deo familiariter miſcendos iterum admitteremur. Hanc igitur poſtulat Dauid, *Exurge lingua mea.* Hac Deum alloquimur, hac Deo canimus, hac tanquam claue cœlum aperimus. Nec immeritò. Nam ſi Chryſoſtomus appellat linguam Heliæ clauem cœli, quæ cœlum & claudebat, & reſerabat; quid mirum, ſi tua quoque lingua, ô Verbum infans, clauis cœli appelletur? Eo tamen nobis felicior, quàm lingua Heliæ, quòd Helias loquendo & reſerabat cœlum, & claudebat. Hæc autem reſerat ſemper, claudit nunquam. Exurge igitur lingua mea. Sed non minus apta illa alia tranſlatio, *Exurge carmen*, ſiue *canticum*, quàm Verbum infans. D. Paulus Epheſ. 2. 10. cum de ſe ac cæteris creaturis loquatur, *Ipſius*, inquit, *factura ſumus.* Quaſi omnes creaturæ ſint quædam lucubratiſſima poëmata, quibus diuinæ laudes includantur. Si igitur hoc præconium in cæteras conuenit creaturas, multò aptius conueniet in earum reparatorem. Carmen eſt, canticum eſt, poëma eſt. Rectè quidem Clemens Alexandrinus, de probo iuſtóque viro loquutus, *Pulcherrimus*, inquit, *Dei hymnus eſt homo, qui in iuſtitia ædificatur.* Si igitur iuſtus vir hymnus eſt, totus in diuinam laudem decantandus, ille, qui iuſtificatio, & ſanctificatio noſtra eſt, quid mirum, ſi pulcherrimus Dei hymnus appelletur? Exurge ergo gloria mea. Exurge lingua mea, carmen meum, canticum meum. Sequitur, *Exurge pſalterium.*

Pſal. 56.

Chriſtus lingua noſtra.

Lingua Chriſti clauis cœli. Chryſoſt.

Epheſ. 2. *Creatura poëmatum inſtar ſunt.*

Homo hymnus quidam eſt. Clem. Alex.

37. Audiſtis carmen decantandum. Cernite inſtrumentum, in quo decantetur. *Pſalterium* eſt, quod decem chordis, ſeu decem fidibus conſtrui conſueuit. Vnde Clemens Alexand. lib. 2. pæd. cap. 4. *Decachordum*, inquit, *pſalterium Verbum IESVM ſignificat, qui manifeſtatur elemento decadis. Decade*, inquit, *ſeu decachordo pſalterio Chriſtus manifeſtatur*; quia vt numerus denarius perfectiſſimus habetur: ita planè in Chriſto Domino omnes virtutes pleniſſimè & perfectiſſimè includuntur.

Clem. Alex. *Iesvs Pſalterium decachordum.*

Mendoça Viridarium.

Quam ſuauis igitur harmonia ex tam perfecto inſtrumento elicietur! Omnes gentes ad audientiam olim Deus congregauit. *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem. Quique terrigenæ filij hominum, ſimul in vnum diues & pauper.* At quorſum tam multi auditores inuitantur ad audiendum? *Aperiam*, inquit, *in pſalterio propoſitionem*, hoc eſt, in filio meo. In quo Deus nouiſſimè loquutus eſt. Ad tam ſuauem igitur melodiam exhibitam in hoc pſalterio, æquum erat, vt omnium mentes excitarentur. *Exurge pſalterium.* Ardet animus, flagrat, & æſtuat, tuum iam percipere concentum. Sed *exurge* etiam *& Cithara.* Cithara profectò eſt illa ſacroſancta Chriſti Domini humanitas. Illa cithara Dauidica, quæ dæmonem à Saule expellebat, vt Beda interpretatur, Chriſti Domini humanitatem ſignificabat. Vt enim Dauid ſuam pulſando citharam, abigebat dæmonem à Saule; ita planè & diuinum Verbum ſuam tangendo humanitatem, non vnum tantùm dæmonem, ſed innumeras dæmonum cateruas, & legiones ab obſeſſis corporibus propulſabat. Cithara igitur erat & pſalterium Chriſtus Dominus. Pſalterium ſupernè ſonans, quod in ſuperiori parte percutitur; cithara infernè ſonans, quæ in inferiori parte pulſatur, vt Patres & interpretes communiter obſeruant. Mirus profectò concentus, ex præalta, & remiſſa voce coaleſcens. *Sonabat ſupernè, vt pſalterium*, inquit D. Auguſtinus, *quia diuina operabatur miracula; ſonabat infernè; vt cithara, quia humana patiebatur tormenta.* Ex vtroque ſonitu diuina illa harmonia exiſtebat. Diuina maieſtas inſtar pſalterij præaltam illam vocem in hac muſica referebat.

Pſal. 48. 2.

Humanitas Chriſti citharam refert. Beda.

Diuinitas Chriſti, pſalterium; humanitas, cithara. Auguſt.

Vtraque vox pro rata portione ſibi contemperata humanis pariter ac diuinis auribus blandiebatur. Vnde Angelorum chori hac harmonia exciti, ſuſpenderunt, niſi fallor, ſua; & patrias illas, ac beatas ſedes deſerentes, etiam ad hanc harmoniam propriùs audiendum conuolantes, *Aſcendebant, & deſcendebant ſuper filiũ hominis.* Aſcendebant tanquam ad pſalterium quod ſupernè ſonabat; deſcendebant tanquam ad citharam, quæ ſonabat infernè. Vnde D. Bernardus, *Aſcendunt*, inquit, *& deſcendunt, vt in vno eodémque homine Chriſto IESV, & infirmitatem foueant, & obſtupeant maieſtatem.* En cithara, en pſalterium, en muſica inſtrumenta. *Exurge pſalterium & cithara.* En canticum, en carmen, en verba decantanda. Exurge carmen, exurge canticum. En lingua, quæ ad hæc inſtrumenta, hoc carmen ſiue canticum moduletur. *Exurge gloria mea.* Exurge lingua mea. Iam cantorem ipſum audiamus. Dignus enim hic ſolus eſt, qui præ cæteris audiatur. Rectè quidem Clemens Alexandrinus, *Verbum diuinum*, inquit, *ſolus eſt humanarum ægritudinum Pæonius medicus, & ſanctus ægrotæ animæ incantator.* Quaſi diceret, faceſſant veteres Æſculapij, & Pæonij, qui humanas ægritudines curare poſſunt, ſed non ſanare. Verbum diuinum ſolus eſt humanarum ægritudinum Pæonius medicus. Faceſſunt veteres Orphei, & Amphiones, quos ſolùm inanes fabulæ dicunt habuiſſe vires ad res etiam ſenſus, rationiſque participes excantandas. Hoc planè certum eſt. *Verbum diuinum ſolus eſt ſanctus ægrotæ animæ incantator.* Sed quod Clemens in pædag. de Verbo diuino aſtruit, in exhortatoria ad gentes de Chriſto Domino expreſſit. Nam poſtquam miſit, & exploſit fabuloſos illos Orpheos & Amphiones, *Non talis eſt*, inquit, *meus cantor: ſolus quidem ex iis qui vnquam fuerunt, difficillimas*

38.

Bern.

Clem. Alex. pæd. lib. 1. c. 2. *Verbum diuinum medicum agit animi.*

Clem. Alex. in Exhort. ad gent.

Digitized by Google

feras, homines manſuefecit. quod ſtatim explicat, *nam ſæuos vt leones ad manſuetudinem, fallaces vt vulpes ad ſinceritatem, obſcœnos vt ſues ad continentiam, & ſic alios alijs vitijs propenſos ad alias virtutes illis vitijs contrarias reuocauit.* Hoc enim illud eſt, quod præcinit Iſaias, *Habitabit lupus cũ agno, & hædus cum pardo accubabit.* Hoc illud eſt, *Vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Hoc illud eſt, *Leo quaſi bos paleas comedet.* Quid enim, obſecro, eſt aliud, tam feras beſtias in cicures commutatas, niſi improbos homines in bonos quodammodo transfuſos? At quis tam mirabiles effecit in hominum moribus mutationes? *Solus cantor meus Chriſtus, ex omnibus qui vnquam fuerunt, difficillimis feris, homines manſuefecit.* Mira profectò harmonia illis fabuloſis præferenda.

Iſai. 11. 6.

Chriſtus Orpheum cantando ſuperat.

39. Fuerunt olim Hæretici, qui fallacibus quibuſdam cantilenis Eccleſiam tentarunt, ſed non excantarunt. *Multi*, inquit D. Ambroſius, *Eccleſiam tentant, ſed ſagæ artis carmine ei nocere non poſſunt.* At cur ſuis non proficiunt excantamentis? Pergit Ambroſius, *Nihil incantatores valent, vbi Chriſti canticum quotidie decantatur. Habet Eccleſia incantatorem ſuum Dominum Ieſum, per quẽ Magorum incantantium carmina, & ſerpentum venena euacuauit.* O diuinum planè ac ſuauiſſimum cantorem! Inſtillarunt illi improbi cantores humanis præcordiis venena, & quidem lethalia: ſed illa omnia diuinus cantor ſuæ ſuauitate melodiæ ex humanis præcordiis euacuauit: tantúmque valuit canendo, vt peſſimas illas Magorum execrationes ſuo cantu recrearet, & ſagæ muſicæ maleficium beneficio ſanctæ muſicæ coërceret. Adfuit olim ad expugnandos Iſraëlitas improbus ille Rabſaces. Sed cùm nec armis, nec viribus proficeret, verbis ſolicitauit, & loquebatur illis Hebraicè, non Syriacè. Ad quem Iſraëlitæ, *Precamur*, inquiunt, *vt loquaris nobis Syriacè, non Hebraicè.* 4. Reg. 18. 26. At cur Iſraëlitæ proprium audire recuſabant idioma? Reſpondet D. Gregorius Nazianzenus. *Ne*, inquit, *orationis ſuauitate in ſeruitutem furtim inducerentur.* Si igitur tanta erat vnius Hebraïci idiomatis dulcedo, etiam vnius ex ore Rabſacis dimanans, vt facilè Iſraëlitas omnes excantaret: illa ſuauitas orationis, quæ ex æterni Verbi ore fluit, quanta erit? quantáque voluptate, omnes, qui aures admouerint, permulcebit, & à ſenſibus abripiet, atque ad diuinum quendam ordinem transfundet?

Ambroſ. in Exaëm. lib. 4. c. 8.

Cantor ſuauiſſimus.

4 Reg 18.

Gregor Nazianz.

Suauitas patrij ſermonis animos allicit.

40. At quæ harmonia, dicet aliquis, à Verbo infanti elicietur? Vbi nulla eſt eloquentia, vbi ſumma eſt infantia, quæ melodia, quis concentus audiatur? Certè iucundiſſimus. Nam ex illo Verbi & ſilentio, & vagitu mirabilis quædam harmonia exiſtit. Quid illo ſilentio ſuauius? Teſtem ego appello Petrum Damianum, profanis aliquando concentibus deditiſſimum: ſed cùm hanc hauſit harmoniam, quantum diuerſus ab illo, qui quondam fuerat, exclamauit. *Olim mihi Tullius dulceſcebat, blandiebantur carmina Poëtarum, & Syrenes dulces meum incantauerant intellectum. Neſcio quomodo dulcius immurmurat filius Ieſſe, qui omnes illos, quos antea diligere conſueueram, ineloquentes reddit, & mutos.* Vides vt illa Tulliana eloquentia ſit infantia, ſi cum hac infantili balbutie conferatur? Vt illa Virgiliana poëſis ſit inertia quædam ruſticana, ſi cum hac æterni Verbi taciturnitate comparetur? Vt illa fabuloſa Syrenum dulcedo ſit quædam iniucunda auribus raucedo, ſi cum illis æterni Verbi ſuſpiriis, & ſingultibus componatur? Vt illi quondam Vates & cantores, poëtandi, & cantandi peritiſſimi, ſi cum Puero immurmurante, ſeu muſſitante, balbutiente, & vagiente certare velint, muti omnino, & elingues videantur? Mira planè huius harmoniæ dulcedo! *Laudamus*, inquit Sapiens, *viros glorioſos in peritia ſua requirentes modos muſicos*, Eccleſiaſtici 44. 5. Sunt qui legunt, non *in peritia*, ſed *in pueritia.* Quaſi illi veteres Patriarchæ, & Prophetæ, quorum immortalis gloria commendabatur, ex eo commendabiliores viderentur, quòd in pueritia modos muſicos requirebant. At quos ſuauiores numeros vlla in pueritia reperirent, quàm in pueritia huius Infantis vocaliſſimi? Infans eſt, ſed qui ſua infantia iucundiſſimè modulatur. Huc vſque licuit.

Petr Dam.

Verbi infantis infantia Tulliana facundia diſertior.

Eccleſ. 54.

PERVIGILIVM VIII.

Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius, *Malach.* 4. 2.

41. Dictauimus anteactis prælectionibus ſæpenumero in ſacris literis diuinam miſericordiam pro diuina iuſtitia, & vice verſa diuinam iuſtitiam pro diuina miſericordia vſurpari: idque nonnullis exemplis confirmauimus. Vnum ſupereſt ad hoc natalitium peruigilium celebrandum accommodatum, ex Malachia c. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius.* Quem locum nonnulli Patres de poſteriori Chriſti aduentu interpretantur: alij, inter quos Theodoretus, etiam de priori. Chriſtus igitur in primo aduentu appellatur. *Sol iuſtitiæ*, Chaldæus vertit, *Sol puritatis.* Nec immeritò. Nam, vt bene Tertullianus, *Vbi Verbum natum eſt de carne, nullis nuptiis reſignata, & vbi Verbum factum eſt caro, nullis nuptiis reſignãda, totus mundus puritas eſt.* Æquum enim erat, vt Verbo recèns nato de carne puriſſima, & in carnem puriſſimam induto, tota caro defæcaretur in ſpiritum, & totus mundus de terreno in cœleſtem, de mortali in immortalem, de humano in diuinum tranſmutaretur. Sol iuſtitiæ, Sol puritatis. Cæterùm alij interpretes accommodatiùs ad rem præſentem, iuſtitiam pro miſericordia interpretantes, transferunt, Sol benignitatis, Sol clementiæ, Sol miſericordiæ. Quaſi in hoc primo aduentu infans Deus non rigeſceret in iuſtitiam, ſed in miſericordiam molleſceret: totos clementiæ ſinus expenderet; tota miſericordiæ viſcera effunderet; totus in benignitatem, & ſuauitatem, & charitatem erga humanum genus ſolueretur. Sol iuſtitiæ, Sol miſericordiæ. Et propterea fortaſſe appellatur Sol, non meridianus, ſed matutinus. *Orietur Sol iuſtitia*; nondum ſupremum cæli cardinem iniectus, ſed ex primo auroræ limine egreſſus. Sol oriens. *Orietur.* Nam Sol, cum meridianum cœli verticem attingit, noxius eſſe ſolet, ac lethalis. Teſtis ſit ille filius Sunamitis, profectus olim ad meſſores. In cuius caput cùm vehementior Solis radius incumberet, exclamare cœpit, *Caput meum doleo*; ac tandem mortuus eſt in meridie, 4. Reg. 4. 19. ſcilicet meridianus Sol illi exitium attulerat. At verò Sol matutinus, Sol exoriens, Sol in ortu ſuo nemini lethalis eſt, ſed omnibus ſalutaris. Solet enim nebulas diſcutere, diſpellere tenebras, ſerenare cœlum,

lum,

Theodor.

Tertull. *Aduentus Chriſti mũdo intulit puritatem.*

4. Reg. 4.

Digitized by Google

lum, ſuos rebus ſingulis colores reſtituere, amicam lucem mundo indere, beneficam auram rebus omnibus afflare. Talis & Deus infans: Sol eſt miſericordiæ; Sol eſt in ortu ſuo: nemini noxius, nemini lethifer; omnibus ſalubris, & vitalis. Orietur vobis Sol miſericordiæ.

Chriſtus ortu ſuo miſericordiam prætulit.

42. Agite verò, & diligenter expendite, quanta bonorum omnium incrementa ex hoc Sole recens nato in hominum genus enaſcantur. Concurrerunt olim Madianitæ, & Moabitæ ad Iſraëlitas oppugnandos, ac decipiendos, ſeu inducendos in peccatum: neque enim eos tantùm profligare, ſed etiam in peccatum præcipitare nitebantur. Quid verò Deus? Iſraëlitas alloquutus, *Hoſtes*, inquit, *vos ſentiant Madianitæ, percutite eos*, Num.26.17. Quid hoc eſt? Nónne & Madianitæ, & Moabitæ ad hoc flagitium pariter concurrerunt? Cur igitur inæqualiter ad ſupplicium repoſcuntur? & Madianitæ quidem ad pœnas vocantur? Moabitæ verò abire immunes permittuntur? Cur parciùs & clementiùs agitur cum Moabitis, quàm cum Madianitis? Optimè quidem Lyranus hanc aſſignat rationem, quia ſcilicet ex Moabitis naſcitura erat Ruth, ex Ruth naſciturus erat Dauid, ex Dauide Chriſtus Dominus, Sol iuſtitiæ, Sol miſericordiæ: & ex hoc miſericordiæ Sole, illa in ſuos auos ac proauos miſericordia refundebatur. Madianitas igitur, quia peccarunt, & nullum habent miſericordiæ clypeum, quo muniantur, percutite. A Moabitis autem licèt peccantibus, quia Chriſto Domino ex illis naſcituro quodam veluti ſcuto proteguntur, abſtinete. Multò grauius in Deum peccauit regnum Iuda, quàm regnum Iſraël, ſeu regnum Samariæ. Vnde Propheta Ezechiel regnum Iuda alloquutus, *Samaria*, inquit, *dimidium peccatorum tuorum non peccauit*. Quaſi diceret, ſi omnia peccata Samariæ vnum in cumulum congerantur, & coaceruentur, dimidiam partem tuorum peccatorum, ô regnum Iuda, non exæquabunt. Et nihilominus Deus multò egit mitiùs, & miſericordiùs cum regno Iuda, quàm cum regno Iſraël, vel Samariæ. Vnde olim per Oſeam, *Non addam vltra miſereri domui Iſraël; ſed obliuione obliuiſcar eorum, & miſerebor domus Iuda, & ſaluabo eos in Domino Deo ſuo*, Oſee 1.6. Et quidem ita res habuit. Nam Samaria abducta eſt in captiuitatem, nunquam ampliùs ex illa regreſſura; neque enim vſque ad præſentem diem, inquit Diuus Hieronymus, in priorem rediit libertatem. At verò regnum Iuda poſtquam ſeptuaginta annos ſeruiendo tranſegit, in priorem ſtatum remigrauit. Si igitur grauiùs peccauit Iuda, quàm Samaria; cur mitiùs, & miſericordiùs tractatur? Rupertus credit, propter illos tres Reges ſanctiſſimos, Dauidem, Ezechiam, & Ioſiam, hanc in illud regnum miſericordiam diuinitus effluxiſſe. Sed potiùs crediderim propter Deum infantem ex illo regno naſciturum. Ille agnus, ſeu potiùs ille leo de tribu Iuda, ſua benignitate, miſericordiáque effecit, vt diuina ſeueritas, ac iuſtitia, in regnum Iuda mitior, ac pacatior redderetur. Victor ex ſingulari certamine cum Golia redierat Dauid. Ecce tibi Solymææ ciues cum tympanis & choris victori obuiam egrediuntur, præcinentes, *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia*, 1. Regum 18. 7. Decuplo maiorem fortitudinem Dauidi, quàm Sauli tribuebant: cùm tamen ſi diuina hiſtoria replicetur, & retexatur, nulla eatenus virtutis exempla à Dauide edita memorentur; à Saule autem iam illuſtres victoriæ, & præclara facinora,

Num.26. Lyran. Ezec.16.51. Oſee 1. Hieronym. Rupert.

Chriſtus infans ſupplicia auertit.

1.Reg.18.

& ſingularia fortitudinis monumenta excitata inueniantur. Cur igitur maioribus Dauidem præconiis, quàm Saulem efferebant? Conſulite D. Ambroſium. *Dauidem*, inquit, *ex cuius ſucceſſione natus eſt Chriſtus, per Virginis partum in decem millibus prædicabant, Saulem verò in millibus tantùm; cùm tamen reuerentia gratiam circa Regem magis proponere debuiſſent*. Quaſi diceret. In Saule quidem regia dignitas excellebat; in Dauide autem diuina illa cum Deo propinquitas, & conſanguinitas fulgurabat. Quid ergo prudentiſſimæ illæ fœminæ? Regiam Saulis dignitatem non curarunt, & illam Dauidis cum Deo propinquitatem admirantes, & venerantes, maiorem Dauidi gloriam, quàm Sauli tribuerunt.

Ambroſ.

Ex Chriſto infante gloria naſcitur.

Dignior planè eſt, qui laudetur, & honoretur, 43.
qui ad te Domine Ieſu propinquior accedit. A te enim prout quiſque tibi proximus eſt, ingentes gloriæ cumulos mutuatur. Acceſſerunt fratres Ioſephi ad Ioſephum in Ægypto; ſed Ioſephus *quaſi ad alienos durius loquebatur*, Geneſ. 42.7. Paulo pòſt aliquo interiecto tempore, ad eundem Ioſephum redierunt. *At ille*, inquit textus, *clementer reſalutatis eis, interrogauit eos*, &c. Geneſ. 43. 27. Vbi planè Ioſephus beneuolentiorem ſe præbuit erga fratres, quàm fratres erga Ioſephum. Nam fratres non dicuntur Ioſephum clementer ſalutaſſe, & nihilominus dicuntur à Ioſepho clementer reſalutati. Vnde quæſo tanta hæc beneuolentia in fratres; cùm tamen paulo antè tanta in eoſdem ſeueritas præceſſiſſet? Optimè quidem Diuus Ambroſius, *Suprà*, inquit, *vidit fratres ſuos Ioſeph abſque Beniamin, & ideo quamuis cognoſcebat illos, tamen diuertebat ſe ab eis, & loquebatur dura. Sed poſtea vidit inter illos fratrem ſuum Beniamin, & ideo mitia loquebatur, & manſueta*. Itaque tota Ioſephi beneuolentia in fratres, debebatur Beniamino. Nam cùm hic aberat, in reliquos fratres Ioſephus durior, & inclementior exiſtebat; cùm verò aderat, reliquos fratres carior, & humanior complectebatur. Quid Beniaminus, niſi Chriſtum Dominum repræſentabat, quem ſi in noſtram ſocietatem admittamus, æternum parentem in nos beneuolentiorem experiemur? Contrà verò, ſi ab eius comitatu longiùs recedamus, neceſſe eſt, vt in nos diuina iuſtitia ſeuerior oſtendatur. Itaque tota ſupremi Numinis in genus humanum miſericordia ab illo Beniamino, ab illo infante Deo, ab illo antro Bethleemico redundat. Ad hæc Iacobus præcipua quadam beneuolentia Beniaminum inter reliquos filios complectebatur. Nam reliquos omnes in Ægyptum variis periculis expoſitos amandabat; vnum Beniaminum domi retinebat, quaſi hunc haberet cæteris cariorem, & huius vitam reliquorum omnium vitæ anteferret. Vnde, quæſo, hic tantus amor Iacobi in Beniaminum? Reſpondet Rupertus, quia Beniaminus erat frater vterinus Ioſephi, quem Iacobus pluſquam cæteros filios diligebat. *In Beniamin*, inquit Rupertus, *quia frater erat vterinus Ioſephi, paternus reſocillabatur animus, crebris ſingultibus exhauſtus propter Ioſephum*. quaſi diceret, Iacobus filium ſuum Ioſephum, quem mortuum exiſtimabat, lamentando lacrymis exhauſtus penè deficiebat. Sed Ioſephi deſiderium releuabat præſentia Beniamini, quem vt fratrem germanum, vterinumque Ioſephi ardentiùs cæteris fratribus diligebat. Quemadmodum igitur Iacobus Beniaminum propter Ioſephum ſtudioſiùs amabat, illéque amor Iacobi in Beniaminum Ioſepho præcipuè

Geneſ.42. Geneſ.43. Ambroſ.

Chriſtus infans Deum nobis propitium reddit.

Rupert.

Digitized by Google

Puer Ieſus amorem Dei erga nos promeruit

debebatur. Ita planè & æternus parens, propter ſuum Ioſephum, filium accreſcentem, propter Chriſtum Dominum infantem, genus humanum, tanquam germanum illius fratrem, maiori ſtudio proſequebatur: totúſque amor Dei in homines ex amore, quo filium diligebat, redundabat.

44. Genеſ. 48. Tulit aliquando Ioſephus ad parentem ſuum Iacobum duos filios ſuos, ſeniorem Manaſſem, & iuniorem Ephraim, ab illo benedicendos. Quare Manaſſem vtpote ſeniorem ad dexteram Iacobi, at verò Ephraim vtpote iuniorem ad ſiniſtram collocauit; vt ille prior, hic verò poſterior ſeruato naturæ ordine benedictione donaretur. Quid verò Iacobus? Commutat manus; & ſiniſtra poſita ſupra Manaſſem, dextram reuocat ad Ephraim; & hunc priùs quamuis iuniorem benedictione impertit. Cur, obſecro, prudens ille vir iuniorem Ephraim ſeniori Manaſſe anteponit? Sunt qui dicant, optima quidem ratione id ab eo factum, quia ſcilicet de Ephraim naſciturus erat Ioſue, typus non leuiter expreſſus pueri Ieſu. Si igitur Ephraim propter Ioſue, quam non meruerat, benedictionem præripit, & fratri ſuo ſeniori antefertur; quid mirum, ſi genus humanum innumeris à Deo benedictionibus repleatur, non propter Ioſue, ſed propter Ieſum; natum hominem & inter homines, & propter homines? Duo adſunt Deo fratres, Angelus, & homo: ille ſenior, & nobilior; hic iunior & abiectior: & nihilominus Deus manibus quodammodo commutatis, hominem Angelo anteponit; pluribus, & maioribus hominem quàm Angelum benedictionibus impertit: ſcilicet non propter Ioſue, ſed propter Ieſum, qui ex humano genere naturam ſibi mutuatus, natus eſt homo, imò infans. Ab hoc principio tam multa in nos decora, & ornamenta, emolumentáque redundant.

Angelis præferimur ob Ieſum.

45. Aduertiſtis ea nocte, qua Chriſtus natus eſt, nullum Angelorum in rupem Bethleemicam ingreſſum. Foris quidem volitabant omnes, choreas exercebant, concentus ſuauiſſimos funditabant, omnes modulabantur, *Gloria in altiſſimis Deo.* Nihilominus vel à primo veſtibulo illius antri abſiſtebant; nullus enim Angelorum dicitur ab Euangeliſta in illud turgurium ingreſſus. Et tamen paſtores alacres, feſtini, audentes animi ingrediuntur, & Puerum recèns natum adorant, venerantur. Quid mirum? Domeſtici erant, familiares, cognati, conſanguinei, fratres; cur non ingrederentur ad natum ſibi fratrem ſalutandum? Hos igitur ille puer familiariùs, & amiciùs auocabat: in hos maiora amoris ſigna exhibebat. Nec immeritò. Nam, vt bene Tertullianus, *Cariorem ſenſerat, quem lucrifecit*, quaſi diceret. Deus infans non ad redimendos Angelos, ſed ad redimendos homines natus eſt. Nunquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Igitur quamuis hominem pariter & Angelum non vulgariter dilexerit; tamen cariorem ſenſerat, quem lucrifecit. Videtis quanta bona ex illo miſericordiæ Sole recèns nato in hominum genus enaſcantur? Meritò igitur Angelus ad paſtores, *Euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Saluator.* Ex vobis natus eſt, quia frater veſter eſt: vobis natus eſt, quia redemptor veſter eſt. Vobis datus eſt, vobis natus eſt, totus in veſtros vſus expenſus eſt. *Gaudium magnum.* Quis gaudio non triumphet, non exiliat? *Fundatur*, inquit Dauid,

Deo amabilior hom., quàm Angelus.

Tertul.

Luc. 2. 10.

exultatione vniuerſæ terræ mons Sion. D. Ambroſius ſe legiſſe dicit apud vetuſtos codices, *Bona radice fundatur exultatio vniuerſæ terræ.* Et ſtatim quænam ſit hæc radix interpretatur. *Dedit*, inquit, *nobis Deus per exultationem bona radice fundatam, Deum, videlicet Ieſum. Bene radicata exultatione lætemur, qui exultamus in Chriſto. Sæculi lætitia temporalis eſt; perpetua autem lætitia eius, qui gaudet in Domino.* Ita Ambroſius. Ita Chriſtus Dominus radix eſt. *Aſcendit*, inquit Iſaias, *ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.* Radix quidem eſt. In primis, quia quamadmodum radix vilis, humilis, & abſcondita ſub terra latitat; ita & Chriſtus Dominus paruulus, humilis, & abiectus ſub illo antro latitabat; ne vrbanus quidem, ſed planè ruſticanus: ideo non in vrbe naſcitur, ſed in agro. Quid humilius? Deinde, quia ſicut è radice totus arboris viror, totus foliorum apparatus, totus fructuum prouentus dependet; ita planè omnia ſpiritualia bona, quæ in genus humanum propagantur, & in Eccleſiam diffunduntur, pullulant, & hauriuntur ab hac radice. Et cùm hanc radicem nullus vermis exedat, nulla tinea arrodat, nulla naturæ vitia infeſtent: neceſſe eſt, vt ſpiritualia dona, quæ ex illa oriuntur, nullo vnquam tempore exareſcant. Bona radix. Temporalia gaudia vix naſcuntur, cùm abſumuntur, quia ſcilicet vitioſa è radice oriuntur. At verò gaudia ſpiritualia ſemper vernant, & perennant; quia bona radice radicantur. Bona radice fundatur exultatio vniuerſæ terræ. Quid, obſecro, eſt in illo antro, in illo præſepi, quod noſtram n vtilitatem non redundet?

Ambroſ. in Pſalm. 47.

Iſai. 53. 2.

E puero Ieſu quaſi radice omnia bona proueniunt.

De illo diuino Infante loquutus Daniel, *Lapis*, inquit, *ſine manibus factus eſt mons magnus.* In quem locum D. Ambroſius, *Lapis*, inquit, *eſt propter te, vt tu ædificeris; mons eſt propter te, vt tu aſcendas. Inclinauit cælos, vt tu vicinior eſſes.* Quaſi diceret, virtutum ædificium peccata ſæpenumero demoliuntur; ſed ecce tibi Puer infans lapis; ex quo omnium virtutum non ſolùm vulgares domos, ſed ſublimes regias tibi conſtruas. Item omnes ad cœlum gradus noſtra ſæpenumero peccata frangunt ac deſtruunt; ſed ecce Puer infans factus eſt tibi mons magnus, per quem aſcendens cœlum ingrediaris. *Tanta humilitate*, inquit Tertullianus, *faſtidium diuinitatis ſuæ ſtrauit.* Ac ſi diceret. Summa illa diuinitas propter ſublimitatem ſuam erat omnino inacceſſa: quare Verbum ad carnem ſe abiiciens, non ſolùm illam diuinitatem reddidit acceſſibilem, ſed etiam ſtrauit; hoc eſt illam tanquam regiam, & militarem viam complanauit, & noſtris pedibus ſubiecit; vt eam viam inſiſtentes, tandem cœlum ingrediamur, iuxta illud Pauli, *Initiauit nobis viam per velamen, id eſt, per carnem ſuam.* Itaque ille Puer & lapis eſt, ex quo virtutum ædificium conſtruatur: & mons eſt, ſeu gradus quidam, ex quo in cælum penetremus. Imò via quædam eſt humiliter ſtrata, quæ in cælum tendat. Totus igitur ille Puer noſtram in vtilitatem impenditur. Iam verò illæ lacrymæ Pueri vagiẽtis, ac deplorantis, quò niſi noſtram in vtilitatem feruntur? Huc vſque licuit.

46. Dan. 2. 35. Ambroſ.

Sua humilitate Ieſus viam in cælum ſtrauit.

Tertull.

Heb. 10. 20.

PERVI

Digitized by Google

PERVIGILIVM IX.

Poſuiſti tenebras,& facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ. Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi, &c. *Pſalm.* 103.20

47. NAtalem Verbi infantis, cuius iam nouum agimus peruigilium, tanquam nouendiale ſactum (faxit Deus vt tanto ſacrificio mala omnia omina abigantur & auertantur) natalem, inquam, Verbi infantis nulla res melius celebraret, quàm natales omnium peccatorum, ſi omnes pariter cùm nato infante renaſcerentur. Plurimi quidem fateor renaſcuntur; ſed optandum planè eſt, vt renaſcantur omnes. Renaſci plurimos eleganter mihi videtur regius Vates, & poëticè deſcripſiſſe. *Poſuiſti*, inquit, *tenebras,& facta eſt nox; in ipſa petranſibunt omnes beſtiæ ſylua; catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant, à Deo eſcam ſibi.* Quibus verbis deſcribitur ſtatus veteris legis, nocti ſimilis, iuxta illud Apoſtoli de
Rom.13.12. lege veteri loquentis, *nox præceſſit*,&c. Hac igitur nocte terris incubante, graſſabantur belluæ, auidæ ad deuorandum. *In ipſa*, inquit, *pertranſibunt omnes beſtiæ ſylua.* In miſeros viatores rugitu quodam terrefactos, ſæui leones inuehebantur; *Catuli leonum rugientes, vt rapiant,& quærant à Deo eſcam ſibi.* Omnia lanieria, & carnificina implebantur. Quid hæc ſymbola niſi miſerum antiquæ legis ſtatum portendebant; in quo fetales quædam ſcelerum laruæ paſſim occurſabant, diræ vitiorum ſpecies vbique perterrebant, & imperebant; omnia flagitiorum genera vababantur latè, & impunè dominabantur? Quibus incurſionibus, & inſidiis miſeri homines correpti paſſim cadebant, & æternum in interitum mittebantur. Quid tandem effectum? Pergit Propheta. *Ortus eſt Sol,& congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur.* Quaſi diceret. Hæc ita erant. Sed vbi primùm verus ille Sol iuſtitiæ Verbum infans, formoſum illud ac diuinum caput terris extulit; vbi primùm natus eſt: Ecce tibi omnes illi effrænes, & indomiti peccatores, qui inter ſe antea inteſtinis odiis ferarum in morem diſſidebant, mutuam in amicitiam, & concordiam conſpirant. *Congregati ſunt.* Et vaſtas illas ſyluarum immenſitates, in quibus graſſabantur, deſerentes, in cubilibus ſuis collocabuntur. Vbi, ſi litera Hebræa expendatur, facilè colligetur, illud *in cubilibus ſuis*, perinde eſſe, atque in ouilibus ſuis, quæ ſunt loca, in quibus oues, mitiores greges commorantur. Quaſi illi indomiti, & effrænes peccatores, non ad horrida ferarum ſpelæa ſe recipiant, hoc eſt, in maiorem viuendi licentiam effundantur; ſed ad ouilia mitioris gregis receptacula confugiant; hoc eſt, ad perfectiorem viuendi rationem cum manſuetis ouibus, & agnis aggregen-
Iſai.c.11. tur. Quod clariùs expreſſit Iſaias c. 11.6. *Habitabit lupus cum agno,& pardus cum hædo accubabit.* Quaſi Chriſto Domino nato, magna inter belluas feras, ac cicures, hoc eſt, inter improbos ac iuſtos concordia ſolidetur: hoc eſt, ad vnam omnes diuinæ legis obſeruantiam reducantur. Et rectè obſeruat D. Hieronymus, non agnum cum lupo, ſed vice verſa lupum cum agno habitáſſe, quòd non agnus in lupinam ſæuitiam degeneraret, ſed potiùs lupus agninam innocentiam imitaretur. Sicut paulò inferiùs additur, *Leo quaſi bos paleas comedet.* Vbi notat D. Cyrillus Alex. non manſuetum animal in alimentum ferocis, ſed ferox in alimentum manſueti demigrare; quia non in mores impiorum abiturus erat iuſtus, ſed potius impius in iuſtorum mores rediturus. En, vt Chriſto nato, ad meliorem vitam ac frugem, improbi homines traducantur. Certè qui pietatem, & iuſtitiam non colunt, digni non ſunt, qui hoc Chriſti Domini natalitio perfruantur.

Lex vetus non obſcura.

Lex noua dies clara,& tuta.

Aduentu Meſſia mali mores in bonos vertuntur.

Finito diluuio manifeſtiſſimum patuit de Chriſto naſcituro vaticinium, illa benedictione, qua Noë filium ſuum Iapheth impertiuit. *Dilatet*, inquit, *Deus Iapheth,& habitet in tabernaculis Sem*, Geneſ. 6. 27. Vbi communiter interpretes. & præſertim D. Hieronymus per *Iapheth* intelligunt populum Chriſtianum; tum quia *Iapheth* iunior fuit, quàm Sem, vt aliqui arbitrantur, & proinde optimus typus Chriſtiani populi iunioris, ſi cum Iudaico comparetur: tum quia *Iapheth* interpretatur latitudo, in quam populus Chriſtianus dilatandus erat. Hoc enim precatus Noë, *Dilatet*, inquit, *Deus Iapheth.* Quaſi diceret, non exiguis finibus, vt Iudaicus populus circumſcribatur, ſed in totum terrarum orbem fuſiſſimè propagetur. *Et habitet in tabernaculis Sem. Tabernacula Sem*, interprete D. Hieronymo, ſunt oracula Scripturarum; ex quarum cognitione Sem, id eſt, Iudaicus populus expellendus erat; & in quarum intelligentiam Iapheth, id eſt, populus Chriſtianus admittendus. Itaque totum hoc oraculum manifeſtam de Chriſto ac de Chriſtiano populo per Chriſtum propagando intelligentiam continebat. Sed hoc myſterio ita manifeſto, ecce tibi linguæ hominum in ædificatione turris Babel à Deo confunduntur. *Confundamus*, inquit Deus, *linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui*, Geneſ. 11.7. Quorſum, obſecro, manifeſtatur à Deo hoc myſterium; & ſtatim confunduntur linguæ, quibus eius cognitio diffundenda erat, ac diſſeminanda? Quid aliud, obſecro, hoc eſt, quàm ſi alicui theſaurus committatur, & clauis, qua reſerandus erat, auferatur? Prædicitur Chriſti Domini natalis; & ſtatim linguæ, quibus euulgandus erat, interuertuntur? Quid hoc eſt? Ita planè conſtitutum eſt à Deo, *ne fieret*, inquit Rupertus lib. 3. de vict. c. 3. *occultum tale myſterium, neque ſuper eo diſceptaretur per publicum.* At quorſum myſterium prædicitur, & ſtatim occulitur? Pergit Rupertus, *Quia*, inquit, *dignus eo non erat mundus ferè totus, vbique laſciuiens & petulãs, nimiúmque ferox, atq; ſuperbus.* En optima ratio, quare hominum linguæ confundantur: illotæ erant, & impuræ ad hoc myſterium tractandum. Tam eximia enim ſanctitas, qualis in hoc myſterio effulget, eximiam & mentis, & corporis ſanctitatem in hominibus requirebat. Abſiſtant ergo ab illo antro Bethleemico, tanquam profani, qui ſimilem nati pueri ſanctitatem non colant, non venerentur. Cùm igitur omnes eò cateruatim introire, & penetrare cupiamus, neceſſe vt priùs omnes ab omnibus peccatorum maculis expiemur. Diu ſeruiuit Iacob in domo Laban, quin illi, inquam, in memoriam veniret de reditu in patriam. Nihilominus nato Ioſeph, inquit textus, *dixit Iacob ſocero ſuo; Dimitte me vt reuertar in patriam meam.* Gen. 30. 25. Ita mihi videtur in hoc Chriſti Domini natalitio accidere oportere. Hactenus duram ſeruitutem homines ſeruiebant, ſcelerum vinculis prægrauati,

48.

Gen. 9.

Hieron.

Eccleſia aduentu Chriſti propagatio.

Hieron.

Gen. 11.

Rupert.

Pueri natales nonniſi pura lingua celebrandi.

Gen. 30.

Digitized by Google

uati, quin ab illis exolui & expediri vellent; & nihil de ſua libertate cogitarent. Tamen nato Chriſto Domino æquum eſt, vt omnes peſſimæ tot ſcelerum ſeruituti renuntient & in libertatem filiorum Dei aſſectantur. Et improbo Tyranno, ſeu diabolo, ſeu peccato, cui ſeruit, tandem dicat: Dimitte me, vt reuertar in patriam meam; ad illas ſedes transferar Betleemicas, in illud antrum ingrediar, in quo vagit Verbum infans; in illo mea crimina deplorem, in quo Verbum infans lachrymatur, & ex illius præſcripto meam vitam omnem exigam, & componam. Ideo enim meam humanitatem aſſumpſit, vt me ſua diuinitate donaret. Vnde optimè Tertullianus, *Conuerſabatur*, inquit, *Deus vt homo; vt homo diuina agere doceretur.* Ex quo agebat Deus cum homine, vt homo ex æquo agere cum Deo poſſet. Deus puſillus inuentus eſt, vt homo maximus fieret. Cernitis, quanta neceſſe eſt, vt fiat morum mutatio? Nam ſi quanta fuit Chriſti Domini in hoc ſuo natalitio humilitas, tanta neceſſe eſt, vt à nobis morum probitas, ac ſanctitas exhibeatur, cùm illa, humilitas fuerit vſque ad ſummum eius; quis non videt, oportere, vt noſtra probitas ad altiſſimum faſtigium euehatur? Quid mirum: Nato Domino, præſente Domino, ad pietatem omnes incendamur, & rapiamur.

Nato Chriſto naſcitur libertas, iugū excutitur.

Tertull.

Paruulus factus Chriſtus vt nos adoleſcamus.

49 Ægrotabat grauiter Iacobus, iamiam ad moriendum vicinus. Pergit inuiſendum patrem filius Ioſephus; ſed vbi morienti ſeni renuntiatur, adeſſe filium Ioſephum, quid egit? *Confortatus ſedit in lectulo*, Geneſ. 48. 2. vnde, quæſo, optime ſenex iamiam moriture, vires has ad exurgendum, ſedendúmque in lectulo depromſiſti? Miratur planè D. Ambroſius. *Quis*, inquit *tam velox in curriculo quàm iſte in lectulo? Quis tā, lætus in flore adoleſcentiæ, quàm iſte in mortis cōfinio?* Quaſi diceret: Æger, moriturus, exhauſtis viribus, & effœtis tanquam pugil, & pancratiaſtes in medio ſtadio exercens vires, intendens neruos, lacertos exagitans, ita planè & Iacobus conualuit. Senex annorum, & morborum moleſtiis exulceratus, tanquam adoleſcens nouo iuuentutis vigore, & vigore animatus, ita & Iacobus, gaudio delibutus exiluit. Vnde hæc alacritas? hæc ſtrenuitas? Planè ex præſentia Ioſephi, quem vnicè diligebat, & præſentem ſummo cum gaudio intuebatur. Vel potiùs non tam ex Ioſepho, quàm ex Chriſto Domino, cuius Ioſephus erat ſatis expreſſum ſimulachrum, illos animos hauriebat. Videns enim Ioſephum, vt addit D. Ambroſius, videbat in Chriſto refulgentem Eccleſiam. Si ergo memoria Chriſti Domini tanto pòſt tempore naſcituri ita Iacobum animabat; quid ſi omnes ad naſcentis præſentiam exultamus, triumphamus gaudio, & ad exaggeratam quandam pietatem excitamur? Annum agebat nonageſimum nonum Abrahamus, cùm ad illum Deus, *Ambula*, inquit, *coram me, & eſto perfectus*, Geneſ. 17. 2. Sæpius Deus Abrahæ apparuerat, neque vnquam ad maiorem perfectionem excitarat. Cur modò ferè centenarium adhortatur? Locum illum diligenter expendite: inuenietis ibi natiuitatem Iſaac in proximum denuntiari, in qua Chriſti Domini Natiuitas promittebatur. En germana ratio, cur Abraham ad maiorem perfectionem erigatur. *Tunc*, inquit Rupertus, *debuit hoc dici: Ambula coram me*, &c. *quando omnipotentis Domini generatio parabatur.* Si igitur prædicatio huius natiuitatis tanto antè tempore facta tantam à Patriarcha perfectionem exigebat; quid ipſa exhibitio? *Ambula coram me, & eſto perfectus*; quia non iam promittitur Chriſtus, ſed exhibetur. Extirpentur radicitus priſtina malefacta; noua omnium virtutum ornamenta reducantur.

Gen. 48.

Ambr. de ſancto Iacob, & vita beat. lib. 2. c. 3.

Ambroſ. Iacenti Domino in præſepio nos erigimur.

Geneſ. 17.

Rupert.

Non fine myſterio Orientis illi Reges obtulerunt Chriſto Domino aurum, thus, & myrrham, Matth. 2. 11. Quis ignorat tria eſſe illa donaria, quibus veteres Ethnici falſis diis ſacrificabant? Quorſum igitur illa eadem nunc vero Deo offerunt, atque conſecrant? Optimè mihi videtur Tertullianus reſpondiſſe. *Thus*, inquit, *& myrrham, & aurum infanti Domino obtulerunt quaſi clauſulam ſacrificationis, & gloriæ ſecularis, quam Chriſtus erat ademptutus.* Illa omnia donaria apud falſos Deos perperam collocata, alia tranſtulerunt, apud infantem Deum optimè collocanda. *Clauſulam ſacrificationis.* Quaſi diceret, hactenus profanis diis, ſed deinceps vero Deo ſeruiemus. *Clauſulam ſacrificationis*; hæc vltima ſit meta noſtræ ſuperſtitionis, & primum noſtræ religionis exordium. Imò & clauſula gloriæ ſecularis, ad quam hactenus adſpirabamus; ſed quam deinceps aſpernemur, ſolam vagientis pueri ſocietatem, & felicitatem appetentes. Sacrificaturus Iacob abiit in Bethel, quam aliqui eandem eſſe atque Bethleem interpretantur. *Aſcendamus*, inquit, *in Bethel*, &c. Geneſ. 35. 3. Quid ibi factum eſt? Accepit omnium deos alienos, & inaures, quibus ornabantur; & hæc omnia abſcondit ſubter terebinthum. Bene eſt Patriarcha ſancte vt falſorum Deorum ſimulachra terrâ obruas, ibi conſumenda, numquam inde in lucem vendicanda: vt omnis perfidiæ memoria penitus aboleatur. Sed cur ſeorſum inaures idolorum obruendas ac ſepeliendas curas? Optimè ſanè D. Ambroſius, *Vt iam*, inquit, *nouam linguam audire aſſueſcant, veterem perfidiæ ſonum neſciant, obſureſcant aures eorum ſacrilegio, & mundentur ad gratiam.* Quaſi qui in Bethel, ſeu potiùs in Bethleem aſcendunt, & verbi infantis ſuſpiria, & ſingultus auribus percipiunt, animíſque recondunt; debeant aures profanis ſeculi vocibus obturare, & ad ſolas Dei voces aperire. Has hauriant, illas reſpuant: has in intimis cordibus infigant, illas procul ab animis exturbent: à profana gloria auertantur, ad diuinam gratiam parentur. Ita planè efficiatur, vt vbi antea Diabolus crudeliter imperabat; ibi deinceps Chriſtus Dominus ſuauiſſimè dominetur. Quod præcinens Iſaias cap. 35. 7. *In cubilibus*, inquit, *in quibus antea dracones habitabant, orietur viror calami, & iunci.* Nam, vt benè D. Ambroſius, *Vbi erant incentiua libidinis, ibi ſunt domicilia caſtitatis.* Nempe naſcente Chriſto Domino totus ad meliorem frugem orbis informatur; malis bona ſuccedunt, expelluntur vitia, virtutes reuocantur. Huc vſque licuit.

50 Matth. 2.

Tertul. lib. de Idol. c. 9.

Geneſ. 35.

Ambroſ. de Iacob. & vita beat. lib. 2. c. 7.

Deponenda vitia ad excipiendum Ieſum.

Iſai. 35.

Ambroſ.

PERVI

Digitized by Google

PERVIGILIVM X.

Cras erit vobis ſalus, cùm incaluerit Sol, &c. 1. *Regum* 12. 9.

51. ECce redit decimum ſanctiſſimi natalis perugiliũ. Et ego *retrorſum vela dare, & iterare curſus cogor relictos.* Imò ſpontaneus redeo, *& antiquo gaudeo me includere ludo.* Veſtra, Eborenſes optimi, beneuolentiâ me reuocauit, veſtrûm omnium erga Bethleemicum infantem pietas in has iterum natalitias cupedias excitauit, quæ quantum ſemper mihi attulerint voluptatis, intellexi potius carendo, quàm fruendo. Opera igitur, quæ interrupta pendebant, iterum ſuſcipio, ſi non perficienda, ſaltem continuanda.

Eborenſis Academiæ erga Puerum pietas.

52. Hugo Card. Gregor. Hugo Cardinalis de Chriſto naſcituro hæc verba accipit, & addit, *eſſe accommodatum thema in vigilia Natalis Domini.* Et D. Gregorius, *Qui eſt dies craſtinus, niſi diuinæ viſitationis aduentus.* Rectè dicitur Chriſtus noſtra ſalus. Ita appellat Filium æternus Parens. *Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ,* Iſai. 49.6. Dicitur ſalus Patris, non quòd eum ſaluet, ſed quòd ab eo mittatur ad ſaluandum. Vel quòd ſalutem noſtram tanti faciat æternus Parens, vt ſuam dicat. Hanc ſalutem Iacobus ardenter deſiderabat. Locutus enim cum tribu Dan, ait: *Salutare tuum expectabo Domine,* Geneſ. 49.18. *Quaſi diceret,* inquit Lyranus, *non ego illud ferale monſtrum de hac tribu naſciturum, nempe Antichriſtum expectabo, ſed ſalutare illud Verbum æterni Parentis filium, qui humano generi medeatur.* Ille ſerpens æneus, qui aſpicientibus ſanitatem conferebat, Num. 21. 9. Chriſtum Dominum figurauit, de quo D. Ambroſius ſermone 6. in Pſalm. 118. *Bonus ſerpens, qui de ore ſuo remedia, non venena fundebat.* Hoc eſt illud Salomonis Sapient. 16.12. *Neque herba, neque malagra ſanauit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia.* quaſi nullus ſit adeò peſtilens morbus, qui hoc Verbo non ſeuctur, ſiue mentis, ſiue corporis morbus ſit.

Iſai. 49. Chriſtus ſalus noſtra. Geneſ. 49. Lyran. Num. 21. Ambroſ.

53. Dicitur autem hæc ſalus affutura in craſtinum ob celeritatem, qua Chriſtus Dominus laboranti hominum generi ſuccurit. Vnde à celeritate nomen inuenit. *Voca,* inquit, *nomen eius, accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari,* Iſai. 8. 3. Nam ſicut nemo ſui nominis obliuiſcetur, ita Chriſtus Dominus nec illius celeritatis, qua ſalutem hominibus afferebat: quam celeritatem alius Vates equis, & quadrigis aſſimilauit, Abac. 3. 8. Quaſi hæc ſalus hominibus à Deo tribuẽda feruidis incitata rotis veheretur. Non rotas ſolùm, addo & alas. *Orietur,* inquit Dominus, *vobis timentibus nomen meum. Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius,* Malac. 4. 5. Quaſi diuinum Verbum in hominum ſalutem non equitare modò, ſed volitare videatur. Seraphinos ſtantes vidit Iſaias, & ſtatim iuxta dictionem LXX. *Miſſus,* inquit, *eſt ad me vnus de Seraphim,* Iſai. 6.6. Sed Aquila, Theodoretus, & Vulgata tranſtulerunt, *& volauit ad me vnus de Seraphim.* vbi D. Hieronymus epiſt. ad Damaſcen. *Quod,* inquit, *cæteri interpretes, promiſſum eſt volare, dixerint, intellige velocem diuini ſermonis aduentum ſuper eos, qui digni ſocietate illius iudicantur* &c.

Chriſti celeritas ad ſalutem ferendã. Iſai. 8. Abac. 3. Malac. 4. Iſai. 6. Aquila. Theodor. Vulgata. Hieronym.

54. Hic autem aduentus erit, cùm incaluerit Sol. Meridianus Sol Chriſtus Dominus in ſua Natiuitate tunc magis incaluit. In hac hora eum vehementer aſpicere deſiderauit Sponſa. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie,* Cantic. 1. quaſi diceret, Paſtor Bethleemice, vbi calores meridianos declinas? vbi Solare radios euitas? Quod idem eſt, ac ab eo petere claram natalis ſui viſionem, vt Theodoretus exponit. Nam cùm reliquis diei horis vmbras corpora efficiant, ſolùm in meridie nullas efficiunt; cùm enim Sol in meridie directè ſuos radios effundat, totáque eius lux transfundatur in corpora, nullas vmbras patitur. Ait igitur Sponſa. *Indica mihi, vbi paſcas,* &c. quaſi iterum dicat: Mi paſtor, oſtende mihi faciem tuam in meridie ſine vmbris; vmbra tui aduentus fuit Iſaac, Iacob, Ioſeph, Moyſes, & alij quamplurimi; linque has vmbras, in meridie iudica, quem diligit anima mea. Meridianus hîc Sol omnium oculos, & animos ad ſe conuertit, omnium ſenſus in maximam rapuit admirationem. In mundi conditione, quando Sol primum affulſit, reliquæ creaturæ, quæ in illa caliginoſa noctis vmbra deliteſcebant, auctore D. Ambroſio epiſt. 31. *Exuta humentibus vmbris nouum terra ſtupere Solem,* &c. *Quando Chriſtus affulſit,* inquit Vincentius ſermone de Natiuitate, *corpus eius reſplenduit vt Sol, & nox facta eſt ſicut meridies,* &c. Planetas ſua luce obſcurauit, & ex ſua pulchritudine vniuerſam mundi machinam ſuſpenſam reddidit, & attonitam. Teſtor Paſtores, quos *Dei claritas circumfulſit,* Lucæ 2. 9. *Et timuerunt timore magno.* Quæ fuit illa claritas, niſi lux increata, quæ naſcebatur in mundo?

Chriſtus Sol Meridianus. Cant. 1. Theodoret. Ambroſ. Vincent. Luc. 2.

55. Noctem iſtam die multò clariorem contemplatus eſt D. Ambroſius ſermone 16. Natiuitatis. *Qui potius,* inquit, *ipſam noctem fuiſſe non dico, nec aliquid obſcuritatis habuiſſe, in qua paſtores vigilant, exultant Angeli, aſtra deſeruiunt. Si Sola ad Ieſu Naue orationẽ defixus ſtetit in diem; cur non ad Chriſti natiuitatem feſtinus promoueret in noctem,* &c. D. Bernardus ſermone 4. *Nox vt dies illuminata eſt, cùm intempeſtæ noctis hora paſtores circumfulſit lux noua de cælo,* &c. Die Dominica lux facta, & Sol vetus pulcherrimam faciem terris oſtendit. Hac die dixit Deus Geneſ. 1.3. *Fiat lux, & facta eſt lux.* Rupertus lib. 3. de diuinis officiis cap. 16. *Nocte Dominica natus eſt Chriſtus conſonante mirabilium ſuorum ordine, vt quo die dixit: Fiat lux, & facta eſt lux, eiuſdem diei nocte orietur in tenebris lumen rectis corde,* &c. Diſcutit tenebras hic Sol, vmbras fugat, & noctem in diem conuertit. Nónne Angelus Paſtores alloquitur? *Natus eſt vobis hodie Saluator;* quaſi verò illa nox tanta luce circumfuſa eſſet, vt dies ſplendidiſſima videretur; vbi enim Chriſti vultus effulget, pulchrior it dies, & Soles melius nitent.

Ambroſ. Bernard. Geneſ. 1. Rupert. Luc. 2.

56. Hæc lux ſolaris eſt dubio procul illa gloria, quam Ioannes atteſtatur vidiſſe. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre,* Ioan. 1.14. In pulcherrimo natalis ſui exortu ſe æterni Patris filium oſtentauit. Dictio Græca habet, *Spectauimus gloriam eius,* quaſi quoddam in ampliſſimo theatro, vt notauit Caietanus, gloriam eius ſpectauimus. Præſepe ſuum in theatrum commutauit, vbi Regis perſonam egit, & theatrum dedit ſpectatiſſimum, ampliorem gloriæ oſtentationem in ſtabulo, quàm quandam Salomon exhibuit in ferculo. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media chari*

Ioan. 1. Caietan. Chriſtus in præſepio Regis perſonã egit. Cant. 3.

Digitized by Google

charitate conſtrauit propter filias Hieruſalem, &c. Cant. 3. Hoc opus, & diuitias, & ſapientiam Salomonis oſtentauit. Verùm ad medium operis omnes vires ſuas, ac neruos præſertim contulit. *Media charitate conſtrauit.* In ſeculi medio gemmarum aliquod periſtroma extendit, in quo ſui erga filios Hieruſalē amoris imago emicabat, *Media charitate conſtrauit*, ſeu, vt multi legunt, *medium tenet ipſe accenſus, ſeu combuſtus amore*; multò amplius ſuæ gloriæ ſpectaculum, & theatrum exhibuit noſter Salomon. Luc. 2. In illo ſtabulo, in quo pannis inuolutum mater eum reclinauit, non ſui amoris effigiem delineauit, ſed ſemetipſum collocauit. *Medium tenet ipſe accenſus.* Suomet corpore ſtabuli illius medium tanquam pulcherimo, & gemmato periſtromate in amoris ſui argumentum conſtrauit, & exornauit. Et hoc propter filias Hieruſalem, propter Academicos Eborenſes, propter animas ſibi deuotas, & amore deſtinatas.

57\. LXX. Interpret. *Præſepe glorioſum.* Vbi legimus, *media charitate conſtrauit.* Septuaginta verterunt, *interius lapidibus ſtratum.* Interiorem ferculi Salomonici partem pretioſiſſima gemmarum omnium ſupellex mirabiliter adornabat; at verò partem interiorem Bethleemicæ rupis ex qua diuinus noſter Salomon ferculum ſuum ædificauit, non pretioſis, ſed rudibus congeſtam lapidibus admiramur, & veneramur. Zeno Ver. Nihil ſanè rupe vilius; hæc tamen, inquit Zeno Veronenſis, *vbi amore imaginis ſuæ coactus in infantem vagijt in illa Deus, quam excelſa fuit, quam glorioſa?* &c. Sub huius rupis vmbra ſedebat Iſaias Iſai 32. cap. 32. 2. *Vmbra petræ prominentis in terra deſerta.* ſeu, vt ex Hebræo fonte hauriri poteſt, *Quaſi vmbra rupis magnæ*; vel, vt alij legunt, *honorata, glorioſa, grauis delicijs, & honore.* Reddidit Chriſtus ſua natiuitate ſtabulum illud glorioſum, & excelſum. *Conſtituiſti eum ſuper excelſam terram*, Deut. 32. Deuteronom. 32. 3. Loquitur Moyſes de Palæſtina, quæ quidem non tam montibus ardua, ſitúque ſublimis, quàm quia Dei hoſpitio in illa olim naſcituro futura ſublimior. Hoc fuit Iſaiæ Iſai. 33. vaticinium cap. 33. 16. *Iſte in excelſis habitabis, monumenta ſaxorum ſublimitas eius*, ſeu, vt Se- LXX Interpret. ptuaginta vertunt, *Hic habitabis in excelſa ſpelunca.* Excelſa nimirum propter naſcituri Regis gloriam, & maieſtatem. Quod ſequitur, hoc videtur annuere, *Regem in decore ſuo videbunt.* Ac ſi ſpelunca hæc ſit illius regia, illius thronus, & ſedes. Luc. 2. *Et ſedem illi Deus ſedem Dauid patris eius*, Lucæ 2. Salmeron. 32. Quæ fuit Dauidica hæc ſedes, qui thronus? Noſter Salmeronius tom. 3. tractat. 6. aliquot excitat quæſtiones ſuper hæc verba, quibus Angelus Virginem eſt allocutus, multáque congerit de Chriſti ſede, ſeu regno in Dauidis ſede, ſeu regno delineata. Cum autem Dauid in ſpelunca regiam ſedem, & imperium auſpicatus fuerit, cùm nimirum 1. Regum cap. 22. 1. fugit & in 1. Reg. 22. ſpeluncam Odollam ſe contulit, vbi *factus eſt eorum princeps*, qui ad illam confugerunt, exiſtimo Bethleemicam hanc ſedem, ſeu rupem, in illa ſede ſeu rupe fuiſſe adumbratam. Et ideo Dauid Pſalm. 60. Caietan. Deo gratias agens Pſalm. 60. 2. inquit, *In petra exaltaſti me.* Caietanus de Meſſia Pſalmum interpretatur. *In petra*, vertit ille, *quæ eleuabitur nomine ſimul, & fama.* Et quidem qui ignorat Bethleemicæ rupis nomen, ac famam, qua vbique celebratur, vbique colitur & obſeruatur?

58\. Nazianz. Meritò igitur Nazianzenus inquit, orat. 10. *Quid non regium in illo Puero, cuius imperium ſuper humerum eius, cui præſepe thronus, palea ſceptrum, purpura panni, ſpelunca palatiū, & Bethleem metropolis?* Chriſtus Rex in præſepio. & D. Cyprianus, Cyprian. *Tale elegit fabricator mundi hoſpitium, huiuſmodi habet delitias ſacræ Virginis puerperium, panniculi pro purpura, pro byſſo in ornatu regio laciniæ congeruntur.* & D. Bernardus Bernard. ſermone in vigilia Natiuitatis, *In his enim pannis complacet ſibi, his ſericis delectatur inuolui.* Vbi cœleſtis Puer pannulo illos induit, ſtatim in purpuram regalem, & pretioſam veſtem commutauit eoſdem. Primos parentes honeſtis veſtibus induit Dominus Geneſ. 3. Nam vbi nos legimus; Geneſ. 3. Chaldæus. *fecit eis tunicas pelliceas*, habet Chaldæus, *fecit eis veſtimenta honoris.* Quaſi verò Dei manus viles illas pelles pretioſas redderet, & honoratas, ſatis fuit vt honoris ornamenta manerent, quòd ille eas non iam faceret, ſed ſaltem tangeret. Iam verò panni illi quàm honorati, qui non ſolum tanguntur, ſed induuntur? Omnia illa quamuis vilia, & inculta, pretioſa, & pulcha reddit Infans belliſſimus. Illud antrum ſine aulæis, ſine periſtromate, palatium nihilominus videbatur. Imò licèt peripheraſmatis aureis filo, quà viridi, quà roſeo intertextis elegāter veſtitum colluceret, licèt aulæis non ſimplici, & nudo ornatu, ſed pictura textili, phrygianáque venerent, nullius oculos ad ſe conuerteret, quia omnium ſpectantium oculos ad ſe raperet Pueri pulchritudo. Audite D. Cyprianum, *Ornamenta*, inquit, *quæ deerant,* Cyprian. de nat. Dom. *Chriſtus in præſepio omnia ad ſe trahebat.* *etiamſi adeſſent, non haberet oculos inſpectatores, qui præſentia paruuli ſic eorum, qui aderant, oculos occupauerat, ſic illuminauerat animos, ſic corda illexerat, vt in hoc ſummo bono omnium bonorum vnita collectio videretur, nec opus eſſet mendicari per partes, quod ſimul in ſe vno fidelibus omnipotens infantia præſentabat.* Hæc ille. Quaſi verò vileſcerent omnia mundi decora, & ornamenta, vbi ſolus pauper hic Puer ſplendeſceret Si aurum illuc accumulares aſpectu pulchrum, ſplendore rutilum, æſtimatione pretioſum, oculos non haberet inſpectatores. Si gemmas clariſſimas, Solis fœtus, æmulas ſyderum, laqueos oculorum illuc congereres, oculos non haberent inſpectatores. Denique ſi regia inſignia, ſceptra, coronas, tiaras, purpuras ante oculos illuc obijceres, oculos non haberent inſpectatores. Omnia quidem ſordeſcerent ad pulcherrimi Infantis conſpectum, omnia oculus obiecta contenneret, oblata negligeret, in ſolo Puero conquieſceret. *Ornamenta quæ deerant, etiamſi adeſſent, oculos non haberet inſpectatores.*

59\. Athanaſ. Ita planè viſibilis apparet Deus, vt omnium viſus ad ſe alliciat. *Ideo*, inquit D. Athanaſius, *hominum amator Deus corpus ſibi aſſumpſit, homo inter homines verſaturus, vt hominum ſenſus præoccuparet, vt homines humana ſola cogitantes, quocumque ſuos ſenſus conferrent, ibi ſe anticipari, præoccupatique notionibus animaduerterint.* Hæc ille. Admirabili vſus eſt artificio, vt hominum ſenſus in illorum lucrum fallere potuiſſet. Nudus omni ornatu apparet, ſic enim vniuerſas creaturum & Creatoris diuitias præſtātiùs oculo repræſentat, & clariùs obiicit intuendas. Minùs quidem viderentur eius diuitiæ, ſi diues naſceretur. Nam *in ipſa paupertate*, inquit Theodoretus, *diuitiæ eius diuitis oſtenduntur.* Minùs glorioſus appareret, ſi gloriam, & maieſtatem ſuam naſcens oſtenderet. *Naſci voluit humilis, excelſus*, ait D. Auguſtinus lib. 2. de Sym. cap. 5. *vt in ipſa humilitate oſtenderet maieſtatem.* Auguſt. Apparuit olim Deus ſeptuaginta populi ſenibus lateritio in throno collocatus. Nam vbi dicitur, *Et ſub pedibus eius,* Exod. 24.

quaſi

Digitized by Google

quaſi opus lapidis Sapphirini, & quaſi cœlum, cùm ſerenum eſt, Exod. 24. 10. Eruitur ex Hebræo, *Et ſub pedibus eius, quaſi opus lateris Sapphirini.* nunc poſtulo, magne Deus; quando Hebræis hominibus ſedem maieſtatis tuæ niteris oſtentare, tunc in vili, & abiecto lateritij operis ſolio conſtitutus appares? Quæ Saphirini lapidis pretioſi cum viliſſimo latere ſimilitudo? Quam cum gemmeo lateritium opus rationem ſortitur? Appa-

Brixian.

ret inquit Brixianus, in laterum opere, L X X. ſenibus, *vt ſuam illis indicaret potentiam.* Ita planè aſſumpſit in ſuæ gloriæ argumentum & fundamentum, rude illud, ac vile Præſepij ſolium. Adeò,

Auguſt.

vt dicat D. Auguſtinus ſerm. 3. *quòd iſta natiuitas potentiam diuinitatis honorauerit.* Neſcio quid

Theodor.

plus honoris, & decoris in illa ineſt præſepij humilitate. Iure optimo excandeſcit Theodoretus in hæreticos homines vilia Dei incunabula quaſi faſtidientes; ſic enim apud Epheſinam Synodum. *Vides paupertatem tantarum factam diuitiarum matrem? Nunquid nocet deorſum vnigeniti ad paruum tempus abiectio, quæ tantas diuitias contulit orbi terrarum? Quid ergo exprobras Chriſti in Bethleem humilitatem? Cur paupertatem deducis ad medium eius lucra non computans? Cur indignum dicis Deo, quod tantorum honorum facta eſt occaſio? Cur paupertatem dicis indignam Deo, per quam mundus ditatus eſt?* &c.

60. Alliciat igitur nos Chriſti humilitas, non deterreat; eius humilitatem, & maieſtatem in præſepio pariter veneremur, & admiremùr cum Eze-

Ezech. 1. *Chriſtus ſimilis electro in præſepio.*

chiele cap. 1. cui Dominus apparuit humanam ſpeciem: indutus, inferior corporis pars tota igne collucebat ſuperior ſimilis electro radiabat.

Origen.

Origenes, *Non totus eſt igneus, ſed electri fulgore rutilat; non enim ſolùm tormenta habet Deus, ſunt in eo etiam refrigeria.* Probabilior eſt illorum opinio, qui dicunt electrum eſſe metalli genus ex auro, & argento mirabiliter collucens, teſte D.

Gregor.

Gregorio, *Verbum ex diuina & humana natura conſtitutum repræſentat.* In illo enim ſtabulo apparet humilis & ſublimis, infirmus & potens, pauper & diues, infans & Verbum, homo & Deus. Hoc ſtupent *Angeli Dei aſcendentes & deſcen-*

Ioan. 1. 51. Bernard.

dentes ſuper filium hominis. D. Bernardus, *Quòd in vno eodémque homine Chriſto I E S V, & infirmitatem foueant, & ſtupeant maieſtatem.* Proprietas autem electri eſt trahere ad ſe paleas, ſtipulas, & feſtucas; ita hoc diuinum Verbum, antequam electrum eſſet, cùm ſola diuinitate radiaret, neque noſtra ex humilitate colluceret, non trahebat ad ſe, imò neſcio qua ſui maieſtate omnibus inuia, & inacceſſa quoad modò auertebat, modò verò omnes ad ſe trahit ſua, ſeu noſtra hu-

Hieron.

militate. D. Hieronymus, *Fulgor ipſe & maieſtas diuinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebant, ex primo ad ſe videntes trahere poterant aſpectu*, &c. Si enim in magnete lapide eſſe vis dicitur, vt annulos, & ſtipulas, & feſtucas ſibi copulet; cur non eſſet hæc vis & poteſtas in omnium creaturarum Domino, vt quos vellet ad ſe raperet? Alliciat, quæſo, has paleas, & feſtucas electrum illud, *& de medio*

Ezech. 1. Gloſſa.

eius quaſi ſpecies electri, Ezech. 1. 4. *Species electri*, inquit Gloſſa, *Chriſtus Dominus*; in paleis naſcitur, vt nos tanquam leues paleas ad ſe trahat. Ex illo electro ſuſpendantur per hoſce dies noſtrum omnium ſenſus, mentes, cogitationes, curæ, ſolicitudines, opera, & labores. Accedamus confidenter ad electrum illud miſericordiæ, vt ab eo ſuauiter rapiamur. Fugit quidem Adamus eum loquentem ac quaſi auertentem in Paradiſo, non fugiat modo eum ſilentem, & allicientem in præſepio. *Noli fugere*, inquit

Bernard. in natali ſerm. 1.

D. Bernardus, *noli timere, non venit cum armis, non puniendum, ſed ſaluandum requirit, & ne fortè dicas etiam nunc, Vocem ſuam audiui, & abſcondi me. Ecce infans eſt, & ſine voce. Nam, vagientis vox magis miſeranda eſt, quàm tremenda.*

Itaque ad meridiani huius Solis radios nec 61

caligare, nec cæcutire videamur. Donec incaluerit Sol, aſtrum quidem benignum, quod ſuos non excæcat, ſed recreat ſpectatores. Vulsum ſuum Moyſes Hebræorum Dux radiantem vela-

Exod. 34.

mine occultabat, Exod. 34. Ac ſi erubeſceret radios effundere, quos non poſſet intuentibus diſtribuere. Mortalium nemini ſolarem ſuam faciem negat diuinus Puer, quia nemini officit, omnibus prodeſt. Et quidem maligna lux, quæ noctem, non lucem oculis impertitur. Optimè D. Ambroſius tom. 3. in epiſt. 2. ad Corinth. cap. 3. *Si enim quod euacuatur fuit in gloria, multo magis quod permanet in gloria*, inquit Pau-

Ambroſ.

lus. *Manifeſtum eſt*, loquitur Ambroſius, *non eſſe factum glorioſum, quod viſum eſt in vultu Moyſis glorioſum; quando enim nulli profuit vultus eius gloria, ſed magis obfuit, non habuit fructum gloriæ; illa autem magis gloria, quæ abundat in gratia, vt purificati homines dono Dei, abſterſa caligine poſſint videre gloriam Chriſti.* Hæc ille. Non hebetat, ſed acuit viſus ſplendidiſſima Pueri facies. Moyſi tantam adminiſtrandi populi gratiam elargitus

Exod. 18.

eſt Dominus, vt ex ea alij ſeptuaginta duo plebis moderandæ peritiam poſſint accipere; ac ſplendorem quo illius facies ex diuino conſortio rutilabat, non aliis partitus eſt Dominus. Nec mirum, quia ſplendor ille erat Lunæ cornutæ, ſeu deficientis, qui proinde diuiſus defectum proculdubio pateretur. Non ſic Chriſti facies ſolaris, quæ quò plus nobis ſpargit, eò plus haurit radiorum.

Philo.

Diuinum Verbum appellat Philo lib. de mundi opificio, lucem vniuerſalem, à qua cæteræ ſtellæ ſuam hauriunt, *Singula*, inquit, *pro viribus hauriunt conuenientes ſibi ſplendores.* Et quamuis ſic Sol nec incrementa, nec lucis ſortiatur decrementa; nihilominus nuſquam pulchrior apparet, quàm cùm nobis beneficentior ſplendet. Etſi luna magnitudine ſit minor, ſi cum cæteris aſtris conferatur, ſi vnum excipias Mercurium, luminare tamen magnum vnà cum Sole dici-

Geneſ. 1. S. Thom.

tur, Geneſ. 1. Nam vt loquitur D. Thomas 1. p. q. 70. a. 1. *præter Solem, beneficentia eſt maior illis omnibus.*

Quanta igitur non ex lunari, ſed ſolari Chriſti 62

facie bonorum omnium in nos affluet accumulatio? Alliciat ergo nos potius, quàm auertat ille Pueri vultus, qui omnium oculos ad ſe conuertit. Principi Ionathæ res mira accidit præruptam, & accliuem rupem ſubeunti, 1. Reg. 14. Enim vero in rupis vertice offendit Philiſthæorum manum, animis efferatam, vultibus truculentam, armis formidandam. Quid vlteriùs? Vno armigero ſtipatus per conferti ſſimos hoſtium cuneos erumpit illæſus. O miraculum! ita appellat Scriptura. Quid deinde? Sine haſta, ſine clypeo, ſine gladio horrendam edidit ſtragem. O miraculum incredibile! Ita repetit Scriptura. *Itaque*, textus ait, *alij cadebant ante Ionatham.* Inermis proſtrauit armatos, & profligauit. Miraculum ſanè, & iterum ac ſæpiùs miraculum. Quis tamen

L X X. Interpret.

perpetrauit? L X X. ferè explicant. *Videbant contra*

faciem

faciem Ionathæ, & cadebunt. Ac ſi maieſtas illa quæ in Principis vultu relucebat, hoſtes auerteret, ac proſterneret. *Videbant, & cadebant.* Feriebat oculis, interficiebat aſpectu, ſcintillæ quæ ab ore ardenti abſiſtebantq́, tanquam tela transfigebant pectora, obruebant animos, perdebant vitas. Qui autem noſtri Principis aſpectus? quæ facies? quæ maieſtas? qui oculi? Quocumque eius inciderint oculi, animos non faſcinant, ſed ſanant: quocunque eius forma, & facies vertitur, omnium oculos ad ſe conuertit: maieſtas quæ puerili in orę regnat, amorem potius, quàm timorem conciliat: frontis, & totius corporis ſplendores vitam non auferunt, ſed conferunt, non inferunt detrimentum, ſed important emolumentum. Optimè D. Ambroſius tom. 2. in Pſal. 45. *Eius aſpectus ſalus eſt noſtra.* Reliquum eſt vt oculos ad illum continenter coniiciamus, illum in oculis feramus, illum in intimis habeamus. *Cras erit vobis ſalus cùm incaluerit Sol.* Media enim noctę meridianus nobis Sol diuinus illuceſcet, ſine vmbra, ſine tenebris. *Nullis celatum eſt Verbum, lux eſt communis omnibus, illuceſcit omnibus*, inquit Clemens Alexandrinus in ſua adhortat. *nullus eſt in Verbo cimmerius.* Huc vſque licuit. Ambroſ. Clem. Alex.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

DE FLORIBVS SACRIS.

De VIRGINE *magna Matre problemata.*

PROLVSIO.

IN *hoc viridario, non eris, Virgo Deipara, vt roſa* granoſo *adhuc* cortice incluſa, *ſed vt roſa in rubentes foliorum calathos iam diffuſa. Minus quidem amœnum, & iucundum haberetur hoc viridarium, ſi illi vna defuiſſes, cuius* nomen cum violis roſíſque natum. *Imò viridarium diceris, ſeu* hortus concluſus, *vel quia, vt inquit Nazianzenus*, vni ſponſo Chriſto clauſa, & ſeruata es; *vel quia, vt ait Ambroſius*, vndique vallata es muro caſtitatis; *vel denique, quia flores, & fructus bonorum nobis claudis & cuſtodis. Nam, authore Nazianzeno*; amicus fidelis, hortus eſt clauſus, qui opportunè aperitur, & communicatur. *Cur autem non erit viridarium, quæ paradiſus eſt? Sed paradiſus ſine ſerpente.* Ad hunc paradiſum, *inquit Damaſcenus*, ſerpens aditum non habuit. Paradiſus ſanè totius amœnitatis, *ſecundùm Ephrem*; Paradiſus totius voluptatis, *ſecundùm Damianum. Bene ſponſus*, Emiſſiones tuæ paradiſus; omnia enim tua, *ſecundùm Bernardum*, & amœnitatis, & venuſtatis ſunt plena. Pande igitur, *loquitur Auguſtinus*, ſinus tuos roſeos Virgo perpetua. *Tuam pulchritudinem ſpinarum ſatellitium potius defendit, quàm offendit; nata enim es, dicit Victorinus*, vt flos de ſpinis, *ſed* ſpina carens. Eua quidem, *ait tuus Bernardus*, ſpina fuit, Maria roſa; Eua ſpina vulnerando, Maria omnium affectus roſa mulcendo; Eua ſpina infigens omnibus mortem, Maria roſa reddens ſalutiferam omnibus ſortem. *Accipe ergo hos flores, quos tibi miſtus nectit amore pudor, & quos tuis manibus offerimus, manibus tuis liliatis, in quibus paſcitur ille*, qui paſcitur inter lilia; *& ideo, ſi non fallit Bernardus*, repulſam non ſuſtinebimus, nec cauſabitur ille liliorum amator inter lilia non inuentum, quidquid illud ſit, quod inter Mariæ manus inuenerit. *Hæc habuit Mendoça tuus cùm ad Doctoratus ſui gradum aſcendere cogeretur. Planè coactus aſcendit, ſed nunquam caſurus, quia tuis auſpicijs feliciter elatus.*

Plin. nat. hiſtor. lib. 21. cap. 4.
Martial. lib. 9. Epigr. 8.
Cant. 4. 12.
Nazianzen. orat in laud. D Cyprian.
Ambroſ. lib. 1. Epiſt. 81.
Nazianzen. orat ad Gregor. Nyſſen.
Damaſcen.
Ephrem.
Damian.
Cant. 4. 3.
Bernard.
Aug.
Victorin.
Bernard.
Cant. 2. 16.
Bernard. de Nat. Mariæ.

PROBLEMA I.

Vtrùm liceat Virgini Deiparæ corporalia, miſericordiæ opera exercere.

1. Naturale Virginis imperium.

CVm excellus Beatæ Virginis gloria, & maieſtate ſit ſupra omnes creaturas tam rationis expertes, quàm rationis compotes, eiúſque dominium ſupra ipſas longè, latéque feratur, præſens quæſtio ſuum locum videtur obtinere. Et in primis pro parte negatiua faciunt quæ à Patribus de Virginis imperio traduntur. Nam, auctore Diuo Anſelmo, *Spiritus ſanctus Reginam imperatricem cœli, ac terræ, & omnium, quæ in eis ſunt, Sponſam ſuam fecit*. Ipſe Deus ſe illi ſubditum præſtitit, *Erat ſubditus illis*. Vnde Diuus Bernardinus ſermone 61. *Ille, qui filius Dei eſt, & Virginis benedictæ, volens paterno principatui principatum æquiparare maternum, ipſe qui Deus erat, matri famulabatur in terra, & erat ſubditus illis. Propterea hæc eſt vera propoſitio: Dominio imperio omnia famulantur, etiã & Virgo. Et iterum hæc eſt vera: Imperio Virginis omnia famulantur, etiam*

Anſelm.
Luc. 2. 51.
Bernard.
Vide Auctorem tom. 1. in lib. Reg. c. 2. ann. 15. ſect. 3 n. 30.

Prou. 8. Athanaſ. Damaſc. Rupert. Anſelm.

Deus, hæc ille. Non ſolùm Regina orbis, ſed orbis Reges facit. *Per me Reges regnant, per me Principes imperant*, Prouerb. 8. 15. 16. Hoc autem Virginis imperium non eſt metaphoricum, ſed proprium, ac germanum, ex materna dignitate deductum, vt Diuus Athanaſius habet ſermone in Euangel. de Deipara. Diuus Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 15. Rupertus in Cant. cap. 4. Diuus Anſelmus lib. de excell. Virginis cap. 9. & alij, ex quorum authoritate deducitur Deiparam iure materno eſſe Reginam rerum omnium; non electione aliqua, ſeu priuilegio, ſed ipſo iure naturali; quia omnis dignitas, & honor, qui natura ſua competit filio, ad matrem neceſſariò redit; ſed omnium rerum imperium, tam Soli, quàm cœli Chriſto competit natura ſua, vt paſſim probant Doctores, & non alibi: ergo, &c. Ex quibus pro hac parte conflatur argumentum. Non decet Reginam miſericordiæ opera, præſertim ſeruilia, ac corporalia per ſe ipſam exercere, ſed Virgo Deipara eſt rerum omnium Regina, vt probauimus, ergo &c.

Pars negatiua probatur rationi.

2. *Pars affirmatiua probatur.* Epiph.

Nihilominus pro parte affirmatiua pugnat Virginis pietas, & clementia, quam ſanctiſſimi Patres paſſim prædicant, & ſcriptis celebrant, & illuſtrant ſuis. Diuus Epiphanius oratione de eius laudibus, *Multoculam* appellat, quaſi multos habentem oculos, vt nos meliùs aſpiciat, & nobis præſtantiùs proſpiciat. Et hac de cauſa illam cum Cherubinis confert, quos Ezechiel cap. 10. 12. & Ioan. Apocalypſ. 4. 6. plenos oculis deſcribunt, non ſolùm ad ſignificandam multitudinem rerum, quas in Deo videt, ſed etiam ad ſignificandam multitudinem miſeriarum, quibus in terra prouidet. Obiectum enim miſericordiæ eſt miſeria, vt docet Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 30. art. 1. Miſericordiæ Deiparæ miſerias quibus medeatur, requirit; vbi noſtras miſerias inuenit, ibi ſuam miſericordiam effundit. Et cùm miſeriæ in corporales, & ſpirituales diuidantur eius miſericordia ad omnes pariter extenditur; omnes enim beneuolè aſpicit, liberaliter abſtergit. Et vt à corporibus exordiar, eſurientes paſcit, ſitientes potat, nudos operit, ægrotos inuiſit, peregrinos ſuſcipit, captiuos redimit, mortuos ſepelit; ſingula breui percurram.

Ezech. 10. Apoc. 4. D. Thom. *Diuiſio operum miſericordiæ.*

3. *Deipara paſcit eſurientes.*

Paſcit quidem eſurientes, quia eſt illa vidua Sareptenſis, quæ Heliam fame tabeſcentem ſubcinericio pane recreauit, 3. Regum 17. Multi hodie fame perirent, niſi Virginis victu alerentur, & epulis ſuſtentarentur, illa improbam & maleſuadam famem mortalibus ſæpe adimit, rebuſque venit non aſpera egenis. Et etiam illa Abigail, quæ Dauidi cum exercitu ſuo præ fame intereunti commeatibus ſubuenit, 1. Regum 25. 27. *Suſcipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua*, &c. Vbi nota nullam benedictionem cum pane eſſe conferendam, nulla gratior benedictio, quàm in fame miſericordia. Iam verò illum panem cœleſtem ei debemus; nonne inuitat nos Prouerb. 9. 5. *Venite, & comedite panem meum*. Diuus Auguſtinus, ſermone 2. de Aſſumpt. *Lacta mater cibum noſtrum, lacta panem cæleſtem, lacta cibum Angelorum*, &c. Dicit ſuum, vel quia illum aluit, vel quia illum coxit. Diuus Bernardus ſermone 2. Natiuit. *Felix mulier, benedicta in mulieribus, in cuius caſtis viſceribus, ſuperueniente igne Spiritus ſancti, coctus eſt panis ille*, &c. Et ſecundùm Diuum Epiphanium, *Ipſa eſt fidei menſa intellectualis, quæ vitæ panem nobis ſuppeditauit*. Et iterū Epiphanius Virginē appellat, *veluti ſacerdotē pariter, & altare, quæ quidem menſam ferens dedit nobis cæleſtem panem in remiſſionem peccatorum*, &c. Vnde Iſaias clamabat, *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*, 45. Guarric. de Annunc. *Prorſus benedicta illa terra, quæ omnino intacta, de ſolo rore cœli Saluatorem germinat, & mortalibus panem Angelorum, alimoniam vitæ æternæ miniſtrat*, &c. Eius *venter*, vt dicit Sponſus Cant. 7. 3. *ſicut aceruus tritici vallatus lilijs*. D. Ambroſius de inſtit. Virgin. c. 14. *In eo enim ſimul aceruus granorum, & floris gratia germinauit, quam Chriſtus gerebat, granum tritici, & lilium*, &c. quod granum & ſpirituales, & corporis vires refecit. Sed ad corporales dumtaxat procedamus.

1. Reg. 25. Prou. 9. Auguſt. Bernard. Epiph. Iſai. 46. Guarric. Cant. 7. Ambroſ.

4. *Sitientes potat.*

Sitientes potat; quia eſt illa pulcherrima Rebecca, quæ ſeruum Abrahæ Eleazarum multa ſiti areſcentem, oblato liberaliter potu recreauit, dicens: *Bibe Domine mi*, Geneſ. 24. 18. Dubio procul innumeri mortales ſiti extinguerentur, niſi de miſericordiæ Virginis fontibus copioſos, atque vberes latices haurirent. Prouerb. 8. de ſe prædicat Maria, *qui me inuenerit, hauriet ſalutem à Domino* Explicat Damaſcenus, *in vniuerſum quicumque bonum aliquod ſitit cum fide, ad me veniat, vt ex ea gratia, qua plena ſum, hauriat*, &c. Beatæ Virgini adſcribit Bonauentura illa verba Eccleſiaſt. 15. *Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum*. Quaſi verò Deipara non ſolùm nobis ſalutem præbeat edendam; ſed etiam propinet bibendam. Imò eius miſericordia præuolat noſtram ſitim. Probat Bonauentura in ſpeculo ex nuptiis Canæ, *Antequam fuiſſet inuocata*, ait ille, *compaſſa eſt verecundiæ illorum*, &c. Antequam ſitirent, præuertit petitionem, & liberalitas anteiuit inopiam. Vix deficit vinum, & iam ſubuenit remedium; exundant meri latices, quia miſericordiæ fontes continenter fluunt: nullus ſitit, vbi Mariæ fons perennis emanat.

Geneſ. 24. Prou. 8. Damaſc. Eccl. 15. Bonau.

5. *Nudos operit.*

Nudos operit, quia eſt illa Tabitha plena operibus bonis, & eleemoſynis, quas faciebat, ad quam in vrbe Ioppe omnes viduæ confugiebant, & quam vt commune ſuæ viduitatis, & paupertatis leuamen obſeruabant, *oſtendentes tunicas, & veſtes, quas faciebat illis*, Act. 9. 36. & 39. Nullus eſt ſeruus in domo Virginis, quem ſœminudum algere patiatur. Abeſt ſanè, abeſt talis à Beata Virgine inclementia; *Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis, omnes enim domeſtici eius amicti ſunt duplicibus*, Prouerb. 31. 21. Non ſimplici tantùm, ſed duplici amictu lineo, & laneo ſeruos ſuos contra temporis iniurias protegit, atque defendit. Bene Hugo, *Veſtis ſuus eſt, Maria*. Et Epiphanius lib. 3. hæreſ. 78. *Euæ datum eſt operire corpus ſenſibile ob nuditatem ſenſibilem, Mariæ verò datum eſt vt pareret nobis agnum, vt ex gloria ipſius agni fieret nobis velut à vellere ſapientiæ per virtutem ipſius indumentum*. Imò ipſum Verbum operuit. Nam ex viſceribus Mariæ Gedeonis hoc vellere veſtitum exiuit. *Ex vellere iſto*, inquit Hugo, *facta eſt ab Spiritu ſancto veſtis Filio Dei*. Ac tandem, auctore Metaphraſte in orat. de vita & dorm. Deip. duas tunicas, quas habebat in tegumentum ſui corporis, pauperrimis mulieribus teſtamento reliquit.

Act. 9. Prou. 31. Hugo. Epiph. Hugo. Metaphr.

6. *Inuiſit ægrotos.*

Inuiſit ægrotos. Ægrotabat lethali correptus ſyncope, ſeu deliquio Balthaſar. *Compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur*, Dan. 5. 6. In deſperata ſalute, ecce tibi Regina domum conuiuij ingreſſa eſt, & proloquens, ait, *Rex in æternum viue*, ibidem 10. Quaſi

Dan. 5.

bene

bene ſperare iuberet, & deploratæ ſalutis ægrum in ſpem vitæ reuocaret. Neque verbis tantùm, ſed etiam auxiliis adiuuit, dum Danielem acceſſiri iubet, qui præſentem tanto malo medicinam afferat. Ita profectò Virginis miſericordia antidota venenantis febribus adhibet, ſalutaria remedia applicat, ægris corporibus, & multò magis animis medetur. Proh! quoties miſeri homines per grauiſſimos morbos vitam trahentes fato concederent, niſi Virgo opitularetur, ſerpentem lucem auerteret, & graſſantem peſtilentiam extingueret, ac tandem æſtuantes morbos conſopiret!

7. *Peregrinos ſuſcipit.* Peregrinos ſuſcipit. Eſt illa Sara, quæ tribus Angelis ſuum in hoſpitium ſuſceptis, accelerauit, & tria ſata ſimilæ commiſcuit, & panes ſub-
Geneſ.18. cineritios fecit, quibus ſuos hoſpites, ſi non lautè, certè benignè paſceret, ac reficeret, Geneſ 18.6.
Bonau. Quapropter Bonauentura in ſpeculo, Virginem ita alloquitur, vt Abraham vxorem ſuam allocu-
Geneſ 22. tus eſt, Geneſ. 22. 13. *O Sara noſtra, dic obſecro, quòd ſoror noſtra ſis, vt propter te bene nobis ſit à Deo, propter talem ſororem Angeli nobis coniunguntur*, &c. Eſt illa pia Rahab, quæ duos Hebræorum exploratores liberali hoſpitio excepit, & ad
Ioſue 2. montana incolumes remiſit Ioſue 2.1. & 15. Nullus profectò ad Virginis poſtes vigilauit etiam nocte intempeſta, cui ſtatim ſua limina non paterent. Cæterum, cur non præbebit hoſpitalem peregrinis vmbram illa, quæ platanus vere eſt patulis diffuſa ramis, quibus vniuerſum genus humanum hilariter ſuſcipit, & defendit, illa, quam
Pſal.18. Spiritus Domini adumbrauit? Sub hac tamen vmbra mirus calor, & charitatis affectus. *Non eſt,*
Idiota. *qui ſe abſcondat à calore eius*, qui faciat iter peregrinus. Idiota diſertè verba deflexit. *Longè poſitos illuminat radiis miſericordiæ ſuæ, ſibi propinquos ſpecialem per deuotionem accendit, & ſic non eſt, qui ſe abſcondat à calore eius*, &c. Nullus peregrinos ardentem Abrahæ charitatem in ipſo feruore diei ſedentis in oſtio tabernaculi fugiebat, Gen.
Geneſ.18. Procopius. 18.1. Procopius egregiè, *Diligenter attendenda eſt peregrini hoſpitalitas, eo tempore, quo plerique deficere ſolent iter facientes æſtu fatigati, ipſe pro tabernaculo conſedit, cùm Sol foret feruidiſſimus. Sed quare hunc laborem ſubibat? quia grauem iacturam facere ſe putabat, ſi ſe inſcio, & oſcitante prætериiſſet viator aliquis*, &c. Nullus peregrinus miſericordem Virginis domum non hoſpitatus præterit, vigilat continenter, vt vbi miſeria adſit, illico eius miſericordia ſubueniat. Nec ſentit externum calorem, quæ interno charitatis ardore inflammatur.

8. *Captiuos redimit.* Captiuos redimit. Eſt illa Maria ſoror Moyſis, & Aaronis, quæ ſimul cum fratribus populum Iſraëliticum de ſeruitute Ægyptiaca liberauit, iuxta illud Dei ad populum. *Eduxi te de terra Ægypti, & de domo ſeruitutis liberaui te, & miſi ante faciem tuam Moyſem, & Aaron, & Mariam*,
Mich.6. Michææ 6.4. Ac ſi per hos duces illa captiuitas ſolueretur, & libertatis pileus donaretur. Eſt illa ſapiens Thecuitis, quæ principem Abſalonem ab
2.Reg 14. exilio reuocauit, 2.Reg.14.1. & 21. Eſt illa pientiſſima Eſther, quæ non minus ſuum populum, quàm ſuum animum ab Aſſueri tyrannide redemit, dicens: *Dona mihi animam meam, pro qua rogo, &*
Eſth.7. *populum meum, pro quo obſecro*, Eſther 7.3. Innumeri ſanè ſunt, qui adhuc Maurorum compedibus, & manicis tenerentur incluſi, ſi à Virgine in libertatis munus non fuiſſent aſſerti. Teſtor tot ac tanta libertatis trophæa ſacratum domorum

Mendoça Viridarium.

poſtibus affixa, quæ Virginis ſanctiſſimæ clamant patrocinium, teſtantur fauorem, & nomen prædicant ſempiternum.

Mortuos denique ſepelit, quia illa eſt funerum 9.
pia curatrix Reſpha, quæ videns ſeptem viros de *Mortuos ſepelit.*
domo Saulis mortuos, & inſepultos, totos ſex menſes, donec telluri mandarentur, diligenter cuſtodiuit. *Tollens enim cilicem ſubſtrauit ſibi ſupra petrã ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo, & dimiſit aues lacerare eos per diem, nec beſtias*
per noctem, 2. Reg. 21. 10. multa quidem cadauera 2.Reg 21.
inhumata iacuerunt, quæ ſepulturas, vel propter paupertatem non aſſequebantur, vel propter prauitatem non merebantur, quibus paupertate excluſa, & prauitate expiata, Virgo præſtitit, vt Eccleſiaſticis donata ſepulchris molliter requieſcerent. In ipſos etiam demortuos pientiſſimam ſe præbet & benignam, vt pietatis opera exerceat. Incredibilis, ac certè ſingularis eius miſericordia ad corporales miſerias ſubleuandas, ſed non minor ad ſpirituales abolendas, imò promptior & benignior apparet, vt grauioribus malis præſentior reſpondeat medicina Sed ſatis ſit de corporalibus diſputaſſe, ex quibus conſtat licere Virgini, quamuis mundi, ac cæli Reginæ, miſericordiæ opera exercere.

PROBLEMA II.

Vtrùm nobis vtilius ſit IESV *nomen ſanctiſſimum implorare, an nomen Mariæ*

INter alias quæſtiones, quæ plurimæ cedunt in 10.
honorem ſanctiſſimæ Deiparæ, vna mihi inter manus nata eſt, ſi minus à vulgaribus aliena, certè auditu non iniucunda. Vtrum nobis vtilius ſit IESV nomen implorare, an Mariæ? Illam vt expediam, vnum, vel alterum præmitto. Pono in primis Virginem hodierno die locum mutaſſe,
non naturam, humanam exuiſſe miſeriam, non Dam. ſerm. 1 de natiuit. Mariæ.
memoriam: factam, vt loquitur Damianus, im-
paſſibilem, non incompaſſibilem. Addo, quod Ruth 3. 10.
olim ad Ruth dixerat Booz priorem miſericor-
diam, quam mortalis oſtendit, ſuperare poſterio- Bonauent. in ſpec c 8.
rem, quam exhibet immortalis; quem in locum Bonauentura, *Magna fuit miſericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo, ſed maior eſt miſericordia eiuſdem iam regnantis in cælo.* Imò ex eodem, *quò melius nunc videt noſtras calamitates, eo indulgentiùs prouidet noſtris neceſſitatibus.* Vnde colligo, quod ſecundo loco præmonitas omnes velim, B. Virginem plures emittere ad Deum preces, quàm omnes ſimul cæleſtis curiæ municipes; nam ſi quo plus videt, eo plus etiam intercedit, cùm plura videat quàm omnes ſimul; palàm eſt, pluribus
etiam vti ad Deum precibus, quàm reliquos om- *Interceſſio*
nes diuinorum munerum candidatos. Iam verò, *Virginis Dei-*
ſi hinc Sanctorum omnium, illinc vnius Virginis *paræ valde*
preces trutineris, ſingularum momenta expendas, *efficax.*
diligenter exigas ad amuſſim; haud dubiè vnius interceſſio Virginis, reliquorum omnium vota ſua efficacitate ſuperabit: ita vt, ſi quemadmo-
dum apud Danielem cap. 10. Perſarum & Iudæo- Dan. 10.
rum principes Angeli aduerſari ſibi inuicem dicuntur; ſi fingamus B. Virginem aliquid à Deo poſtulantem, contrà verò omnem vtriuſque Eccleſiæ conuentum, in diuerſa ſtudia abeuntem,

Digitized by Google

illa votum obtineat, hic repulſam patiatur. D. Cyprianus, *Suis ſæpe orationibus fruſtrantur Sancti*. D. Bernardus, *Fruſtrari nequit, quod poſtulat Maria*. Vtrunque dixit D. Auguſtinus, *Virgo, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, pluſquam omnes libertatis impendere poteſt ſuffragium*. De hac re mitto plura dicere: ad id, quod caput eſt, feſtino. Age verò, facilè tibi do, virgineæ efficacitatem gratiæ, plus apud Deum, quàm Sanctorum omnium merita valere: ſi tamen cum Chriſto mediatore confeıatur, quam vim habebit? Hac in re fateor quidem Chriſtum Virgini præferendum, *ne dum matris honor extollitur*, vt inquit D. Bonauentura, *Filij gloria minuatur; & in hoc ipſa mater prouocetur, quæ magis velit honorari filium quàm ſe ipſam*.

Cyprian. Bern. ſerm. de Natiuit. Auguſt. Bonauent.

11\. Verùm ita multa de Virginis interceſſione ſacrarum literarum memorant Antiſtites, vt niſi rectè explicentur, eius cum Chriſto auctoritatem exæquare videantur. *Exauditur Chriſtus pro ſua reuerentia*, ad Hebr. 5. *Pro ſua reuerentia exauditur etiam Maria*, inquit D. Bernardus. *Chriſtus Mediator Dei, & hominum dicitur*, 1. ad Tim. 2. *Mediatrix Dei, & hominum* dicitur Maria. D. Auguſtinus, *Propitiatorem Deus propoſuit Chriſtum*, ad Rom. 3. *Propitiatricem Deus conſtituit Mariam* D. Hieronymus, de Chriſti nomine Act. 4. *Non eſt aliud nomen in quo oporteat nos ſaluos fieri*. de Virginis nomine, Germanus auctor in primis grauis, *potens eſt eius auxilium ad ſalutem, & non indiget aliquo alio interceſſore*. De Chriſto Ioann. 11. *Quæcunque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus*. De Virgine D. Anſelmus. *Quidquid tu Virgo velis, nequaquam fieri non poterit*. Quid plura? Chriſti oratio infinito modo gratior eſt Deo, quàm Sanctorum omnium preces. Idem ne de Virgine fari licet? Non auſim: audet tamen D. Damaſcenus, *Matris Dei, & ſeruorum Dei infinitum eſt diſcrimen*. Arcam fœderis typum eſſe Eccleſiæ vulgare eſt; propitiatorium deſuper impoſitum & Chriſtum, & Virginem indicare, nemini obſcurum. Arcæ altitudo certa fuiſſe traditur; propitiatorij altitudo nulla aſſignatur. Quid hoc? Orationes ſeruorum tantùm penetrare nubes, id eſt, certos habere terminos, vltra quos non extendantur: Virginis, & Chriſti preces nullis limitibus circumſcribi. Meritò, vt quemadmodum Chriſtus omnipotens eſt, ita Virginem omnipotentem Nicomedienſis Gregorius appellet. *Per orationem*, inquit Chryſologus, *fit Moyſes Pharaonis Deus, & ad triumphos ſuos militare ſibi omnia mandat elementa: per orationem Virgo fit Vniuerſæ tanquam Dea creaturæ*. Vnde Chriſtus ad illam ita inducitur à Guerrico, *Communicaſti mihi quòd homo ſum, communicabo tibi, quòd Deus ſum*. Concinit Bonauentura. *Quia Dominus potentiſſimus tecum eſt, ideo & tu potentiſſima es apud ipſum; verè vt dicere poſſis, In Ieruſalem poteſtas mea*.

Bern. ſerm. in vigilia nat. Domini. Auguſt. Hieronym. Anſelm lib. de excell. Virg c. 12. Damaſcen. Greg Nicomed. Chryſol. Guerricus. Bonauent.

12\. Auguſtiſſimum illud templum Chriſtianæ exemplar Reipublicæ Ezechieli viſum duplici menſura definitur, norma, & amuſſi; quia totius Eccleſiæ apud Deum virtus, & poteſtas certa eſt, finita eſt: at verò Chriſti, & Virginis poteſtas, ſicuti & virtus apud Deum menſuram neſcit, ignorat fines Chriſtus de ſe Matthæi vltimo, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*. Damianus de Virgine, *Data eſt tibi omnis poteſtas in cælo, & in terra, & nihil tibi impoſſibile, cui poſſibile eſt, deſperatos in ſpem ſalutis reuocare. Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſiue in excelſum ſuprà*, inquit Eſaias ad Achaz: recuſat profanus Rex, *ne tentaret*, id eſt, interprete D. Hieronymo, *ne magnificaret Deum*; ponit tamen Deus beneficium apud immerentem: ſignum edit in profundo inferni mirabile, in excelſo ſupra mirabilius: quódnam? Duplex: Virginem matrem, Deum hominem: *ecce Virgo concipiet, & pariet filium*; vtrobique præpotens Deus homo; vtroque præpotens Virgo mater. Mirabilis in cælo tantùm Ezechias, cùm ibidem ſolem retroëgit: Moyſes in aëre mirabilis, dum tranquillum tonitruis commouit, commotum noua luce ſerenauit: mirabili in mari Ionas ſub vndarum mole triduo ſuperſtes: mirabilis Saul apud inferos, cùm inde Samuelis animum excipit, vt traditur 1. Reg. 28.

Dam. ſerm. 1. de Natiuit. Virginis. Iſai. 7. 11. Hieron.

13\. His tamen omnibus in locis ſimul mirabilius ſignum extitit Deus homo; mirabilius ſignum extitit Virgo mater. *Quis*, inquit D. Bernardus, (vt interim de Chriſto ſileam,) *longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profundum huius Virginis queat inueſtigare? longitudo eius vſque in nouiſſimum diem? latitudo replet orbem terrarum, ſublimitas ciuitatis ſupernæ reſtaurationem inuenit: profundum ſedentibus in tenebris, & vmbra mortis obtinuit redemptionem*, &c. *quemadmodum Chriſtus Dominus ſtupendum fuit ſuper omnia miraculum, quia fuit precibus nullum non potuit efficere*, inquit Epiphanius, ita non immeritò Beata Virgo à D. Chryſoſtomo, *magnum mundi miraculum* appelletur, & ab Ignatio, *ſi fas eſt fari*, vt ille inquit, *cæleſte prodigium*. Duos aureos Cherubinos fabrefecit olim Moyſes, pari magnitudine, pari alarum remigio, oraculo incubantes; virili ac fœmineo oris habitu diſtinctos, dicit Arias: quidquid rideat Ioſephus, cætera quàm ſimillimos. Huius arcani myſterij mitto alia interpretamenta: hoc admitto, in illis Virginem & Chriſtum adumbratos, æquali ferme apud Deum auctoritate valituros: nam ſicut illi paribus librantur alis, ita Chriſtus, & Maria paria Deo perhibent ſpectacula, dum hæc oſtentat vbera, ille vulnera. Nihil eſt, quod Chriſtus oſtendendo vulnera, non impetret: nihil, quod Maria oſtendendo vbera, non exoret. Bene D. Anſelmus, *Te Deus*, inquit, *ô Virgo ſic exaltauit, vt omnia tibi ſecum poſſibilia eſſe donarit*, &c. Videtis, quibus adductus teſtimoniis dicere poſſem, Chriſti & Virginis interceſſionem æqualis ferè momenti eſſe apud Deum? Qua in re ſi quam cenſuram temeritatis ſubirem, cum tot Patribus libens ſubirem.

Bernard. Epiphan. Chryſoſt. Ignatius. Arias Mont. in apparatu Ioſeph. Vide Auctorem tom. 1. in lib. Reg. c. 4. c. 21. Anſelm. de laudib. Vir. c. 12.

14\. Verùm, quia illi figuratè loquuntur, planiùs iam rem totam ſine circuitione, ſine ambage decido. Dico; eſto maior ſit Chriſti, quàm Virginis apud Deum gratia, & auctoritas; tamen B. Virginem nonnunquam facilius moueri noſtris precibus, quàm Chriſtum; proinde præſentius nobis eſſe aliquando matris, quàm filij patrocinium. Ab hac ſententia ſtat auctoritas, ſtat ratio, ſtat experimentum. Auctoritas Anſelmi, quæ, ſi quid iudico, litem perorat, *Velocior eſt nonnunquam ſalus inuocato nomine Mariæ, quàm inuocato nomine IESV*. Ratio vnica, quia Chriſtus iudex eſt, *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio*. Ioan. 5. B. Virgo patrona tantùm, vt oſtendit: patronæ autem ſola eſt miſericordia. Bernardus, *Ad patronam accedere, quid trepidet humana fragilitas? Nihil auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuauis eſt*. Iudicis verò etiam iuſtitia. Ambroſius, *Non gratia moueatur iudex, ſed cauſa; non precibus flectatur, ſed meritis*. Hinc eſt, quòd Chriſtus Dominus,

Anſelm. lib. de excell. Virg. c. 6. S. Bernard. Ambroſ.

minus, Iſai. 11. iuſtitia dicitur præcinctus, quia quemadmodum cingulum vndantem chlamydem colligit, nodatque ne fluat: ita iuſtitia pronam Chriſti naturam ad miſerendum cohibet, ne flectatur. Et ſicuti Ioab baltheo ſuo aſperſit ſanguinem Abner, 3. Regum 2. quo magis incenderetur ad iram: ita Chriſtus indumentum ſuum hoſtili cruore infecit, Iſai. 63. quo magis prouocatus ad vindictam. Contrà verò B. Virgo ſole amicta dicitur, Apocal. 12. quia ſolum typum eſſe miſericordiæ, non ſolùm tradit ſuperſtitioſa mythologia Ægyptiorum, ſed vera etiam Theologia Chriſtianorum, quippe qui ſuper bonos, & malos oriatur. Bernardus. Audite, ſi vſquam aliàs
Bernard. de verb. Apoc. eleganter, hîc elegantiſſimè. *Solem ſibi Virgo induit, quia quemadmodum ille ſuper bonos & malos indifferenter oritur; ſic ipſa quoque præterita non diſcutit merita, ſed omnibus ſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet, omnium denique neceſſitates ampliſſimo quodam miſeretur affectu. Sed profectò miſericordia eſt pientiſſima Maria, electa vt Sol omnibus ſuæ lucis radios impertitur.* Pulchrè
Bonau. Bonauentura, *Quis eſt ſuper quem Sol non elucet? quis eſt, ſuper quem miſericordia Mariæ non reſplendeat?*

15. 2. Reg. 9. Dauid miſericordiæ ſuæ amplitudinem oſtentans dicebat, 2. Regum 9. *Nunquid ſupereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Dei?* Omnem ſuam miſericordiam ad Saulis domum limitauit: at verò Mariæ miſericordia non limitatur ad vnam domum, ad omnes liberaliter extenditur. Miſericordiæ obiectum, ait D. Tho-
S. Thom. mas 2. 2. quæſt. 30. art. 1. eſt miſeria. Vbi igitur miſeria datur, ibi illico præſens adeſt Mariæ mi-
Richard. Vict. ad illa verba, *duo vbera tua*, &c. Cantic. 4. 5. ſericordia. Richardus Victorinus, *Adeo pietate replentur vbera tua, vt alicuius miſeria notitia tacta lac fundant miſericordiæ, nec poſſis miſerias ſcire, & nõ ſubuenire,* &c. Cherubina illa Apocalypſeos 4. Facies videtur mihi Maria illa plena oculis, Mariæ miſericordia oculata eſt ad noſtras miſerias introſpiciendas.
Epiph. orat. de laudibus Mariæ. *Multoculam, ſeu multorum oculorum* dicit Mariam Epiphanius. Enimuerò, ſicut cæleſtes Cherubini omnem ſuam gloriam in diuinis perfectionibus cognoſcendis, conſtituunt ad contemplandum; ſic Maria in noſtris miſeriis aſpiciendis omnem quaſi ſuam beatitudinem ponit, ad ſuccurrendum. Supereſt experimentum audiatis.

16. *Roma à Virgine liberata.* Romam olim peſtifera lues inuaſit: flammam ſeſe in dies latiùs effundentem, nec diuorum omnium patrocinium, quorum limina frequenter terebantur, nec ipſius Chriſti nomen variis imploratum ſupplicijs reſtinxit: confugitur ad ſacram anchoram Virginis ſimulachrum, Lucæ, vt ferunt, penicillo graphicè expictum, tota Vrbe circumfertur. Res mira, quaſi diceret Angelo percutienti: Ceſſet iam manus tua, & non deſoletur terra; elegans iuuenis auguſtiori forma, quàm humana, in veteri mole Adriani viſitur, qui tanquam ex recenti clade ſe reciperet, mucronem ſanguine imbutum expiabat in vaginam ſtatim abditurus: ſubita viuorum ſanitas excepit diuturnam ſtragem mortuorum. Quid Conſtantinopolis? Lethalis adeò morbus vrbem te-
Procop. lib. 3. in hiſtor. Agath. *Conſtantinopolis per Virginem peſte liberatur.* nuit (narrat Procopius) vt in ſingulos dies quina, dena hominum millia efferrentur? Sola ſolitudo vrbem habitaret. Superſtitum preces onerabant æthera, non placabant; Chriſtum ſolicitabant, non conciliabant; tandem poſtridie Kalendas Februarias ſolemne feſtum Virgini decernitur redeuntibus etiam annis pari religione ce-

Mendoça Viridarium.

lebrandum, (ὑπαπάντην vocant Græci, *purificationem* Latini) mora nulla, beneficio Virginis afflatu expurgantur auræ, priſtinam in valetudinem ſemianima corpora integrantur; & quamuis vicina loca quinquaginta totos annos, & eo amplius, vt auctor eſt Euagrius, vi morbi labo- Euagrius.
rarent, Conſtantinopolis ab eo die inter flammas ne ſemiuſtulari quidem potuit. Sed quid aliena inueſtigo, cùm domeſtica non requiram? Corripuit etiam hanc vrbem malum. Illud quidem, vt effugeret Academia vniuerſa, hoc in templum confluebat, ad Chriſti vapulantis ſimulacrum acriter vapulabat, orabat, lacrymabatur, ſed incaſſum preces. Peſtis nihilominus ſer- *Ebora à Virgine peſte liberata.*
pere, & maiores in dies tragœdias excitare. Eadem calamitas extremum Eboræ minatur exitium. Quid faciat ciuitas proculdubio eis paucos dies in cineres abitura? Sacroſanctæ illi ciuitati refugij, argenteam ciuitatem pro incolumitate ciuium vouet, dicátque. O rem miraculi loco non eximendam! Sanctiſſima Deipara ciuitati ad ſe confugienti aheneus murus extitit: inſultare foribus peſtis potuit, effringere non potuit. Iam verò hoc Collegium ſingulari Virginis præſidio liberatum ſi quis dubitet, ingratus erit. Tribus pueris in fornace Babylonis adfuit quidem Ieſus, Ieſus enim, vt explicat Tertullianus, Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 10.
fuit ille ſimilis filio hominis, qui ſe illis comitem adiunxit, *& excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem.* Dan. 3. At verò nobis omnibus inter tot in- Dan. 3.
cendia morborum conſtitutis adfuit proculdubio Maria, & neſcio quam fauillam intra hos parietes nutriri cœptam, antequam excitaret incendium, compreſſit, ſepeliuit: tandem quas auras carpimus, adeò vitales reddidit & ſalubres, vt algere inter æſtus videamur. Neque enim dubitare quiſquam poteſt, quin diuina beneficia qui- *Deipara Collegium Conimbricenſe à peſte liberauit.*
bus vſi ſumus per hos menſes ſanctiſſimæ Deiparæ, cuius ſimulachrum colimus, cuius ſacellum veneramur, accepta referenda ſint.

Quòd ſi non ita pridem triplici nos telo ſauciauit, tribus è noſtris è medio ſublatis: ideo 17.
propter factum reor, vti ad cœleſtes ciues præmitteret oculatos teſtes eius pretij erga ſe, quæ in hoc Collegio nunc, vel maximè effloreſcit. Quare, *ſi ad Chriſtum iudicem veremur accedere, ad Mariam patronam*, inquit Anſelmus, *accedamus, impoſſibile eſt, vt pereamus,* &c. In Maria ni- Anſelm.
hil rigoris, qui nos deterreat, ſed omnia ſunt amoris, qui nos alliciat. Ideo *vellus Gedeonis* vulgo dicitur, quia vellus eſt manſueti, mitiſque animantis exuuium. Epiphanius Virginem vocat ouem immaculatam, quæ peperit agnum Chriſtum. Nihil ſanè Virgine mitius. Bernardus, *Volue, reuolue totam Euangelij ſeriem, ſi quid durum,* Bernard. de verb. Apoc.
ſi quid aſperum inuenias in Maria, ad illam accedere meritò verearis, &c. Quòd ſi D. Epiphanius Epiph.
lib. 3. contra hæreſes, Leænam dicit Mariam, ideo eſt, quia, vt ipſe ex aliis prodit, leænæ non contigit ſecundus partus. Leæna noſtra tota mitis ac lanea, leonem de tribu Iuda laneo humanitatis velo ſic veſtiuit, vt agnum manſuetiſſimum redderet, ita vt qui in veteri Teſtamento Leo nuncupabatur, Agnus in nouo paſſim dicatur, poſtquam ſimul de Virgine manſuetiſſima natus extitit. Ambroſius. *Vellus planè Maria, ſic idem de* Ambroſ.
molli eius ſinu agnus egreſſus eſt, &c. & addit: *Vellus dicitur, quia mollis ad obſequium, ſolida ad ſanctimoniam fuit,* &c.

Et quoniam in velleris ſimilitudinem incidi 18.

Digitized by Google

mus, non me fugit, quòd nihil vellere mitius,
nihil etiam validius ad hoſtiles impetus retun-
dendos; quippe quod ictus ingentes hebetat, at-
que refringit. Solent noſtri Luſitani (idem de
aliis eſt mos) in ſuis nauibus obtendere lanæ vo-
lumina, in quibus fulminata ab hoſtibus globo-
rum pondera, ac tormenta, & iacula cribrata
impetus frangant ſuos. Sic ira Numinis fulmi-
nans ac ſæuiens in miſeros delinquentes homi-
nes Mariæ frangitur, ac hebetatur vellere. Vn-
Athanaſ. de Deus terribilis peccatoribus, Mariæ verò dul-
cis ab Athanaſio pulchrè dicitur ſermone de ſan-
cta Deipara, *Decet te matrem Domini, atque he-
ram cognominari, ex eo quòd ex te prodijt Rex diui-
nus, cui aſſiſtis, nobis quidem terribili, tibi autem
dulci, omnémque gratiam largienti*, &c. Maria
eſt, quæ iraſcenti Numini, ac fulminanti laneum
veluti brachium obiicit, ne diuinæ iuſtitiæ gla-
Prouerb. 8. dio feriamur. Vbi legimus Prouerb. 8.33. *Audi-
te diſciplinam, & nolite abijcere eam.* Legitur ex
Alcuinus. Hebræo, *Ne feriamini.* Alcuinus in ſermone de
Natiuitate, *Ecce coram tremendo iudice aſſiſtimus
peccatores, cuius manus terribilis gladium iræ ſuæ
vibrat ſuper nos, & quis auertet eum? Nemo ſanè,
Domine, tam idoneus eſt, vt gladio Domini manum
pro nobis obijciat, vt tu Dei amantiſſima, per quam
primam in terris ſuſcepimus iuſtitiam, & miſericor-
Bonau. diam*, &c. D. Bonauentura in ſpeculo, *Ante Ma-
riam nemo ſanè fuit, qui ſic detinere Dominum au-
P. Damian. deret*, &c. D. Petrus Damianus, *Accedit ad illud
aureum diuinæ maieſtatis tribunal, non rogans, ſed
imperans, Domina, non ancilla; quomodo enim pote-
ſtati tuæ obuiare poteſt illa poteſtas, quæ de tuis
viſceribus traxit originem?*

19. Verùm enimuerò, vt rem iam claudam pro
ſumma Virginis erga Deum poteſtate, ſubit illud
Auguſt. Auguſtini iudicium. *Cum iuſtitia gladium vibrat
in homines. Pater æternus ſuum brachium, nempe
Chriſtum obiecit, non tamen continuò diuina iuſti-
tia gladium extenſum ad vulnus contraxit, ſed in
ipſum Patris brachiũ validè vulnus infligitur*, &c.
De Mariæ autem brachio, cùm illud pro nobis
extendit, ſubiicit idem Auguſtinus, & D. Am-
Ambroſ. broſius, *Te enim brachium, & manum extendente
pro nobis diuinæ vltionis gladius eleuatur, & con-
trahitur*, quaſi diuinæ iuſtitiæ rigor potius Mariæ,
quàm Chriſti potentiam veneretur. Iratum Deum
Mariæ manſuetudo exarmat. Miror Deum bel-
ligerantem, & pugnas meditantem elegiſſe in
ducem exercitus pugnaciſſimi hominem mitiſſi-
mum; & tunc magis ei placuit ad hoc munus,
quando ipſe Deus flammeus magis ac iracundus
Damaſc. apparuit in rubo illi viridi. Damaſcenus orat. 2.
de Aſſumpt. admirationem iubet deponere. Quid
enim mirum, quòd Deo vel etiam in certamen
ardenti placeat manſuetudo? vbi adumbratur Ma-
ria, quippe, quæ Deo non miniſtret fulmen,
ſed detrahat: inermem reddat Deum, non arma-
tum: flammas extinguat, non accendat. Accipe
modò Damaſcenum, *Per ſimulachrum quoddam,
& vmbram Mariæ tantus Legiſlator, & Princeps
creatus eſt*, &c. Quaſi vel ipſa ſola Virginis re-
cordatio Deum manſuefaciat, & ad miſericor-
diam inclinet. Vtile profectò Mariæ nomen, cu-
ius ſimulachrum tantos miſericordiæ fructus con-
ſequitur.

20. Rex Ioſias 4. Regum 22. Deum iratum placa-
re contendens miſit ad Holdam Prophetidem
vxorem Sellum filij Thecuæ, vt ipſa conſuleret
Dominum. Quid Rex bone relictis Prophetis,
quos poteras legare, à fœmina oraculum audire
deſideras? Lyra. *Quod Ioſias voluit habere à Do-* Lyran.
mino reſponſum miſericordiæ, & quia mulieres ſunt *Mulieres hominibus clementiores.*
*clementiores viris, miſit ad conſulendum Dominum
per mulierem*, &c. Nullum reſponſum clemen-
tius, quàm illud, quod à Maria impetratur. Vis
oraculum miſericordiæ? conſule Deum per Ma-
riam. Optimè Richardus Victorinus part. 2. in
Cant. cap. 23. Virginem alloquitur, *Carnalia in* Richard. Vict.
*te Chriſtus vbera ſuxit, vt per te nobis ſpiritalia
fluerent. Et cùm miſericordia Dei ſit ab æterno,
amplior cœpit eſſe ex tempore, & cum ex te cepit
initium, eius quoque largitas per te ſumpſit argu-
mentum. In te ergo concreuit lac diuinæ miſericor-
diæ, & ex te nobis profluxit. Ipſa prius repleta es,
& ex te nobis deſcendit hæc abundantia*, &c.
Sed quoniam Virginis vbera hinc me lactant, &
illinc Chriſti vulnera me paſcunt, cum Auguſtino
dubius fio, & neſcio, quò me vertam; his verò pau-
cis pro Maria relatis problema epigrammatice
clauditur.

Vbera me matris, Nati me vulnera paſcunt,
Scilicet hæc animi ſunt medicina mei.
Nam mihi dum lacrymas amor elicit, vbera ſugo,
Rideat vt dulci miſtus amore dolor.
At me pertentant dum gaudia, vulnera lambo.
Vt me læta pio miſta dolore iuuent.
Vulnera ſic Nati, ſic vbera ſugo Parentis,
Secura vt varia ſint mihi ſorte vices.
Quis ſine lacte precar, vel quis ſine ſãguine viuat?
Lacte tuo Genitrix, ſanguine Nate tuo.
Sit lac pro ambroſia, ſuaui pro nectare ſanguis.
Sic me perpetuum vulnus, & vber alit.

PROBLEMA III.

Vtrùm B. Virgo proprium actum pœnitentiæ aliquando exercuerit.

PRima ratio tribuendi ſanctiſſimæ Virgini pro- 21.
prium actum pœnitentiæ deſumi poteſt ex
Caluino, Sarcerio, Brentio, Chemnitio, aliiſque
huius ſeculi ſceleratiſſimis hæreticis, qui cùm exi- Hieron.
ſtimarent, vt loquitur D. Hieronymus in Epiſto-
la ad Furiam, peccantium multitudine culpam
minui peccatorum, vt ſua ſcelera excuſarent, ſan-
ctiſſimam Virginem alicuius actualis ſceleris im-
pudentiſſimè accuſarunt. *Aliàs*, inquiunt, *precari
non poſſet illam Chriſti Domini pacem, Dimitte no-
bis debita noſtra.* Vnde dicere conſequenter potue-
runt, beatiſſimam Virginem proprium, & forma-
lem actum pœnitentiæ, quo has maculas expur-
garet, elicuiſſe. Sed planè hoc fundamentum hæ-
reticum eſt, contra definitionem Concilij Clara-
montani ſub Vrbano II. vt refert Vega lib. 14. in Vega.
Trident. c. 18. ſtatuentis beatiſſimam Virginem
ne venialiter quidem vnquam peccaſſe; quam de- Trident.
finitionem Trident. ſeſſ. 6. can. 23. ſupponit, dum
ait, Eccleſiam tenere, Virginem ex ſpeciali priui-
legio omnia venialia peccata vitaſſe. Qua de re
Patrum teſtimonia plura ſunt, & notiora, quàm
vt debeant inculcari. Nihil enim frequentius, &
apertius clamant, quàm Virginem ipſis Angelis,
quos omni labe immunes eſſe conſtat, multò fuiſ-
ſe etiam in hac vita puriorem. Quam doctrinam
non ſolùm tuentur Angelicus Doctor Opuſc. 6. D.Thom.
art. 3. & quodlib. 6. art. 7. & 3. p. q. 27. art. 4. cæte-
rique Thomiſtæ ibidem, ac ſententiarij in 3. d. 9.
verùm etiam eorum plurimi, vt Gabriel, Ocha-
mus,

Digitized by Google

Almain. Alenſ. Bonauent.

mus, Almainus, imò & D. Thomas, Alenſis, Bonauentura, & alij abſolutè affirmant B. Virginem fuiſſe impeccabilem; quod licèt intelligendum non ſit de impeccabilitate ab intrinſeco: tamen non ſolũ intelligi debet de illa impeccabilitate, quæ communiter tribuitur omnibus in gratia confirmatis, ſed etiam de alia multò nobiliori. Nam confirmati in gratia neque ſunt impeccabiles venialiter; poſſunt enim venialiter labi, vt dici ſolet de Apoſtolis: neque quoad mortalia ſunt impeccabiles ex natura rei, ſed ex priuilegio ac dono gratiæ congruæ, per quam omne mortale infallibiter euitant. At verò B. Virgo non ſolùm mortaliter, ſed etiã venialiter fuit impeccabilis, idque aliquo modo ex natura rei ratione ſtatus, & maternitatis diuinæ, cui cõnaturaliter quodammodo debebantur ea auxilia gratiæ, quibus omne peccatum infallibiliter euitaretur. Quod non tollit quo minus Virgo illam Dominicam orationem frequentiſſimè vſurparet, *Dimitte nobis debita noſtra*; quia non ſua, ſed Eccleſiæ debita, vt dimitterentur, poſtulabat.

Maria ſanctitas.

22. Illos verò hæreticos Caluinum, cæteróſque eiuſdem gregis, non ſolùm à Conciliis, à Patribus, à Theologis, quos tanquam amicos ac domeſticos, ſuſpectos eſſe dicent; ſed etiam ab externis, & ab hoſtibus, arguo, & confundo. Nam & Mahometani, & Iudæi, imò hæretici, (ne in domo hæreticorum quicquam quietum & pacificum eſſe ſinam) Caluino, eiúſque ſectatoribus aduerſantur. Mahometani in ſuo Alcorano, quem Euangelij loco habent, ita tenent, *Maria*, inquiunt, *filia Ioachim, nihil malitiæ, aut prauitatis, cum viueret, vnquã operata eſt, ſed in bonitate perſeuerauit.* & ſtatim, *Nullus*, inquiunt, *naſcitur de filiis Adam, quem nõ tangat Satan, præter Mariã, & eius filium.* Iudæi verò, vt refert Galatinus lib. 7. de arcanis c. 2. 4. & 11. veteresque Rabbini, omnes certiſſimè ſentiebant etiam ante aduentum Chriſti Domini, eius matrem ab omni labe peccati immunem fore, idque ex Cant. 4. colligebant, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Iam verò ex hæreticis, qui Pelagio impudentior? & tamen is in B. Virgine accuſanda adeò ſe præbuit verecundum, vt ne nimiam quidem peccati maculam ill ſ enſerit imputandam. His ita poſitis, manifeſtè con ſtat non potuiſſe beatam Virginem proprium actũ pœnitentiæ de peccato ſuo actuali exercere. Vnde Rupertus lib. 3. & 6. Cant. & lib. 7. de gloria Trinitatis c. 13. vocat beatam Virginẽ Sunamitem, ab omni peccati iugo adeò liberam, vt in vita non habuerit, quod gemeret, niſi vulnus charitatis propter dilationem beatitudinis. Et D. Bernardus ſerm. 2. de aſſumptione Virginis quærens, cur in ea domo Mariæ, & Marthæ, in quam Chriſtus exceptus eſt, Lucæ 10. nulla fiat mentio Lazari, reſpondet, quia illa domus typus erat Virginis, Lazarus pœnitentiæ; pœnitentia verò in animo Virginis locum non habet, quia non habet ibi peccatum, quod deleat. *Virginalem*, inquit, *domum intelligi volens ſpiritus, ſiluit non incongruè pœnitentiam quæ malũ vtique comitatur: adſit enim vt proprij quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuiſſe dicatur, vt in ea proinde ſcopa Lazari quæreretur.*

Mahometanorum de Virgine iudicium.

Galatinus.

Cantic. 4.

Rupert.

Bernard.

23. Secunda ratio tribuendi B. Virgini propriũ actũ pœnitentiæ, deſumi poteſt ex Catholicis qui peccatum originale B. Virgini imponunt, quod etiam eſſe poteſt obiectum pœnitentiæ. Sed huius opinionis fundamentum paulatim iam exoleſcit. Nec immeritò. Nam ſi vera eſt, vt planè eſt, illa generalis regula, quam D. Auguſtinus lib. 5. contra Iulianum c. 9. ſtatuit, nimirum eum, qui nunquam actualiter peccauit, neq; originale quidem contraxiſſe: & B. Virgo ab actuali culpa fuit immunis, vt nemo niſi hæreticus, negat, ſanè & ab originali euaſit. Sed interim hanc rem non ago: ſolùm dico obiter, innocentiam B. Virginis in primo inſtanti ſuæ cõceptionis adeò iam conualuiſſe apud ſcholaſticos Doctores, vt in Academia Parienſi, Valentina, & aliis nullus ad Doctoratum Theologiæ admittatur, niſi priùs ſub iuramento promittat, nunquam ſe veritatem hanc oppugnaturum. Quare cùm B. Virgo originale non habuerit, non potuit de illo propriè pœnitere. Addo, licèt B. Virgo concedatur originale contraxiſſe, adhuc non potuiſſe reſpectu illius proprium actum pœnitentiæ exercere. Nam originale non eſt obiectum pœnitentiæ, vt docent communiter Theologi, D. Thom. 3 p. q. 84. art. 2. ad 3. & in 4. d. 17. q. 2. art. 2. q. 2. Bonauent. d. 16. art. 1. q. 1. Richard. ibid. art. 4. q. 1. Ledeſm. in 4. p. 1. q. 25. art. 2. dub. 2. Sot. d. 14. q. 1. art. 2. & d. 17. q. 2. art. 2. & plures alij. Poteſtque in hunc modum confirmari, quia vel B. Virgo elicuit hunc actum antequam ab originali mundaretur, vel poſtquam mundata eſt; non prius, quia tunc non videtur habuiſſe vſum rationis. nam ſi tunc non habebat formalem ſanctificationem, & gratiam habitualem, quæ eſt prima radix, & origo omnium donorum ſupernaturalium, quo pacto haberet vſum rationis? Non poſterius, quia obiectum pœnitentiæ debet eſſe actio noſtra, vel aliquid ex noſtra actione relictum, cùm non ſit aliud, quàm quædam retractatio prioris voluntatis; ſed originale neque eſt actio noſtra, neque aliquid ex ea relictum; ergo nullo modo proprium actum pœnitentiæ terminare poteſt. Et confirmatur, quia omne peccatum, quod ſubeſt virtuti pœnitentiæ, ſubeſſe quoque poteſt pœnitentiæ ſacramento; atqui originale non ſubeſt ſacramento. ergo neque virtuti.

Auguſt.

De illibata Virginis conceptione DD. & Academicarum iuſiurandum.

S.Thom. Bonauent. Richard. Ledeſm. Sotus.

Obiectum pœnitentiæ quale.

Tertia ratio tribuendi B. Virgini pœnitentiam, eſt, quia in inſtanti ſuæ conceptionis, ſeu ſanctificationis omnes habitus ſupernaturales virtutum, quæ gratiam ex natura rei comitantur, illi fuerunt infuſi, vt Patres ac Theologi communiter concedunt: ſed pœnitentia eſt ſupernaturalis virtus non minus, quàm cæteræ, connexa cum gratia ſanctificante, vt D. Thom. in 4. d. 14. q. 1. art. 1. & cæteri communiter teſtantur. Ergo hæc etiam virtus pœnitentiæ illi communicata fuit.

S.Thom.

24. Vt hanc controuerſiam expediam, aduerto pœnitentiam dupliciter ſumi poſſe, primò generaliter quatenus eſt principium eliciens deteſtationem honeſtam peccati, vbicumque ſit, per quodcumque motiuum etiam honeſtum Et hoc modo non eſt pœnitentia virtus à cæteris diſtincta; quia cuiuſcunque virtutis eſt non ſolùm amplecti ſuum obiectum bonum, ſed etiam malum eius oppoſitum deteſtari. Quare ſicut virtutes cæteræ in B. Virgine fuerunt, ita & pœnitentia, qua malum, vbicumque eſſet, deteſtabatur. Secundò ſpecialiter, quatenus eſt principium eliciens honeſtam deteſtationem peccati ex certo aliquo motiuo: quo pacto dicitur ſpecialis virtus pœnitentiæ Hoc autem motiuum proprium pœnitentiæ adhuc dupliciter ſumi poteſt, adæquatè, & inadæquatè: adæquatè eſt ius diuinum, quomodocumque violatum fuerit, compenſandum. Et hoc modo aſſero etiam in

Pœnitentia duplex acceptio.

Digitized by Google

Alenſ. Marſ. Scot. Argent.

B. Virgine fuiſſe pœnitentiam, imò & in Chriſto Domino, quatenus peccata omnia vbicunque erant, deteſtabantur, vt ius diuinum ſeruaretur, & ita tenent Alenſ. 4.p.q.12.m.1.art.1.Marſ. in 4. quæſt.10. ad 6. Scot. Argent. & alij. Inadæquatè verò eſt ius diuinum ex debito propriæ voluntatis reſarciendum: & cùm per hoc motiuum ſolum proprium peccatum retractetur, & in B. Virgine peccatum proprium nullum fuerit, fit vt neque pœnitentia ita propriè ac formaliter ſumpta, potuerit ab ea exerceri. & ita ſumitur ex doctrina D. Thomæ in 4.d.14.quæſt.1.art.3. Paludani, Richardi, Maior. & aliorum. hoc dubium tetigit Soares tom.2.in 3.par.d.4.ſect.2.& tom.4.d.7.ſect. 1.num.10.

D.Thom. Palud.

Problema IV.

Vtrùm B. Virgo adoratione latriæ adorari queat.

25. Ratio dubitandi pro parte negatiua eſt, quia adoratio latriæ oritur à virtute religionis, quę circa Deum tantùm verſatur, & propterea ſoli Deo debetur: ergo non poteſt tribui B. Virgini, alioqui hæc latria tranſiret in idololatriam. & in hoc ſenſu Damaſcenus lib. de hæreſib. & Epiphanius hæreſi 78. hæreticos Collyridianos reprehēdunt, qui B. Virginem cultu Deo debito venerabantur. Ratio dubitandi pro parte affirmatiua eſt, quia crux, quæ tribus tantùm horis Chriſtum Dominum in ſe habuit, non eſt maioris venerationis, quàm B. Virgo quæ nouem menſibus in vtero geſtauit, & pluribus poſtea fouit, ac nutriuit; ſed cruci tribuitur adoratio latriæ, vt D. Thom. 3.p.q. 25. art.4. cum ſuis diſcipulis communiter teſtatur; ergo eadem adoratio B. Virgini tribuenda eſt.

Damaſc. Epiph. D.Thom.

26. *Triplex Beatæ Virginis dignitas.* Vt quæſtionem expediam, aduerto triplicem eſſe in Beata Virgine dignitatem, ratione cuius aliqua ei adoratio debeatur. Prima gratiæ ſanctificantis. Secunda maternitatis diuinæ. Tertia contactus cum Chriſto Domino. Ratione primæ dignitatis adoranda eſt B. Virgo adoratione duliæ, quæ eſt eiuſdem ſpeciei cum adoratione aliorum Sanctorum, ſicut & ſanctitas, in qua fundatur, ſpecificè conuenit cum aliorum Diuorum ſanctitate: quamuis quia hæc ſanctitas multò excellentior eſt in Virgine, quàm in aliis Sanctis, intra eandem tamen ſpeciem; ideo adoratio Virginis in eadem ſpecie perfectior eſt, magiſque illi debetur: quæ etiam ab aliquibus, vt Palud. in 3. d. 9. q.2. *hyperdulia* appellatur. Ratione ſecundæ dignitatis, nempe maternitatis diuinæ adoratur B. Virgo adoratione hyperduliæ, vt D. Thom. 2. 2. q. 103. ar. 4. ad 2. expreſſit, & cæteri Scholaſtici communiter ſequuntur, a antiquioribus Patribus Athanaſio, Damaſceno, Anſelmo, Gregorio, Epiphanio, & aliis adhærentes.

Palud. D.Thom. Athan. Damaſc. Anſelm. Greg. Epiph.

Primum dubium. Vaſq. negat. Dubitari tamen hîc duo poſſunt. Primum, an hæc adoratio, quæ debetur B. Virgini, ratione maternitatis diuinæ, ſit nobilior, quàm illa, quæ debetur ratione ſanctitatis. Negat Vaſq. lib. 1. de adoratione d.8.c.2. quia dignitas adorationis ſumitur ex dignitate, cui debetur; ſed dignitas ſanctitatis eſt maior, quàm dignitas maternitatis, vt ſumitur ex Luc. 11. Vbi cùm mulier quædam de turba dixiſſet, *Beatus venter, qui te portauit*, ſubdidit Chriſtus, *Quin imò beati, qui audiunt Verbum Dei*, præferens nimirum ſanctitatem vitæ dignitati matris, D. Auguſt. lib. de ſancta Virginitate, c.3. Iuſtin. q.136 ad Orthodoxos, & Cyprianus ſerm. de paſſione Domini interpretantur. Ergo & adoratio propter ſanctitatem eſt maior, quàm propter maternitatem. Affirmat tamen Soar. tom.2. de incar. d.22. ſect.3. ex propoſito fundamento, quia dignitas matris quoad omnia quæ formaliter, & virtualiter, ac veluti in radice includit, eſt maior, quàm dignitas ſanctitatis; ergo. Antecedens probatur tum auctoritate Patrum, ex quibus vnus Anſelmus lib. de excellentia Virginis, c.2. vt alios omittam, *Hoc ſolum*, inquit, *de ſancta Virgine prædicari, quod mater Dei eſt, excedit omnem altitudinē quæ poſt Deum dici vel cogitari poteſt.* Tum ratione, quia dignitas matris pertinet ad altiorem ordinem vnionis hypoſtaticæ, & habet ſe ad cætera dona ſupernaturalia, tanquam forma ſubſtantialis ad diſpoſitiones præuias, & conſequentes, proindéque omnibus illis antecellit, & propter hanc præcipuè cauſam Eccleſia vniuerſa B. Virginem cæteris Sanctis anteponit; tum denique ab effectu, quia ratione huius dignitatis habet B. Virgo ius ac dominium in cæteras creaturas. vnde Athanaſius ſerm. de ſanctiſſima Deipara, *Quia Chriſtus*, inquit, *Rex eſt, & Dominus, mater, quæ eum genuit, & Regina & Domina verè cenſetur.* & Damaſcenus lib. 4. de fide, c.15. *Verè*, inquit, *rerum omnium conditarum Domina effecta eſt, cùm Creatoris mater extitit.* Ergo ratione huius dignitatis maiorem adorationem poteſt B. Virgo ab hominibus exigere, tanquam Domina à ſeruis. Et confirmo contra Vaſquez citatum n. 201. quia ille in eo anteponit adorationem Beatæ Virginis adorationi Sanctorum, quia hæc non eſt inter ſeruum ac dominum, illa verò maximè; ſed Virgo non eſt Domina ratione ſolius ſanctitatis, ſed maternitatis; ergo ratione huius excellentiorem illam adorationem vendicat.

Luc.11. Auguſt. Iuſtin. Cypr. *Soar. affirmat probabilius.* Anſelm. Athanaſ. Damaſc. Vaſq.

27. *Secundum dubium.* Secundum dubium eſt, vtrùm hæc adoratio ratione maternitatatis ſit aliquo modo honor latriæ, & à virtute religionis oriatur. Negat Vaſquez conſequenter. Vtramque partem probabilem exiſtimat Soar. affirmatiuam quidem, in qua eſt difficultas Primò, quia in humanis idem habitus, qui inclinat ad adorandum Regem, inclinat etiam ad adorandam matrem Regis, vt ſic; ſunt enim hæc inter ſe correlatiua. Secundò, quia licèt hæc excellentia matris creata ſit, tamen reſpicit excellentiam increatam, à qua ſumit ſuum valorem: vnde dicitur à D. Thoma 1. p q. 25. art.6. ad 4. eſſe in ſuo genere infinita, quia eſt ſuprema quædam coniunctio cum perſona infinita. Tertiò quia hæc dignitas pertinet ad ordinem vnionis hypoſtaticæ: atqui ratione vnionis hypoſtaticæ debetur humanitati Chriſti Domini cultus & adoratio latriæ; ergo ratione eiuſdē B. Virgini, vt matri Dei eadem adoratio tribuetur. Probo conſequentiam, quia ſicut dulia, quæ debetur gratiæ creaturæ, debetur etiam omnibus, quæ ſunt eiuſdem ordinis cum gratia: ita cultus latriæ, qui debetur excellentiæ increatæ, & ratione illius vnioni hypoſtaticæ, omnibus etiam, quæ ad eundem ordinem ſpectant, tribuetur. Ratione tertiæ dignitatis, nempe contactus cum Chriſto Domino, negare videtur D. Thomas 3.p.q 25. art 5. dicens, licèt res inanimes, vt crux, claui, & ſimiles adorari poſſint adoratione latriæ ratione contactus, quia cùm de ſe non ſint capaces adorationis, tota ea adoratio cenſetur in Chriſtum Dominum

Vaſq. Soar. D Thom. *Reſolutio.* D.Thom.

Digitized by Google

minum referri; tamen B.Virginem non poſſe hoc modo adorari, quia cùm de ſe adorationis capax ſit, iam illa adoratio in ea ſiſteret, proindéque nõ latria eſſet, ſed idololatria.

28. Nihilominus dicendum eſt, poſſe B. Virginem ratione ſolius contactus adorari adoratione latriæ. Neque D. Thomas abſolutè hoc negat, ſed quãdo eſt ſcandalum, aut periculum idololatriæ, vt eis eius interpres Caietanus exponit. Quare, ſi quis idoneus ſit ad diſcernendas rationes adorationis, & cauendum omne ſcandalum, poterit B. Virginem ratione contactus adorare adoratione latriæ: quamuis enim hæc adoratio latriæ non ſit primaria, & abſoluta, eſt tamen ſecundaria, & reſpectiua, ab vno eodémque habitu religionis proficiſcens, quod Soarius tom. 2. in 3. part. q. 37. art. 4. ſect. 3. §. *vltimò inquiri*, ſatis probabile iudicat, imò probabilius iudicandum inſinuat. Porrò in praxi, non ita facilè quilibet ad prædicta cauenda idoneus exiſtimandus eſt.

Poteſt B. Virgo adorari ratione ſolius cõtactus adoratione latria.

Caietan.

PROBLEMA V.

Vtrùm B. Virgo ſuo patrocinio aliquem aliquando ab inferis eripuerit.

29. RAtio dubitandi pro parte negatiua eſt, quia in inferno nulla eſt redemptio, vt conſtat ex Scriptura multis locis, Matthæi 25. *Ite in ignem æternum.* Iſai. 30. *Præparata eſt ab heri Topheth*, id eſt, gehenna, *flatus Domini, ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.* Ex quo flatu, qui nunquam poteſt deficere, illius ignis perpetuitas deprehenditur. Eccleſiaſtici 11. *Vbi ceciderit lignum, ſiue ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem, ibi erit*, hoc eſt, ſiue in cœlum, ſiue in infernum, vt D. Hieronymus, Vatablus, & Caietanus interpretantur. Pſal. 48. *Laborauit in æternum, & viuet adhuc in finem*, vbi labor & vita ſimul dicuntur eſſe in æternum. Et additur, *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Non dicitur, eradicabit, ſed *depaſcet*, vt iterum pullulent, ſæpiùs & in æternum depaſcendi. Iſai. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* quem locum de inferno ad litteram intelligendum eſſe, patet ex interpretatione Chriſti Domini, Marc 9. Dan. 12. *Multi*, id eſt, omnes, *ex his, qui dormiunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium æternum.* Iudith 16. *Dabit ignem, & vermem in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum.* Mitto alia loca, & Iob. 10. *Vbi ſempiternus horror inhabitat.* & Pſalm. 6. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* & ſimilia, quæ cùm in ſenſu allegorico de inferno exponantur, minùs firma ſunt, teſte D. Dionyſio, ad hanc veritatem confirmandam. Iam verò Concilia, & Patres paſſim hoc teſtantur. Nam Concil. Brachar. cap. 34. & Concil. Triburienſe cap. 31. ſtatuunt, ne pro his, qui actuali peccato decedunt, vllum fiat ſuffragium, ac ſi de illorum ſalute deſperent; vbi referunt illud D. Auguſtini. *Nemo*, inquit, *te poſt mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere noluiſti.* Hoc ipſum confirmat idem D. Auguſtinus lib. de cura pro mortuis, cap. 1. & 18. & lib. 21. de ciuitate, cap. 13. & ſequentibus; & ante illum D. Dionyſius de cœleſti Hierarchia, & Clemens lib. 8. conſtit cap. 43. In quem ſenſum dicit D. Iacobus cap. 2. ſuæ canonicæ, Deum facere iudicium ſine miſericordia, illi qui non fecit miſericordiam: quia ſcilicet nunquam eum eſt à ſupplicio miſericorditer erepturus.

Hieron. Vatabl.

Dionyſ.

Cõc. Brach. Conc. Trib.

Auguſt.

Dionyſ. Clem.

Vt hanc difficultatem expediam, ſuppono locum infernum eſſe duplicem; vnum temporarium tantùm, vt purgatorium, & limbum Patrum: alium perpetuum, vt infernum damnatorum, & limbum paruulorum. Si de priori ſermo ſit, ita ſtatuo. In primis è purgatorio multos B. Virgo eripuit: quod patet tum ex multis hiſtoriis, quæ paſſim circumferuntur: tum ex communi doctrina Theologorum in 4. d. 45. aſſerentium non ſolùm iuſtos adhuc in via, ſed iam in patria exiſtentes pro animabus purgatorij fructuosè orare. Quamuis enim beati non impetrent gratuitam remiſſionem pœnæ; hoc enim minus congruit illi ſtatui, ſaltem de lege ordinaria, vbi iam non gratia cernitur, ſed iuſtitia. Quamuis item beati ſatisfacere non poſſint pro illis animabus, cum iam ſint extra ſtatum ſatisfaciendi, qui eſt proprius viuorum: nihilominus prodeſſe illi poſſunt vno è tribus modis. Primo, impetrando à Chriſto Domino, vt de ſua infinita ſatisfactione, illis animabus tantum applicet, quantum ſatis ſit, vt à pœna liberentur: vnde iam remiſſio gratuita non euadet. Secundo, applicando ſuam propriam ſatisfactionem, ſi qua illis ſuperfuit ex operibus, quæ in vita peregerunt; hæc enim in theſauro Eccleſiæ reſeruantur ab ipſis beatis, ad quos pertinent, pro ſuo arbitrio, his, vel illis perſonis applicanda. Tertio, poſtulando à Deo, vt excitet viuentes ad neceſſaria ſuffragia, & condignam ſatisfactionem exhibendam: & quolibet modo ex prædictis B Virgo potentiſſima eſt ad illas animas è purgatorio vendicandas. 30.

Duplex inferni locus.

Quod attinet ad limbum Patrum, tripliciter fingi poteſt animas inde liberari. Primò per propriam mutationem illius ſtatus in ſtatum beatitudinis; ſed hæc liberatio eſt propria redemptoris, vt de fide conſtat, ex communi Theologorum doctrina, in 3. d. 18. & in 4. d. 2. & 3. part. qu. 49. & 52. Vnde ſolus Chriſtus habere dicitur clauem abyſſi, Apoc. 20: quia ſolus inferni poſtes reſerauit: in quo ſenſu appellat D. Hieronymus in epiſtola ad Dardanum, Chriſti ſanguinem clauẽ paradiſi. Et propterea dicit D. Thom. Chriſtum Dominum appellatum fuiſſe oſtium, Ioan. 10. & viam, Ioan. 14. quia ipſe aperuit viam, & oſtium regni cœlorum: quod D. Paulus ad Hebr. 9. ſatis expreſſit, dum ait: *Initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id eſt, carnem ſuam*; nam antea, vt D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Ambroſius, & alij loquuntur, regnum cœlorum erat mortalibus inacceſſibile. Secundò dicuntur animæ inde eripi ſolùm metaphoricè, quatenus ex illa afflictione, quam illis afferebat ſpes dilata, quæ non poterat non eſſe maxima, vt D. Gregorius lib. 13. moralium, cap. 16. D. Auguſtinus ſermone 2. de reſurrectione, D. Thomas 3. part. quæſt: 52. art. 2. Caietanus ibidem, aliíque teſtantur, quatenus, inquam, ex illa afflictione, aliqua ex parte releuabantur. Et hoc modo non eſt dubium quin B. Virgo ab illa afflictione eas animas recrearet. Nam cùm B. Virgo de congruo meruerit incarnationem ſaltem quoad accelerationem myſterij, & condignè ſe diſpoſuerit, vt eſſet mater Dei, & conſentiendo Angelo incarnationem nuntianti medium præbuerit humanæ redemptionis, & hæc omnia illis Patribus ex diuina reuelatione innotuerint; non poterant non ingenti gaudio cumulari. Tertiò dici poſſunt eripi 31.

Animarum triplex ſolutio à limbo Patrum.

Hieron.

Chryſoſt. Theoph. Ambroſ.

Gregor. Auguſt. D.Thom. Caietan.

B. Virgo quo pacto meruerit incarnationem.

pi

pi è limbo, non quidem mutando ſtatum, ſed mutando locum ſaltem ad tempus; & in hoc ſenſu non video vtilitatem vllam, ratione cuius B. Virgo debuerit aliquam inde animam vendicare. Alioqui, ſi aliqua vtiltas occurriſſet, planè vendicaſſet: quod probo, quia licèt de lege ordinaria animabus in limbo incluſis non pateret egreſſus; nihilominus in ea lege, ſi oporteret, ſanctiſſimæ Virginis precibus diſpenſaretur. Nam ſi in ea diſpenſatum eſt interuentu vnius Pythoniſſæ, veram Samuelis animam inde euocantis, vt habetur 1. Regum 28.& clariùs Eccleſiaſtici 46. vt ex antiquioribus egregiè confirmant Ioſephus, Iuſtinus, D. Auguſtinus, D. Ambroſius, D. Baſilius, D. Hieronymus, D. Thom.& ex recentioribus, Lyra, Abulenſis, Carthuſianus, Caietanus, Ianſen.& ex noſtris Cardinalis Bellarminus, Suarez, Pererius, & alij, quis dubitet Sanctiſſimę Virginis oratu poſſe in eadem diſpēſari; quamuis de facto, quia neceſſitas nulla fuit, diſpenſatum non ſit?

Ioſeph. Iuſtin. Auguſt. Ambroſ. Baſil. Hieron. S. Thom. Lyra. Abulenſ. Carthuſ. Ianſen. Bellarm. Suarez. Perer.

32. *Animæ ab inferno liberantur à B. Virgine.*

Tota igitur controuerſia manet de altero illo loco inferni perpetuo, ſiue paruulorum, ſiue damnatorum: de vtroque enim eadem videtur eſſe ratio. Dupliciter igitur intelligi poteſt, quòd B. Virgo animas ab inferno liberet. Primò per anticipationem, tenendo illas, & protegendo, ne in infernum labantur. Secundò eaſdem poſtquam lapſæ fuerint, extrahendo. Priori modo per anticipationem dubium non eſt, quin B. Virgo multos ab inferno liberarit. Dubitari verò poteſt, vtrùm hæc anticipatio, ne ruant in gehennam, ſit ſolùm ante mortem, impetrando illis congrua auxilia, quibus conuertantur. An etiam poſt mortem, exorando iudicem, ne extremam in eos damnationis ſententiam fulminet, ſed in priorem vitæ ſtatum, in quo agant pœnitentiam, reducat.

Multi ante mortem à B. Virgine liberati.

Et quidem communior modus anticipandi hanc liberationem eſt ante mortem. Sic enim ordo diuinæ prouidentiæ ſuauiter procedit, & prædeſtinationis effectus infallibiliter conſequuntur, & in hoc ſenſu dicit Bernardus ſermone 98. à B. Virgine cœlum impletum, infernum euacuatum. Et Germanus ſermone de zona Virginis, plurimos ſanctiſſimæ Deiparæ interceſſionibus ab æterno ſupplicio liberatos, & Cyrillus Alexandrinus hom. 6. contra Neſtorium, B. Virginis patrocinio multos ab æternæ damnationis ſententia ereptos; & ſimiliter Chryſoſtomus, Anſelmus, Fulgentius, cæteríque Patres communiter loquuntur: neque deſunt in huius rei confirmationem chariſſima exempla, quale eſt illud celeberrimum Theophili, quod narrant Metaphraſtes, Honorius, Antoninus, & Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus, cuius ſe oculatum teſtem fuiſſe dicit, vbi B. Virginem appellat *pōtem* peccatorum ad Deum, & *ſpem* eorum, qui ſpes omnes abiecerunt. Idem exemplum recognoſcit Petrus Damianus ſermone 1. de natiuitate Virginis, hiſce verbis, *Quid tibi*, ait, *negabitur Maria, cui negatum non eſt Theophilum de ipſis perditionis faucibus reuocare?* Itaque aliquando mortem ſolet B. Virgo anteuertere, ne peccatores condemnentur.

Bernard. German. Chryſoſt. Anſelm. Fulgent. Metaphr. Honorius. Antoninus. Eutychius. P. Damian.

33. *Multi poſt mortem à B. Virgine liberati.*

Cæterùm non dubito multos etiam poſt mortem, ne in æternas pœnas truderentur, B. Virginis precibus fuiſſe liberatos, & in priorem vitæ ſtatum, in quo pœnitentiam agerent, reſtitutos. Moueor primò, quia hoc aliorum Sanctorum precibus conceſſum eſt; nam Apoſtoli, Prophetæ, aliique inſignes viri, multos in peccato mortali mortuos excitarunt: proindéque ne æternis ignibus traderentur, ſuis precibus obtinuerunt; ergo idem obtinere ſine dubio potuit, & de facto obtinuit B. Virgo. Reſpondet Soto in 4. ſententiarum, d. 45. quæſt. 2. art. 2. omnes illos in gratia deceſſiſſe. Sed contrà, tum quia non eſt facilius hominem in gratia decedentem, proindéque omni periculo iam defunctum, iterum in aleam, in certamen, & in periculum reducere, quàm hominem decedentem in peccato, proindéque deploratæ ſalutis iterum in ſpem vitæ æternæ reuocare; ergo ſi illud fieri potuit, etiam & hoc: tum etiam, quia id, quod dicit Soto, videtur per ſe eſſe incredibile. Quis enim dicat ex tanta multitudine non ſolùm fidelium, ſed etiam infidelium, qui Sanctorum interceſſione ad vitam redierunt, omnes in gratia abiiſſe? Præſertim cùm ex Patrum hiſtoriis oppoſitum omnino colligatur. Nam D. Ambroſius ſermone 90. & D. Maximus ſermone 2. narrant D. Agnetem excitaſſe à mortuis iuuenem idololatram, quem diabolus occiderat, cùm actuali peccandi deſiderio æſtuaret. Et D. Gregorius lib. 1. Dialogorum cap. 12. ſcribit à S. Seuero excitatum quendam virum peſſimum, qui à dæmonibus in infernum deduceretur. Item Egeſippus lib. 3. cap. 2. ſcribit B. Petrum à morte excitaſſe virum quendam Ethnicum affinem Cæſaris. Deinde Euodius lib. 1. de miraculis S. Stephani dicit puerum mortuum ante Baptiſmum, ad reliquias S. Stephani excitatum. Itaque, ſi horum Sanctorum patrocinio animæ illæ in peccato decedentes, præſeruatæ ſunt, ne in infernum mitterentur; quis iure negare queat, B. Virginis patrocinio aliquem ſimilem caſum eueniſſe? Moueor ſecundò, quia multæ circumferuntur hiſtoriæ fide dignæ apud Speculum exemplorum d. 3. cap. 46. apud Diſcipulum 1. part. ſermone de B. Virgine, & paſſim alibi, ex quibus conſtat impias animas è corpore exeuntes, ac diabolis iam tradendas, ſanctiſſimæ Deiparæ precibus ab eorum laqueis expeditas, & ſuis corporibus ad agendam pœnitentiam reſtitutas.

Sotus. Ambroſ. *Multi excitati à Diuis in peccato decedentes.* Maximus. Gregor. Egeſip. Euodius. Speculum exempl. Diſcipulus.

34. *Alter ſenſus quæſtionis. Prima reſolutio.*

Supereſt ille alter ſenſus, an B. Virgo eripuerit animas de facto in inferno iam incluſas? In qua re dico primò, quamuis de fide ſit pœnam inferni eſſe æternam de lege ordinaria, vt patet ex ratione dubitandi initio propoſita; tamen non eſſe de fide, nunquam in ea lege diſpenſatum, neque de facto diſpenſandum: quemadmodum licèt de fide ſit, omnes de lege ordinaria mori, & actualiter aliquando peccare, & cum originali culpa concipi; non eſt tamen de fide has leges excludere omnia priuilegia, ac diſpenſationes. Vnde adhuc datur locus præſenti controuerſiæ.

Inferni pœna æterna.

Secunda reſolutio.

Dico ſecundò, probabilius multò eſſe, ac certum, nullius precibus fuiſſe aliquam animam ab inferno ad cœlum immediatè tranſlatā. Probatur, quia illa anima non dubitat transferri in cœlum cum peccato, & ante pœnitentiam, hoc enim eſt impoſſibile: pœnitentiam autem agere non debuit de lege ordinaria in inferno, quia eſt locus deſtinatus pœnis inuoluntariis, ac minimè ſatisfactionis: neque vlla neceſſitas, aut vtilitas apparet, cur in ea lege debeat diſpenſari; ergo nunquam debuit ab inferno in cœlum immediatè transferri. Solùm igitur quæri poteſt, an ſaltem mediatè redeundo priùs in ſtatum viæ, & agendo ibi pœnitentiam, poſſit tandem in cælum transferri.

Dico

Digitized by Google

35\. *Tertia reſolutio.* Dico tertiò: Aſſerere hoc abſolutè ſine ſufficienti fundamento contra generales regulas Scripturæ eſt planè temerarium, vt Theologi communiter concedunt. Nunc autem videamus, an ſit aliquod ſufficiens fundamentum, vt hoc priuilegium ſanctiſſimæ Virginis precibus tribuatur. Propono breuiter fundamentum, & aliorum iudicio expendendum relinquo. In primis ab auctoritate grauiſſimi, & antiquiſſimi Patris Ephrē Syri, qui in Threno, ſeu lamentatione Virginis (Ephrem Syrus.) eam ita compellat, *O ſacroſanctiſſima*, inquit, *deſperantium ſpes, & damnatorum patrocinatrix.* Neque dicas loqui de damnatis ad purgatorium, nam hi non dicuntur ſimpliciter damnati & multò minus deſperantes, de quibus hîc agit. Præterea alia Patrum teſtimonia, quibus ſignificant beatiſſimæ Virginis precibus nihil omnino eſſe impoſſibile. (Greg. Nicomed.) Nā Gregorius Nicomedienſis B. Virginem appellat omnipotentem. (Anſelm.) D. Anſelmus de laudibus Virginis c. 12. *Te*, inquit, *Deus, ſic exaltauit, vt omnia tibi ſecum poſſibilia eſſe donarit.* (Damian.) Petrus Damianus ſerm. 1. de natiuitate Virginis, *Data eſt*, inquit, *tibi omnis poteſtas in cœlo & in terra, & nihil tibi impoſſibile, cui poſſibile eſt deſperatos in ſpē ſalutis releuare.* & vt magis hanc poteſtatem Virginis exaggeret, ſubdit, *Accedis ad illud aureum reconciliationis humanæ altare non ſolùm rogans, ſed etiam imperans, domina, non ancilla.*

36\. Deinde argumentor in hunc modum. Quæcunque priuilegia alicui creaturarum à Deo collata ſunt, ea omnia collata fuerunt B. Virgini, ſi modò capax illorum fuit vt omittam poteſtatem ordinis, & ſimilia, quorſum incapax erat propter ſexum: ſed priuilegium eripiendi aliquam animam ab inferis, aliquibus collatum fuit; ergo & B. Virgini. Conſequentia eſt euidens. Maior eſt principium communiſſimum, & receptiſſimum inter Patres ac Theologos. (Bernard.) Vnde D. Bernardus epiſt. 174. *Quod vel paucis*, inquit, *mortalium conſtat fuiſſe collatum, nō eſt fas ſuſpicari tanta Virgini fuiſſe negatum.* (Idiota. Bonau. Auguſt. Damaſcen. Athanaſ. Cyprian. Chryſoſt. Ambroſ. Hieron. Method. D. Thom. D. Anton. Durand. Soar.) Vnde tenet doctus Idiota tom. 5. biblioth. lib. de contemplatione Virginis cap. 2. Bonauent. in ſpeculo c. 5. 6. & 7. Auguſt. ſerm. 21. de tempore, Damaſcenus oratione 1. de dormitione Virginis, Athanaſ. Cyprian. Chryſoſt. Ambroſ. Hieron. Methodius, D. Thomas, Caiet. D. Antoninus, Durand. & alij, quos citat, & ſequitur Soarez tom. 2. d. 1. ſect. 2. Minor autem, in qua ſola eſt difficultas, ſuadetur primò, ex c. 7. Eſai. vbi Propheta ad Achaz, *Pete tibi ſignum à Domino, ſiue in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra*, hoc eſt, Pete quodcunque miraculum, ſiue in cœlo, ſiue in terra, do tibi optionem, ſeu, vt Lyra & Abulenſ. exponunt, Pete, vt quicunque mortuus elige quem volueris, ſiue in cœlo, hoc eſt, ſinu Patrum; ſiue ex inferno tam purgatorio, quàm paruulorum, & damnatorum (hanc enim emphaſim habet illud, *in profundum inferni*,) ſuſcitetur: planè ſuſcitabitur. Nam, vt Abulenſis aduertit, (Abulenſ.) *manifeſtum eſt*, inquit, *quòd Deus vellet illud agere, quod Achaz peteret, alias perſuaſio Prophetæ eſſet deluſoria.* Itaque ſi Achaz peteret, vt excitaretur Cain, aut Saul, aut Pharao, quos omnes conſtat iam tunc eſſe in inferno, planè inde ſceleratiſſimi Regis Achaz, interceſſione extraherentur. Quis ergo dubitet de interceſſione Virginis?

37\. *Probatur ſecundò ab auctoritate.* Secundò auctoritate Anaſtaſij Antiocheni, qui in ſuo itinerario Platonem refert, deſcendente Chriſto Domino ad inferos, inde extractum eſſe; quam hiſtoriam non ſolùm refert, ſed etiam approbare videtur Nicetas Nazianzeni interpres, (Anaſtaſius. Antioch. *Extracti ab inferis.*) oratione 2. in Paſcha, monens, ne exiſtimemus ſemper eſſe pœnitentiam in inferno; *ſemel enim*, inquit, *hoc contigit, cum Chriſtus deſcendit ad inferos.* (Nicet. Salmeron. Damaſc.) Eidem hiſtoriæ fidem habet Salmeronius tom. 4. in epiſt. d. 26. Deinde Damaſcenus ſerm. de defunctis, refert orationibus B. Teclæ primæ martyris extractam ab inferis Falconillam, fœminam Gentilem, profanam cultricem idolorum; & orationibus Gregorij Magni ereptum ab inferis Traianum non ſolùm idololatrā, ſed etiam multorum martyrum nefarium occiſorem. Subdítque Damaſcenus. *Teſtatur Oriens, & Occidēs totus miraculum hoc germanum, & irrefutabile.* Et quamuis multi dubitent de veritate huius hiſtoriæ; eam tamen approbant Alfonſus Ciacon in apologia de hac re. Cordub. lib. 1. quæſt. 51. (Ciacon. Cordub. Rebuff. Altiſiod. Medina. Caſſan. Nauar. Viguer. D. Thom. Durand. Richard. Gabriel. Carthuſ. Orbelius. Henri. Bellarm. Soarius.) Rebuff. in concord. Altiſiod. lib. 4. Medin de oratione. Albert. 1. p. ſum. q. 77. Abul. 4. Reg. q. 57. Ledeſm. 2. p. q. 16. art. 13. Caſſanæus in catal. conſid. 17. Nauar. de oratione notab. 22. Viguer. tit. de pœnitentia cap. 16 & dicit eſſe communem; eam etiam admittit D. Thomas in 4. d. 45. q. 2. art. 2. ad 5. Durand. Richard. Gabriel. Carthuſ. Orbelius, & alij, quos citat, & ſequitur Henriq. noſter lib. 9. de Miſſa cap. 16. & quamuis ex noſtris Bellarm. & Soarius, eam omnino non approbent; eam tamen omnino non excludunt: ſed ea ſuppoſita reſpondent, fuiſſe quidem eam animam in inferno, non tamen finaliter damnatam, ſed ad tempus ſecundùm præſentem iuſtitiam, ne prædeſtinationis ratio deficiat. Quod mihi ſatis eſt. Neque enim volo animam finaliter damnatam B. Virginis precibus ereptam ab inferno vnquam fuiſſe; hoc enim eſt omnino impoſſibile: ſed animam quoquo modo apud inferos incluſam. Tandem confirmari poteſt hoc fundamentum ex multis hiſtoriis, quæ in huius rei confirmationem circumferuntur, & quibus referendis tempus non ſuppetit.

PROBLEMA VI.

Vtrùm B. Virgo omnium prima virginitatis voto ſe obſtrinxerit.

38\. EXcluſis hæreticis Centuriatoribus, qui cum Caluino abſolutè negant B. Virginem votum virginitatis emiſiſſe; qui patrum ac Theologorum conſenſu palàm conuincuntur. (*Difficultatis ſolutio pro parte negatiua.*) Inter Catholicos dubium eſſe poteſt, an ſaltem S. Virgo in hoc voto emittendo prima fuerit? & pars negatiua ſuadeti poteſt. Primò, quia etiam ex profanis hiſtoriis conſtat, multas fœminas pluris virginitatem ſuam feciſſe, quàm vitam; de qua re multa D. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, (Hieron.) vbi innumeras commemorat Virgines, quæ ne minimam pudoris labem, paterentur, vitam potiùs perdere voluerunt: ergo aliquæ fortè illarum voto ſuam virginitatem confirmarunt. Secundò in Scriptura, tam in lege naturali, quàm in ſcriptura multi fuerunt Virgines; talis fuit Abel, vt etiam ex Hebræis Rabbi Salomon Gen. 9. & (Bellarm.) Rabbi Chimhi Eſai. item 6. apud Bellarm. lib. 2. de Monachis c. 5. & 6. teſtantur; talis Melchiſedech, Ioſue, & Ieremias, vt docet Ignatius epiſt. (Ignatius.) ad Philadelphenſes; talis Elias, Eliſæus, Daniel,

&

Damaſc. Ambroſ. Greg. Niſſ.

& eius ſocij, vt refert Damaſcenus lib.4. cap.25. Talis Enoch, vt aſſerit V Valdenſ lib.3. doctrin. fidei art. 1. cap. 1. Talis Maria ſoror Moyſis, vt D. Ambroſius lib.1. de Virginibus, & Gregor. Niſſen. lib. de virginitate 3. confirmant; ergo cùm tam firmiter in hac virtute perſeuerauerint, quis neget voto ſe ad illam obſeruandam muniiſſe? Tertiò confirmari hoc poteſt ex filia Iephte Iud.11. quam ibi dicitur eius pater Deo immolaſſe, non quidem realiter occidendo, vt exiſtimant Hebræi, quos Lyra, & Abulenſ. ſequuntur; & probant, tum, quia Iephte, cùm eſſet iuſtus, non videtur hoc votum emiſiſſe, quod imprudens erat; & illicitum: túmque eſto vouiſſet, non impleſſet, cùm non teneretur ad implendum: neque potuit ignorantia laborare, cùm duos menſes voti impletionem differret; quo ſpatio temporis facilè potuit ab aliquo viro doctiori erudiri, & ab eo ſcrupulo, ſi quem habuit, liberari: tum denique, quia illo loco iudicum nulla fit mentio, aut ferri, aut gladij, aut ignis, aut ſanguinis, aut alterius rei, quæ proprium interitum ſignificet, vt fit in ſacrificio Abrahæ; ergo neque Iephte vouit occidere, neque de facto occidit corporaliter; ſed tantùm ciuiliter & ſpiritualiter per obſeruantiam virginitatis; *eo modo*, inquit Lyranus, *quo religioſi dicuntur, inquantum a mundanis actibus ſegregantur, & diuinis obſequiis totaliter mancipantur.* Vnde fieri potuit, vt filia Iephte mortua credatur, quatenus per votum caſtitatis Domino fuit conſecrata, quod ipſa ſignificaſſe videtur, cùm duos menſes à patre poſtulauit, vt plangeret virginitatem ſuam. Et confirmari poteſt ex modo loquendi Scripturæ, in qua mori dicuntur ea, quæ Deo conſecrantur. Nam cap. vltimo Leuitici, dicitur, *Omnis conſecratio, quæ Domino offertur, ab homine non redimetur, ſed morte morietur.* Et ſtatim ibi dicitur, quòd homo poterat Deo conſecrari; cùm tamen conſtet ex eodem loco non poſſe hominem occidi. Non fuit igitur filia Iephte occiſa, ſed per votum caſtitatis Deo conſecrata, proindéque B. Virgo non fuit prima, quæ hoc votum emiſit.

Lyran. Abulenſ. Lyran.

39. *Solutio pro parte affirmatiua.*

Ambroſ. Hieronym. Epiphan. Orig. Auguſt. Caniſius. Henric. Suar. Vaſq. Barradas. Rupert. Ildefonſ. Beda.

Pars tamen affirmatiua à Patribus ac Theologis creditur omnino vera. eam tenet D. Ambroſius lib. de inſtitutione Virginis c.5. D. Hieronymus epiſt. 2. ad Euſtochium, Epiph. hæreſ.78. Origen. in c.12. Matth. Auguſtin. tract.10. in Ioan. & plures alij, quos Caniſius lib.2. de Deipara c.14. Henric. lib.2. de matrimonio c.5. Suar. tom. 2. diſp.7. ſect.3. Vaſq. in 3. p. tom. 2. quæſt. 28. d.124. c.5. Barradas tom.1. lib.7. c.10. referunt & ſequuntur. Adde Rupertum in Cant. lib.3. iuxta finem his verbis. *Quia votum egregium prima vouiſti, votum virginitatis*, &c. Ildefonſum ſerm. 5. de Aſſumpt. *prima omnium fœminarum Deo virginitatem obtulit*, &c. Bedam Lucæ 1. *prima fœminarum tantæ ſe virtuti mancipare curauit*, &c. Vbi verbum *mancipo* pro ſeruitute, ſeu obligatione voti nuncupati accipi debet. Probatur primò ex D. Thoma 3. p. q. 20. art. 4. quia votum virginitatis pertinet ad ſtatum perfectionis; ergo debuit in beatiſſima Virgine, quæ poſt Chriſtum eſt, totius perfectionis menſura inchoari. Secundò, quia olim in lege ſcripta huius virtutis non ſolùm votum, ſed etiam propoſitum exultabat, laudabatur fœcunditas, ſterilitas contemnebatur, Exod.23. *Non erit infœcunda, nec ſterilis in terra ſua.* Deut. 7. *Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus.* Iſai. 31. *Beatus, qui habet ſemen in Sion: & maledicta ſterilis, quæ non parit.* Nihil aliud audiebatur, quàm vox illa, *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram: at in Eccleſia*, inquit Bernardus ſerm. 59. *vox turturis audita eſt, hoc eſt, prædicatio caſtitatis, cùm B. Virgo illud inſonuit, Quoniam virum non cognoſco.* & addit Bernard. *Sonuit vox, ſplenduit flos*; quaſi verò ab hoc initio tam multa caſtitatis germina cœperint in orbem propagari: quod innuiſſe videtur Epiphanius ſuprà, dum ait, conſuetudinem antiquæ Eccleſiæ fuiſſe vouere Deo virginitatem in honorem, & imitationem B. Mariæ. Haud ſecus ſi illam, vt primum exemplar huius virtutis, imitandam ſibi proponerent; & vt ductricem ſequerentur. In quem ſenſum exponi communiter ſolet illud ex Pſalm. 44. *Adducentur Regi virgines poſt eam.* Neque multum abeſt D. Hieronymus epiſt.22. ad Euſtochium c.9. *Statim*, inquit, *vt filius Dei ingreſſus eſt ſuper terram, nouam ſibi familiam inſtituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cælo, haberet Angelos in terris*, nempe Virgines. Quibus verbis ſatis indicat, quanta olim fuerit huius virtutis ſterilitas, quanta poſtea vbertas nata ex B. Virginis exemplo.

S. Thom. Geneſ. 1. Bernard. Epiph. Hieron.

Vnde illud Magni Alberti ſuper Miſſus c.82. 40.
M. Albert. Damaſc. Ambroſ.

B. Virgo eſt mater omnium in virginitate, quæ virginitatis munus Deo obtulit, per quod omnes virgines per imitationem virginitatis genuit, &c. Damaſcenus orat. 2. de natiuit. Virg. *Tu ô Virgo virginitatis feraciſſima ſ... per te enim virginitatis pulchritudo latiſſimè ſe ſe diffudit*, &c. Fuit Chriſtus Dominus virginitatis dux, ac imperator inuictus, Virgo autem fuit ſignifera. Pulchrè Ambroſius de inſtit. Virg. c.5. *Egregia Maria, quæ ſignum ſacræ virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Chriſto leuauit vexillum*, &c. Deus immortalis quot ac quantæ virginum copiæ ſub hoc Virginis ſigno merentur! Virgo ipſa de ſe prædicat, *Ab æterno ordinata ſum*, Prouerb. 8.23. alij legunt, *ab æterno teſſelata ſum.* Vnde poëta,

Virgil.

——— *It bello teſſera ſignum.*

Militare ſignum teſſera eſt. Alij etiam, *Ab æterno vexillata ſum.* Hinc dicitur à Bernardo, *Vexillifera.* Ab Idiota cap.6. contemplat. Mar. *Virginitatis Primipilia.* A Bonauentura in Litaniis B. Virginis, *Virginum ſignifera.*

Abul. *Virtus ſine exemplo illuſtrior.* Lyra. Auguſt.

Tertiò, quia virtus, quæ ſine alterius exemplo exercetur, multò maior, & illuſtrior habetur. Vnde de Ezechia dicitur 4. Reg. 18. *quòd non fuerit ei ſimilis Rex, in his qui præceſſerunt, nec in his, qui ſequuti ſunt.* Cum tamen Dauid, & Ioſias ſanctiſſimi quoque Reges habeantur. Cuius rei rationem cùm Abul. q.19. inquireret, hanc vnam reddidit, *Quia Ezechias*, inquit, *omnium primus idololatriam deſtruxit; nam Dauid eam non deſtruxit, quia ſuo tempore non erat. Ioſias deſtruxit, ſed ſequutus exemplum Ezechiæ. Ezechias autem*, inquit Abulenſ. *fecit hoc à ſe ipſo, non habens aliquem priorem cuius ſequeretur exemplum, proindéque eius virtus multò clarior, & illuſtrior habetur.* Iſraëlitici ſceptri gloriam primus omnium Iudas meruit, quia, vt benè Lyranus, *Tribus Iuda prima poſt Moyſem mare rubrum intrauit.* Atqui puritas beatiſſimæ Virginis excellentiſſima fuit; ergo neque hæc excellentia illi defuit, quod omnium prima voto firmata fuit: & hoc ſignificare videtur Eccleſia dùm canit, *Quæ ſine exemplo placuiſti Domino IESV Chriſto*, &c. Quod verò B. Virgo de facto virginitatis votum nuncupatit, ex iuratiſſimis multorum Sanctorum patet teſtimoniis. Vnus Auguſtinus inſtar omnium erit, qui arguté id ex Luca colligit, & probat lib. de ſancta virgin. c.4.

c. 4. his verbis, *Ipſa quoque virginitas eius gratior & acceptior, quia priuſquam conciperetur, iam Deo dicatã, de qua naſceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ ſibi fœtam annuntianti Angelo Maria reddidit. Quomodo,* inquit, *fiet iſtud, quoniam virũ non cognoſco? Quod profectò nõ diceret, niſi Deo Virginẽ ſe antè vouiſſet,* &c. Et ex dictis palã fit communis omnium conſenſus, qui Virgini beatiſſimæ voto nuncupatæ virginitatis primatum detulit, & coronam. Luc. 1.

Problema VII.

Vtrùm B. Virgo præter gratiam ſacramentorum, aliam ex opere operato acceperit.

41. *Gratia diuiſio.* GRatia diuiditur à Theologis in 4. d. 1. in gratiam ex opere operantis, & ex opere operato. Illa eſt, quæ confertur ex merito, ſiue de congruo, vt cùm quis ſe ad primam ſanctificationem per actum contritionis diſponit: ſiue de condigno, vt cùm poſt primam ſanctificationem ſanctè operatur. Hæc eſt, quam quis abſque vllo merito ratione alicuius operis applicati conſequitur; vt cùm quis ratione ſacramenti abſque vllò ſuo merito ſanctitatem vel primam, vel aliam conſequentem acquirit. Non loquor hîc de gratia B. Virginis ex opere operantis; ſed tantùm ex opere operato. Et ſuppono B. Virginem tria ſacramenta ſuſcepiſſe, Baptiſmum immediatè à Chriſto Domino, vt Henr. lib. de baptiſ. cap. 5. ex aliis oſtendit. Confirmationis in die Pentecoſtes cum cæteris Apoſtolis. Euchariſtiæ ſingulis diebus, vt fuit vſus primitiuæ Eccleſiæ; ex quibus ſacramentis gratiam ex opere operato recepit. Tria verò non ſuſcepiſſe, pœnitentiam, quia non habuit materiam; ordines, quia non fuit capax propter ſexum; matrimonium, quia licèt illud contraxerit in lege veteri, antequam eſſet ſacramentum, non tamen in noua poſtquam ſacramentum eſſe cœpit. De extrema vnctione eſt contentio, quam tamen Albertus Magnus, D. Anton. Syluest. & alij pro parte affirmatiua probabiliùs reſoluunt. His poſitis manet quæſtio, vtrùm præter hanc ſacramentalem gratiam B. virgo aliam ex opere operato comparauerit. Ratio dubitandi pro parte negatiua eſt, quia gratia eſt fructus bonorum operum, aut ſacramentorum; ergo excluſis ſacramentis per ſola bona opera comparatur.

B. Virgo tria ſacramenta ſuſcepit, & tria non ſuſcepit. Henr.

Alb. Mag. Antonin. Syluest.

41. Nihilominus dico B. Virginem non ſolùm in receptione ſacramentorum, ſed paſſim alibi gratiam ex opere operato accepiſſe. Dubium tamen eſt quando, & quomodo talem gratiam acceperit.

Dico in primis eam accepiſſe in ſua prima ſanctificatione. Ita D. Thomas 3. part. quæſt. 27. artic. 5. Caietanus ibidem, & alij, quos ſequitur Henr. lib. vltimo de fine hominis cap. 10. §. 8. Dicet aliquis, vt interuenit meritum ſaltem de congruo, non confertur gratia ex opere operato, ſed ex opere oparantis: ſed in prima Virginis ſanctificatione interuenerit meritum de cogruo, quia per propriam diſpoſitionem ſanctificata eſt, vt docet Bernardinus Senenſis ſermone 51. de B. Virgine, quem ſequitur Soarez d. 4. ſect. 8. probátque ex eo, quia ſanctificari per proprium actum perfectior modus eſt; & ſic Angeli, & primi parentes ſanctificati fuerunt; ergo tunc non recepit gratiam ex opere operato. Reſpondeo beatiſſimam Virginem in prima ſanctificatione intenſiorem gratiam recepiſſe, quàm ſit illa, quæ quilibet hominum, aut Angelorum in termino coſũmatur, & propterea opus non eſſe, vt ea omnis reſponderit diſpoſitioni, ſeu merito de congruo: quo pacto, quando quis in eodem inſtanti, quo ſacramentaliter abſoluitur, elicit actum contritionis, non ſolùm recipit gratiam ex opere operantis reſpondentem contritioni, tanquam merito de congruo; ſed etiam gratiam ex opere operato reſpondentem ſacramento. Similiter igitur B. Virgo in ſua prima ſanctiſicatione gratiam quidem recepit ex opere operantis, propter ſuam diſpoſitionem; & præterea ex opere operato, hoc eſt, abſque vllo merito nam totus ille gratiæ cumulus tam immenſus non potuit ſoli diſpoſitioni Virginis reſpondere. Si vrgeas, gratia ex opere operato, quamuis detur ſine merito, tamen datur ſine applicatione alicuius operis, vt patet in gratia ſacramenti: & tamen B. Virgo in ſua prima ſanctificatione nullum opus applicauit. Reſpondeo in primis applicaſſe ſuam diſpoſitionem, ad cuius præſentiam illa ſuperabundans gratia vltra meritum de congruo data fuerit. Addo, licèt gratia ex opere operato preſsè ſumpta ſit illa, quæ datur ex vi alicuius operis applicati, vt ſonare videtur hic modus loquendi, ex opere operato tamen, loquendo latiùs, illa dicitur, quæ ſine vllo meritò confertur, quo præcipuè modo hîc loquimur.

D. Thom. Caietan. Henr.

Obiectio.

Bernad. Suarez.

Reſponſio.

Inſtantia.

Solutio.

Dico ſecundò, B. Virginem gratiam ex opere operato, hoc eſt, vltra omne meritum, non ſolùm octauo poſt nauitatem ſuam die cùm recepit ſacramentum legis naturæ pro fœminarum originali inſtitutum, vt Palud. in 3. d. 3. quæſt. 2. expreſſit; ſed etiam, quando præcipua Chriſti myſteria occurrerunt, vt incarnatio, reſurrectio aſcenſio; tunc enim præter magnos gratiæ cumulos; quos B. Virgo per proprios actus ex opere operantis comparauit; alios præterea nihilo fortaſſe minores vltra ſuum meritum ex opere operato adepta eſt. Ratio eſt, quia conueniens videbatur, vt quo tempore gratia, & benignitas Saluatoris noſtri Dei præcipuè relucebat, eodem gratuitæ, & liberales omnino fierent donationes; neque alteri largius & affluentius, quàm B. Virgini, cuius maior erat dignitas. Et confirmatur, quia ad præſentiam B. Virginis, & Chriſti Domini in eius aluo incluſi collata fuit Baptiſtæ gratia ex opere operato. Neque deſunt, qui exiſtimant ipſa verba B. Virginis ſalutantis Eliſabetham effectiuè concurriſſe ad gratiam in Baptiſta producendam: quo pacto idem dicunt communiter Theologi de forma ſacramentalis abſolutionis; ergo à fortiori ad præſentiam illorum myſteriorum conferri debuit B. Virgini gratia ex opere operato. Dubitari tamen poteſt, an etiam vltra prædictas circumſtantias collata fuerit B. Virgini in aliis euentibus gratia ex opere operato, nimirum, quando aliquod inſignius obſequiũ Chriſto exhibebat, vt cùm eum infantem lactabat, aut quouis alio modo beneuolè tangebat. Tetigit hoc dubium Henr. loco citato, & affirmatiuè reſoluit, valde, vt mihi videtur, probabiliter. Primò, quia Chriſtus ſolo tactu non ſolum curabat corpora à morbis, ſed animos à peccato, conferendo illis gratiam ex vi ſui tactus, & proinde ex opere operato; quod D. Thomas 43.

B. Virgo ſæpe ex opere operato maiores gratiæ cumulos comparauit. Palud.

Difficultas.

Solutio. Henr.

D Thom.

mas 3.part. quæſt.44. artic.3. ad 3. colligit ex illis verbis Chriſti Domini Ioannis 7. *Totum hominem ſanum fecit in ſabbato.* Confirmátque ex Auguſt. D. Auguſt. tract. 30. dicens, *Totum hominem, quòd ſanus eſſet in corpore, & ſanus eſſet in anima;* ergo pari, imò multo maiori ratione ſolo tactu contulit Chriſtus Dominus B. Virgini abundantem gratiam.

44. *B. Virgo, etiã in patria, ex opere operato auxit accidentalem ſibi gloriam.*

Dico tertiò, beatam Virginem non ſolùm in via recepiſſe gratiam ex opere operato, vt oſtenſum eſt; ſed etiam in patria aliquam gloriam accidentariam, vt aureolam martyrij. Probo, quia B. Virgo de facto habet in cælo huiuſmodi aureolam, vt ſumitur ex Patribus, Hieronymo ſermone 1. de aſſumptione. Bernard. ſermone *ſignum magnum.* Talem tenent Sabellicus lib.2. cap. 4. & 9. Supplementum Gabrielis in 4. d. 49. quæſt. 4.art. 3.dub. 2. Viguer.c.14.§.3. Ephrem oratione ad Virginem, Laurent. Iuſtin. de triumphali Chriſti agone, cap. 21. Ambroſius & Beda in illud Luc.2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Iſidorus de vita Sanctorum cap. 68. Beaux in harmonia Euangel. Damaſcenus lib. 4. cap. 15. Anton. 4. part. tit. 15. cap. 41. Lodulp. 2. part. de vita Chriſti cap. 64. Reuelationes Brigittæ lib.1. cap.10. & alij, quos citat, & ſequitur Henriquez lib. vltimo de fine hominis cap. 10. num. 8. Non illam habuit ex opere operantis, quia reuera non fuit violenter occiſa, & D. Iſidorus, D. Ambroſius, & Beda ſuprà citati teſtantur; & hoc ſolùm ſignificare videntur Abulenſ. Matth.13. quæſt.10. Sotus in 4. d. 49. quæſt. 4. art.2. cùm negant B. Virginem fuiſſem martyrem, nempe per violentam occiſionem. Neque ſufficit ad hanc lauream ex opere operantis obtinendam vehemens martyrij deſiderium, quod fuit in B.Virgine. Alioqui D.Franciſcus, D. Antoninus, & plures alij, qui hoc deſiderio flagrarunt, martyres dicerentur; neque ſufficit etiam ingens Chriſti morientis compaſſio, naturaliter ſufficiens ad vitam eripiendam, niſi diuinitus ſuſtentaretur: quia aliàs omnes Sancti, qui in meditanda Chriſti paſſione vehementer condoluerunt, dolore ſaltem ad interitum inferendum ſufficienti, quorum aliquos fuiſſe narrant hiſtoriæ, poſſent martyres appellari: quod tamen falſum eſt: ergo ſolum ex opere operato illam habuit. Quòd ſi dicas, gloriam eſſe coronam iuſtitiæ, quæ non confertur, niſi ex merito. Reſpondeo hoc in primis non opus eſſe, vt de gloria accidentali qualis eſt laurea martyrij, intelligatur: nam inferiores beati poſſint aliquando maiorem gloriam accidentalem habere, quàm ſuperiores: vt cùm aliquid bonum magis ad eos pertinens in proprio genere cognoſcunt.

Hieron. Bernard. Sabell. Gabriel. Viguer. Ephrem. Iuſtinian. Ambroſ. Beda. Iſidor. Beaux. Damaſc. Antonin. Lodulph. Henriq. Abulenſ. Sotus.

Virgo non fuit martyr per violentam mortem.

Inſtantia. Soluitur.

Problema VIII.

Vtrùm B. Virgo vnum, aut plures Angelos cuſtodes habuerit.

45. QVòd nullum habuerit probatur primò, quia B. Virgo nullo Angelo cuſtode indigebat; ergo nullum habet. Valet conſequentia, quia ob eandem cauſam negant communiter Theologi Chriſto Domino Angelum cuſtodem, vt latè diſputat Abulenſ. in cap.18. Matth. quæſt. 61. Et ſimiliter negant in patria vllum eſſe Angelum cuſtodem, quia iam non eſt vlla cuſtodia neceſſaria; quod ſimiliter de damnatis dicendum, imò paruulis, dum matris vtero includuntur, nulli Angeli deputantur: quia matris Angelus ſufficit ad tuendum fœtum. Antecedens probatur, qui Angelus eſt neceſſarius, vt ſuppleat defectus perſonæ cuſtoditæ; ſed in B. Virgine nulli ſunt defectus, quos Angelus supplere poſſit; ergo, &c. Probo minorem, quia vel huiuſmodi defectus ſunt ex parte voluntatis, vel ex parte intellectus. Non primum, quia voluntas Virginis promptior erat, & alacrior ad bonum, quàm quælibet voluntas Angelica, proindéque non indigebat, à quo inflecteretur. Non ſecundum, quia intellectus Virginis tam clarè ab ipſo Deo illuſtrabatur, vt Angelica illuſtratione minimè indigeret. Quod facilè oſtendo, tum quia in primitiua Eccleſia Chriſtiani omnes tam claram habebant diuinarum rerum cognitionem, vt nullo alio Doctore præter Deum illis opus eſſet; iuxta eum locum Ierem. 31. quem Paulus ad Hebr. 8. refert, *Non docebit vnuſquiſque proximum ſuum, & vnuſquiſque fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum, quoniam omnes ſcient me;* quem locum licèt D. Auguſtinus, Theodoretus, & Caietanus de Eccleſia triumphante exponant; aptiùs tamen de militante, de qua tantum eo loco ſermo erat, Theophilactus, OEcumenius, & D. Hieronymus interpretantur ergo à fortiori B. Virgo, quæ in ſcientia diuinarum rerum, omnes alios viatores longè ſuperauit, doctore non indiguit. Tum quia B. Virgo magiſtra fuit Angelorum. Nam Angeli multa ex Apoſtolis didicerunt, vt teſtatur Paulus ad Epheſ.3. *Secundum reuelationem,* inquit, *notum mihi factũ eſt ſacramentũ, vt innoteſcat Principibus, & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiã.* Sic enim eũ locum exponunt D. Anſelmus, D. Hieronymus, D. Thomas, Gloſſa, Lyra, & clariùs Græci, Athanaſius, Chryſoſtomus Theophylactus, Theodoretus, OEcumenius, & alij, quos citat, & ſequitur noſter Henr. lib.8. de Euchariſtia cap. 27. §.7. *in* gloſſa litera P. Sed Apoſtoli multa ex B. Virgine didicerunt; vnde B. Virgo appellatur ab Ignatio, Religionis noſtræ magiſtra. Et à Bernard. ſermone 4. in Miſſus eſt, dicitur illuminaſſe Euangeliſtas iuxta ſui nominis etymologiam, Maria enim iuxta D. Hieronymum *illuminatrix* exponitur. D. item Ambroſius lib.1. de inſtitutione Virginis cap.7. dicit de Ioanne Euangeliſta, mirum non eſſe præ cæteris loquutum fuiſſe myſteria, cùm ei præſtò eſſet aula cœleſtium ſacramentorum, nempe Beata Virgo, quæ propterea dicitur non ſolùm à D. Thoma, Hieronymo, Sophronio, Bernard. Rupert. & aliis, ſed etiam à tota Eccleſia omnium hæreſum interemptrix; quia ſcilicet Apoſtolos illuſtrauit, vt eorum doctrina omnes hæreſes extinguerentur. ergo B. Virgo ſaltem mediatè, & per Apoſtolos fuit magiſtra Angelorum; nec dubium eſſe poteſt, quin etiam fuerit immediata, cùm non minus familiariter cum Angelis, quàm cum Apoſtolis egerit: ergo Angelorum non indiguit doctrinâ, cùm potiùs Angeli doctrinâ Virginis indiguerint.

Abulenſ.

Fœtus in vtero matris, non habet peculiarem Angelorum cuſtodem.

Auguſt. Theodor. Caietan. Theoph. OEcumen. Hieron.

Hieron. D.Thom. Gloſſa. Lyra. Athanaſ. Chryſoſt. Theoph. Theodor. OEcumen. Henriq. Bernard. Hieron. Ambroſ. D.Thom. Hieron. Sophr. Bernard. Rupert.

Secundò ſic argumentor: Si B. Virgo haberet Angelum cuſtodem, eſſet illius ſubdita: Angelus enim cuſtos in principem, & rectorem ſui cuſtodiri deputatur: atqui Beata Virgo non ſubdita eſt, ſed Regina Angelorum: nam, vt ait Damaſcenus oratione 2. de Aſſumpt. *decet matrem ea, quæ ſunt filij, poſſidere;* & Athanaſius ſerm. de ſanctiſſima 46.

Damaſc. Athanaſ.

Digitized by Google

ctiſſima Deipara, *quia ipſe*, inquit, *Rex eſt, & Dominus, mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina verè cenſetur.* Ergo abſolutè cuſtodem Angelum non habuit. Dicet aliquis, hoc argumentum ſolùm valere poſt Virginis aſſumptionem; tunc enim fuit Regina Angelorum conſtituta: aut plurimùm poſtquam mater Dei facta eſt, iam enim tunc iure maternitatis diuinæ Angelorum Domina dici poſſet, non tamen ante incarnationem. Sed contrà, quia ſatis erat deputatam fuiſſe in matrem Dei, idque Angelis perſpectum eſſe, vt omnes illi, tanquam famularentur. Nam ſicut mali Angeli, qui contra Chriſtum per reuelationem ab initio ſuæ creationis præcognitum rebellarunt, rebellarunt etiam contra Virginem eius matrem: ita & boni, qui ſe Chriſto ſubdiderunt, ſubdiderunt ſe pariter & eius matri.

B. Virgo, etiā in via, Regina extitit Angelorum.

47\. Tertiò argumentor in hunc modum. Si Beata Virgo haberet Angelum cuſtodem, haberet etiam dæmonem inſidiatorem: hunc non habuit; ergo neque illum. Patet conſequentia. Maior probatur, quia qua certitudine colligunt Patres ex Scriptura deputari ſingulis hominibus Angelos tutelares; iuxta illud Matth. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei.* eadem fermè colligunt deputari ſingulis hominibus dæmones inſidiatores, Ioan. 13. *Cùm diabolus iam miſiſſet in cor Iudæ* 1. Petri 5. *Aduerſarius veſter diabolus circuit.* Ad Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſùm principes & poteſtates*, &c. 2. ad Corinth. 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colophizet*; ergo ſi Beata Virgo habuit Angelum tutelarem, propter illam vniuerſalem regulam Scripturæ, propter eandem habebit etiam Angelum inſidiatorem. Falſitas autem minoris ſic oſtenditur, quia præcipuum munus dæmonis inſidiatoris eſt, inſinuare ſe in partem ſenſitiuam hominis, indeque immutando phantaſmata, & varias imaginationes excitando oppugnare intellectum ac voluntatem, vt Diuus Thomas 1. par. quæſt. 111. & Magiſt. in 2. d. 8. cum ſuis quiſque interpretibus communiter ſtatuunt, ſed diabolus non potuit hoc modo Beatam Virginem tentare, quæ planè erat hortus concluſus, ad quem nullus venenati ſerpentis ingreſſus patuit: & in hoc debuit mater ſimilis eſſe filio, qui non potuit à dæmone per internam ſuggeſtionem tentari; vt docet Diuus Damaſcenus lib. 3. de fide, c. 20. & latiùs probat Abulenſ. in c. 4 Matth. q. 21. ergo non potuit diabolus habere proprium munus dæmonis inſidiatoris aduerſùs B. Virginem.

D. Thom. Magiſt.

Damaſc. Abul.

48\. Nihilominus dico primò, Beata Virgo Angelum habuit cuſtodem. Eſt communis doctrina: quam latè inculcat Abulenſ. Matth. 18. q. 60. Probatur, quia licèt Beata Virgo non indiguerit Angelo cuſtode, qui illam de præcipuis fidei myſteriis inſtruxerit, & ad rectè operandum perſuaſerit; tamen indiguit, vt eius miniſterio ab externis periculis liberaretur, & de rebus hîc, & nunc faciendis, vt de fuga in Ægyptum, & de regreſſu ab Ægypto, ac ſimilibus admoneretur. Et confirmatur, quia dignior eſt, ac nobilior cuſtodia Angeli, quàm hominis, ſed Beata Virgo habuit cuſtodiam hominis, cum Chriſtus moriens eam Ioanni commendauit; ergo & Angeli. Cuſtodiebat autem Angelus Beatam Virginem, non tanquam rector, ſed tanquam ſeruus. Vnde Cedrenus in compendio hiſtoriæ, & Gregor. Nicomedienſis homil. de oblatione Virginis in templo, & Ambroſ. lib. 2. de Virginibus, docent, Beatam Virginem in templo fuiſſe ab Angelo nutritam. Quod incredibile videri non debet; nam ſi multi olim Eremitæ in deſerto Angelorum miniſterio ſuſtentabantur, vt Palladius ſcribit apud Caniſium lib. 1. c. 13. quid mirum, idem beatiſſimæ Virgini accidiſſe!

B. Virgo habuit cuſtodē Angelum. Abul.

Ioan. Euangeliſta Virginis cuſtos. Cedren. Greg Nicomed. Ambroſ. Pallad.

49\. Dico ſecundò Angelum tutelarem B. Virginis fuiſſe ſupremum ex ordine Seraphico. Probo ex duplici principio; vno, quòd Angeli cuſtodes ex omnibus Angelorum Hierarchiis aſſumuntur: altero, quòd eò nobilior eſt Angelus cuſtos, quò nobiliori perſonæ cuſtodiendæ deputatur. Vnde manifeſtè infero, cùm Beata Virgo ad honorem ſupra omnem creaturam excellentiſſimum euecta fuerit, Angelum quoque ſupra omnes excellentiſſimum illi fuiſſe deputatum: & confirmo hanc conſequentiam, quia ſi inter ipſos Angelos, quo vnuſquiſque eſt nobilior altero, eo à nobiliori Angelo illuſtratur, vt Theologi loquuntur: quis dubitet, cùm Beata Virgo omnium creaturarum ſit perfectiſſima, à perfectiſſimo quoque Angelo cuſtodiendam? Supereſt, vt probem illud principium, in quo ſolo eſt difficultas, ſcilicet ex omnibus Angelorum ordinibus Angelos cuſtodes deputari. Ita docent Scot. in 2. d. 10. q. 1. Durand. ibid. quæſt. item 1. Marſil. q. 7. quatenus affirmant ex ſummis etiam ordinibus mitti ad nos Angelos, probantque recentiores Theologi, & Scripturarij ex Diuo Paulo ad Hebr. 1. Vbi cùm Paulus probare voluiſſet Chriſtum Dominum excellentius præ Angelis omnibus nomen hæreditaſſe, id probauit, quia Angeli omnes erant adminiſtratorij Spiritus: & confirmat Diuus Bernardus ſerm. 1. de Sancto Michaële, *Omnes*, inquit, *ſunt adminiſtratorij Spiritus, in miniſterium miſſi; neque id cuiquam incredibile videatur, quandoquidem ipſe quoque Creator, & Rex Angelorum venit non miniſtrari, ſed miniſtrare.* Ita Bernardus. Nec immeritò; alioqui de Angelis verum non eſſet illud Eccleſiaſtici 10. *Vidi ſeruos in equis, & principem ambulantem ſuper terram quaſi ſeruum.* Cùm igitur omnes Angeli in miniſterium hominum deputentur, planè perfectiſſimus Angelorum debuit in miniſterium B. Virgini deputari.

Angelus Deiparæ tutelaris, quis.

Scotus. Durand. Marſ. Durant.

50\. Quis autem fuerit hic Angelus, non omnino conſtat: probabiliter tamen videtur fuiſſe Gabriel, ſi is eſt non ſolùm vnus è ſupremis, vt Diuus Bernardus hom. 1. in Miſſus eſt, Diuus Gregorius hom. 34. in Euang. Scot. Durant. & alij teſtantur; ſed etiam omnium primus. Quæ enim cauſa impedire poteſt, ne Angelus omnium ſupremus Beatæ Virgini famuletur? Illud mihi non placet, quod aſſerit Abulenſ. in cap. 18. Matth. quæſt. 60. Beatam Virginem diuerſis temporibus diuerſos habuiſſe Angelos cuſtodes: à natiuitate quidem vſque ad incarnationem Verbi, Angeli infimi chori; quia tunc Beata Virgo erat perſona priuata, quæ proinde nobilioris Angeli cuſtodia non indigebat, quàm cæteri homines; quos exiſtimat ab infimis tantùm Angelis cuſtodiri: ab incarnatione verò vſque ad paſſionem, & mortem Chriſti habuiſſe Angelum è ſupremo ordine Seraphico; quia tunc Beata Virgo erat publica perſona, ex qua ſalus hominum ſaltem mediatè dependebat, proindéque nobiliorem ſibi cuſtodiam, quàm cæteri homines, vendicabat: tandem poſt paſſionem Chriſti, cùm iam hominum ſalus completa eſſet, ceſſaſſe huius ſupremi Angeli cuſtodiam, & prioris miniſterium vſque ad mortem Virginis rediiſſe.

B. Virginis Angelus fuit Gabriel. S. Bernard. Gregor. Scot. *Abul. reiicitur.*

Non, inquam, mihi placet hæc opinio. Nam
51. vel hic Angelus è ſupremo ordine deputatus eſt Virgini, propter Virginis dignitatem, vel propter eiuſdem Virginis neceſſitatem ad ſalutem generis humani: ſi propter dignitatem, non ſolùm debuit durare ab incarnatione vſque ad paſſionem; ſed etiam ab hac vſque ad mortem Virginis. Neque enim Beata Virgo minus digna erat poſt paſſionem, quàm antea: nam ſi dignitas matris attendatur eadem erat, vtroque tempore; ſi dignitas gratiæ ſanctificantis ſpectetur, maior fuit poſt paſſionem, quia noua in dies ſuſcipiebat incrementa. Si verò propter neceſſitatem ad ſalutem humani generis; non ſolùm debuit eſſe ab incarnatione, ſed etiam ante illam; tunc enim magis neceſſaria erat B. Virgo ad ſalutem humani generis, ſuppoſito modo, quo Deus decreuit mundum ſaluare, quia ante incarnationem neceſſaria erat ad ſubſtantiam myſterij, vt ex ea, ſcilicet Verbum carnem aſſumeret, poſt incarnationem verò ſolùm ad quaſdam myſterij circunſtantias, nimirum ad nutriendum puerum, lactandum, ſimiliaque obſequia illi deferenda. Ergo vel Angelus ille è ſuppremo ordine toto tempore B. Virginem cuſtodiuit; vel nullo: & cùm hoc poſterius dicendum non ſit, vt ex dictis patet, illud prius affirmandum eſt.

Abulēſis amplius refutatur.

Problema IX.

Vtrùm B. Virginis cultorem in æternum damnari impoſſibile ſit.

52. Ratio dubitandi pro parte negatiua eſt, quia impoſſibilitas damnationis æternæ, infert neceſſitatem ſalutis. Neceſſe enim eſt ſaluari eum, quem impoſſibile eſt damnari: atqui neceſſitas ſalutis non datur, quia ſalus non acquiritur ſine libertate, quam libertatem neceſſitas illa excludit: ergo neque impoſſibilitas illa æternæ damnationis dari poteſt. Proindéque ſicut contingens eſt, ſeu potiùs liberum vnicuique hominum ſaluari, & non ſaluari: ita damnari, & non damnari.

In hac quæſtione duo ſunt explicanda. Vnum circa modum loquendi: alterum circa rem ipſam. Quod attinet ad modum loquendi, dico periculoſam non eſſe, ſed ſecuram huiuſmodi loquutionem, impoſſibile eſt damnari eum, qui B. Virginem colit. Tum quia ita loquuntur Patres, D. Anſelmus, *Qui ad Mariã acceſſerit, impoſſibile eſt, vt pereat.* & alibi, *Ipſa velit, & nequaquam ſalui eſſe non poterimus.* & D. Bernardus ſerm. de natiuitate Virginis docet *non poſſe ſuſtinere repulſam, qui quod Deo offerre vult, quantumuis modicum, gratiſſimis Mariæ manibus offerendum tradat.* & ſerm. 2. in Miſſus eſt, *Ipſa*, inquit, *tenente non corruis; ipſa protegente non metuis; ipſa duce non fatigaris; ipſa propitia peruenis.* Petrus Damianus ſermon. 1. de Natiuitate Virginis, Virginem alloquutus, *Quomodo*, inquit, *illa poteſtas potentia tua poterit obuiare, quæ de carne tua carnis ſuſcepit originem:* Quaſi ſentiat hoc eſſe impoſſibile. Mitto plures alios ſimiliter loquentes: tum etiam, quia Scriptura ſimilem impoſſibilitatem tribuit aliis rebus, de quibus poteſt fieri eadem difficultas. Lucæ 17. *Impoſſibile eſt, vt non veniant ſcandala.* Marc. 10. vbi ſermo eſt de diuitum ſaluatione, *Apud homines impoſſibile eſt, ſcilicet diuitem intrare in regnũ cœlorum.* 2. Machab. 4. *Videbat ſine regali prouidentia impoſſibile eſſe pacẽ rebus dari, nec Simonẽ poſſe ceſſare à ſtultitia ſua.* Hebr. 6. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt,* &c. *& prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiã.* Similis eſt ille locus, 1. Ioan. 3. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniã ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare.* Sicut igitur in his, multiſque aliis Scripturæ locis, hæc impoſſibilitas non tollit libertatẽ, proindéque abſolutè impoſſibile dicitur, quod alioqui liberum eſt: ita nullum videtur inconueniens, ſi abſolutè dicamus, impoſſibile eſſe, vt Beatæ Virginis cultores damnentur, quamuis in eorum libertate ſit damnari, aut non damnari.

Virgini deuotum in æternũ perire non poteſt.
Anſelm.
Bern
Vide ſuprà Problema primum.
P. Damian.

Quod attinet ad rem, difficultas eſt quo pacto hæc impoſſibilitas cum libertate concilietur. 53.
Quod facile erit intelligere, ſi priùs intelligatur, cuiuſmodi ſit, & vnde oriatur hæc impoſſibilitas. Dico igitur eſſe impoſſibilitatem non præciſam, & omnimodam, ſed ſecundùm quendam modum loquendi, pro rara, & difficilia, impoſſibilia dicuntur: dici autem ex eo, quòd B. Virgo ſuo patrocinio quàm ſæpiſſimè, vt piè creditur, impetrat à Deo auxilia gratiæ congruæ. quibus eius cultores, feruentes nimirum, aſſiduè, etſi alioqui praui & ſcelerati, ad Deum conuertantur. Et cùm gratia congrua libertatem non tollat, & nihilominus effectum infallibiliter conſequatur; fit, vt ratione huius infallibilitatis, ſimpliciter dici poſſit, impoſſibile eſſe eos damnari. Sic enim Chriſtus Dominus, Beata Virgo, & confirmati in gratia dicuntur impeccabiles, ratione gratiæ congruæ, quæ ad omne peccatum infallibiliter euitandum illis confertur; licèt non omnes eodem modo. Nam Chriſto Domino ea gratia congrua ex natura rei debetur, ratione vnionis hypoſtaticæ, & viſionis beatificæ, cum quibus peccatum componi ex natura rei non poteſt, vt ſuis locis probant Theologi. Beatæ Virgini etiam aliquo modo ex natura rei talis gratia debetur, ratione maternitatis diuinæ, quæ quodammodo ex natura rei omne peccatum excludit: confirmatis autem in gratia, ex ſolo gratuito, ac liberali Dei dono ea gratia confertur. In hunc igitur modum proportionaliter dicere poſſumus, cultores B. Virginis, videlicet aſſiduos, & feruentes eſſe indamnabiles; quia eſto non ſint impeccabiles, non perſeuerabunt tamen finaliter in peccato, vt piè creditur, ordinariè loquendo, B. Virgine illis impetrante congrua auxilia, quibus infallibiliter reſipiſcant, & tandem ſaluentur.

Beata Virgo à Deo impetrat ſuorum conuerſionem cultorum

Quo pacto debeatur gratia congrua B. Virgini.

Problema X.

Vtrùm B. Virgo ſola, ac ſæpiùs diuinam eſſentiam intuitiuè cognouerit in hac vita.

Ratio dubitandi pro parte negatiua eſt, quòd cùm reſolutio huius controuerſiæ aliter nobis innoteſcere non poſſit, quàm ex auctoritate; quia reuelatio euidens diuinæ eſſentiæ in hac vita dependet ex ſolo decreto libero diuinæ voluntatis, ad quod cognoſcendum, non poteſt nobis ratio ſuppetere, ſed auctoritas: hæc autem auctoritas magis pro aliis Sanctis ſtare videtur, quàm pro Beata Virgine. Nam de Diuo Paulo dicitur 2. Corinth. 12. raptum fuiſſe vſque ad tertium cœlum; & audiuiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui. Ex quo loco D. Auguſtinus,

54
Argumenta pro D. Paulo.

D. An

Anſelm. D.Thom. *Argumenta pro Moyſe.*

D.Anſelmus, D.Thomas, & plures alij colligunt, Deum vidiſſe. Item de Moyſe dicitur, Exod. 33. *Loquebatur autem Dominus ad Moyſem facie ad faciem, ſicut ſolet homo loqui ad amicum ſuum.* & Numer. 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad ipſum, at non talis ſeruus meus Moyſes, qui in domo mea fideliſſimus eſt; ore enim ad os loquar ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Ex quibus locis tum citati, tum alij quoque Patres, & Scholaſtici idem colligunt: at verò de B. Virgine cùm nihil ſimile in Scriptura dicatur; fit, vt potius illis, quàm B.Virgini cognitio diuinæ eſſentiæ tribuenda ſit.

55. *Sola B Virgo in vita vidit eſſentiam diuinam.* Vaſquez. Soar. Ægid Luſit. Caniſ.

Nihilominus probabile admodum dici poſſe iudico, neminem, excepta B.Virgine, in hac vita vidiſſe eſſentiam diuinam: B. verò Virginem ſæpiùs vidiſſe. Priorem partem tractat latè Vaſquez 1. part. d. 55. & 56. qui de B.Virgine piè admodum, & religiosè, hoc credi poſſe affirmat, de aliis autem conſtanter negat. Poſteriorem probat, quantum ſatis eſt, Soarius tom. 2. incarnat. diſput. 19. ſect. 4. & Ægidius Luſitanus de beatit. tom. 2. lib. 12. quæſt. 8. art. 4. §. 1. cum multis, quos referunt. Vltra quæ afferri poteſt hæc congruentia. Deus pronior eſt ad bonum, quàm ad malum inferendum: ſed hominibus in hac vita exiſtentibus intulit Deus aliquando pœnam gehennæ, vt videtur intuliſſe Conſtantino Copronymo acerrimo hoſti B. Virginis, qui, vt refert Caniſius lib. 5. de Deipara cap. 17. in fine, ſub mortem ipſam miſerrimè eſt vociferatus viuum ſe propter Mariam Deiparam inextinguibili igni traditum eſſe. Quod etiam de aliis, vt de Dathan, & Abiron, qui deſcenderunt in infernum viuentes, aliiſque, de quibus crebræ ſunt hiſtoriæ, dici poteſt: ergo etiam cæleſtis beatitudo ſaltem B.Virgini in hac vita collata eſt.

56. *Incarnationis tempore vidit B Virgo eſſentiam diuinam.*

De tempore autem, quo Virgo ſanctiſſima in hac vita eſſentiam diuinam intuitiuè cognouerit, non mediocris eſt inter DD. diſſenſio. Quidam aſſerunt hanc illi viſionem fuiſſe perennem: Quidam verò repititis vicibus, fuiſſe frequentem, nullum tamen aſſignant præfixum tempus. Alij autem tempora limitant, & horas. De tempore incarnationis nullus dubitat, qui hanc partem ſuſtinet; vnde omnes conſpirant B. Virginem tunc temporis intuitiuam habuiſſe Dei viſionem. Ita D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 17. §. 1. D.Bernard. Senenſis tit. 4. ſerm. 36. p. 3. & alij, quos citat Soar. Idem ferè omnes dicunt in ſacratiſſimo ipſius Virginis partu. Quibus accedit Vbertinus Caſſalius lib. 1. arboris vitæ cap. 9. & ad probationem affert illa verba Lucæ, *Maria autem ſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo*, &c. In quibus videtur notari clariſſima illorum omnium cognitio, quæ tunc peragebantur; quam cognitionem Virgo ex vi viſionis eſſentiæ tunc temporis habuit. Idem exiſtimaſſe puto D. Petrum Damianum ſerm. 1. de natiuitate Virginis, dum aſſerit B. Virginem lucidiores mentis obtutus in ipſamet Dei ſubſtantia defixiſſe. Pro his temporibus illa ſtat communis ratio, conueniens ſcilicet eſſe hoc priuilegium propter ſingularem matris dignitatem, ad quam tunc euecta fui. Reſurrectionis etiam tempore, quando Filius matri apparuit, id credit Villa Noua Archiepiſcopus Valentinus in ſermone de Reſurrect. quaſi par eſſet, vt cæleſtia gaudia participaret, quæ mortis tormenta ſubierat, & delitiarum omnium viſionem haberet, quæ pœnarum omnium paſſionem ſuſtinuerat.

Antoninus. Bern. Senen. Soar. Vbert. Caſſ. *B. Virgo in Filij partu vidit eſſentiam diuinam* Luc 2. Petr. Dam. *B Virgo tempore Reſurrectionis Filij vidit eſſentiam diuinam* Villa Noua.

Quid dicendum de conceptionis ipſius tempore.

Maior controuerſia eſſe poteſt de tempore immaculatæ conceptionis ipſius Virginis, & de tempore ſuæ natiuitatis, quam ego controuerſiam à nemine ſpeciatim excuſſam reperio. Pro natiuitate ratio ſit à conuenientia. videlicet, vt cùm alij infantes in veteris culpæ argumentum primam vocem lacrymantes emittunt, vt de ſe fatetur Sapiens, Sapient. 7. *Et primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans*, &c. tunc beatiſſima Virgo in ſuæ innocentiæ argumentum totius lætitiæ viſionem haberet. Deinde dicens erat, vt cùm Solis lucem corporaliter intueri incipiebat, iuſtitiæ etiam ſolem ſpiritualiter ſimul introſpiceret. Enimuero iam erat Aquila illa magnarum alarum, cuius genuina oculorum acies ad diuini Solis radios minimè cæcutire, & caligare viſa eſt. Aliqui de tempore conceptionis idem opinantur, quod ego non inficior, vt magis Virginis dignitas, & gloria innoteſcat. Déque vltimis his tribus temporibus id ſuſtineri probabiliter iudico.

Digitized by Google

LIBER TERTIVS.

DE FLORIBVS SACRIS.

De ſanctiſſimis Eccleſiæ Doctoribus, & Diuo Paulo maximo gentium Doctore problemata.

PROLVSIO.

OPERÆ pretium duxi hæc annectere, & in tantorum Doctorum gloriam, & in illorum gratiam, qui ad Doctoratum aſpirant, vt quam facem ſanctiſſimi Doctores ad ſapientiam prætulerunt, eandem illi omnes qui ad eundem honoris apicem anhelant, ponè ſubſequantur. De Latinis tamen duntaxat Doctoribus inter Latinos diſputatur, Auditores, inter quos & antiquitate, & ſanctitate primatum obtinent quatuor illa Eccleſiæ lumina longè maxima, Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, & Gregorius. Hi enim profectò ſunt illa quatuor flumina de loco voluptatis, ſeu de paradiſo terreſtri egredientia, quæ vniuerſam faciem terræ irrigabant. Hi ſunt illi quatuor Cherubini, pulcherrimo oculorum apparatu inſigniti, & multiplici alarum remigio armati, qui Ezechielis quadrigam toto orbe deferebant. Hi ſunt illi quatuor anguli, quibus Eccleſia militans fulcitur, & ciuitatem cæleſtem in quadro poſitam æmulatur. Quare de ſingulis ſingulæ prælibantur quæſtiones, quibus non minus eorum doctrina, quàm ſanctimonia illuceſcit. Nam, vt bene D. Iſidorus, tam doctrina, *inquit,* quàm vita clarere debet Eccleſiaſticus Doctor. Nam doctrina ſine vita arrogantem reddit, vita ſine doctrina inutilem facit. *Primum igitur de Auguſtino Doctorum facilè principe, poſtea de aliis diſputandum eſt.*

Quatuor Eccleſię Doctores.

Iſid. lib 3. de ſumm. bon. cap. 56.

PROBLEMA I.

Pro D. Auguſtino.

Vtrùm D. Auguſtinus humiliorem ſe præbuerit in libris confeſſionum, an in libris retractationum.

1. INTER alia feliciſſimi ingenij monumenta, quæ Doctorum Doctor D. Auguſtinus lucubrauit, duo ſunt librorum genera, quæ in primo eius tomo circumferuntur, vnum Confeſſionum, alterum Retractationum; in quibus non minus vtilitatis, quàm in cæteris eius libris reperitur. Nam reliqua opera D. Auguſtini, totam Eccleſiam ad ſapientiam comparandam illuſtrarunt; fateor: ſed hæc duo vniuerſo terrarum orbi ad ſanctitatem amplectendam præluxerunt. In illis enim Diuus Auguſtinus ſublimitatem ſui ingenij oſtendit; in his humilitatem ſui animi demonſtrauit. Quantam verò errorum illa ingenij ſublimitas ab Eccleſia diſpulit, ac remouit; tantum fortaſſe vitiorum hæc animi humilitas euulſit, ac extirpauit. Vt igitur alia eius monumenta interim prætermittam, hæc duo Confeſſionum, & Retractationum, libet inter ſe accuratiùs, & curioſiùs conferre.

Libri Confeſſionum, & Retractationum ab Auguſtino compoſiti.

Et quidem in vtroque opere ſingularem animi humilitatem oſtendiſſe manifeſtum eſt. Nam in libris Confeſſionum omnia prioris vitæ peccata confeſſus eſt: in libris Retractationum omnes prioris vitæ errores & detexit, & reuocauit. Quæ verò maior humilitas eſſe potuit, quàm vel hominem iuſtum, Sacerdotem, & Epiſcopum, ſuam confiteri malitiam, vel hominem ſapientem, Doctorem, & communem omnium magiſtrum ſuam confiteri ignorantiam? Et ne vlla pars humilitatis defuiſſe in vtroque genere videretur: tam malitiam, quàm ignorantiam ſuam, non quidem clam, & in aures, ſed palàm, & in tectis prædicauit. Imò non ſolùm verbis, quæ breuiter tranſeunt, ſed ſcriptis, quæ æternùm durant, ſuam & confeſſionem, & retractationem peregit: 2.

Vtraque liber inter ſe confertur.

Digitized by Google

peregit: vt non ſolùm ad præſentes, ſed etiam ad abſentes; non ſolùm ad iam natos, ſed etiam ad naſcituros illa & confeſſio, & retractatio peruenirer: & quandiu in terris Auguſtini memoria vigeret; tandiu recordatio & malitiæ & ignorantiæ Auguſtini haberetur. Quæ igitur eſſe potuit maior humilitas? Certè ne ipſa quidem ſublimitas ingenij, qua viguit Auguſtinus, maiorem excogitaret. Surgit tamen quæſtio ſcitu digna, auditu non iniucunda, vtro in genere humilior fuerit Auguſtinus, in ſuáne malitia, an in ſua ignorantia confitenda?

3. *Argumenta pro malitia confitenda.* Priorem partem, quòd humiliorem ſe præbuerit in ſua malitia confitenda, breuiter ſic oſtendo. Primò à poſteriori, quia Chriſtus Dominus, cùm in omnibus vitæ ſuæ actionibus ſingularia humilitatis exempla nobis præbuerit; nullum tamen præbuit excellentius; quàm cùm voluit quadam ſubire ſpeciem peccatoris circumciſus in morem peccatorum, qui in remedium originalis peccati circumcidebantur: baptizatus in Iordane, in morem eorum, qui ibidem baptizati confitebantur peccata ſua; tandem crucifixus, *& cum iniquis reputatus*, Eſai, 53. in morem eorum, qui meritas ſuorum criminum pœnas perſoluebant; ergo etiam D. Auguſtinus ſua confeſſus peccata, ſummam, quod exhibere poterat, exhibuit humilitatis exemplum. Conſequentia à proportione videtur bona. Probo antecedens, quia Chriſtus Dominus nullam maiorem ignominiam, quàm ſpeciem peccatoris ſubire poterat: ergo etiam nullum maius humilitatis ſpecimen exhibere. Vnde cùm D. Paulus eius humilitatem admiraretur, *quia exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens*, Philipp. 2. Pergit Diuus Bernardus ſermone quodam de paſſione. *Non ſolùm*, inquit, *formam ſerui accipit, vt ſubeſſet, ſed etiam mali ſerui, vt vapularet.* Quaſi hæc eſſet extrema humilitatis linea, quandam peccatoris ſpeciem, ac ſimilitudinem ſubire.

Chriſti humilitas.

Bernard.

4. Secundò ſic argumentor à priori; quia maior humilitas eſt maiores defectus confiteri: ſed peccatum eſt maior defectus, quàm ignorantia; ergo maior humilitas in confitendo peccato, quàm in confitenda ignorantia ſpectatur. Conſequentia rectè colligitur. Maior perſpicua videtur. Nam ad humilitatem pertinet proprios defectus cognoſcere; vt D. Thomas 2.2.q. 161. artic. 2. in corpore, teſtatur: ergo ad maiorem humilitatem pertinebit maiores defectus cognoſcere. Quemadmodum etiam rectè quis argumentabitur. Ad fortitudinem pertinet aggredi res difficiles; ergo ad maiorem fortitudinem aggredi res difficiliores. Ad liberalitatem pertinet largiri pecunias: ergo ad maiorem liberalitatem, largiri pecunias ampliores. Ad charitatem pertinet offerre ſe periculis pro ſalute proximorum; ergo ad maiorem charitatem maioribus ſe periculis offerre. Minor verò, quòd ſcilicet peccatum ſit maior defectus, quàm ignorantia, ſuadetur. Quia ille eſt maior defectus, per quem homo magis deficit à ſuo fine: nam ſicut vnaquæque res per acceſſum ad ſuum finem maximè perficitur; ita per receſſum ab illo maximè deficit: ſed per peccatum magis deficit homo à ſuo fine, quàm per ignorantiam: nam iniuſtus ſaluari non poteſt, indoctus poteſt. Vnde eſt illud decantatiſſimum D. Auguſtini lib. 8. confeſſ. cap. 8. *Surgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde volutamur in carne, & ſanguine*, &c. ergo maior defectus eſt culpa moralis, quàm ignorantia ſpeculatiua, &

D Thom.

Auguſt.

proinde maior humilitas in confitendo peccato, quàm in confitenda ignorantia exhibetur.

Tertiò confirmo; quia homines magis de ſuo peccato. quàm de ſua ignorantia erubeſcunt: ergo humiliores ſe præbent, cùm ſuum peccatum, quàm ſuam ignorantiam manifeſtant. Conſequentia patet; quia humilior eſt, qui maiorem pudorem libenter ſubit, vt contemptibilior habeatur: nam cùm pudor ſit quidam timor ignominiæ, teſte Philoſopho in 4. Eth. & D. Thom. 2.2. quæſt. 144. art. 2. & cæteris communiter; qui maiorem pudorem ſubit; maiori ſe ignominiæ exponit; & proinde viliorem, & contemptibiliorem ſe præſtat: vnde maior humilitas extitit. Antecedens, quòd ſcilicet homines magis de ſuo peccato, quàm de ſua ignorantia erubeſcant, multipliciter ſuadetur. Nam in primis homines, cùm de aliquo peccato arguuntur, plerumque ſuam allegant ignorantiam, dicentes: Non putabam hoc eſſe prohibitum, neſciebam hoc malum eſſe, ignorans feci; ergo magis de ſuo peccato, quàm de ſua ignorantia confunduntur. Vnde primi parentes non ſtatim de ſuo ſe peccato accuſarunt, ſed potiùs excuſarunt; & tamen Eua ſuam ignorantiam libens confeſſa eſt, dicens, *Serpens decepit me*, Geneſ. 3 Deceptam ſe fatetur per ignorantiam, ne ſe peccatricem fateatur per culpam, quaſi magis hanc, quàm illam refugiat: quòd magis de hac, quàm de illa erubeſcat. Neque diſſimilis extitit filius parenti. Nam Cain, qui nunquam ſuum peccatum confeſſus eſt; tamen ſuam ignorantiam ſtatim manifeſtauit. Rogatus enim à Deo, vbinam eſſet frater eius Abel? Reſpondit, *Neſcio*, Geneſ. 5. Quaſi nihil de hac ignorantia, multum de illa culpa erubeſceret. Quin etiam D. Paulus, cùm accuſaretur de iniuria facta ſummo Sacerdoti Ananiæ, *Neſciebam*, inquit, *fratres, quia princeps eſt ſacerdotum.* Act. 23. quia maluit ignarus, quàm iniquus reputari: magis de nequitia, quàm de ignorantia erubeſcens. Hinc fortaſſe Eccleſiaſticus monet, vt confundamur de ignorantia, & non confundamur de peccato. *De mendacio*, inquit, *ineruditionis tuæ confundere: non confundaris confiteri peccata tua*, Eccleſiaſtici 4. quia nimirum ſentit homines, ſi naturam ſequantur, & nullis bonis conſiliis reuocentur, contrario modo ſe habere, & parum de ignorantia, plurimum de peccato confundi. 5.

Ariſtot. D.Thom.

Eccleſ. 4.

Deinde ſic argumentor: quia pudor ſceleris videtur inſitus à natura, non autem pudor ignorantiæ; ergo ille maior eſt. Patet conſequentia. Nam quæ ſunt à natura, fortiora & efficaciora ſunt. Probo antecedens in primis ex illo oraculo longè clariſſimo Tertulliani in Apologetico cap. 1. *Omne malum*, inquit, *aut timore, aut pudore natura perfudit*, & veriſſimè loqui poterat Tertullianus, non ſolùm diſiunctiuè, ſed etiam copulatiuè. Omne malum & timore, & pudore natura perfudit. Pergit Tertullianus, *Nam malefici geſtiunt latere, deuitant apparere, trepidant deprehenſi, negant accuſati, ne torti quidem facilè ac ſemper confitentur. Nolunt enim ſuum eſſe, quia malum agnoſcunt.* In quibus verbis aduertendum eſt, non ſolùm ingenuos viros, ſed etiam profligatiſſimos homines de ſuis peccatis erubeſcere: quia ſcilicet hic pudor non ſolùm ſequitur mores, qui in ſingulis ſunt diuerſi, ſed etiam naturam, quæ in omnibus eſt eadem. Accidit auctoritas D. Gregorij Niſſeni homil. 3. in Eccleſiaſten. *Videtur*, inquit, *eſſe arma valida ad effugienda peccata, pudor; quia ideo, vt puto, eſt nobis à Deo inditus, vt huiuſmodi* 6.

Tertul.

Pudor præſtat arma.

Greg. Nyſſ.

Digitized by Google

Pudor vitæ pædagogus.

animi affectio ſit nobis auerſio à deterioribus, & paulo pòſt aſſerit hunc pudorem adhibitum nobis eſſe à natura, tanquam *pædagogum ad vitam meliùs agendam.* Vt enim pædagogus alumnos ſuos abducit à malè geſtis, & ad rectè facta inducit: ita pudor ingenuos viros à vitiis repellit, impellit ad virtutes, & ſicut pueri ſine pædagogo temerè præcipitantur? ita homines ſine pudore in quælibet flagitia quadam inconſulta temeritate prolabuntur. Iam verò D. Chryſoſtomus hom. 12. in c. 6. Epiſtolæ ad Romanos, adeò naturalem nobis eſſe ſentit hunc pudorem, vt non ſolùm ex ſceleris præſentia, ſed etiam ex ſceleris memoria oriri arbitretur. Nã ad illa verba Apoſtoli, *Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Talis*, inquit Chryſoſtomus, *eſt ſeruitus, quæ ducitur in peccatis, vt illorum etiam recordatio pudorem pariat. Quòd ſi recordatio ſola pudore afficit; quanto magis ipſa actio?* Ita Chryſoſtomus egregiè philoſophatur.

Chryſoſt.

Rom. 6. 21.
Peccati actio, & recordatio pudorem gignit.

7. Cùm igitur omnibus hominibus tam naturalis ſit ſcelerum pudor; quantum pudoris neceſſe fuit, vt ſubierit D. Auguſtinus, vir ætate grauis, opinione ſanctus, dignitate Epiſcopus, ſapientia Princeps, & coryphæus Theologiæ, denique omnibus auctoritatis nominibus adeò inſignis, vt magnum mundi miraculum haberetur; Quantum, inquam, pudoris neceſſe fuit, vt ſubierit, cũ omnia delicta iuuentutis, partim ſecreta, partim diuturnitate temporis è memoria abraſa, partim eximia poſterioris vitæ sãctitate penitus cooperta, & quodãmodo conſepulta; cùm, inquam, hæc omnia flagitia retexit, prodidit, manifeſtauit, nõ quidem ad memoriam tantùm temporis præſentis, ſed etiam ad recordationem poſteritatis ſempiternam? Certè adeò ſingulare fuit hoc humilitatis exemplum, vt nullum aut eſſe, aut fingi poſſe excellentius videatur.

8. Poſteriorem partem, quòd ſcilicet D. Auguſtinus humiliorẽ ſe præſtiterit in ignorantia detegenda, & reuocanda, non minora cõfirmare poſſunt momenta rationum. Primam ita conſtruo rationẽ, quia turpior eſt homini ignorantia, quã malitia; ergo magis quiſque in ignorantia, quàm in malitia detegenda humiliatur. De conſequẽtia nemo dubitabit; cùm etiam aduerſarij admittant, in maioribus defectibus detegendis, præſertim, ſi cætera ſint paria, maiorem humilitatẽ exhiberi. Probo antecedens, quia illa priuatio eſt deterior ac turpior, quia priuat nobiliori forma: ſed ignorãtia priuat nobiliori forma, quàm malitia; ergo turpior eſt ignorantia, quàm malitia. Conſequẽtia rectè colligitur. Maior recipitur à Philoſophis cum ſuo duce Ariſtotele, dicente lib. 4. Eth. c. 10. *Peſſimum eſt, quod contrariatur optimo*; & à Theologis communiter cum D. Thom. 12. q. 73. art. 4. Vbi docent, grauius eſſe illud vitium, quod præſtantiori virtuti aduerſatur. Et ratio ipſa ſatis conuincit: nam cùm priuatio ſit mala, quòd priuet bono; illa profectò deterior cenſebitur, quæ priuat maiori bono. Minor verò ſuadetur: quia ignorantia priuat ſciẽtia, malitia verò priuat virtute, vt per ſe patet: ſcientia autem eſt nobilior habitus, quàm virtus, tum quia habet nobilius ſubiectum; (nam ſcientia perficit intellectũ, virtus voluntatem,) quam intellectui in nobilitate cedere, ex Philoſophia ſuppono: nobilius autem ſubiectum nobiliores vendicat perfectiones: tum quia habet nobilius obiectum, nam ſcientia verſatur circa verum, virtus autem circa bonum; quod etiam vero in nobilitate cedere, tradere ſolent Metaphyſici. Vnde morales Philoſophi cõmuniter docent, cùm nobilitas ex vtroque habitu, tam ſcientiæ, quàm virtutis oriatur, maiorem tamen cenſeri eam nobilitatem, quæ ex ſcientia, quàm quæ ex virtute proficiſcitur; quippe quæ à nobiliori forma procedat: vt Tiraquellus de nobilitate cap. 5. ex vtroque iure latiùs confirmat. Hinc enim eſt, quòd viri probi nulla habeant in republica nobilitatis priuilegia; cùm tamen ea Doctores ac viri literati non vulgaria aſſequantur. Vt etiam in Luſitanis ordinationibus lib. 3. tit. 59. §. 15. & paſſim alibi definitur.

Argumenta pro ignorãtia retractanda.

Ariſt.

D. Thom.

Tiraq.

Secundò ſic argumentor. Quia magis erubeſcunt homines de ſua ignorantia, quàm de ſua malitia: ergo magis ſe humiliant, qui ſuam ignorantiam, quàm qui ſuam malitiam manifeſtant. 9.
Patet conſequentia ex dictis: quia cùm rubor ſit timor ignominiæ, qui maiori ſe rubori exponunt, maiorem ignominiam incurrunt, & proinde ſe ipſos humiliores profitentur. Probo antecedens, quia multi ſæpe de ſua malitia gloriantur. Vnde eſt illud Dauidicum Pſalm. 51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* & illud Prouerb. 2. *Lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis*, & illud Iſai. 3. *Peccatum ſuum, quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt*, & illud Diui Pauli ad Philipp. 3. *Gloria in confuſione eorum*, hoc eſt, vt ibi Diuus Chryſoſtomus hom. 13. interpretatur, *Gloriantur, in quibus debebant pudefieri.* Imò quæ nunquam fecerunt peccata, aliquando cum vana quadam oſtentatione mentiuntur; ne ſi credantur non feciſſe, viliores habeantur. Vt patet in illo iuuene Amalecita, qui cùm auſus non fuerit occidere Saulem 1. Reg. 31. nihilominus iactabundus, & gloriabundus apud Dauidem prædicauit, eum à ſe interfectum eſſe, 2. Regum 1. Cui fortaſſe ſimilis Diuus Auguſtinus, antequam conuerteretur, peccata, quæ non fecerat, iactabat ſequutus eorum, quibus vtebatur, exemplum. Nam lib. 2. confeſſ. c. 3. *Audiebam*, inquit, *eos iactantes flagitia ſua, & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes eſſent: ego ne vituperarer, vitioſior fiebam; & vbi non ſuberat, quo admiſſo æquarer perditis, fingebam me feciſſe, ne viderer abiectior, quò eram innocentior.* Ita Auguſtinus. In quos homines detorqueri fortaſſe poteſt illud Dauidicum Pſalm. 81. *Vſquequo facies peccatorum ſumitis?* Quaſi diceret. Quare vos, cùm innocentes ſitis, ſimiles peccatoribus eſſe vultis, & quæ nunquam egiſtis ſcelera, ac ſi vnquam egeritis, inaniter prædicatis?

Chryſoſt.

Auguſt.

Contrà verò de ſua ignorantia, nemo eſt, qui non maximè erubeſcat; nemo eſt, qui illam quibus poteſt modis non occultet. 10.
Vnde Philoſophi Academici, teſte M. Tullio in lib. 2. quem de illorum quæſtionibus ſcripſit, omnia in vtramque partem diſputabant; vt liberior eſſet effugiendi poteſtas, & ſe argumentantium laqueis faciliùs expedirent, & nunquam ignorantiæ conuicti tenerentur; Socratem Philoſophorum ſapientiſſimum, vt putauit antiquitas, imitati: qui, vt refert Laërtius in Platone, Arceſila, & paſſim alibi, nihil vnquam verbo, & multò minus ſcripto affirmare auſus eſt, veritus, ne ſi oppoſitum eius, quod dixerat, proceſſu temporis certius appareret, ſua ad poſteros inſcitia proderetur. Sic olim dæmones ſuperbiſſimi ſpiritus in reddendis oraculis tanta verborum ambiguitate vtebantur, vt in quemcumque euentum ſua poſſent verba interpretari; ne ſi aliter eueniſſet, atque ipſi prædixiſſent,

Cicero.

Laërt.

xiſſent, ſua apud omnes ignorantia detegeretur. Cuius rei multa exempla Euſebius lib.6 præparat.Euangel.cap.10.Socrates lib.4.hiſtoriç Eccleſiaſticæ cap. 15. pluréſque alij retulerunt. Hinc tandem illi aruſpices ac diuini, quos Nabuchodonoſor de ſuo nomine conſuluit, cùm eſſent Chaldæi, reſponderunt Regi Syriacè, vt habetur Dan. 2. At cur non reſponderunt Chaldaicè, quod erat vernaculum eorum, & Regis, cum quo loquebantur, idioma? Fortaſſe, quia ſuam fateri ignorantiam cogebantur, ad peregrinam linguam cõfugerunt, vt à pauciſſimis intelligerentur: imò priuſquàm ſimpliciter dicerent, ſe neſcire, *Non eſt*, inquit, *homo ſuper terram, qui ſermonem tuum Rex poſſit implere.* Vt ita multitudine ignorantium ſuam quoque inſcitiam aliqua ex parte excuſarent. Adeò palàm ignaros confiteri erubeſcebant.

Euſebius. Socrates.

11. Tertiò argumentor in hunc modum; quia quãdo in Scriptura peccata maximè arguuntur, & abiectiſſima ſignificantur, dicuntur ignorantiæ, aut nominibus aliquam ignorantiam redolentibus exprimuntur: quaſi vilior eſſe non poſſet peccati natura, quàm ſi per ignorantiam explicaretur; ergo nulla eſſe poteſt humanæ naturæ maior labes, & de qua proinde homines magis debeant humiliari, quàm ignorantia. Antecedens patet ex multis locis. Nam Dauid Pſalm. 50. *Ignorantias*, inquit, *meas ne memineris*, hoc eſt, peccata. Canticum illud celeberrimum Abacuc 3. inſcribitur, *Oratio pro ingorantiis*, hoc eſt, pro peccatis. Summus Pontifex in lege veteri ſemel in anno in Sanctuarium ingreſſus, offerebat ſanguinem pro ſua, & populi ignorantia, Hebr. 9. hoc eſt, pro ſuo, & populi peccato. Samuel cùm Saulem de peccato acerbiſſimè obiurgaret, *Stultè*, inquit, *egiſti*, 1. Regum 13. *Deus in Angelis ſuis reperit prauitatem*, Iob 4. ſeu, vt eſt in Hebræo, *reperit ſtultitiam.* Dauid Pſalm. 74. *Dixi iniquis, Nolite iniquè agere*, Hebraïcè, *Dixi ſtultis, Nolite ſtulteſcere.* Et paſſim alibi ſimilia teſtimonia habentur. Et confirmatur, quia homines de nulla re magis, quàm de ſua ſcientia inſoleſcunt, iuxta illud Diui Pauli 1. Corinth. 8. *Scientia inflat.* Imò & Angeli ex ſua potiſſimum ſapientia ſuperbire cœperunt, iuxta illud Ezech. 28. ad Luciferum, *In multitudine ſapientiæ eleuatum eſt cor tuum.* ergo etiam de nulla re magis, quàm de ſua ignorantia humiliantur. Nam contrariorum contrarij ſunt effectus, teſte Philoſopho 2. de anima, cap. 10. & 4. Metam. cap. 2. Quare cùm D. Auguſtinus vir alioqui omnium ingeniorum princeps, omnium Theologorum Doctor, omnium in quibuſcumque facultatibus ſapientum Anteſignanus, ea nihilominus, in quibus ſcribendo lapſus fuerit, vt homo, non ſolùm verbo, ſed etiam ſcripto ad poſteritatem omnium ſæculorum ſempiternam euulgarit; eam planè videtur humilitatem præſtitiſſe, qua nulla maior fingi poteſt Atque hæc pro vtraque parte quæſtionis.

Ariſtot.

* * *

Problema II.

Pro D. Hieronymo.

Vtra fuerit laudabilior Diui Hieronymi occupatio, tota vita docuiſſe, an tota vita didiciſſe.

VTrumque munus & Doctoris, & auditoris Diuus Hieronymus tota vita laudatiſſimè peregit. 12.
Doctorem fuiſſe totius Eccleſiæ celeberrimum, nemo iure dubitabit; cùm ex eius doctrina totus orbis ſplendeſcat. Nam in Occidentali Eccleſia feliciter eruditus, ſe contulit ad Orientalem, vt Diuus Auguſtinus lib. 1. contra Iulianum teſtatur, ne anguſtior eſſet Hieronymi doctrina, quàm ipſa lux ſolaris; & quos mundi fines Sol illuminando peruagatur, eoſdem Diuus Hieronymus edocendo peruagaretur. Sedem ſibi delegit prope antrum Bethlemicum, vt ipſemet Hieronymus in epiſtol. 15. ad Pammachium, & Oceanum confitetur, quod hoſpitium Eraſmus Roterodamus, non tam antrum, quàm publicum totius Chriſtiani orbis oraculum appellat. Nam ad illud Chriſtiani frequentiores, quàm olim Ethnici ad Delphicum oraculum concurrebant. Et, vt alios prætercam inferioris notæ auditores, illò etiam dotiſſimi heroes magnis de rebus conſultum aduenerunt. Paulus Oroſius, Seuerus Sulpitius, Apodemius, Alipius; ipſe denique Diuus Auguſtinus, quem pedibus non potuit, certè literis, & internuntiis adiuit: omnes ingenuè profeſſi, ſe plurimum ex celeberrimi Doctoris ſapientia profeciſſe Quin etiam Damaſus Papa, quidquid dubij, difficultatíſque in ſacris litteris inciderat, datis ad Diuum Hieronymum epiſtolis, non aliter, quàm ex illius iudicio enodabat. Denique tota Græcia, quæ omnes omnium gentium literas faſtidiebat, Latinos vnius D. Hieronymi commentarios Græco ſermoce donauit, vt ex illo puriſſimo doctrinæ fonte putiorem ſapiẽtiam hauriret: nec puduit totius orbis magiſtram, poſt tot eximios ſcriptores ſe in D. Hieronymi tradere diſciplinam.

Auguſt. Hieron. Eraſm.

13. Nihilominus fuiſſe etiam D. Hieronymum tota vita diligentiſſimum aliorum magiſtrorum auditorem, certum omnino eſt, vt ipſemet in epiſtola citata ad Pammachium teſtatur. *Iam*, inquit, *canis ſpargebatur caput, & magiſtrum potius, quam diſcipulum decebat: perrexi tamen Alexandriam, audiui Didymum; in multis ei gratias ago. Quod neſciui, didici; quod ſciebam, illo docente, non perdidi. Putabant me homines finem feciſſe diſcendi: veni rurſum Hieroſolymam, & Bethleem; quo labore, quo pretio, Barrabanum, nocturnum habui præceptorem? Timebat enim Iudæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum.* Ita Hieronymus. Vbi videre eſt eius ſtudium in diſcendo; qui non ſolùm incolas, ſed etiam externos inquirebat præceptores; nec erubeſcebat communis omnium magiſter in diſcipulum ſe omnibus mancipare. Quòd ſi nocturnum habuit Hebræi ſermonis præceptorem; non fuit, quòd ipſe Hieronymus diurno tempore diſcere erubeſceret; ſed quòd ipſe præceptor diurno docere propter Iudæos formidaret. Mitto plures alios non ſolùm viros, ſed etiam fœminas, à quibus Diuus Hieronymus ingenuè fatetur, ſe libenter, quæ ignorabat, didiciſſe.

Hieron.

Digitized by Google

ciſſe. Hinc igitur oritur quæſtio quodlibetica,
vtrùm laudabilius fuerit D. Hieronymi negotiũ
vſque ad ſenectutem docuiſſe, an vſque ad ſene-
ctutem didiciſſe.

14. *Rationes pro munere docendi.* Laudabilius fuiſſe munus docendi, hæc oſten-
dunt. Quia in primis hoc munus regium eſt.
Nam Dauid Rex illud exercebat. *Docebo*, inquit,
iniquos vias tuas, Pſalm.50. Imò Angelicum; nam
& Angeli docendis hominibus incumbunt. *Ecce
vir Gabriel*, inquit Daniel cap.9. *citò volans, teti-
git me, & docuit me.* Parum hoc eſt, addo & di-
uinum. Nam æternus Pater non ſolùm docuit
filium, iuxta illud, *Sicut docuit me Pater, hæc loquor*,
Ioann. 8. Sed etiam hominum magiſter eſſe vo-
luit, iuxta illud, *Dominus erigit mihi aurem, vt
audiam, quaſi magiſtrum*, Iſai. 50. At verò Spi-
ritum paracletum totius mundi doctorem fo-
re, Chriſtus Dominus aſſeruit, dicens, *Ille vos
docebit omnia*, Ioann.14. *Et docebit vos omnem ve-*
Irenæus. *ritatem*, Ioann.16. Vnde Diuus Irenæus Spiritum
ſanctum appellat ſacrarum litterarum non mo-
dò conditorem, ſed etiam doctorem. Iam ve-
rò Chriſtus Dominus, quid frequentius, quàm
docendi munus exercebat? *Ego*, inquit, *ſemper
docui in Synagoga*, Ioann.18. Vnde Iſaias cap. 30.
Chriſtum Dominum per antonomaſiam docto-
rem, præceptorémque appellat. *Non facit*, in-
quit, *auolare à ſe vltra doctorem tuum, & erunt ocu-
li tui videntes præceptorem tuum.* Hinc eſt, quod
Chryſoſt. Diuus Chryſoſtomus homil. 5. in primam epi-
ſtolam ad Timotheum affirmet, neminem ad
doctoratum euehendum, niſi priùs diuino cal-
culo, & ſuffragio approbetur. Nullum igi-
tur munus potuit Diuinus Hieronymus tota vi-
ta laudabilius exercere, quàm munus docendi;
cùm per hoc ad diuinos honores accedere vi-
deretur.

15. Contrà verò diſcendi munus longè videtur à
ſenibus alienum. Quod ſic oſtendo. Quia ſi ſe-
nes ſunt imperiti, doceri vlteriùs non poſſunt
propter ſenſuum hebetudinem, & quandam na-
turalium facultatum ſtupiditatem, quæ neceſſa-
riò conſequitur, vbi nullus vnquam diſcendi
labor, aut exercitatio proceſſit, qua internæ po-
tentiæ acuerentur. Vnde Cynicus ille Philoſo-
phus non immeritò dicebat, *Mortuo mederi, & ſe-*
Senes indociles. *nem docere idem eſſe.* Hinc ille alius ſenex apud
Theognem Poëtam Græcum non patiebatur,
ſe ab alio edoceri, dicens, *Ne doceas, ætas me fa-
cit indocilem.* Quæ eſt optima ratio illius parœ-
miæ vulgò tritæ, *Senex pſittacus negligit ferulam.*
Apul. Nam, vt Apuleius lib.2. Floridorum, & Plinius
Plin. lib. 10. naturalis hiſtoriæ, cap.42. aliíque teſtan-
tur, pſittacus in primo vitæ biennio facilè addi-
ſcit, in ſenio quantumuis flagelletur, nunquam
poteſt edoceri. Neque latuit hæc difficultas ip-
Hieron. ſum Diuum Hieronymũ. Nam præfatione in Euã-
gelia, *Periculoſa*, inquit, *præſumptio eſt ſenis mutare
linguam & caneſcentem mundum ad initia trahere
paruulorum.* Ita ille. Ergo quicumque ſunt impe-
riti ſenes, fruſtrà diſcendo elaborant, cùm nun-
quam laboris ſui fructus aſſequantur; ſi verò
tales non ſint, ſcientia abundant: quæ planè pro-
pria eſt ſenilis ætatis, iuxta illud Eccleſiaſtici 25.
Corona ſenum multa peritia. Vnde D. Hieronymus
Idem. in epiſtola ad Nepotianum, *Omnes*, inquit, *penè
virtutes corporis mutantur in ſenibus, & creſcen-
te ſola ſapientia decreſcunt cæteræ virtutes.* Quò per-
Socrates. tinet illud Socratis in Sympoſio Platonis, *Tunc*,
inquit, *mentis oculus acutè incipit cernere, cùm pri-
Cicero. mùm corporis oculos deflorescit.* Quare Tullius in
Catone, *Temeritas*, inquit, *eſt floreſcentis æta-
tis, prudentia ſenectutis.* Ob quam cauſam Quin- *Quintil.*
tilianus in declamatione quadam, *Militem*, in-
quit, *legimus iuuenem, Imperatorem facimus ſenem.*
Quibus verbis ſignificat, ſicut iuuenis viribus
ad pugnandum abundat; ita ſenem conſiliis ab
gubernandum abundare. In huius rei typum
Dauid, poſtquam ſenuit, vxorem duxit Abiſag,
Sunamitidem, 3. Regum 1. quæ ſapientiam ſe-
nilis ætatis propriam repræſentat. Nam *Abiſag*,
interprete D. Hieronymo proximè citato, idem
eſt, quod abundans, quod rugitus. *In ſenibus
autem*, inquit Hieronymus, *abundantiſſimum, & Hieron.*
*vltra humanam vocem diuini ſermonis tonitruum
commoratur.* Ita ille. Cùm igitur ſenes omnibus
doctrinæ præſidiis muniti iam ſint; fruſtrà tem-
pus ponunt in diſcendo, quod fructuoſiùs in do-
cendo collocarent. Quare non videtur D. Hie-
ronymus etiam extremam ſenectutem diſcendo
impendiſſe, quàm vtiliùs impenderet docendo.
Et confirmatur, quia ſicut pecuniæ, ita & ſcien-
tiæ immoderata quædam cupiditas eſſe poteſt.
Vnde D. Iacobus cap.4. ſuæ epiſtolæ, *Dico*, in-
quit, *vobis per gratiam, quæ data eſt mihi; non
plus ſapere, quàm oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem.*
Vbi D. Bernardus ſermone 36. in Cantic. *Non Bern.*
prohibet, inquit, *ſapere, ſed plus ſapere, quàm opor-
tet.* & paulo antè, *nam quemadmodum cibus indi-
geſtus malos generat humores; ita & multa ſcientia,
ſi decocta igne charitatis non fuerit, malos mores.*
Ita ille. Quæ autem immoderatior eſſe poteſt
ſcientiæ cupiditas, quàm quæ ne extremo qui-
dem vitæ tempore à diſcendo feriatur? Et prius
patitur animum à corpore, quàm ſtudium ab ani-
mo auferri? Nulla igitur videtur laus Diui
Hieronymi etiam ad extremam ſenectutem di-
cendo incubuiſſe: multa tamen docendo ela-
boraſſe.

Nihilominus laudabilius fuiſſe Diui Hierony- 16.
mi negotium, vſque ad extremum ſpiritum di- *Argumenta*
diciſſe, ex multis ſacrarum literarum oraculis po- *pro munere*
teſt confirmari. Nam in primis D. Paulus, poſt- *diſcendi.*
quam 1. Timoth. 3. dixit, *Oportet Epiſcopum do-
ctorem eſſe*; rurſus 2. Timoth. 2. dicit, *Oportet Epi-
ſcopus docibilem eſſe.* atqui doctor eſt, qui docet;
docibilis, qui docetur: ergo ſi idem Epiſcopus
doctor, & docilis eſſe debet, profectò idem
promptus eſſe debet, vt doceat pariter, ac docea-
tur. Vnde D. Auguſtinus lib.1. contra Donati- *Auguſt.*
ſtas cap.5. refert ex Diuo Cypriano, in Epiſcopo
diligendum eſſe, non ſolùm vt ſcienter doceat,
ſed etiam vt patienter diſcat. Et lib.5. contra eoſ-
dem cap.76. *Ille*, inquit, *Epiſcopus meliùs docet,
qui quotidie creſcit, & proficit diſcendo meliora.* Ita
ille. Deinde ille Regum omnium ſapientiſſimus
Salomon poſtulaturus à Deo ſapientiam, vt poſ-
ſet iudicare populum, & diſcernere inter bo-
num, & malum, poſtulauit docilitatem. *Dabis*,
inquit, *ſeruo tuo cor docile*, 3. Regum 3. hoc eſt,
cor facile, vt doceatur. Quaſi ille animus om-
nium ſapientiſſimus iudicetur, qui non minus
poſſit docere, quàm velit doceri: & ille, qui ad
diſcendum promptiſſimus ſit, idem planè ad do-
cendum ſapientiſſimus habeatur. Nam, vt bene
D. Ambroſius lib. 1. Offic. cap. 1. *Quantumlibet*, *Ambroſ.*
inquit, *quiſque profecerit; nemo eſt, qui doceri non
egeat, dum viuit.* Ita ille.

Iam verò idem Salomon non minùs bonus 17.
Rex quàm egregius prædicator ſuum clauſit li-
brum optimis verbis ad rem præſentem confir-
mandam. *Finem*, inquit, *loquendi omnes pariter* *Eccleſ. 12.*

audia-

audiamus, Eccleſiaſtes 12. Non ait, finem loquendi, hoc eſt, meam extremam orationem omnes pariter audire, ſed *audiamus*: vt ſuis ſe auditoribus exæquet; nec minus à ſe, quàm ab aliis audientiam exoret. Nam etiam doctor, qui alios docet, & prædicator, qui aliis prædicat, debet ſe ipſum docere, & ſibi ipſi prædicare. Vnde rectè
Clem. Alex. Clemens Alexand. lib. 1. ſtrom. *Docens*, inquit, *aliquis plus dicit; & dicens ſæpè vnà audit cum iis, qui ipſum audiunt.* Ita ille. Hanc fortaſſe rem ſignificare voluit D. Paulus ad Epheſios 4. Nam Apoſtolorum officia enumerans, *Ipſe*, inquit, *dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem paſtores, & doctores.* At cur vltimo loco *doctores* commemorauit? Credo, vt eſſent auditoribus propinquiores, nec ſe multum ab eorum officio alienarent: ſed pariter & docerent, & audirent. Quod
Ambroſ. D. Ambroſius lib. 1. offic. c. 1. mihi videtur inſinuaſſe. *Diligentiam*, inquit, *circa Scripturas diuinas vltimam poſuit Apoſtolus, vt ſtudio docendi poſſim diſcere.* Ita Ambroſius. Quaſi vtrumque munus, & docendi, & diſcendi parum inter ſe differant, ſed potiùs magno inter ſe commercio coniungantur. Huc pertinet illa gloriatio Iſai. cap. 50. *Dominus*, inquit, *dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum, qui laſſus eſt, verbo.* Quaſi diceret, Dominus me conſtituit magiſtrum, & doctorem. Et ſtatim confitetur diſcipulum ſe factum eſſe, & auditorem. *Erigit*, inquit, *manè, manè erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum.* Non immeritò planè. Vt etiam ille, qui doctum ſe exiſtimat, diſcere ex aliis, vt doctior fiat, non erubeſcat. Neque mirum, cùm magnus ille Theologus Ioannes Euangeliſta, qui Chriſti Domini lateri incumbens diuinæ ſapientiæ fontes epotauit, myſteria reſurrectionis libens ab vna fœmina didicerit; & ingenuo pudore confeſſus fuerit, per quam profecerit, dicens, *& hæc dixit mihi*, Ioann. 20. Vbi D. Chryſoſtomus homil. 84.
Chryſoſt. *Euangeliſta*, inquit, *tanta laude mulierem non fraudauit; neque ſibi dedecori arbitratus eſt, vt ab ea hæc intelligeret.* Ita ille. Iam verò D. Paulus raptus in tertium cælum, & in cæleſti Academia Doctor gentium declaratus, tamen in terris Apoſtolorum ſe diſcipulum exhibebat. *Aſcendit*, inquit, *Hieroſolymam ſecundum reuelationem, & contuli cum illis*, Id eſt, cum Apoſtolis, *Euangelium quod prædico in*
Hieron. *gentibus*, ad Galat. 2. *Veritus*, vt D. Hieronymus interpretatur, *ne manus doctoris, & prædicatoris quodammodo euaneſceret, niſi ſæpiùs interrogando, ac diſcipuli munus exercendo renouaretur.* Hanc do-
Auguſt. ctrinam ſequutus D. Auguſtinus epiſt. 25. *Ego*, inquit, *ſenex à iuuene, Epiſcopus tot annorum à collega nondum anniculo paratus ſum doceri*, & alibi, *Si poſſes*, inquit, *me docere, quod ignorò, libentiſſimè te ſufferrem, non ſolùm verbis increpantem, ſed etiam verberibus caſtigantem.*

18. Ambroſ. D. Ambroſius quamplurimis in locis auditoris munus obire profitetur, præſertim lib. 6. epiſtola ad Sabinum, 40. ad quem mittit ſuos quoſdam libellos, & ſummis precibus contendit, vt diligenter eoſdem diſcutiat, & quæ corrigenda decreuerit, arbitrij ſui iudicio caſtiget, ac corrigat. Ex quibus omnibus colligitur quanta cum
Hieron. laude D. Hieronymus tota vita non ſolùm docuerit, tanquam Doctor maximus; ſed etiam didicerit, tanquam auditor minimus. Vnde ipſe à Ruffino reprehenſus, quòd iam ſenex ab homine Hebræo, Hebræas literas acceperit, feſtiuiter reſpondet in Apologia, contra illum. *Quod*, inquit, *ille Demoſthenes in vna litera fecit exprimenda, vt à cane Philoſopho diſceret; tu in me criminaris, quòd homo ab homine Hebræas literas didicerim?* Inde eſt, quod quidam inerudité ſapientes remanent, dum nolunt diſcere, quod ignorant, nec Horatium audiunt commemorantem,

Cur neſcire pudens prauè, quàm diſcere malo. Horat.

Ita D. Hieronymus. Vnde patet, nihil eſſe homine dignius, nihil in doctore laudabilius reperiri, quàm ſi non ſolùm alios feliciter doceat, ſed etiam ab aliis vtiliter diſcat. Atque hæc pro vtraque parte.

PROBLEMA III.

Pro D. Ambroſio.

Vtrùm D. Ambroſius ſi ſolum D. Auguſtinum docuiſſet, & conuertiſſet; lauream Doctoris Eccleſiæ mereretur.

DVbitare nemo poteſt, quin D. Ambroſius, clariſſimum Eccleſiæ iubar, multorum animos, errorum tenebris occæcatos illuſtrarit, peccatorum laqueis irretitos expedierit, & à via ſalutis toto cælo aberrante, in viam ſalutis reuocarit. Hoc enim mihi videntur ſignificaſſe illæ apes, quæ in eius ore adhuc infantis, & dormientis, ſtruxiſſe fauos, & finxiſſe mella memorantur, præſagio planè non obſcuro, fore, vt ex illius ore melle dulcior flueret oratio, quæ etiam multos, & reluctantes animos Deo lucraretur. Quamuis, inquam, de hac re dubitare nemo poſſit, niſi amens ſit; nihilominus quæſtionem excito hypotheticam, ſi D. Ambroſius neminem præter vnum Auguſtinum ad fidem, ac meliorem frugem conuertiſſet, an id ſatis eſſet, vt laureâ Doctoris totius Eccleſiæ donaretur? 19.

20. D Thom. *Fundamenta negatiuæ partis.* Negatiua pars tribui poteſt D. Thomæ 1. p. in prologo; vbi docet, Catholicæ veritatis Doctorem non ſolùm prouectos debere inſtruere, ſed etiam incipientes erudire. Vbi ad Doctoris lauream requirit plures inſtruendos, non ſolùm numero, ſed etiam ſpecie morali quodammodo diſtinctos, nimirum proficientes, & incipientes: ergo ſi D. Ambroſius vnum tantùm docuiſſet, & conuertiſſet Auguſtinum, non propterea Doctoris lauream aſſequeretur. Secundò ſic argumentor ex c. 12. Daniel. vbi ſic, *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* in quibus verbis Doctores Eccleſiæ definiuntur, vt D. Hieronymus, Albertus, Carthuſianus, pluréſque alij interpretantur: atqui illi tan-
Hieron. Albert. Carthuſ. tùm dicuntur ad hunc Doctoris gradum euadere, qui multos erudiunt; ergo qui vnum tantùm docuiſſet, ad hunc gradum aſcendiſſe non diceretur: & proinde ſi D. Ambroſius plures, quàm D. Auguſtinum, non erudiiſſet, non poſſet in Doctorum albo recenſeri. Et confirmatur à ſimili, quia propheta in illis verbis Doctores ſtellis comparat, *Fulgebunt*, inquit, *quaſi ſtellæ*; tum propter alias cauſas, tum etiam propter claritatem, & efficacitatem: atqui ſtellæ non vnam tantùm rem illuminant, ſed omnes; neque in vnam tantùm benefico afflatu illabuntur, ſed in pleraſque ſublunares: ergo etiam Doctores illi eſſe debent, qui

Digitized by Google

qui non vnum tantùm, vel alterum illuminent, ſed omnem hominem venientem in hunc mundum. Tertiò quia Chriſtus Dominus cùm ſuos diſcipulos conſtituit, creauitque Doctores, *Docete*, inquit, *omnes gentes*, Matth. 28. Et rurſus, *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, Marc. 16. Quaſi Doctoris munus non eſſet agere cum ſingulis tantùm, ſed cum omnibus: neque vnum tantùm ab ignorantiæ tenebris in lucem veritatis, ſed plurimos reuocare: ergo qui vnum tantùm docuiſſet, aut vni tantùm prædicaſſet, nondum perfectum Doctoris munus omnibus partibus impleſſet. Et confirmetur ex D. Paulo ad Epheſ. 4. dicente Chriſtum Dominum conſtituiſſe Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in ædificationem corporis Chriſti: atqui corpus Chriſti myſticum, de quo ibi ſermo eſt, non ex vno tantùm, ſed ex pluribus fidelibus coaleſcit: ergo Doctor non eſt, qui vni tantùm membro curando, ſolidandóque vacat; ſed qui pluribus inter ſe iungendis, coagmentandiſque incumbit.

D.Thom.

Vltimò quia Doctores ſum munus prædicando exercent, vt tradit D. Thom. in ſupplemento q.96. art. 11. in corpore: atqui prædicatio non fit ad vnum, ſed ad plures, iuxta illud,

Quintil.

quod oratorum magiſter Fabius Quintilianus inculcauit, dicens, *Tolleretur de rebus humanis eloquentia, ſi cum ſingulis ageremus*; ergo qui plures non docet, tantum abeſt, vt finem perfecti Doctoris obtineat, vt ne illius quidem munus exercuiſſe videatur.

Pars affirmatiua probatur.

21. Pars affirmatiua non minoribus rationum præſidiis fulcitur. Primò, quia laurea martyrij vnico actu charitatis erga Deum comparatur: imò in vniuerſum loquendo nullus eſt virtutis, ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis habitus, qui vnico eiuſdem virtutis actu perfectiſſimè elicito, perfectiſſimè non acquiratur, vt Philoſophi ac Theologi communiter oſtendunt; ergo etiam laurea Doctoris, & virtus, qua Doctor conſtituitur, quæ eſt quædam charitas, ſiue miſericordia in proximum,

D Thom.

teſte D.Thoma in ſupplemento citato art. 7. ad primum, poteſt vnico actu perfectiſſimo comparari. Atqui ille actus, quo D. Ambroſius docuit, & conuertit D.Auguſtinum, fuit perfectiſſimus, tum propter maximam charitatem D. Ambroſij illum exercentis: tum propter maximam vtilitatem, quam D.Auguſtinus toti Eccleſiæ allaturus erat; ergo propter illum tantùm D. Ambroſius Doctoris laurea potuit ac debuit coronari.

22. Secundò ſic argumentor: quia, vt quis Doctoris lauream aſſequatur, opus non eſt, vt effectu ipſo multos doceat, & conuertat; ſed quòd dicat appoſitè ad multos docendos, & conuertendos: ſed D. Ambroſius docendo & conuertendo D. Auguſtinum, quàm aptiſſimè ad multos docendos, & conuertendos prædicauit: ergo ex ea tantùm prædicatione Doctoris lauream comparauit. Conſequentia patet. Minor videtur perſpicua. Nam cùm Auguſtinus fuerit acutiſſimi ingenij, ſolertiſſimique, ad omnia argumenta eludenda, & præterea deprauatiſſimæ voluntatis, ſuis ſceleribus mordicus adhærentis; prædicatio, quæ illi veritatem perſuaſit, cui non perſuaderet? & quæ illum è ſuis ſceleribus remouit, quem non penitus remoueret? Maior, de qua ſola eſſe poteſt dubitatio, ſuadetur:

Chriſtus Dominus Redemptor omniū, qua ratione.

quia vt Chriſtus Dominus dicatur omnium hominum Redemptor, & Saluator, opus non eſt, vt effectu ipſo omnes redemerit, & ſaluauerit; ſed vt ſufficientiſſimum pretium ad redemptionem, & ſalutem omnium obtulerit: ergo etiam, vt quis dicatur Eccleſiæ Doctor, opus non erit, vt effectu ipſo plures docuerit, & conuerterit; ſed quòd appoſitè dixerit ad docendum, & conuertendum. Et confirmatur, quia laurea eſt præmium alicuius meriti: atqui meritum Doctoris non conſiſtit in aliorum conuerſione, cùm hæc extra illius libertatem ſita ſit, ſed tantùm in eius apta prædicatione; ergo ſiue alij conuertantur, ſiue non, quod eſt per accidens; dummodo ipſe doctor perfectè doceat ac prædicet, quod per ſe requiritur, laurea doctoris acquiretur. Vnde rectè D. Bernardus lib. 4. de conſideratione ad Eugenium, monet, vt in ſalutem animarum incumbat, quamuis neminem conuertat. *Noli*, inquit, Bernard.

diffidere; curam exigeris, non curationem. Denique audiſti, curam illius habe; & non, cura, vel ſana illum. Vnde D.Paulus 1.Corinth.15. *Plus omnibus laboraui.* Non ait, plus omnibus fructificaui. Nouerat, quia vnuſquiſque ſecundùm ſuum laborem accipiet; non ſecundùm prouentum. *Reddet enim Deus mercedem laborum ſanctorum ſuorum.* Sapient.10. non autem fructuum. Ita egregiè D. Bernardus.

Tertiò quia licèt ad perfectam Doctoris lauream, plurium inſtructio, & conuerſio requireretur: adhuc conuerſio D. Auguſtini ſufficeret ad 23.
D.Ambroſium Doctoris laurea coronandum; ergo intentum. Probo antecedens, quia illa D.Auguſtini conuerſio multis aliis conuerſionibus æquipolleret. Nam in ſacris literis vnus vir nimiùm excellens, & facile princeps, multis aliis non ſolùm confertur, ſed etiam antefertur. Vnde Eccleſiaſticus cap.16. *Melior eſt*, inquit, *vnus timens Deum, quam decem filij impij: ab vno ſenſato inhabitabitur patria; & tribus impiorum deſeretur.* Quibus verbis aliqui addunt, *& vnus iuſtus pro toto mundo.* Vbi videre eſt, vrbem, imò orbem vbi habitet vnus tantùm, ſi probus ſit, eſſe frequentiſſimè habitatum: tribum verò, in qua impij multi degant, eſſe planè deſertam, ac ſolitariam. Hinc eſt, quòd populus Iſraëliticus Regem Dauidem ad Bellum contra Abſalonem exire molientem, hiſce verbis retinuerit, ne exiret. *Non exibis*, inquit, *quia tu pro decem millibus computaris*, Chryſoſt.

2. Reg. 18. Quò fortaſſe alludens D. Chryſoſtomus homil.8.in Acta, *Educite*, inquit, *centum myriades, & vnum ſanctum: ſcimus, quia hic plura operetur. Exiit Ieſus Naue in bellum, & ſolus omnia operatus eſt ſtrenuè; & ita alij nihil profuerunt.* & paulo pòſt, *Vellem, vt multitudine ornetur Eccleſia, ſed multitudine probata; ſi autem hoc fieri nequit, ſaltem pauci illi probati ſint. Non videtis, quòd melius ſit habere vnum lapidem pretioſum, quàm mille obolos:* Hæc Chryſoſtomus.

Tota olim Samaria fame extabeſcebat; ſolus 24.
Helias à Deo ſuſtentabatur, 3. Reg.17. *Mirum* Chryſoſt.
non eſt, inquit D.Chryſoſtomus hom.40. ad pop. Antiochenum, *quia Helias vnus erat, ſed totus mundus dignus non erat, qui rependeretur ei. Et mundus quidem innumera millia ſunt; ſed non ſunt millia, cùm nec ad vnius menſuram perueniant.* Ita Chryſoſtomus. Facit & D. Paulus, qui paucos ex illis ſanctiſſimis Patribus toti mundo videtur prætuliſſe. *Quibus*, inquit, *dignus non erat mundus*,
Hebr.11. Vbi Theophylactus, *Si vniuerſam*, inquit, Theophyl.
mundi ſtructuram cum hominibus, qui in eo ſunt, opponas hiſce, non inuenies tamen, quid illis dignitate reſpondeat. Ita ille. Eodem alluſit & Moyſes Deuter. 33. Nam tribum Leuiticam benedi-
ctione

Digitized by Google

ctione impertiens, *Qui*, inquit, *dixit patri ſuo, & matri ſuæ, neſcio vos*, &c. *hi cuſtodierunt eloquiū tuum, & pactum tuum ſeruauerunt.* Vbi Moyſes initio quidem loquitur ſingulariter, *qui dixit*, & ſtatim pluraliter, *hi cuſtodierunt, hi ſeruauerunt.* Quaſi vnus tantùm mundo propter Deum renūtians, multorum inſtar habere videretur. Quæ etiam cauſa fuit, cur Anna mater Samuelis, quo tempore vnicum tantùm habebat filium Samuelem, nihilominus plures peperiſſe affirmaret. *Donec*, inquit, *ſterilis peperit plurimos*, 1. Regum 2. quia vnius ſanctitas innumeram aliorum multitudinem, non ſolùm exæquabat, ſed etiam ſu-
Philo Iud. perabat. Ita enim Philo Iudæus in libro, quòd Deus ſit immutabilis, interpretatur. Quare cùm D. Ambroſius vnum Deo genuerit Auguſtinum, innumeros ſine dubio filios per Euangelium genuiſſe credendus eſt. Nam vnus Auguſtinus, & doctrina, & ſanctitate innumeris aliis antecelluit; & maior ex illo tantùm, quàm ex innumeris aliis vtilitas in Eccleſiam redundauit. Et confirmatur, quia quemadmodum Dauid vnum ſuperans Philiſthæum, omnes cenſetur Philiſthinorum acies ſuperaſſe; & Iudith vnum iugulans Holofernem, iugulaſſe cenſetur omnes Aſſyriorum legiones; & Chriſtus Dominus vnum Archidæmonem, vt appellat D. Chryſoſtomus, profligans, cenſetur profligaſſe omnes dæmonum cateruas, & Chriſtianorum pedibus profligandas ſubieciſſe: ita planè D. Ambroſius vnum ſuperans Auguſtinum, omnes omnino Manichæorum, cæterorúmque hæreticorum exercitus ſuperauit. Vnde ex hac vna victoria, dignus fuit, qui celeberrima Doctoris laurea coronatus triumpharet.

PROBLEMA IV.

Pro D. Gregorio.

Vtrùm D. Gregorius vtilior fuerit Eccleſiæ ſuo Pontificatu, an ſuo Doctoratu.

25. VTraque dignitate inſignis fuit D. Gregorius; mitram Pontificis, & lauream Doctoris ſumma cum laude coniunxit. Hæc enim duo ornamenta non debent ab inuicem in Epiſcopo ſeparari. Vnde D. Paulus 1. Timoth. 3. *Oportet*, inquit, *Epiſcopum Doctorem eſſe.* Quaſi qui Doctor non ſit, neque aptus eſſe poſſit, vt Epiſcopali munere fungatur. Et propterea idem Apoſtolus cùm alia Eccleſiaſtica officia diſtinxerit, hæc duo copulauit, dicens, *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores*, Epheſ. 4. Diſcriminauit quidem alios Eccleſiæ miniſtros, ſed hos duos Paſtores, & Doctores penitus coniunxit: ſignificans vnam dignitatem
Auguſt. ſine altera minimè poſſe cohærere, vt D. Auguſtinus epiſtola 59. ad Paulinum interpretatur. Nec immeritò in eundem hominem paſtoris, & Doctoris dignitas debent conuenire. Nam iuxta
D. Paul. Diuum Paulum ad Titum 1. ille tantùm paſtor eligi debet, *qui potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Ad hoc autem munus palàm eſt, perfectiſſimam ſapientiam in Pontifice requiri. Vnde olim Deus optimos ſuæ Eccleſiæ paſtores promiſſurus, ſapientes promiſit, *Dabo*, inquit, *vobis Paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia, & doctrina*, Ierem. 3. Neque enim aptus eſt ad paſcendum, qui ſcien-
tia & doctrina non abundet. Quare Concilium Conc. Trid.
Tridentinum ſeſſ. 5. cap. 2. ſtatuit, vt Epiſcopi non ſolùm Paſtoris, ſed etiam Doctoris munere fungantur, hoc eſt, vt non ſolùm gubernandi, ſed etiam prædicandi officium exerceant. Vtrumque igitur munus D. Gregorius ſumma cum laude
adminiſtrauit. Sed hinc oritur dubitatio quod- Dubitatio.
libetica, vtro ex officio ſanctiſſimi viri, Pontificatu ne, an Doctoratu, maior in Eccleſiam vtilitas redundarit.

Pro Pontificatu multa congeri poſſunt, & San- 26.
ctorum oracula, & rationum monumenta. In pri- Argumenta pro Pontificatu.
mis Chriſtus Dominus oſtenſurus, quātam mundo vtilitatem præſtiterit, *Ego*, inquit, *ſum Paſtor bonus*. Ioann. 10. Non autem dixit, Ego ſum Doctor ſapiens. quaſi maior ex illo munere, quàm ex
hoc vtilitas oriatur. Vnde D. Bernardus epiſtola Bernard.
248. ad Papam Eugenium, nihil Eccleſiæ vtilius eſſe ſentit, quàm bonum Paſtorem. *Si rebus*, inquit, *raritas pretium facit, nihil in Eccleſia pretioſius, nihil optabilius bono, vtilique Paſtore.* Proinde ſicubi talis reperiatur, confeſtim iniiciendæ ſunt manus, & totis viribus ſatagendum, ne qua via, ne qua arte malitiæ fructuoſa promotio
valeat præpediri. Ita Bernardus. Comparari poſ- Paſtorum comparatio.
ſunt Paſtores cum arborum radicibus, iuxta illud Dauidicum Pſalm. 79. *Plantaſti radices eius*, hoc eſt, Principes, & Paſtores huius populi elegiſti. Nam quemadmodum ex radicibus haurit tota arbor ſuccum illum vitalem, quo nutritur; ita & tota reſpublica à bono Prælato ſpiritualia accipit alimenta, quibus proficit, & vegetatur.
Vnde D. Chryſoſtomus in tractat. de Symbolo, Chryſoſt.
Quemadmodum, inquit, *videns arborem foliis pallentibus, marcidam intelligis, quod aliquam culpam habeat circa radicem; ita cùm videris populum indiſciplinatum, ſine dubio cognoſce, quod ſacerdotium eius non eſt ſanum.* Ita D. Chryſoſtomus. Et poſſet quidem contrario modo etiam philoſophari. Quemadmodum, qui videt arborem florentem, & vernantem, ſanam, & vegetam non dubitat radicem, ex qua tota illa arboris amœnitas dependeat: ita & qui videt rempublicam bonis moribus inſtructam, optimos ei præeſſe non dubitat paſtores, à quibus tota illa virtutum ſeges oriatur.

Veſtes, quibus olim ſummus Sacerdos in San- 27.
ctuarium penetrabat, multicolores erant, & polymito, ſeu phrygiano, vt vocant, opere varie-
gatæ. Rationem reddit D. Hieronymus de veſte Hieron.
ſacerdotali, *Vt non ſolùm*, inquit, *pro liberis, & parentibus, ſed pro cuncta creatura, & voce, & habitu precaretur.* Ex quibus verbis patet Pontificis dignitatem ſic eſſe comparatam, vt nō ſolùm amicis ac domeſticis, ſed planè omnibus etiam inimicis, & externis profutura cenſeatur. Eodem pertinet, quòd idem Pontifex nomina filiorum Iſraël, & in humeris, & in pectore geſtabat, Exod. 28. Vtrumque ſanè optima ratione. Nam in hu-
meris portabat, inquit Arnoldus tractat. de verbis Arnold.
Chriſti Domini in cruce, *vt per hoc intelligatur, quomodo in portandis fratrum oneribus officium illud ſe habere debeat; quantáque eis ex debito regiminis ſolicitudo incumbat, vt propriis humeris ouem perditam ad ouile reportet.* Ita ille. *In pectore verò geſtabat*, inquit idem Arnoldus, *quia pectus eorum, qui*

Digitized by Google

ſent in regimine, aliud occupare non debet, quàm animarum zelus. Itaque boni paſtores in ſalutem ſubditorum toto pectore incumbunt; & ſi quos laborum pondere preſſos deprehendunt, humeris ſuis impoſitos in cœlum portant.

28. Hieron. Leo.

Ad hæc Apoſtoli Eccleſiam gubernaturi ſal terræ appellantur Matth. 5. quia, *vt ſal*, inquit D. Hieronymus, *omnem cibum condit, nec eſt aliquid per ſe tam ſuaue, quod abſque eo guſtum demulceat; ita mundi totius, & propriè Eccleſiæ condimentum Epiſcopus eſt.* Addit idem D. Hieronymus ad illa verba Chriſti Domini, *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus*, Matth. 6. Epiſcopum eſſe oculum totius Eccleſię, quia quantam oculus corpori, tantam Epiſcopus Eccleſiæ vtilitatem affert, & iucunditatem. Tandem cùm diabolus expeteret Apoſtolos vt cribraret, ſicut triticum; Chriſtus Dominus pro ſolo Petro dicitur oraſſe, *Ego rogaui pro te Petre*, Luc. 23. At cur non etiam pro aliis? Reſpondet optimè D. Leo, *Quòd aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis inuicta maneat. In Petro ergo omnium fortitudo munitur; vt firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum cæteris Apoſtolis conferatur.* Ita D. Leo. Vnde patet, quidquid boni in ſubditis reperitur, totum id ex bonis paſtoribus redundare.

29. Vltimò ratione ſic argumentor. Quia Doctor ſolùm viam monſtrat, illuminando intellectum: at verò paſtor in viam deducit, trahendo voluntatem, per leges, per ſupplicia, per præmia. Vnde eſt illud Ierem. 1. ad paſtorem Iſraël, *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Quantò igitur facta verbis præſtant, tantò paſtores vtiliores reipublicæ, quàm Doctores. Vnde planè D. Gregorius videtur maiorem vtilitatem Eccleſiæ præſtitiſſe, præſidendo, ſtatuendo decreta, iubendo leges, ferendo cenſuras, bonis præmia, malis ſupplicia diuidendo, quàm præſtiterit docendo, prædicando, ſcribendo; cùm per hæc viam virtutis ſolum oſtenderit, per illa ad viam ſalutis impulerit.

30. *Fundamenta pro Doctoratu.* August. Iſidor.

Pro Doctoratu non minora ſe offerunt præſidia rationum, & in primis ex ſacris literis quanta ſit eorum vtilitas apertiſſimè demonſtratur. Facit in primis locus ille Cant. 3. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael: omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi; vniuſcuiuſq; enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.* Quid enim lectulus Salomonis, niſi Chriſti Domini Eccleſiã adumbrat? Quid illi ſexaginta fortes gladio armati, niſi Eccleſiæ Doctores verbo Dei inſtructos, munitóſque deſignant? Vt enim Salomonis lectulum præſidiarij milites tuebantur, ne qua vis hoſtilis in eum irrumperet: ita Eccleſiæ Doctores ipſam Eccleſiam muniunt, & defendunt, ne qua hæreticorum, ſiue inferorum peſtis in eam irruat, & graſſetur, vt D. Auguſtinus lib. 1. contra Iulianum, c. 20. interpretatur. Non minor Doctorum vtilitas colligitur ex c. 7. Cant. vbi Chriſtus Dominus ſuam Eccleſiam alloquutus, *Collum*, inquit, *tuum ſicut turris eburnea.* In quem locum D. Iſidorus, *In collo*, inquit, *Doctores deſignati ſunt, qui turri eburneæ propter firmitatem, & pulchritudinem comparantur, qui ciuitati Dei, & robur præſtant, & decus.* Quibus verbis Doctorum vtilitatem ſatis apertè manifeſtat. Siquidem duo, quæ inter ſe rarò ac difficilè conueniunt, robur ac decus, Eccleſiæ per Doctores conferuntur. Accedit illud oraculum Daniel. 12. in quo viros probos ac iuſtos cum ſplendore firmamenti comparauit, Doctores tamen, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos cum ipſis aſtrorum luminibus. In quem locum Diuus Hieronymus in lib. de optimo genere interpretandi, *Vides*, inquit, *quantum inter ſe diſtent iuſta ruſticitas, & docta iuſtitia? Alij ſtellis, alij cœlo comparantur*, quaſi diceret, quanto aſtra cæteris cœli partibus clariora ſplendeſcunt, tanto Eccleſiæ Doctores cæteris hominum generibus vtiliores in terris commorantur. Hinc eſt illud Iſai. 54. *Ponam*, inquit, *iaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos.* Vbi Diuus Cyrillus Alexandrinus per illa propugnacula, & per illas portas ſanctiſſimos Eccleſiæ Doctores interpretatur. nam vt propugnacula excludunt hoſtes, portæ verò admittunt ciues: ita & Eccleſiæ Doctores tanquam propugnacula hæreticos propulſant, & tanquam portæ veros fidei cultores beneuolo recipiunt amplexu. Pro illis verbis, *Ponam propugnacula tua*, transferri poteſt ex Hebræo, *Ponam ſoles tuos.* Nec immeritò, quia ſicut in mundo nihil ſole vtilius reperitur: ita in Eccleſia nihil bono Doctore vtilius eſſe poteſt; qui totam non ſolùm illuminat, ſed fœcundat.

Hieron. Cyril. Alex.

31. Tandem argumentor ratione. Quia homines faciliùs ratione & amore, quàm vi & timore gubernantur; cùm ratio & amor ad eorum naturam, quæ rationalis eſt, propiùs accedat. Sed paſtores potiùs agunt vi ac timore: Doctores autem potiùs ratione & amore; quia tam parcè agunt cum hominibus, vt non trahere, ſed inuitare illos videantur: ergo vtiliores ſunt reipublicæ Doctores, quàm paſtores. Vnde D. Gregorius docens, & prædicans, non ſolùm verbo, quandiu vixit, ſed etiam ſcripto, poſtquam feliciter obiit, adeò vtilis fuit Eccleſiæ, vt vtilior eſſe non poſſe videatur.

PROBLEMA II.

Pro D. Thoma.

Vtrùm nomen Angelici Doctoris conueniat ratione doctrinæ, an ratione vitæ.

32. Nihil in ſcholis Theologiæ frequentius auditur, quàm nomen Angelici Doctoris, & nihil aliud apud Theologos vulgarius habetur, quàm hoc nomine D. Thomam nuncupari: quam illi appellationem omnium voces, omnium libri, omnium conſenſus tribuere. Dubitari poteſt, vnde D. Thomas meritus, & conſequutus ſit tam illuſtre cognomentum? Certum mihi eſt, duos præcipuè fontes extitiſſe, è quorum altero hæc appellatio potuerit emanare, nimirum doctrinam & vitam. Incertum, vtro horum ex fonte potiſſimum emanarit. Quod igitur à doctrina defluxerit, auctoritate & ratione ſuadetur. Auctoritate quidem, quia in Scriptura, qui ſanam aliquam doctrinam inculcant, Angeli appellantur. Adſunt exempla propemodum innumera. Nam in primis Deus ad Moyſem, *Mittam*, inquit, *præcurſorem tui Angelum*, Exod. 34. At quis fuit iſte Angelus, qui populo ad terram promiſſionis anteiuit? Rectè Tertullianus lib. aduersùs Iudæos, cap. 9. exiſtimat fuiſſe Ioſue, propter miracula, & oracula, quibus illum populum erudiuit. *Populum*, inquit, *introducturus erat Ieſus in terram repromiſſa*

Pro doctrina. Tertul.

*promiſſionis,non Moyſes. Angelum quidem dixit eũ ob magnitudinem virtutum, quas erat editurus, & officium Prophetæ,nuntiantis ſcilicet diuinamvoluntatem.*Ita Tertullianus. Deinde ſic confirmo alio exemplo. Erat olim populus Dei in Galgalis, & procul à lege diuina recedebat: nam ex conſuetudine Gentilium vicinorum, in ritus profanos, & gentilicos abibat. Ecce tibi aſcendit Angelus Domini de Galgalis, & errantem populum reuocat, labentem erigit, & ad patrios mores, ſacráſque cæremonias reducit,Iudic.2. Quis porrò fuit iſte Angelus? Conſulatur Lyranus ad eum locum, vbi dicit ex veterum Hebræorum doctrina fuiſſe egregium ducem illius populi nomine Phineem; qui tamen ratione muneris,quod obibat, docendo,& erudiendo populum,meruit Angelus appellari.

33. Quis ignorat illud oraculum Malachiæ cap.2. *Labia,*inquit, *Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Vbi Sacerdotes non aliam ob cauſam Angeli appellantur, niſi quia diuinæ legis ſcientiam cuſtodiũt,& inculcant, vt rectè D.Hieronymus ad eum locum interpretatur. *Angelus,* inquit, *Sacerdos Dei veriſſimè dicitur;quia Dei & hominum ſequeſter eſt, eiuſque ad populum nuntiat voluntatem.* Ita ille. Sed quid illud D.Pauli, *Licet,* inquit, *Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauerim vobis,anathema ſit,* ad Galat.1. Quorſum enim nominatim dicit, *Angelus de cælo?* An vllus eſſe poteſt Angelus de terra? Poteſt quidem, interprete D. Chryſoſtomo ad eum locum:nam ſacerdotes, prædicatores, & doctores, qui veram mundo tradunt, nuntiántque doctrinam, non immeritò Angeli de terra appellantur. Vnde Iacobus in ſua illa myſtica ſcala non ſolùm vidit proprios Angelos deſcendentes de cœlo; ſed etiam myſticos, id eſt, doctores, & prædicatores aſcendentes de terra: per vtroſque enim Eccleſia Dei inſtruitur, & ad pietatem informatur. Iam verò illos duos Ioannes, Baptiſtam & Euangeliſtam quis ignorat Angelos appellari? Nam de Baptiſta eſt illud, *Ecce mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam,*Malach.9.De Euangeliſta verò illud Apoc. vltimo. *Ego* IESVS *miſi Angelum meum teſtificari vobis hæc in Eccleſiis.* Vterque autem, ſi res bene expendatur, Angelus dicitur, quia viam monſtrat, quia veritatem teſtatur, hoc eſt, quia veram, ſanámque doctrinam hominibus inculcat.ergo cùm D. Thomas tam ſalubres doctrinæ fontes vniuerſæ Eccleſiæ propinauit,non immeritò Angelus appellatur.

Hieron. — Chryſoſt.

34 Ratione verò ita rem oſtendo; quia Angeli ſunt quidam inter Deum, & homines internuntij, iuxta illud ex Pſalm.103. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus,& miniſtros tuos ignem vrentem;* ſeu, vt habet Chaldæus, *Qui facis nuntios tuos veloces, ſicut ſpiritus;& miniſtros tuos fortes,ſicut ignis.*Hoc eſt, qui Angelos tuos tanquam nuntios & legatos conſtituis,vt inter te, & homines velociſſimè intercurrant. Nam,vt D.Paulus Hebr.1. *Omnes,* inquit, *ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos,qui hereditatem capiunt ſalutis.* & rurſus Dauid Pſalm.90. *Angelis,*inquit,*ſuis mandauit de te,vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* In quem locum D.Bernardus, diuinam erga homines prouidentiam admiratus, *Ne quid,*inquit,*in cœleſtibus vacet ab opere ſolicitudinis noſtræ, beatos illos ſpiritus propter nos mittis in miniſterium, cuſtodia noſtra deputas, noſtros iubes fieri pædagogos.*

Bernard.

Mendoçæ Viridarium.

Ita ille. Atqui prædicatores & doctores etiam Legatorum,& nuntiorum munere apud homines funguntur;iuxta illud D.Pauli Epheſ.6. *Legatione fungor in catena,*&c. ergo etiam illi poſſunt,ac debent Angeli appellari. Cùm igitur D.Thomas ſingularis Doctor,& eximius prædicator extiterit, ac proinde diuinus quidam in terris legatus, ſeu nuntius, & diuinæ voluntatis interpres, non immeritò Angelici Doctoris cognomento debuit inſigniri. Hæc pro parte.

Quòd autem hoc cognomentum à vita potiùs emanarit, & Angelicæ vitæ merito Angelicus Doctor dictus fuerit, ſic oſtendo primò: quia omnes illi, qui in terris vitæ puritatem colunt, magnam habent cum Angelis cognationem. Vnde D.Petrus Chryſologus ſerm. 143. expendens, cur de cœlo miſſus fuerit Angelus Gabriel ad Virginem, rationem reddit, *Quia,*inquit,*ſemper eſt Angelis cognata virginitas,& ſi vultis ſcire, Angelicam gloriam acquirere maius eſt, quam habere. Eſſe Angelum felicitatis eſt, Virginem eſſe, virtutis. Virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura.* Ita ille. Præterea D.Hieronymus epiſtola 22.ad Euſtochium, c.9. *Statim,* inquit, *vt filius Dei ingreſſus eſt ſuper terram, nouam ſibi familiam inſtituit;vt qui ab Angelis adorabatur in cœlo,haberet Angelos in terris,nempe virgines.* Ita ille. D.Ambroſius lib. 1. de virginibus, Virgines alloquutus, *Neque mirum,* inquit,*ſi pro vobis Angeli militãt,qui Angelorum moribus militatis.* Vnde cùm olim Chriſtus Dominus prædixerit omnes beatos fore ſicut Angelos Dei in cœlo, Matt. 22. aſſerunt grauiſſimi Patres, Virgines in terris iam hoc præmium obtinere. Nam D. Hieronymus lib.1.contra Iouinianum, *Quod,* inquit,*alij in cœlo poſtea futuri ſunt, hoc Virgines in terra eſſe cœperunt.* & D. Cyprianus de habitu Virginum, Virgines alloquutus, *Quod,* inquit,*futuri ſumus, iam vos eſſe cœpiſtis. Vos reſurrectionis gloriam in iſto ſeculo iam tenetis;per ſeculum ſine ſeculi contagione tranſitis.* At verò D.Ambroſius lib.1.de Virginibus, *Quod,*inquit,*nobis promittitur, vobis præſto eſt: votorúmque noſtrorum vſus apud vos eſt; de hoc mundo eſtis, & non eſtis in hoc mundo: ſeculum vos habere meruit, tenere non potuit.* Ita ille. En,vt omnes, qui vitæ puritatem in terris colunt, Angeli appellantur. Atqui D. Thomas ab ineunte ætate, animi,& corporis puritati conſeruandæ diligentiſſimè incubuit: ergo huius virtutis merito Angelicus Doctor nuncupatur. 35. *Rationes pro vita.*

Chryſol. — Hier. — Ambr. — Hieron. — Cypr. — Ambr.

Secundò accedit ratio. Nam illuſtria cognomenta à præcipuis victoriis oriuntur, vt eſt in profanis literis vulgatiſſimum: at illuſtriorem victoriam D.Thomas de concupiſcentia, quàm de ignorantia reportauit; cùm concupiſcentia multò acrior ſit hoſtis, omni vipera ſæuior, omni flamma vehementior, omni leæna truculentior, omni tigride crudelior, omni denique fera immanior. Vnde eſt illud D. Auguſtini ſerm.250.de tempore, *Inter omnia Chriſtianorum certamina, duriora ſunt prælia caſtitatis;* ergo à victa concupiſcentia potius, quàm ab expulſa ignorantia Angelicus Doctor appellatur. Enimverò non maiori iure Scipio ille magnus cognominatur Africanus ob euerſam à ſe Carthaginem, quàm ob carnis concupiſcentiam à ſe deuictam, quando nimirum ab ipſo etiam fœminarum conſpectu modeſtus abſtinuit. Flori floſculum lib.2.c.11. delibemus. *Certum eſt tamen ad profligandam prouinciam maximè profuiſſe ſingularem Ducis ſanctitatem: quippe qui captiuos pueros, puellâſque præcipuè pul-* 36.

Auguſt. — Florus.

Digitized by Google

chritudinis barbaris reſtituerit, ne in conſpectum ſuū paſſus adduci, ne quid de virginitatis integritate debbaſſe, ſaltem vel oculis videretur. Vltimò accedit egregium D. Ambroſij teſtimonium, qui Eliam triumphantem, & cœleſtia Capitolia adeuntem contemplatur in hunc modum. *Elias Angelis ducentibus ad cœlum raptus eſt, & quadriga ignea impoſitus quaſi in quodam triumpho aſcendit.* Iure optimo ab Angelis ducitur, qui Angelicam puritatem conſeruauit: æquum erat, vt apparatiſſimum egiſſet triumphum, qui de hoſtilibus millies triumphauit. Cæterùm quinam hoſtes? Quas ſubegit prouincias Elias? Quas barbaras nationes profligauit?

Ambr. ſerm. 87. de Heliſæo.

37. Idem explicat Ambroſius. *Victor enim extiterat non gentium barbararum, ſed ſecularium voluptatum; ſiquidem grauiores ſunt praui mores, quàm hoſtes infeſti,* &c. Debellauit Elias luxuriantis concupiſcentiæ vires, petulantis carnis incendia extinxit, ideo igneis ad cœlum fertur quadrigis, & quaſi Angelus inter Angelos ſiue ducentes, ſiue applaudentes triumphabundus aſcendit. Angelum dixit D. Chryſoſtomus tom. 5. lib. de Virgin. ſub finem. *Qua quaſò re differebat ab Angelis Helias, Heliſæus, & Ioannes, veri hi virginitatis amatores? Nulla niſi, quòd mortali natura conſtabant. Nam cætera ſiquis diligenter inquirat, hi nihilo minùs affecti reperientur, quàm beatæ illæ mentes.* Iam verò Ioannes Hieroſolymitanus libt. de inſtitut. Monach. c. 9. (ſi ille eſt huius operis auctor) principatum virginitatis in lege ſcripta Heliæ libenter contulit, & Angelis illam adæquauit. Helias, vt per puritatem caſtitatis, & incorruptionem ſuæ carnis æquaretur Angelis, ſe ipſum virginitate perpetua primus hominum ſponte decorauit. Cùm igitur D. Thomas effrænem libidinis petulantiam repreſſerit, luxuriantis concupiſcentiæ ardores extinxerit, & incendia, iure optimo triumphali potius Angelici Doctoris laurea coronatur ob deuictam concupiſcentiam, quàm ob expulſam ignorantiam.

Chryſoſt.

Io. Hieroſ.

Problema VI.

Pro D. Bonauentura.

Vtrùm D. Bonauentura rectiùs, & humiliùs egerit, frequentando Euchariſtiam, an ab illa multos dies propter reuerentiam abſtinendo.

38. Antonin.

NArrat D. Antoninus 3. p. to. 24. c. 8. D. Bonauenturam multos dies ab Euchariſtia ſuſcipienda propter reuerentiam abſtinuiſſe: ſed cùm aliquando audiendo ſacro magna cum deuotione adeſſet, particulam quandam fractæ hoſtiæ ex altari deuolaſſe, ſéque in illius os, magna cum eius voluptate ac ſuauitate inſeruiſſe. Vnde poteſt quæſtio excitari, vtrùm D. Bonauētura rectiùs, & humiliùs egerit, Euchariſtiam frequentando, an ab illa multos dies propter reuerentiam abſtinendo. Quæſtio verò locum habet, poſita neceſſaria ac debita diſpoſitione accedendi ad Euchariſtiam: qualem ſupponitur D. Bonauentura ſine dubio habuiſſe. Nam ſi hæc diſpoſitio deſideretur, manifeſtum eſt, longè deterius eſſe Euchariſtiam frequentare, quàm ab Euchariſtia abſtinere.

Quòd igitur meliùs egerit frequentando, probatur primò ex Patribus, qui omnes vnanimi conſenſu frequentem Euchariſtiæ vſum maximè commendant. Nam D. Ignatius epiſtola 14. ad Epheſios, *Feſtinate*, inquit, *frequenter accedere ad Euchariſtiam, & gloriam Dei: quando enim aſſiduè hoc ipſum agitur, expellūtur poteſtates Satanæ.* Quibus verbis ſignificat ex frequenti vſu Euchariſtiæ & diuinam gloriam extolli, & Satanicam ſuperbiam humiliari. Iuſtinus Martyr in Apologia ſecūda ad Antoninum Pium Imperatorem, laudat veteres Chriſtianos non ſolùm ciues, ſed etiam opifices, & agricolas, qui octauo quoquē die ad Euchariſtiam recipiendam vnum in locum concurrebant. Quaſi in hac communicandi frequentia magnam religionem & pietatem conſiſtere fateretur. D. Chryſoſtomus in oratione de B. Philogonio tom. 3. aſſerit eum, qui ſibi nullius mali conſcius eſt, oportere ſingulis diebus ad Euchariſtiam accedere. vbi illo verbo, *oportere*, magna huius frequentiæ neceſſitas exaggeratur. Diuus Ambroſius lib. 5. de ſacramentis, c. 4. *Si quotidianus*, inquit, *eſt panis, cur poſt annum illum ſumis? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit.* & lib. 4. c. 6. *Debeo*, inquit, *illum ſemper accipere, vt ſemper mihi peccata dimittantur. Qui ſemper pecco, ſemper habere debeo medicinam.* D. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Ioan. c. 37. frequentem Euchariſtiæ vſum maximè commendans, aſſerit eos, qui frequentiùs communicare recuſant, ab æterna ſe vita procul depellere. D. Auguſtinus in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus, *Omnibus*, inquit, *Dominicis diebus communicandum ſuadeo, & hortor.* & paulò pòſt, *Communicaturus ſatisfaciat lacrymis, & orationibus, & confidens de Domini miſeratione, quia peccata piæ confeſſioni donare conſueuit, accedat ad Euchariſtiam intrepidus & ſecurus.* D. Hilarius citatus ab Algerio lib. de ſacramento Euchariſtiæ cap. 22. *Qui*, inquit, *peccare quiēuit, communicare non deſinat.*

39. Quòd D. Bonauentura melius egerit frequentando Euchariſtiā.

Ignat.

Iuſtinus Martyr.

Chryſoſt.

Ambroſ.

Cyril. Alex.

Auguſt.

Hilar.

Hoc ipſum alij Patres non ſolùm docuēre, ſed etiam præſtitēre: vt videre eſt apud D. Cyprianum lib. 4. epiſt. 9. D. Ambroſium in 1. Timoth. 3. D. Chryſoſtomum homil. 17. in epiſtolam ad Hebræos, D. Auguſtinum epiſtola 23. ad Bonifacium, D. Gregorium lib. 4 dialogorum cap. 8. & alios. Imò & ſcholaſtici Doctores cum D. Thoma 3. part. quæſt. 80. art. 10. ac tandem ipſe D. Bonauentura in 4. d. 12. Carthuſianus ibidem, & alij docent, abſolutè loquendo melius eſſe Euchariſtiam frequentare, quàm ab Euchariſtia abſtinere; & probant, quia Chriſtus Dominus carnem ſuam appellauit cibum, & ſanguinem ſuum, potum, Ioan. 6. Vt ſicut homines cibo & potu frequenter vtuntur; ita corpore & ſanguine Chriſti Domini frequenter vterentur. Enimverò neceſſe eſt, vt fame pereat, qui his epulis abſtinuerit. Bellè regius Vates Pſalm. 8. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquauerunt vſq; ad portas mortis,* &c. Vbi diuinum epulum pro omni illa eſca accepit Gregorius Niſſenus tractat. 1. in Pſalm. cap. 8. cuius qui fugiunt dulcedinem, ſibi mortem conciliant. Vt Adamus, dùm huius eſcæ ſe abſtemium præbuit, & vitales fructus non guſtauit, dum illos præ oculis haberet. Optimè Diuus Chryſoſtomus in Pſal. 1. *Huius ligni eſum cùm recuſaret, in contrarium incidit*; &c. quaſi diceret, lethales fructus guſtauit, quia vitales negligens non accepit. Imò Rupertus fatalem Angelorum ruinam ab huius epuli abſtinentia ortam fuiſſe arbitratur. Sic ait in Exod. cap. 16.

40. Cypr. Ambroſ.

Chryſoſt. Auguſt. Greg. D. Thom. Bonauent. Carthuſ.

Greg. Nyſſ.

Chryſoſt.

Rupert.

Digitized by Google

Hic panis victus, & vita Angelicæ ſubſtantia eſt. Nā in eum deſiderant Angeli proſpicere, quod quia contēpſit facere Angelus, cecidit, & factus eſt diabolus, qui & huius panis ſempiternam patiens inediam eſt pallidus, & mors illum ſequitur, &c. Si ergo validiſſimos ſpiritus tanti epuli inedia ſic contriuit, qualiter conterentur imbelles homines, ſi diuino hoc conuiuio ſe abſtinuerint? Vnde Drogus lib. de ſacrament. paſſ. infelicem illorum luget inediam, qui ſemel tantùm in anno ad hoc ſplendidum conuiuium accedunt. Abſaloni ſimiles indicat, qui, vt 2. Regum 14. dicitur, ſemel in anno

Drogus. tondebatur, *quia grauabat eum cæſaries*, &c. Pulchrè Drogus, *Propterea lucis beatæ viſionem perdidit Abſalon, quia grauabat eum cæſaries, & non niſi ſemel in anno tondebatur*, &c. Miſeri profectò illi, ac infelices, qui non niſi ſemel in anno tondentur, & criminibus prægrauantur, ne conuiuium nuptiale adire cogantur. Enimuerò, ſi qui ſæpè hoc roborantur pane, deficiunt; quas oſtentabunt vires, qui vel nunquam, vel tarò? Vide Chriſti milites relictâ non bene parma fugientes, quamuis

Bern. paulò antè hoc ſcuto præmunitos. Audio Bernardum egregiè notantem ignauiam. *Qui refecti paulò minus defecerunt, quia ieiuni feciſſent?* ſerm. 3. in Dominica Palmarum. Tandem confirmatur ratione. Quia frequentia Euchariſtiæ oritur ex charitate; abſtinentia ex timore: atqui charitas nobilior eſt, quàm timor: ergo & frequentia, quàm abſtinentia. Cùm igitur D. Bonauentura Euchariſtiam frequentauit, rectiùs & humiliùs ſe geſſit, quàm cùm ab illa abſtinuit.

41. *Argumenta in oppoſitam quæſtionis partem.* Quòd autem rectiùs egerit abſtinendo, ſuadetur primò. Nam veteres eremitæ non ſolùm multos dies, ſed etiam multos annos reuerentiæ cauſa ab Euchariſtia abſtinebant: vt de Paulo primo Eremi cultore, Diuo Benedicto, pluribúſque aliis vulgare eſt. Imò Diuus Franciſcus propter huius reuerentiam ſacramenti nunquam ad ſacerdotium aſcendit. Et Diuus Marcus Euangeliſta, ne vnquam aſcendere cogeretur, mirabili exemplo digitum ſibi præſcindi voluit. Qui omnes non arguuntur de puſillanimitate, ſed potiùs de humilitate laudantur. Et poſſum ſe tueri exemplo Chriſti Domini, qui in carne mortali ſemel tantùm moriturus communicauit. Hinc eſt, quòd Sanctus Romualdus Camaldulenſis Ordinis inſignis Abbas, ſuis religioſis

2. præceperit, vt quo die in oratione tepidiùs ſe gererent, & mente liberiùs vagarentur, eodem à ſacro faciendo reuerentiæ cauſa abſtinerent. Huius rei ſingulare edidit documentum D. Gregorius cognomento Magnus; qui, vt refert Ioannes

Diacon. Diaconus in eius vita, auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento ſe priuauit, quaſi in pœnam cuiuſdam negligentiæ, quam in pauperem ſe commiſiſſe exiſtimauerat. Cùm igitur hæc omnia laudabilia humilitatis & reuerentiæ exempla iudicentur, eadem laude dignum iudicari debet illud, quod præſtitit D. Bonauentura, multos dies ab Euchariſtia abſtinendo. Non feſtinus, ſed lentus accedas ad has epulas, ſi placet Clementis Alexandrini placitum. *O admirabile myſterium! veterem & carnalem nos iubet exuere corruptionem, quemadmodum & vetus nutrimentum. Alit autem noua Chriſti diæta effectos participes*, &c. Quaſi velit ea nos moderatione diuinam hanc ambroſiam participare, ſeu guſtare, qua illi, qui diæta curantur, ad cibos maiores accedunt, vt ſuauitatem illius epuli ſentire mereamur.

42. Ingens diſcrimen inuenio in miraculo panum, iam enim ſaturantur quinque millia, iam quatuor millia. Vbi diſcrimen? Quando quinque millia pane ſaturantur, ſuperfuerunt duodecim cophini fragmentorum; at non tot reſidua, quando ſaturantur quatuor tantùm millia. Elegantem reddit rationem D. Ambroſius ad Lucam 9. *Cur quinque millibus hominum plus redundat, quatuor millibus minus? quia quatuor millia iſta triduo cum Chriſto fuerunt, & ideo ampliorem cæleſtis pabuli alimoniam receperunt*, &c. Iure optimo triduo inediam ſuſtinentes ſplendidiori epulo ſaturantur. Lentus accede ad hoc adiiciale, & diuinum conuiuium, ſi expleri deſideras. Attende Euangelij nuptias, vbi magna Mater feſtinauit ad Filium, vt deficientibus præſtò ſuccurreret; ille autem, *Quid mibi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea*. Diuus Irenæus ad hunc locum egregiè: *Properante Maria ad admirabile vini ſignum, Dominus replens feſtinationem, dixit: Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea*, &c. Expende illud, *properante ad admirabile vini ſignum*. Ipſa nimirum Deipara ſanctitatis exemplar quaſi retardatur, vel ad hanc conuiuij vmbram accedere, dum feſtina properat, vt diſcas maturè, & lentè ad verum, ac regale Euchariſtiæ conuiuium diſcumbere. — Ambroſ. · Ioan. 2. · Iren.

Vnde ſic probo ſecundò. In Scriptura multi laudantur, recedentes à Chriſto Domino propter reuerentiam; vt Diuus Petrus, dicens: *Exi à me: quia homo peccator ſum, Domine*, Luc. 5. Vbi Diuus Ambroſius, *Admirabatur*, inquit, *dona diuina, & quo plus meruerat, hoc præſumebat minus*. Sic & Centurio, dicens, *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum*, Matth. 8. De quo D. Auguſtinus ſermone 74. de tempore, *Tecto*, inquit, *non recipiebat, corde recipiebat: quantò humilior, tantò capacior, tantò plenior*. Colles enim aquam repellunt, valles implentur. Sic prætérea & Geraſeni, qui expulſo dæmone, & præcipitato in mare cum grege porcorum, rogabant Chriſtum Dominum, vt tranſiret à finibus eorum, Matth. 8. In quem locum D. Hieronymus, *Quòd*, inquit, *rogant, vt tranſeat à finibus eorum; non de ſuperbia hoc faciunt, vt nonnulli arbitrantur, ſed de humilitate, qua ſe præſentia Domini indignos iudicabant*. 43. · Ambroſ. · Auguſtin. · Hieronym.

Neque ſolùm à Chriſto Domino, ſed etiam ab arca fœderis, in qua Chriſtus Dominus repræſentabatur, veteres homines propter reuerentiam longè recedebant. Nam arca de Iordane egreſſa, ſic alloquitur populum Ioſue, *Sequimini*, inquit, *ſitque inter vos & arcam ſpatium cubitorum duorum millium*, Ioſue 3. *Propter reuerentiam enim arcæ*, inquit Lyra, *propiùs non accedebant*. Quin etiam Dauid cernens Ozam ex attactu arcæ interemptum, extimuit, & noluit eam diuertere ad ſe, 2. Regum 6. quia, vt ibi exponit Carthuſianus, ex effectu diuinæ iuſtitiæ motus fuit ad reuerentialem Dei timorem. Cùm igitur horum omnium modeſtia, & à Chriſto Domino & ab arca recedentium laudabilis cenſeatur; quid mirum, ſi modeſtia D. Bonauenturæ ab Euchariſtia propter reuerentiam abſtinentis maximè commendetur? Vltimò ſic argumentor, quia licèt frequens Euchariſtiæ vſus cum debita diſpoſitione maximè laudabilis ſit, tamen id non tollit, quominus aliquando homines propter aliquem vtilem finem ad illius abſtinentiam diuino inſtinctu impellantur: vtpote ad refrænandos nimium temerarios, & audaces, in Euchariſtia ſumenda, vel ad aliquid ſimile. Hoc autem modo incitatum fuiſſe D. Bonauenturam, inde colligitur, quòd à Deo — 44. · Lyra. · Carthuſ.

non reprehendatur; imò potiùs tam inſigni miraculo ad eundem vſum beneuolè reuocetur.

PROBLEMA VII.

Pro D. Paulo.

Vtrùm D. Paulus ſua eloquentia veteres oratores ſuperarit.

45. *Rationes quæ probant Diuum Paulum non fuiſſe eloquentem.* MVlta ſunt, quæ oſtendere videantur, Diuum Paulum nullis eloquentiæ præſidiis excultum fuiſſe, ſed potiùs omnibus artis oratoriæ præceptis deſtitutum. Primò ſic argumentor. Eloquentia à patria, in qua quis natus & nutritus eſt, magna ex parte proficiſcitur. Nam qui in patria rudi, & impolita naſcitur, & qui inter ruſticos & incultos homines nutritur; quid niſi pingue, craſſum, inurbanum, ac planè ruſticum *Patria Diui Pauli.* loquatur? Atqui D. Paulus natus erat in Cilicia; vt ipſemet Act. 21. & 22. teſtatur; cuius regionis lingua rudis erat & ſubruſtica, barbara, & *Chryſoſt.* ſolœciſmis aſpera. Vnde D. Chryſoſtomus hom. 4. in ſecundam ad Timotheum, teſtatur Ciliciam à Roma, in qua ſapientia & eloquentia maximè florebant, & vix ſpatio, & gloriæ merito, longiſſimè diſtare: hoc eſt, ſicut Roma bonis artibus excultiſſima erat, ita Ciliciam incultiſſimam fuiſſe: ergo Paulus patria ruſticitate donatus, ab vſu floridioris eloquentiæ, quàm longiſſimè recedebat.

46. Secundò ſic argumentor. Eloquentia ad minimum debet eſſe congrua, & Grammaticæ legibus conformis. Si enim oratio correcta & emendata non ſit, quo pacto erit culta & ornata? Atqui D. Paulus aliqua loquendi incongruitate laborabat, & aliquando in ſolœciſmos impingebat: ergo tantum abeſt, vt eloquentiam coluerit, vt etiam à Grammatica videatur alienus. Minorem, in qua ſola eſt difficultas, ſic oſtendo. Et vt aliis exemplis ſuperſedeam, quibus grammaticalia vitia in Pauli oratione conuinci poſſunt, in epiſt. ad Epheſ. cap. 3. ſic habetur: *Ego Paulus, vinctus Ieſu Chriſti*, &c. *Notum mihi factum eſt ſacramentum.* Vbi quis nō videt illum caſum rectum, *Ego Paulus*, in quandam obliquitatem grammaticalem incidiſſe, cùm nullo verbo terminetur; quod Grammaticæ leges exigebant; ſed addatur, *Notum mihi factum eſt ſacramentum*? Quod vitium adeò expreſſum D. Hieronymus ad eum locum recognouit, vt excuſandum non cenſuerit; ſed tantùm boni æquíque conſulendum; & ſpiritui, quo D. Paulus, potius ſenſus, quàm verba atten- *Hieron.* debat, condonandum. *Nos*, inquit, *quotieſcumque ſolœciſmos, aut tale quid annotamus, non Apoſtolum pulſamus, vt maleuoli criminantur, ſed magis Apoſtoli aſſertores ſumus, qui abſq; Rhetorica nitore ſermonis, & verborum compoſitione, & eloquij venuſtate totum ad fidem Chriſti mundum traduxit.* Vnde ad doctrinam Pauli referri poteſt illud eiuſdem Apoſtoli, *Habemus theſaurum in vaſis fictilibus*, 2. Corinth. 4. 7. vt rectè interpretatur Origen. homil. 9. in Numer. Nam ſpiritus Apoſtolicæ doctrinæ theſaurus erat ſcientiæ & ſapientiæ Dei. Sed verba, in quibus ea doctrina includebatur, *Origen.* erant vaſa fictilia, *quia ſermones Apoſtoli*, inquit Origenes, *erant viles, & contemptibiles; eo quòd nulla arte Grammatica expoliti videbantur*, & eodem modo lib. 4. Periarchon c. 1. ad finem, exponit, dicens in vilibus & incomptis verborum vaſculis, diuinæ ſapientiæ theſaurum abſcondi. Vt eò magis diuinæ potentiæ virtus effulgeat, quominus humanæ eloquentiæ fucus miſceatur. Itaque Apoſtolus non ſolùm Rhetoricæ, ſed etiam Grammaticæ legibus ſolutus loquebatur.

Tertiò argumentor in hunc modum. Oratio ex eloquentiæ præceptionibus compoſita, teſte 47.
Quintiliano, adeò clara & perſpicua eſſe ſolet, vt tanquam Sol incurrat in ſenſus: & ſicuti hi nulla difficultate Solem radiantem intuentur; ita omnes qui adſunt, oratorem eloquentem nulla difficultate aſſequantur. Atqui oratio Diui Pauli adeò obſcura eſt, & tam multis difficultatibus impedita & intricata, vt difficillimè intelligatur: ergo procul ab eloquentiæ legibus excurrit, nec illam perſpicuitatem, & candorem, & lacteum flumen, quo eloquentia manat, imitatur. Probo minorem; quæ ſola indiget probatione Nam D. Petrus in 2. epiſt. canonica, cap. vlt. num. 6. loquutus de Epiſtolis Pauli, *In quibus*, inquit, *ſunt quædam difficilia intellectu.* Et deinde notat hanc difficultatem tantam eſſe, vt inde hæretici occaſionem ſumpſerint, varios in errores abeundi. Origenes verò præfatione in epiſtolam ad Rom. *Paulus*, inquit, *eloquutionibus interdum confuſis, & minus explicitis vtitur.* Accedit D. Epiphanius hæreſi 64. *Apoſtolus*, inquit, *diſtortis verbis in medium coniectis, obſcuram quidem & occultatam facit lectionum elaborationem.* Et paulò pòſt addit, tantam eſſe hanc orationis obſcuritatem, vt ſaltem iis, qui negligenter, & oſcitanter eius ſcripta legunt, aliquando incohærentia, & diſſona dicere videatur. Quin etiam D. Irenæus lib. 3. aduersùs hæreſes, cap. 7. ſignificat, Apoſtolum adeò in loquendo obſcurum eſſe, vt ſi quis eius lectioni ſolertiſſimus non attendat, non ſolùm incongruentia, ſed etiam blaſphema legere arbitretur. Denique cùm epiſtolas Pauli tanta interpretum multitudo explicandas ſuſcipiat, & in veris earum ſenſibus eruendis tota veterum Patrum, recentiorúmque interpretum induſtria ſudet & laboret; planè conuincitur ſatis obſcura, & quodammodo ænigmatica eſſe Pauli oratio, quæ non niſi tantorum Oediporum, vt ita nominem, commentationibus illuſtretur. Quæ igitur eloquentiæ lux, vbi tanta eſt obſcuritatis caligo?

Quint. *2. Petr. vlt.* *Origen.* *Epiph.* *Iren.*

Quartò non parum efficax ita conſtruo argumentum. Veræ ac germanæ eloquentiæ proprium eſt, de quacunque re propoſita, ornatè, grauiter, & copioſè dicere: hoc enim eſſe proprium oratoris officium Rhetores communiter definiunt. Atqui D. Paulus non poterat ſatis expeditè, & luculenter diſſerere de multis rebus, quas animo concipiebat, & quæ tractandæ atque explicandæ offerebantur: ergo ſine dubio dicendi inopia atque difficultate laborabat. Maior & conſequentia patent, minor ſuadetur. Quia D. Paulus huius ſuæ penuriæ non ignarus diſcipulo ſuo Tito, ad exprimenda ſui animi ſenſa, interprete vtebatur, vt colligitur ex ipſius verbis 2. Corinthiorum 2. *Cum*, inquit, *veniſſem Troadem propter Euangelium Chriſti, non habui requiem ſpiritui meo, eo quòd non inuenerim Titum fratrem meum; ſed profectus ſum in Macedoniam, ſcilicet ad illum requirendum.* Quem locum D. Hieronymus epiſtol. 150. ad Hedibiam, quæſt. 11. expendens, inquirit, cur Apoſtolus tam ægrè tulerit abſentiam Titi, eiúſque præſentiam tam diligenter requiſierit; & reſpondet, quia cùm 48.

D. Pau

D. Paulus diuinorum ſenſuum maieſtatem digno non poſſet Græci eloquij explicare ſermone, habebat Titum interpretem, vt illius quodammodo ore loqueretur. (Hier.) *Ergo*, inquit, *contriſtatur, quia prædicationis ſuæ fiſtulam organúmque, per quod Chriſto caneret, non inuenerat.*

49. Ex quibus patet D. Paulum, etiam in Græca lingua, quæ illi erat patria, & natiua, quippe quam natus & nutritus in Tharſo Ciliciæ à prima ætate imbiberat, fuiſſe quodammodo rudem, & elinguem, & aliena opera ad prædicãdum indiguiſſe: & quemadmodũ Moyſes tardioris, & impeditioris linguæ legiſlator vnius Araonis eloquentia ad Pharaonem commonendum vtebatur; ita & D. Paulum ſuam dicendi imperitiam Titi facundia compenſaſſe. Vnde rurſus D. Hieronymus in epiſt. 151. ad Algaſiam, q. 10. confirmat, quod D. Paulus de ſeipſo dixerat 2. Corinth. 11. vbi ſe vocauit imperitum ſermone; & rationem reddit. *Profundos enim*, inquit, *& reconditos ſenſus lingua non explicat. Et cùm ſæpè ſentiat, quid loquatur, id tamẽ in alienas aures puro nõ poteſt transferre ſermone: quippe ſe ipſam interpretari cupiens inuoluitur.* Non habeat igitur Apoſtolus eam dicendi vbertatem, quæ in vera eloquentia effloreſcit. Quintò & vltimò efficaciùs argumentor. Quia oportebat ad maiorem Euangelicæ prædicationis fidem faciendam, vt D. Paulus nullis eloqnentiæ præceptis inſtitutus, nullis oratoriæ præſidiis munitus ad prædicandum Euangelium prodiret; ergo re vera impeditus ſermone, & ab arte dicendi maximè alienus, ac peregrinus, vniuerſo orbi prædicauit. Conſequentiam nemo inficiabitur. Antecedens efficaciter confirmo. Nam ſi Apoſtolus dicendi vi, & culta oratione, & comptis verbis, ac denique omnibus phaleris & lenociniis & pigmẽtis oratoriæ facultatis vteretur, non diuina virtute, ſed humana gratia totum orbem ad Euangelium traxiſſe crederetur, diceretúrque non diuina poteſtas, ſed oratoria efficacitas de gentibus triumphaſſe; vnde tota eius prædicatio non diuina, ſed humana putaretur, quod non erat exiguum Euangelicæ auctoritatis detrimentum. Dum autem totus expers eloquentiæ celebrariſſimos eloquendi artifices, & architectos ſuperabat, & ad res difficillimas credendas etiam inuitos & reluctantes ſubigebat; non humana, ſed diuina præſidia, totum hoc negotium perfeciſſe cenſebantur. Quod ad fidem confirmandam, & illuſtrandam plurimum conducebat.

50. Oportebat igitur, vt maximus Gentium Doctor, & Euangelij prædicator, non humana eloquentia valeret, ſed diuina tantùm virtute niteretur. Quod ipſemet Apoſtolus diſertiſſimè confirmauit 1. Corinth. 1. *Miſit me Chriſtus*, inquit, *euangelizare, nõ in ſapientia verbi, vt non euacuetur crux Chriſti.* & rurſus cap. 2. *Sermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Quibus verbis, aliiſque ſimilibus, quibus frequenter vtitur, palàm oſtendit, & ſuam loquendi imperitiam, & optimam huius imperitiæ rationem; ne ſcilicet prædicationis fructus humanæ eloquentiæ potius, quàm diuinæ potentiæ tribueretur. Sed totum hoc argumentum luculentiſſimè illuſtrarunt D. Ambroſius in cap. 6. Lucæ, D. Auguſtinus lib. 22. de ciuitat. cap. 9. D. Chryſoſtomus homil. 3. & 6. in primam ad Corinth. & homil. 4. in ſecundam ad Timoth. & cæteri interpretes communiter, ad citata loca Apoſtoli. (Ambr. Auguſt. Chryſoſt.) Quare non eſt, quòd in illo diutiùs immoremur. Atque hæc pro parte.

51 (Argumenta pro D. Pauli eloquentia. Laurentius Valla.) Sed non ſunt pauciora argumenta, quæ Paulum diſertiſſimum, & eloquentiſſimum confirmare videantur. Quibus fortè ductus Laurentius Valla in præfatione ad librum quartum elegantiarum, eò excurrit, vt diceret D. Paulum nulla re magis, quàm eloquentia valuiſſe; ſed homo Grammaticus nullam maiorem laudem eſſe putabat, quàm quæ ex arte dicendi ſumeretur. Cùm tamen D. Paulus, licèt in hac arte fuerit eximius; tamen pluribus aliis ſapientiæ, & virtutis ornamentis multò excellentior emineret. Sed interim eius eloquentiam paucis confirmo. Primò ſic. D. Paulus lingua & Hebræa & Græca vtebatur; vtramque verò ſtudioſiſſimè coluit & exercuit; ergo in vtraque eloquentiſſimus fuit. Probo minorem quoad Hebræam. Nam Apoſtolus, teſte D. Hieronymo in epiſt. 151. ad Algaſiam quæſt. 10. (Hier.) ſermonem in vernacula lingua habuit diſertiſſimum: quippe Hebræus ex Hebræis, & eruditus ad pedes Gamalielis, viri in lege doctiſſimi. Quod iterum repetit in apologia ad Ruffinum, & in epiſt. 150. ad Hedibiam quæſt. 11. & paſſim alibi. Quoad Græcam verò ſuadetur: quia D. Paulus natus & nutritus fuit in Tharſo Ciliciæ, vt diximus: in Tharſo autem omnia bonarum artium, & præſertim Philoſophiæ ac oratoriæ ſtudia mirum in modum floruerunt. Vnde Strabo lib. 14. ſuæ Geographiæ, (Strab.) *Tantum*, inquit, *Tharſenſes ſtudiũ inceſſit Philoſophiæ, & diſciplinarum, quas Encyclicas dicunt, vt ſuperauerint Athenas, & Alexandriam, & ſiquis alius locus nominari poteſt, vbi Philoſophorum & artium ad humanitatem pœnitentium ſcholæ haberentur.* Cùm igitur D. Paulus in vrbe Philoſophiæ, & Rhetoricæ altrice natus & educatus fuerit, & alioqui genium & ingenium ad has artes excolendas acerrimum habuerit; quis dubitet illum dicendi facultate præſtantiſſimum euaſiſſe?

52. Secundò argumentor in hunc modum. D. Paulus præſtantiſſimos totius Græciæ Philoſophos coluit, & euoluit; quorum teſtimoniis ſuas epiſtolas paſſim inſperſit, vt obſeruauit D. Hieronymus in epiſtola 84. ad magnum oratorem Ruffinum. (Hier.) Nam ſcribens ad Titum cap. 1. refert illud ex Poëta heroico Expimenide, *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.* Rurſus in 1. ad Corinth. 15. citat ex Poëta Lyrico Menandro illum ſenariolum, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Præterea Act. 17. Athenienſes Poëtarum lectioni deditiſſimos ad ſuum Poëtam Aratum remittit, dicentem, *Ipſius enim & genus ſumus.* Atque adeò Gentilium Poëtarum teſtimoniis Gentiles ipſos conuincit. *Didicerat enim*, inquit Diuus Hieronymus, (Hier.) *à vero Dauid, extorquere de manibus hoſtium gladium; & Goliæ ſuperbiſſimi caput proprio mucrone truncare.* ergo ab his, ac ſimilibus libris, quibus veteris eloquentiæ fontes claudebantur, ſingularem facundiam haurire potuit, qua inter prædicandum ac diſputandum vteretur.

53. Tertiò ſic argumentor. Vis eloquentiæ ab effectu cognoſcitur. Nam qui docendo auditoribus perſuader, eorúmque voluntates facilè inflectit, cenſentur eloquentiæ præſidiis munitus. Atqui D. Paulus tam efficaciter auditoribus perſuadebat, vt quamcumque in partem trahere illos vellet, facile ſequerentur: ergo ſingulari dicendi arte præcellebat. Probo illam minorem; nam cùm apud Felicem Iudææ præſidem, de iuſtitia & ca-

ſtitate, & iudicio futuro diſputaret, Felix homo Gentilis, & à vera doctrina alienus, toto animo tremefactus expauit, Act. 24. Rurſus cùm apud Regem Agrippam diceret, cúmque ad fidem ſuſcipiendam inuitaret, Agrippa Pauli oratione non leuiter cõmotus, *In medio*, inquit, *ſuades me Chriſtianum fieri*, Act. 26. Quaſi parum iam abeſſet vt Pauli perſuaſionibus inflecteretur. Iam cùm apud Feſtum Romanum præſidem de rebus ad fidem pertinentibus diſputaret, Feſtus tantam dicendi vbertatem, tantámque copiam admiratus, *Inſanis, Paule*, inquit, *multa te litera ad inſaniam conuertunt*, Act. 26. Vbi ingenuè fatetur eximiam quandam ſapientiam in Pauli verbis redundare. Vnde D. Hieronymus in Apologia contra Ruffinum, rectè monet, non fuiſſe imperitum ſermone, neque per ſingulas ſententias corruentem, quem Feſtus ſedens pro tribunali tantopere dicentem admirabatur. Tandem cùm in Areopago diceret, vbi ſuperbiſſimi iudices, & acerrimi cenſores audiebant; vnus eorum Dionyſius, omnium fortaſſe facilè princeps, & alij cum eo, ſic dederunt manus, & ſubmiſerunt colla, vt ſtatim ad fidem conuerterentur, Act 17. Quis ergo dubitare queat, Paulum inter præſtantiſſimos oratores numerandum, ne dicam ſupra omnes euehendum?

Hier.

54. Quartò non infirmum auctoritate ſic conficio argumentum. Nam Pauli eloquentiam multa tam ab Ethnicis, quàm à Patribus, tam à profanis, quàm à ſacris auctoribus elogia & encomia celebrarunt. Ergo nemo niſi temerarius dicere audebit eloquentiæ gloria caruiſſe. Patet conſequentia. Antecedens ſic oſtendo, nam Lyſtrenſes exiſtimantes Paulum non humana, ſed diuina quadam eloquentia præſtantiſſimum, vocabant eum Mercurium; quoniam erat dux Verbi, Act. 14. Vt ſicut Mercurius inter ſuperos eloquentiæ dono excellebat; ita Paulus inter homines nihilo inferior haberetur. Nam, vt notat Diuus Chryſoſtomus lib. 4. de ſacerdotio versùs finem, Paulus non tam à ſignis, quàm ab eloquẽtia Mercurius dicebatur. Quod ex eo confirmat, quia antequam Paulus vllum ederet miraculum, tàm mirabilis in eloquendo videbatur, vt innumeri ex vtroque populo Iudaico, ac Gentili auditores, ad eius vim dicendi facilè inflecterentur. Idem D. Chryſoſtomus citato loco, præſtantiſſimis totius antiquitatis oratoribus Paulum non modò cõfert: *Siquis*, inquit, *audire velit, Iſocratis terſum leuorem, Demoſthenis amplam ſublimitatẽ, Thucydidis verendam maieſtatem; Platonis excellentem dignitatem; non alium, quã Apoſtolum Paulum ſibi proponat audiendum.* quaſi in vno Apoſtolo omnium veterum oratorum prærogatiuæ includerentur. Iam verò D. Hieronymus in epiſt. 50. ad Pamachium, *Paulum*, inquit, *quotieſcunque lego, videor mihi non verba audire, ſed tonitrua.* & paulò pòſt, *videntur quidẽ verba ſimplicia, & quaſi hominis ruſticani: ſed quocunque reſpexeris, fulmina ſunt.* Idem D. Hieronymus in epiſt. 61. ad Pamachiũ, *Paulus*, inquit, *electionis vas, tuba Euãgelij, rugitus leonis noſtri, tonitruum gentium, flumen eloquentiæ Chriſtianæ.* His encomiis congruenter D. Chryſoſtomus homil. 32. in epiſtolam ad Romanos, docet, non tantum terrorem tonitrua ac fulmina hominibus incutere, quantum Pauli oratio vel ipſis dæmonibus incutiebat. Sed ne quis putaret Pauli eloquentiam ſemper fuiſſe terribilem, & minacem; nunquam verò dulcem, & ſuauem: rectè D. Chryſoſtomus oratione de laudibus Pauli, vocauit ipſum Apoſtolum os Chriſti, & Spiritus ſancti lyram. Vt ſi Chriſtus Dominus modò apud homines loqueretur, non alio, quàm Pauli ore loqueretur. Si Spiritus ſanctus aliquam apud homines pulſaret lyram, nõ aliam pulſaret, quàm Pauli linguam, quæ dicendi ſuauitate iucundiſſimum concentum edere videretur. Quod iterum D. Chryſoſtomus lib. 4. de ſacerdotio iam citato, confirmat exemplo iuuenis Eutychi, qui, vt Act. 20. habetur, Apoſtolum ſuauiter dicentem vſque ad mediam noctem attentiſſimus audiebat, quovſque vocis ſuauitate delinitus, imò & conſopitus, ex altiſſimo cænaculo, vnde audiebat, in terram decidit; caſu quidem exanimatus in corpore, ſed cantu Pauli excitatus in animo.

Chryſoſt.

Hier.

Chryſoſt.

Quintò & vltimò ſic argumentor. Si quid obſtaret, quominus dicamus Paulum fuiſſe eloquentem, eſſet ipſiuſmet confeſſio, qui 2. Corinth. 11. ſe imperitum ſermone, ingenuè confitetur: ſed hoc non obſtat. ergo. Probo minorem; quia, vt rectè D. Auguſtinus lib. 4. de doctrina Chriſtian. a c. 7. interpretatur, D. Paulus permiſſiuè loquebatur: id quaſi concedendo obtrectatoribus, non tãquam id verum agnoſceret confitendo. Ac ſi diceret. Qamuis ſim imperitus ſermone, vt vos falsò exiſtimatis; certè non ſum expers ſcientiæ. Alioqui D. Paulus, vt loquitur D. Hieronymus, epiſtola 150. citata ad Hedibiam, quæſt. 11, vir fuit doctiſſimus & eruditus ad pedes Gamalielis; qui habebat ſcientiam ſcripturarum, & diuerſarum linguarum gratiam poſſidebat: ipſo teſtante, *Gratias ago Deo, quod omnium veſtrũm lingua loquor*, 1. Corinth. 14. & rurſus idem D. Hieronymus in Apologia aduersùs Ruffinum, non dicit Apoſtolum Græca facundia caruiſſe; *ſed tantùm Græcam*, inquit, *facundiam contemnebat*; vel certè, quod erat humilitatis, diſſimulabat. Itaque Paulus eloquens erat; quamuis in ſua eloquentia totum perſuaſionis robur non collocaret; qui in ſolo Deo ſuæ ſpem victoriæ defigebat. Vnde non tam Paulus eloquentiam, quàm eloquentia Paulum ſequebatur, teſte D. Auguſtino proximè citato, vbi ſic, *Sicut Apoſtolum præcepta eloquentiæ ſequutum fuiſſe non dicimus: ita, quòd eius ſapientiã ſequuta ſit eloquentia non negamus.* Atque hæc pro parte. 55.

Auguſt.

Hieron.

Hieron.

Auguſt.

Hanc difficultatem ſic in vtramque partem agitatam, ita breuiter definio, duplicem eloquentiam diſtinguendo; vnam, leuem, mollem, fallacem, adulatricem, iuueniliter exultantem, Sirenum cantibus perſimilem; &, vt aiunt, phaleratam, pigmentatam, calamiſtratam; ac denique ſolùm ad blandiendum auribus, & ad colligendam auram popularem, & ad præſtigias quaſdam inducendas comparatam. Alteram, grauem, maſculam, maturam, cygnæa quadam canitie venerandam, ſucci, & ſanguinis plenam, virium, neruorúmque fœcundam, quæ tota ad excolendos animos, ad extirpandos errores; ad perſuadendas virtutes; ad totam rempublicam bonis moribus expoliendam, & formandam efficaciter enitatur. Igitur aſſerimus Paulum nullum cum illa priori commercium habuiſſe, cum hac poſteriori, maximum; non quæſiſſe in dicendo flores, ſed vires: non verborum aucupia, ſed rationum momenta: non ſeruiiſſe auribus, ſed animis profuiſſe: & in huius ſtudio eloquentiæ ſic elaboraſſe, vt inter omnes omnium ſeculorum oratores facilè princeps videatur. 56. *Reſolutio quæſtionis.*

PROBLEMA VIII.

Pro eodem.

Vtrùm D.Paulus abundantiùs omnibus Apoſtolis laborârit.

57. *Rationes pro parte negatiua. Probatur primò.*

PArs negatiua ſuaderi poteſt primò ratione temporis. Nam cæteri Apoſtoli diutius, quàm Paulus laborarunt. Probo, quia cæteri Apoſtoli primùm vocati ſunt à Chriſto Domino, qui tanquam paterfamilias exiit primo manè conducere operarios in vineam ſuam: conduxit autem cæteros Apoſtolos, qui proinde prima hora venerunt, & portarunt pondus diei, & æſtus: at verò D. Paulus multò ſeriùs venit ad laborandum in vinea, ſcilicet vndecima hora, iuxta illud, *Nouiſſimè autem omnium tanquam abortiuo viſus eſt & mihi*, 1. Corinth. 15.8. ergo non potuit abundantius, quàm cæteri Apoſtoli laborare. Valet conſequentia, quia magnitudo laboris penes durationem magna ex parte menſuratur. Si igitur D. Paulus non laborauit diutiùs, neque abundantiùs laboraſſe cenſendus eſt.

58. *Probatur ſecundò.*

Secundò ratione perſequutionis. Nam cæteri Apoſtoli grauiores, quàm D. Paulus, perſequutiones pertulerunt. Quod ſic oſtendo, quia cæteri Apoſtoli eaſdem cum Chriſto Domino perſequutiones perpeſſi ſunt; cùm ſcilicet Iudæi tulerunt lapides, vt iacerent in eum, Ioann 8.59. cùm eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vſque ad ſupercilium montis, vt præcipitarent illum, Luc.4. 29. cùm denique acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum, Matth. 26. 50. In his enim omnibus non exiguum vitæ ſuæ periculum incurrerunt, quia periclitante magiſtro diſcipuli pariter cum eo periclitabantur. Vt interim omittam plurimos itinerum labores, maris tempeſtates, paupertatis anguſtias, famis, ſitiſque moleſtias, hominum opprobria, atque odia inteſtina, cæteráque huius generis incommoda, quæ libenter vnà cum Chriſto Domino ſubierunt, ipſo Chriſto Domino atteſtante, *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*, Luc. 22. 27. In quibus omnibus Apoſtoli grauiſſimè laborarunt. Atqui D. Paulus, qui in vita mortali Chriſto Domino non adhæſit, nullos cum illo labores huiuſmodi ſuſtinuit: ergò non abundantius, quàm cæteri Apoſtoli, laborauit.

59. *Probatur tertiò.*

Tertiò, quia cæteri Apoſtoli per grauiores cruciatus, quàm D. Paulus, vitam pro Chriſti confeſſione profuderunt: ergo non minus, quàm D. Paulus, laborabunt. Probatur antecedens, quia D. Paulus vno ictu iugulatus animam exhalauit: quod mortis genus inter violentas ſine dubio breuiſſima, & ſuauiſſima cenſetur. At verò cæteri Apoſtoli non ſic. Nam D. Petrus cruci affixus, & inuerſo corpore, vt maior eſſet doloris ſenſus, ſupremum edidit ſpiritum. D. Andreas biduo è patibulo ſuſpenſus, magnis cruciatibus efflauit animam. D. Bartholomæus poſt pellem à toto corpore detractam iugulatur. D. Iacobus & lapidatur, & ex altiſſimo loco præcipitatur, & impacto ad caput fullonis fuſte excerebratur. D. Thomas multis iaculis confoſſus mortem pulchra per vulnera oppetiit, & ſic de cæteris. Imò & ille dilectus Domino Ioannes, ſi non mortem per tormenta, ſaltem tormenta ad mortem inferendam, quàm acerbiſſima ſuſtinuit, dolio feruentis olei immerſus. Abundantius igitur cæteri Apoſtoli, quàm D. Paulus pro fide, & religione laborarunt.

Apoſtolorum ſeueritas varia.

60. *Pars affirmatiua oſtenditur.*

Nihilominus pars affirmatiua patet ex teſtimonio ipſius Pauli, qui non vt vanus ſuarum laudum oſtentator, ſed vt verus ſuorum laborum ad ædificationem totius Eccleſiæ ſcriptor, *Abundantiùs*, inquit, *omnibus laboraui*, 1. Corinth. 15. Vbi ſe anteponit non ſolùm Pſeudoapoſtolis, qui non tam veros labores ſubibant, quàm ſimulabant; ſed etiam ipſis Apoſtolis, qui plurimos reuera labores pro fidei propagatione, & Euangelij prædicatione patiebantur: vt D. Thom. 2. Corinth. 11. interpretatur.

61. *Probatur primò.*

Probatur primò in primis ex laborum multitudine, quorum ipſe longiſſimam ſeriem euoluit. *Vſque in hanc horam*, inquit, *& eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris. Maledicimur, & benedicimus; perſequutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, & obſecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus: omnium peripſema vſque adhuc*, 1. Corinth. 4. Vbi non ſolùm vitæ, ſed etiam honoris detrimenta, quæ plurima ſuſtinebat, proponuntur. Et rurſus, *In laboribus*, inquit, *plurimis: in carceribus abũdantiùs, in plagis ſupra modum: in mortibus frequenter*, 2. Corinth. 11. Et ibi latiſſimè proſequitur verberationes, lapidationes, naufragia, pericula, inſidias, ieiunia, paupertatem, vigilias, & innumera alia incommoda, quibus in ſingulos dies pro Chriſti Domini gloria obruebatur. Quæ laborum pondera tam erant grauia & frequentia, vt non laborare, ſed animam exhalare quotidie videretur, iuxta illud eiuſdem Apoſtoli teſtimonium, *Quotidie morior propter veſtram ſalutem fratres*, 1. Corinth. 15. Quod expendens D. Chryſoſtomus homil. 1. de laudibus Pauli; notat alios quidem Apoſtolos ſemel mortuos fuiſſe. *Paulus verò*, inquit, *ſemetipſum per ſingulos dies immolabat, quotidie moriens, & conſummans volũtate martyrium.* Et ſtatim docet veteres Patriarchas in laborum tolerantia nulla ex parte cum Paulo conferendos. *Nam Abel*, inquit, *ſemel à germano interfectus eſt, Paulus verò tot mortes ſuſtinuit, quot dies in prædicatione vixit. Quaſi per ſingulos dies prædicando, & periclitãdo moreretur. Deinde Abraham filium voluit immolare: at verò Paulus ſemetipſum millies immolauit; innumerabilia per dies ſingulos pericula ſuſtinendo, propriiſque mortibus maximam ſecuritatem aliis comparando.* Tandem adamantinam vocat Pauli animam, quæ nullis perſequutionum ictibus cedebat, nullis tunſionibus frangebatur: vel ipſo Iobo, ſingularis exemplo patientiæ tolerantior. *Quæ enim*, inquit, *Iob corpore, hæc Paulus mente ſuſtinuit.* Iobus quidem non multos dies laborando tranſegit: Paulus autem annis plurimis in agone perdurans, aduerſùs tentationes innumeras, omni lapide durior fortiter conſiſtebat. Iobus à tribus amicis tentabatur, ſed Paulus à cunctis infidelibus, & à falſis fratribus opprobria ſuſtinebat, conſputatus ab omnibus atque maledictus. Itaque faciles, ac leues veterum Patriarcharum labores videbuntur, ſi cum his quos Paulus ſuſtinuit, conferantur.

Chryſoſt.

D. Paulus veteribus Patriarchis laborum tolerantia antepónitur.

62. *Probatur ſecundò.*

Probatur ſecundò ex amplitudine, immenſitatéque terrarum, quas Paulus peragrauit: Quod patet in primis ex ipſius Apoſtoli teſtimonio. *Ab Ieruſalem*, inquit, *per circuitum vſque ad Illyricum repleui*

repleui Euangelium, Roman. 15. Et vlteriùs notat, ſe cùm nullum iam haberet in illis regionibus locum, quem non adiret, quem non peragraret, de profectione in Hiſpaniam cogitare cœpiſſe. Quare D. Thomas ad eum locum, *Nullus*, inquit, *Apoſtolus per tot loca prædicauit, & annunciauit Chriſtũ, vt Paulus.* Quod D. Chryſoſtomus hom. 29. in citatam epiſtolam ad Roman. ingenioſè colligit, ex illis verbis, *per circuitum. Infinitas*, inquit, *vrbes, & gentes, & populos, & regiones vno complectitur verbo, cùm dicit: Per circuitum.* Clariùs id expreſſit idem D. Chryſoſtomus homil. 1. de laudibus Pauli, *Terram*, inquit, *ac mare; Græciam, ac barbariem, omnémque prorſus, quanta eſt, ſub cælo, regionem, quaſi volitans circumiuit.* Et homil. 2. addit, plures terrarum plagas vni Paulo, quàm vlli Angelorum commiſſas. *Angelis*, inquit, *ſæpè diuerſarum gentium cura commiſſa eſt, ſed nullus eorum ita creditum ſibi populum gubernauit, vt Paulus vniuerſum gubernauit orbem.* Et ſtatim: *Michaeli genus commiſſa eſt Iudæorum; Paulo verò terra, ac maria, atque vniuerſi orbis habitatio.* Vnde ſic conſtruitur argumentum. Quiſquis plura terrarum ſpatia circumuagatur, haud dubium, quin magis laboret, ac fatigetur: ſed D. Paulus plura terrarum ſpatia, quàm cæteri Apoſtoli, peragrauit: ergo dubitandum non eſt abundantiùs omnibus laboraſſe.

D. Thom. *Chryſoſt.*

63\. *Probatur tertiò. Palladius curſor.*

Probatur tertiò ex celeritate curſus, quo orbem circumegit. De Palladio curſore quodam Romani imperij celeberrimo, ac celerrimo, dicere ſolebant ad Theodoſium Imperatorem eius Principes ac Dynaſtæ cum feſtiuo quodam plauſu, Palladium feciſſe Romanum imperium breue, & anguſtum: quia tanta illud celeritate circuibat, ac perluſtrabat, vt breue & anguſtum videretur. Ita refert Nicephorus lib. 14. cap. 21. Quid verò Paulus? Non modò Romanum imperium, ſed vniuerſum orbem exiguum reddebat, & anguſtum, ob variam celeritatem, qua illum percurrebat. Vnde D. Thomas in c. 15. epiſt. ad Romanos Diuo Paulo accommodat illud Iob 38. *Quis dedit vehementiſſimo imbri curſum? Vt ſignificaret, quanta celeritate imber in terram fertur, tanta quidem Apoſtolum totam terram circumire.* Imò non vt imber, ſed vt aliger terram circumibat. Non enim ambulare videbatur, ſed volare. Quod D. Chryſoſtomus citatus expreſſit, dicens, *Apoſtolum totam ſub cælo regionem, quanta, quanta eſt, volitando circumiſſe.* Et iterum, *Tanquam pennatus*, inquit, *totum docendo peruolauit orbem, & velut incorporeus, labores omnes, periculáque contempſit.* Vbi mira Pauli velocitas in toto orbe obeundo demonſtratur: tum quia aligeris animalibus confertur, quæ per aëra quàm ocyſſimè feruntur: tum quia incorporeis & ſpiritualibus mentibus comparatur, quæ à loco in locum breuiſſimo temporis ſpatio commeant, & transferuntur. Vnde ſic conficio argumentum. Quo longiora ſpatia breuiori tempore percurruntur; eò neceſſe eſt, at maiori contentione, & proinde maiori defatigatione curſus peragatur. Sed D. Paulus longiſſima ſpatia breuiſſimo tempore confecit: ergo dubitandum non eſt in tanta percurrendi orbis celeritate maximum laborem ſubiiſſe.

Niceph. *D. Thom.* *Chryſoſt.* *D. Paulus pennatus in orbe currendo.*

64\. *Probatur quartò.*

Probatur quartò ex indocilitate, ne dicam immanitate gentium, quas emolliuit. Nam ſub initium ſuæ conuerſionis prædicauit in Synagogis Iudæorum, Act. 9. vt impleretur illud, *De Sion exiuit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Poſtea verò ad exteras nationes digreſſus, non modò Phœniciam, Syriam, Ciliciam, Cappadociam; ſed etiam alios incultos populos, etiam inhumanos, Saracenos, Perſas, Armenos, cæteróſque barbaros ad manſuetudinem Euangelicam traduxit. Quod ipſemet Apoſtolus inſinuauit, dicens, *Prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ſed ſicut ſcriptum eſt: Quibus non eſt annunciatum de eo,* &c. Roman. 15. Hoc eſt, prædicaui Euangelium gentibus barbaris & incultis, nulla prorſus veræ fidei, religioníſque notitia imbutis, & informatis: & proinde multò difficiliùs, & laborioſiùs imbuendis, & informandis. Vnde D. Chryſoſtomus ad eum locum homil. 29. *Vides*, inquit, *illuc occurrentem, vbi plus erat laboris, vbi plus ſudoris?* Ex quibus ſic argumentor. Eò magis laborat doctor, & prædicator, quo rudior, & ignarior eſt auditor: ſed D. Paulus incultiſſimis & inhumaniſſimis gentibus prædicauit; ergo abundantiùs omnibus laborauit.

Chryſoſt.

Probatur quintò ex magnitudine ſtudiorum D. Pauli. Non enim verbis tantùm, ſed etiam ſcriptis Eccleſiam docuit, & inſtruxit. Nam cùm plerique Apoſtolorum nihil ſcripſerint, alij paucas Epiſtolas ſcripſerint; D. Petrus duas, D. Ioannes tres, D. Iacobus vnam, D. Thaddæus alteram, omnes ſimul ſeptem; ſolus Paulus duplicato labore ſcripſit quatuordecim. Vnde D. Auguſtinus in Pſalm. 130. *Videtis*, inquit, *fratres, quod modò in Eccleſia Pauli Apoſtoli Epiſtolæ vigent, magis quàm coapoſtolorum eius. Alij enim non ſcripſerunt, ſed tantùm loquuti ſunt in Eccleſia. Alij autem, qui ſcripſerunt, nec tantum, nec tanta gratia ſcripſerunt.* Ex quo loco ſic deduco argumentum: Scriptoris munus difficillimum, ac laborioſiſſimum eſt, propter continua ſtudia, & perpetuas vigilias, & innumeras alias difficultates, quas includit: ſed D. Paulus in hoc munere, latius, & vberius, quàm cæteri Apoſtoli, excurrit, vt ex dictis patet; ergo omnium abundantiſſimè laborauit. 65. *Probatur quintò.*

Auguſt.

Vltimò probatur ex incredibili paupertate, quam prædicando tolerauit. Nam cùm cæteri Apoſtoli ex Euangelio victitarent: *dignus enim eſt operarius mercede ſua*; tamen D. Paulus arctiorem paupertatis viam ingreſſus, Euangelium ponebat ſine ſumptu. Quod ipſe non ſemel teſtatur. Nam in primis 1. Corinth. 9. oſtendens ſibi licitum fuiſſe, aliquem ex labore prædicandi victum colligere ad vitam ſuſtentandam, qualem cæteri Apoſtoli colligebant, *Nunquid*, inquit, *non habemus poteſtatem manducandi, & bibendi, ſicut cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* quaſi diceret, Habemus vtique. Et ſtatim: *Sed non*, inquit, *vſi ſumus hac poteſtate. Omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti.* & paulo pòſt: *Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Ego autem nullo horum vſus ſum. Bonum eſt mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* &c. & paucis interpoſitis: *Quæ eſt*, inquit, *merces mea? vt ſine ſumptu ponam Euangelium.* Quibus verbis oſtendit Apoſtolus, & ſuam viuendi rationem in ſumma rerum inopia tranſactam; & ſuum animum ad hanc paupertatem perferendam tam obſtirmatum, vt prorſus mori, quàm ex Euangelio viuere præoptaret: & ſuam de hoc ſuo prædicandi inſtituto ſententiam talem eſſe, vt nullam aliam ex ſuo labore mercedem ſperarit, quàm omni prorſus ſui laboris mercede caruiſſe. 66. *Probatur vltimò. 1. Tim. 5.*

Rurſus 2. Corinth. 11. *Cùm eſſem*, inquit, *apud vos, & egerem, nulli oneroſus fui. In omnibus ſine* 67.

onere

onere me vobis ſeruaui, & ſeruabo. Item 1. Theſſ. 2. *Memores*, inquit, *eſtis laboris noſtri, & fatigationis. Nocte ac die operantes, ne quem veſtrûm grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium Dei.* Quod iterum repetit 2. Theſſal. 3. *Neque gratis*, inquit, *panem manducauimus ab aliquo; ſed in labore, & in fatigatione, nocte, & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus. Non quaſi non habuerimus poteſtatem; ſed vt noſmetipſos formam deremus vobis ad imitandum nos.* Tandem Act. 20. *Argentum*, inquit, *& aurum, aut veſtem nullius concupiui. Ipſi ſcitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, miniſtrauerunt manus iſtæ.* Ex quibus omnibus ita conficio argumentum. D. Paulus etiam ea cõmoda, quibus licitè frui poterat, & quibus cæteri Apoſtoli iuſtiſſimè fruebantur, auerſabatur: & eos paupertatis labores, quos, citra vllam cenſuram declinare poterat, vel temperare, & quos cæteri Apoſtoli reuera ſine vlla nota declinabant, vel temperabant, ipſe conſtantiſſimè patiebatur; ergo ſine dubio omnibus abundantiùs laborauit.

Problema IX.

Pro eodem.

Vtrùm D. Paulus ſine vllo humilitatis diſpendio ſuas laudes euulgarit.

68. *Diuus Paulus ſuas laudes prædicauit.*

Certum eſt D. Paulum ſuas laudes ſæpiùs euulgaſſe, & ſuas virtutes palàm in lucem, & in omnium aures intuliſſe, vt eius epiſtolas legenti facilè patebit. Nam in epiſt. ad Roman. cap. 8. commendat ſuam in charitate conſtantiam. *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli*, &c. *neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei.* In eadem epiſt. cap. 9. commendat ſuum animarum zelum, *Optabam ego*, inquit, *anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Quem zelum vlteriùs cõmẽdat 1. Corinth. 9. *Factus ſum*, inquit, *infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus ſum, omnes facerem ſaluos.* & rurſus 2. Corinth. 11. *Inſtantia mea quotidiana ſolicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Deinde ſuam viuendi aſperitatem non leuiter commendat 1. Corinth. 9. *Sic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* Suum prædicandi feruorem & ſpiritum 1. Corinth. 2. non mediocriter laudat; *Sermo*, inquit, *meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis.* Suos verò labores quàm lautiſſimè, & effuſiſſimè deprædicat 2. Corinth. 6. *In omnibus exhibemus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus*, &c. & paſſim alibi de hac re luculentiſſimè ſpatiatur.

69. Iam verò ſuas reuelationes palàm omnibus euulgat 2. Corinth. 12. *Veniam*, inquit, *ad viſiones & reuelationes Domini. Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim raptum vſque ad tertium cælum*, &c. Tandem ſuæ virtutis perfectioniſque progreſſum vſque ad finem vitæ dilucidè inculcat 2. Timot. 4. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Mitto alia innumera præconia, quæ D. Paulus de ſe ſuiſque rebus paſſim ſpargit, & inquiro, an hoc facere potuerit ſine vllo ſuæ humilitatis diſpendio, & ſine vllo vanæ oſtentationis periculo. Pars, quæ aſſerit D. Paulum non debuiſſe proprias laudes euulgare, ſuadetur.

Primò ab auctoritate. nam in primis vulgatiſſimum eſt illud verbum, *Laus in ore proprio viluſcit.* Vnde eſt illud egregriè dictum à Plinio Iuniore lib. 8. epiſt. 1. ad Saturninum, *Id, quod*, inquit, *magnificum referente alio fuiſſet; ipſo, qui geſſerat, recenſente, vaneſcit.* Certè D. Chryſoſtomus hom. 5. de laudibus Pauli, eos, qui ſe laudant, dementiæ, imò, & infamiæ condemnat. *Extrema*, inquit, *dementia eſt, nulla imminente neceſſitate, propriis ſe laudibus decorare. Non eſt hoc ſecundum Deum loqui; iudicium eſt iſtud infamiæ.* Ita Chryſoſtomus. Denique facer ipſe parabolarum auctor, *Laudet*, inquit, *te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua*, Prou. 27. 2. Ex quo ſic argumentor. Non modò profani, ſed etiam ſacri, imò, & canonici ſcriptores docent, proprias laudes à nemine prædicandas, ſed potiùs ſilentio inuoluendas: ergo probare non poſſunt proprias laudes à D. Paulo decantatas fuiſſe. 70. *Probatur ab auctoritate.* Plinius iunior. Chryſoſt.

Secundò probatur ab exemplo, in primis D. Petri, qui cùm habuerit illuſtriſſimam de cœlo reuelationem in fauorem Cornelij hominis Gentilis, Act. 10. eam tamen ipſi Cornelio non manifeſtauit: non aliam profectò ob cauſam, interprete D. Chryſoſtomo hom. 24. in Acta, *niſi, quia erat*, inquit, *alienus à vana gloria.* Quaſi cum hac maximè coniunctus eſſet, ſi à propriis laudibus non abſtineret. Deinde exemplo Ioannis Euangeliſtæ, qui cùm in ſinu Chriſti Domini recumberet, non ſe Ioannem proprio nomine, ſed communi vocabulo diſcipulum dilectum appellauit. *Scilicet*, inquit D. Cyrillus Alex. lib. 9. in Ioann. c. 15. *nomen ſuum celauit; ne inanis gloriæ cauſa diligi ſe à Chriſto dicere videretur.* Idem Ioannes, cùm ſcriberet comprehenſionem Chriſti Domini in horto, *Sequebatur*, inquit, *IESVM Simon Petrus, & alius diſcipulus*, Ioann. 18. Hic verò diſcipulus alius non erat, quàm ipſe Ioannes. Cur igitur proprio ſe nomine non expreſſit? Reſpondet egregiè D. Chryſoſtomus hom. 82. *Quia*, inquit, *rem preclaram narrat, quòd aliis fugientibus ipſe ſequeretur; ideo & ſuum nomen ſilet, & Petrum ſibi præponit.* Tandem exemplo Chriſti Domini, de quo Eſaias cap. 42. *Non clamabit*, inquit, *nec audietur vox eius foris.* hoc eſt, in ſuas laudes minimè effundetur: nulla ſuarum laudum commendatio ex ore proprio perſonabit. Vnde rogatus aliquando à patre pro filio dæmoniaco, *Omnia*, inquit, *poſſibilia ſunt credenti*, Marc. 9. Non ſine myſterio dixit, *credenti*, vt eius fidem ſtabiliret; non autem ſibi operanti, ne ſuam potentiam laudaret. Suſcitaturus filiam Archiſynagogi, *Non eſt*, inquit, *mortua puella, ſed dormit.* Luc. 8. Vbi *ſomnum* pro morte vſurpauit, interprete Procopio, ad iactantiam euitandam: vt non tam mortuam, quam ſopitam excitare videretur. Vnde ſic argumentor, Sanctiſſima Chriſti Domini aliorúmque Apoſtolorum exempla monent, à propriis laudibus abſtinere, eáſque profundo ſilentio præterire, ergo non videtur laudandus D. Paulus, cùm proprias laudes euulgauit. Et confirmatur multis ipſius Pauli teſtimoniis. In primis laudo illud 2. Cor. 12. *Scio hominem raptum vſque ad tertium cælum.* Sed quare raptum, & non potiùs ductum? Reſpondet egregiè Bernardus de grad. humil. *Vt* 71. *Probatur ab exemplo.* Chryſoſt. Cyrill. Chryſoſt. Procop. Bernard.

vi ve

oogle

videlicet ſi tantus Apoſtolus raptum ſe dicit fuiſſe, quò nec doctus ſciuit, nec doctus potuit ire, me qui procul dubio minor ſum Paulo, ad tertium cœlum nulla mea virtute, nullo meo labore peruenire poſſe præſumã? qui enim ducitur, ex hoc ipſo quòd ducentem ſequitur, laborare conuincitur, & aliquid ex ſe agit, vt ad deſtinatum locum pertrahatur, ita vt dicere poſſit: Non autem ego, ſed gratia Dei mecum, 1. Cor. 15. *Qui verò rapitur, non ſuis viribus, ſed alienis innixus, tanquam neſcius quocumque portatur.* Hæc ille. Ac ſi cùm ſemel & inuitus propriam gloriam oſtenderet, ſimul ipſam ſibi ignorantiam detrahendam fore modeſtus arbitraretur. Mitto alia.

72. Tertiò probatur ratione. Quia, qui ſe ipſum laudat, ſuam prodit imprudentiam, gignit inuidiam, fidem non meretur: ergo nemo ſanus ſuas debet laudes prædicare. Probatur antecedens, oſtendendo ſingula. Prodit ſuam imprudentiam: quia imprudentiæ genus eſt, proprias opes manifeſtare, cum periculo fore, vt diripiantur: ergo & ſuas laudes euulgare, cum periculo, fore vt contemnantur. Gignit inuidiam. Quia qui proprias laudes iactat, alienas obſcurat. Ergo in aliorum odium, inuidiam incurrit. Fidem non meretur, quia quò quis alteri propior, & amicior, & cognatior eſt, eò magis ſuſpectum de illius laudibus teſtimonium perhibet: ſed nemo alteri eſſe poteſt tam vicinus, & cognatus, & amicus, quàm quiſque ſibi: ergo nemo poteſt teſtimonium magis ſuſpectum, fideque indignum, quàm vnuſquiſque de ſe ipſo perhibere.

Probatur primò. Diuus Paulus ſuas laudes ſanctiſſimè prædicauit. Nihilominus pars, quæ aſſerit D. Paulum in ſuas laudes congruentiſſimè, & ſanctiſſimè excurriſſe, indubitata eſt. Primò, quia D. Paulus, cùm fuerit canonicus ſcriptor, non proprio affectu, ſed diuino Spiritu ad ſcribendum agebatur, nec tam erat præcipuus ſcriba, quàm calamus ſcribæ velociter ſcribentis: ergo proprias laudes euulgando nullam iactantiam incurrebat, ſed ſuam Deo obedientiam præſtabat.

73. *Probatur ſecundò.* Secundò, quamuis laus in ore proprio vileſcat, cùm ad propriam oſtentationem profertur; tamen cùm ad proximorum ædificationem ordinatur, iuſtiſſimè, & ſanctiſſimè procedere cenſetur: atqui Diuus Paulus non ad oſtentandum ſe ipſum, ſed ad ædificandos proximos ſuas laudes prædicabat; ergo non inaniter, ſed vtiliter in ſuas laudes excurrebat. Maior & conſequentia patent. Minor probatur ex Diuo Chryſoſtomo (*Chryſoſt.*) homil. de verbis Apoſtoli, *Vtinam ſuſtineretis*, &c. Vbi docet, Apoſtolum ineuitabili quadam neceſſitate coactum fuiſſe ad ſe ipſum laudandum. & ſtatim explicans hanc neceſſitatem, docet fuiſſe exemplum, & ædificationem fidelium. *Apoſtolus*, inquit, *aſſerit, dignitatem, & meritum: ne vllus peccator deinceps animum abiiciat; quando Paulum videt, poſtremum omnium peccatorum, tamen liberè ſeruatum.* Ita ille. Quis enim peccator de diuina miſericordia deſperet, qui Paulum peccatorum omnium primum, vt ipſe loquitur, ſubitò factum Apoſtolorum principem contempletur?

74. *Probatur tertiò.* Tertiò, quia alij ſanctiſſimi heroes ſuas laudes iuſtiſſimè prædicarunt, quin vllam iactantiæ notam incurriſſe cenſeantur: ergo & D. Paulus credendus eſt, non ad captandam vanam gloriam, ſed ad ædificandam totam Eccleſiam ſuas laudes prædicaſſe. Patet conſequentia, cùm non debeat peior de D. Paulo, quàm de antiquis Patriarchis ſuſpicio haberi. Probatur antecedens. Nam Moyſes de ſe ipſo, *Erat*, inquit, *Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra.* Num. 12. Iob item de ſe ipſo, *In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis; nec ſtultum quid contra Deum loquutus eſt*, Iob. 1. Tandem Ezechias, *Obſecro Domine, memento quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto: & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim*, Iſai 38. & ſic de aliis. Quemadmodum igitur veteres illi Patriarchæ ſuas laudes euulgarunt, nec tamen in laudationibus ſuis euanuerunt, quia non propriam, ſed diuinam gloriam, & animarum ſalutem ſpectabant; ita planè & Diuus Paulus ſe ipſum abſque vllo humilitatis diſpendio commendauit: quia ſe laudando non ſuæ, ſed diuinæ gloriæ, & animarum ſaluti inſeruiebat.

Problema X.

Pro eodem.

Vtrùm D. Paulus in paradiſum raptus diuinam eſſentiam intuitus fuerit.

Pars negatiua Patrum, ac Theologorum teſtimoniis, ſacrarum literarum ſuffragiis, rationum momentis confirmatur. Ex Patribus eam tenet D. Dionyſ. Areopag. de cœleſti Hierarchia c. 4. vbi docet *Theophanias*, hoc eſt diuinas apparitiones, quæ in ſacris literis referuntur, non eſſe immediatè in eſſentia diuina, *quam nemo*, inquit, *vidit, neque videbit, ſcilicet in hac vita; ſed eſſe ſecundùm aliquam formam ſpectabilem, imaginabilem, aut intelligibilem, huius tamen vitæ ſtatui congruentem.* Et rurſus in lib. de myſtica Theologia c. 1. docet Moyſem in monte non vidiſſe Deum, *eſt enim*, inquit, *inuiſibilis*, ſed locum, vbi ſtetit. Apertè ſignificans, Deum in hac vita à nemine videri potuiſſe. 75. *Pars negatiua ſuadetur ex PP.* *Dionyſ. Areopag.*

Idem tenet D. Irenæus lib. 4. aduerſùs hæreſes, c. 36. Vbi docet, veteres Prophetas non vidiſſe manifeſtè faciem Dei, ſed quaſdam Dei diſpoſitiones, hoc eſt, typos, & figuras, ac ſymbola, quibus diuina natura quodammodo inuoluta agnoſcebatur. Et confirmat ex Ezechiele, qui cùm cap. 1. cœleſtem paradiſum deſcripſiſſet, ſubdidit ſtatim cap. 2. *Hæc eſt viſio ſimilitudinis gloriæ.* Non gloriam ſimpliciter appellauit, ſed ſimilitudinem gloriæ, *Ne quis putaret*, inquit Irenæus, *Prophetam propriè vidiſſe Deum.* *Iren.*

Accedit Tertull. lib. aduerſùs Praxeam cap. 14. vbi docens, neminem Prophetarum, claram de Deo notitiam in hac vita habuiſſe, ſubdit, *Inuenimus*, inquit, *à multis Deum viſum; ſecundùm hominum capacitates, non ſecundùm plenitudinem diuinitatis:* Et probat, *quia ſi vllus Prophetarum, Deum videret ſecundùm plenitudinem diuinitatis, moreretur, iuxta illud* Exod. 33. Non videbit me homo, & viuet. *Et tamen Iacobus Deum vidit, nec tamen obiit, iuxta illud*, Gen. 33. Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea; *ergo non vidit ſecundùm plenitudinem diuinitatis, ſed ſecundùm hominis capacitates.* 76. *Tertul.*

Concinit Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum; vbi prouocat ad veteres Poetas, quos naturales Theologos appellat, aſſerentes, *Deum in hac vita à nemine videri.* Nam Orpheus de Deo loquutus, ſubdit, *Clem. Alex.*

Orph. dit, ***Nullus & ipſum mortalis cernit, verùm omnes aſpicit ipſe.*** Quaſi Deum pariter conſtituat inuiſibilem, ac videntem, vt ſicut omnia videt, ita à nemine videatur. Plato. Deinde rem confirmat ex Platone docẽte, ***Deum nec ſpectabilem eſſe, nec effabilem.*** Quam doctrinam ſuſpicatur ipſe collegiſſe Ethnicum Philoſophum ex ſacris literis, quas aliquando prælibauerat. Nam lib. Exod. cap. 20. dicitur Moyſes acceſſiſſe ad caliguem in qua erat Deus. Quaſi Deus in hac vita non niſi per caliginem obſcurè cognoſcatur. Ac tandem notat ex Ioan. 1. ſolum Vnigenitum, qui eſt in ſinu Patris, tanquam oculatum teſtem enarrare poſſe, quæ ibi continentur: cæteris omnibus eſſe illum ſinum inaſpectabilem, & ineffabilem, vt appellat. Nazianz. Diſertiſſimè de hac re D. Gregorius Nazanzenus orat. 34. quæ eſt ſecunda, de Theologia philoſophatur. Nam percurrens veteres Patriarchas, & Prophetas, qui Deum vidiſſe in ſacris literis referuntur; Noe, Abrahamum, Iacobum, Manue, Iſaiam, Ezechielem concludit: ***Nec Iacobus***, inquit, ***ipſe, nec quiſquam eo ſublimior, ad huncvſque diem gloriari potuit, ſe totam Dei naturam oculis vſurpaſſe.*** Et paulo pòſt de his omnibus præſtantiſſimis viris loquutus, ſubdit: ***Neque hi, de quibus loquor, neque quiſquam alius eiuſdem ordinis Dei naturam aut vidit, aut aliis prodidit, & patefecit.*** Atque ſtatim ad Apoſtolum Paulum progreſſus, non obſcurè ſignificat hanc claram Dei cognitionem, neque tanto gentium Doctori communicatam.

77. Molin. Soar. Vaſq. Mitto alios Patres ſtatim citandos, quos aliqui Scholaſtici ſequuntur, qui à Molina 1. p. q. 12. art. 11. diſp. 2. Suar. Vaſq. tom. 1. in 1. p diſp. 56. cap. 1. citantur, quibus ipſi libentiùs ſubſcribunt. Suffragantur ſacræ literæ, in primis illis communibus locis, in quibus negant claram Dei viſionem vlli viatori communicatam, Exod. 33. ***Non videbit me homo, & viuet*** *Suadetur ex ſacris literis.* Quo ex loco ſatis colligitur eos Patriarchas, qui in ſacris literis dicuntur Deum vidiſſe. non clarè, ſed obſcurè vidiſſe; alioqui non remanerent ſuperſtites, ſed ſtatim morerentur, vel potiùs ad eam viſionem habendam præmouerentur. Ioan. 1. ***Deum nemo vidit vnquã: Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.*** Chryſoſt. Cyril. Theoph. Vbi D. Chryſoſtomus homil. 14. D. Cyrill. Alexand. lib. 1. cap. 22. Thophylact. & alij, diſcrimen conſtituunt inter Chriſtum Dominũ, & cæteros homines. Vt ſic Chriſto Domino viſio beatifica collota fuerit in hac vita; ita cæteris omnibus denegata ſignificetur.

78. Quod apertius Chriſtus Dominus expreſſit, dicens: ***Non quia Patrẽ vidit quiſquam niſi is, qui à Deo eſt, hic vidit Patrem.*** Ioann. 6. Quaſi diceret, Sicut ego ſolus à Patre natus ſum, ita ego ſolus vidi Patrem. Ipſe Paulus 1. Timoth. 6. ***Quem nullus hominũ vidit, ſed nec videre poteſt.*** Quod Apoſtolus affirmat, multo pòſt tempore, quàm in paradiſum raptus eſt: proindéque etiam de ſe ipſo aſſerit, Deum eatenus non vidiſſe. Deinde ſunt propria loca, quibus beatifica viſio denegata Apoſtolo videatur. Nam is cùm loqueretur de iis, quæ viderit in ſuo illo raptu ad tertium cœlum, 1. Corinth. 9. ***Nonne***, inquit, ***Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum vidi?*** Tertul. Vbi Tertulliam. lib. aduerſùs Praxeam, cap. 15. rectè obſeruat, dixiſſe Apoſtolum. ***Vidi Chriſtum***, non autem, ***vidi Patrem***: vt ſigificaret non ipſam eſſentiam, ſed humanitatem à ſe viſam. Præterea ipſe Apoſtolus, cùm de ſuo raptu manifeſtiùs egit, 2. Corinth. 12. ſolùm dixit, ***audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui***; non ait, vidi, ſed ***audiui***, vt ſtando in verbi proprietate, non viſionem, ſed doctrinam aliquam indicaret; non dixit verbum, ſed ***verba***, vt inſinuaret ſe non cognouiſſe ipſam eſſentiam, quæ eſt vnicè vna, ſed plura alia myſteria, quæ illi reuelarentur; additque, ***quæ non licet homini loqui***, ſcilicet carnali, & terrenis deſideriis impedito: non autem, quæ non poſſum homini loqui: vt re-uera diceret, ſi ipſam intueretur eſſentiam, quæ ineffabilis eſt & ininterpretabilis ad dicendum. Denique ipſe Apoſtolus ſuam cognitionem ſemper imperfectam teſtatur. ***Ex parte***, inquit, ***cognoſcimus, & ex parte prophetamus.*** Et ſtatim: ***Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autẽ facie ad faciem.*** Et rurſus, ***Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum***, 1. Cor. 13. Quibus verbis conſtituit diſcrimen inter ſuam notitiam, quam vt viator habebat, & quam vt comprehenſor ſperabat: vt ſicut hæc clara futura eſt, ita obſcura ſemper eſſe ſignificetur.

Tandem accedit ratio. Quia in principiis vniuerſalibus Scripturæ, nulla exceptio admittenda eſt, ſine aliquo magno aut Patrum, aut Scripturæ fundamento. 76. *Suadetur ratione.* Atqui vniuerſalia Scripturæ principia ſunt, ***neminem in hac vita Deum clarè vidiſſe***, vt ex dictis patet; neque vllam alicuius exceptionis fundamentum in ſacris litteris inuenitur: ergo non eſt temerè aſſerendum D. Paulum ad hanc claram Dei viſionem in hac vita eleuatum. Confirmatur, quia huius viſionis cognitio non erat neceſſaria Apoſtolo in hac vita, ſeu ad nullum finem vtilis videbatur: ergo non eſt concedenda. Conſequentia patet. Probo antecedens. Quia vel neceſſaria erat ad præmium, vel ad medium prædicationis. Non ad præmium; quia hoc in ſtatu huius vitæ non confertur: non ad medium prædicationis, quę ſola ratio neceſſitatis aſſignari poſſet; vt ſcilicet tantus Gentium Doctor à Deo clarè viſo ad prædicandum inſtrueretur: vt de illa auditores ſuos edoceret. Sed hæc ratio nulla eſt, nam cùm eſſentia ſit ineffabilis, nihil ad fandum, ſeu ad prædicandum Apoſtolo viſa conferret. Atque hæc pro hac parte.

80. *Pars affirmatiua probatur ex PP.* Pars affirmatiua, quòd D. Paulus in hac vita Deum clarè intuitus fuerit, pari modo ſuadetur primò auctoritate Patrum. August. Nam illam expreſsè tenet D. Auguſtinus epiſt. 112. cap. 12. & 13. & lib. de Gen. ad literam cap. 27. & 28. nec exiſtimat aduerſari huic ſententiæ locum illum Exod. 33. ***Non videbit me homo, & viuet.*** Quia intelligendus eſt de vita carnali, & corporeis concupiſcentiis dedita. Quaſi ſenſus ſit, Deum clarè in hac vita non videbit, qui carnalem vitam, & ſenſibilibus voluptatibus mancipatam viuet: alioqui qui à corporeis illecebris, & ſenſuum commercio ſe abſtraxerit, Deum etiam in hac vita clarè videre non repugnat. Vnde cùm Paulus viuens in carne, carnis concupiſcentiis præmortuus fuerit, Deum clarè potuit intueri Idem tenet D. Gregor. lib. 18. moral. cap. 28. Gregor. Quamuis enim dicat, neminem in hac vita Deum videre poſſe, & propterea in contrariam partem citari ſoleat; tamen ſtatim addit, ***Niſi carnalibus vitiis præmoriatur, & æternitatis amore inflammetur.*** Vnde Apoſtolus, qui licèt in corpore viueret, tamen in ſpiritu ambulabat, & dicebat, ***Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus***, Galat 2. Deum clarè videre poterat. Conſentit D. Anſel. in 2. ad Corinth. 12. vbi Anſelm. poſtquam dixit, D. Paulum non per ſpeculum in ænigmate, ſed facie ad faciem Deum vidiſſe ſubdit, ***Cur autẽ non credamus, quòd tanto Apoſtolo***

Doctori gentium, rapto ad iſtam excellentiſſimã viſionem voluerit Deus demonſtrare etiam in qua poſt hanc vitam videndus eſt in æternum. Accedit Hugo

Hugo Vict.

Victorinus annotationibus in 2. ad Cor q. 34. vbi etiam rationem huius priuilegij inculcat. *Nõ eſt*, inquit, *mirum, nec incredibile, quia ſi Deus ſeruo ſuo dilectiſſimo beatitudinem & gaudium futurum præoſtendere potuit, vt firmius in eius dilectione, & ſeruitio perduraret.*

81. Probatur ex ſcholaſticis. D. Thom. Henr. q. Durand. Gabr. Argent. Sot. Ferrar. Capreol. Scot.

Neque deſunt Scholaſtici Doctores, qui hanc partem tueantur. D. Thom. 1. p. q. 12. art. 11. & 2.2.q.175. art. 3. & q. 10. de veritate, art. 11. ad 1. & in 4. diſt. 49. q. 2. art. 7. Henr. in ſumma art. 24. q. 2. Durand. in 3. diſt. 21. q. 3. & in 4. diſt. 49. q 6. & in prologo q. 3. Gabr. in 2. diſt. 49. q. 2. art. 3. Maior ibid. q. 12. Argent. q. 4. Sot. q. 2. art. 4. Ferrar. 3. contra Gent. cap. 47. Capreol. in 3. diſt. 31. Scot. in 2. diſt. 3. q. 9. & alij. Quis ergo dubitet hanc partem magno auctorum præſidio firmatam eſſe, cui duo illa clariſſima Theologiæ lumina, D. Auguſt. & D. Thom. vt innumeros alios

Probatur ex ſacris literis

prætercam, adſtipulantur? Probatur ſecundò ſacræ paginæ oraculis. Nam Paulus dicitur raptus

D Thom.

in tertium cœlum, quod D. Thom. 2.2.q.175. art. 3. ad 4. interpretatur, in tertiam beatorum ſpirituum hierarchiam: vt non ſolùm cum Angelis in infimo choro reſidentibus, ſed etiam cum Seraphinis in ſupremo commorantibus perfectiſſima Dei viſione frueretur. Dicitur præterea raptus in

Chryſoſt.

paradiſum: hoc eſt, interprete D. Chryſoſt. homil. 26. in poſteriorẽ ad Corinthios, in gloriam. Et ſtatim addit, hunc paradiſum eſſe illum, quem Dominus latroni promiſit. *Hodie mecum eris in paradiſo*, Luc. 23. Itaque ſentire videtur D. Paulus eo raptum fuiſſe, quò venit & latro: non quidem ratione loci; neque enim ad limbum deſcendit, ſed ratione viſionis beatificæ, quam vt latro accepit.

82. Elias Cret. Nazianz.

Hanc interpretationem ſequitur Elias Cretenſis in orationem 1. Nazianzeni, vbi docet, D. Paulum raptum fuiſſe ad ea loca, in qubus eſt Trinitas. Et ſtatim, *In paradiſum*, inquit, *rapitur, in reconditioribus nimirũ Trinitatis myſteriis animo, & cogitatione verſans.* Ita ille. Vnde D. Anſel-

Anſelm.

mus citatus ait, D. Paulum raptum fuiſſe in paradiſum omnibus meliorem, &, ſi dici oportet, paradiſum paradiſorum: hoc eſt, perfectiſſimum paradiſum, in quo viſio diuina habeatur. Non fuit igitur aliud, Paulum in paradiſum rapi, quàm in beatiſſimæ conſpectum Trinitatis eleuari. Additur, audiuiſſe *arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Vbi verbum *audiendi*, non refertur ad fidem per reuelationem, ſed ad viſionem per facialem præſentiam. Quemadmodum & Chriſtus Dominus, *Quæ*, inquit, *audiui à Patre, hæc loquor*; Ioann. 8. hoc eſt, quæ videndo eſſentiam, non quæ audiẽdo reuelationem. Illud autem *arcana verba*, non ſignificat obiectionem auditus, ſed viſus: vt ſæpe aliàs in Scriptura, *Videamus hoc verbum*, Luc. 2. Quòd autem pluraliter dicantur *verba*, non tollit, quominus pro ſingulariſſima eſſentia vſurpentur; quæ ſæpe propter eminentiam perfectionum, quas includit, pluraliter ſignificatur. Sic enim Deum appellat Scriptura *fontes*, in plurali, *Agnus deducet eos ad vitæ fontes*, Apoc. 7. *& aquas viuas, puteus aquarum viuentium*, Cant. 4. & ſic de cæteris. Illud verò, *non licet loqui*, non negat ſolam poſſibilitatem moralem; ſed etiam realem, qua prorſus caret ad explicandam diuinam eſſentiam, qui illam intuetur. Atque ita exponit Hieron.
D. Hieronymus, ſeu quiſquis eſt ille auctor, qui ſub eius nomine Pauli Epiſtolas commentatur. Vnde totus hic locus aptiſſimus, & efficaciſſimus videtur ad conuincendum, viſionem beatificam fuiſſe D. Paulo in hac vita communicatam.

Ratio verò pro hac parte duplex eſſe poteſt. Probatur ratione.
Vna, quia cùm Chriſtus Dominus apparuit Paulo, dixit ei, Act. 26. *Ad hoc apparui tibi, vt conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorum, quæ vidiſti.* atqui D. Paulus conſtitutus eſt teſtis, & miniſter ad prædicandum Trinitatis myſterium: ergo vidit hoc myſterium tanquam teſtis oculatus. Et confirmatur, quia congruebat, vt ille ter maximus Gentium Doctor, & diuinus Trinitatis prædicator non aliunde, quàm ab ipſo cœlo Empyreo huius myſterij cognitione inſtructiſſimus prodiret. Nam ſicut Chriſtus Dominus, non ſolùm propter dignitatem perſonæ, ſed etiam propter dignitatem muneris, ſcilicet docendi, & prædicandi diuina myſteria, beatifica viſione fruebatur. ita D. Paulus cum proportione, ſi non iugiter, & permanenter, vt Chriſtus, ſaltem breuiter, & tranſeunter hanc habere debuit viſionem, vt ſecundùm illam mundum perfectiùs doceret, & ab illa quodammodo hauriret illam conſtantiam, qua inter innumera hominum flagitia diuinæ charitati immobiliter adhærebat, dicens, *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundũ, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei*, Roman. 8. Hæc enim firmitas, & mobilitas in bono, non niſi ab ipſo bonorum omnium fonte Deo clarè viſo principium habuiſſe vibebatur. Altera ratio, quia in lege gratiæ multò clarior, & abundantior fuit diuinitatis cognitio, quàm in lege veteri. Vnde D. Paulus ſe comparans cum Moyſe, quæ non niſi ſuperinducto velamine cum Deo loquebatur, *Nos autem*, inquit, *reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginẽ transformatur à claritate in claritatem*, 2. Chorinth. 3. Quaſi diceret, mulò clarius, & manifeſtius diuina myſteria, quàm Moyſes, cæterique Patriarchæ contemplamur. Atqui Moyſes tam familiariter cum Deo loquebatur, vt dicat Scriptura, *Loquebatur Dominus ad Moyſem facie ad faciem; ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum*, *Exod.* 33. Et iterum loquutus Dominus de Moyſe, *Ore*, inquit, *ad os loquar ei; & palàm, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt*, Numer. 12. Ex quibus locis multi Doctores cum
D. Auguſtino, & D. Thoma non improbabiliter Auguſt.
colligunt, Moyſem diuinam eſſentiam in hac vita D. Thom.
intuitum fuiſſe: ergo à fortiori id concedendum eſt D. Paulo, non iam legis, ſed Euangelij Doctori, & prædicatori.

LIBER

LIBER QVARTVS.

DE FLORIBVS PHILOSOPHIÆ.

PROLVSIO.

APAGE, *inquis, cum ſpinoſis Philoſophiæ floribus, qui carpunt togas, lancinant corpus, pungunt animos; maiori quidem iure aculeos, quàm flores, ſpinas potiùs, quàm roſas appellares. Amœna vireta inſcribis, aſpera dumeta oſtendis; tot enim ſunt tormenta, quot argumenta. Detumeſce pauliſper: ſuus in triſti nube Solis fulgor: ſua in Iride laſciuit gratia, in picturæ vmbris ſua eminet, & ſplendet lux: ſuus etiam in ſpinis nitet roſarum floſculus, opes, ac deliciæ mille colorum. Has diuitias, & delitias ſuo in viridario laudauit, & amauit ille ſponſus,* Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. *Si credis multorum Patrum iudicio, laudat, & amat ſponſam ſuam, nempe Eccleſiam, inter pungentes diſputantium, ac male philoſophantium aculeos conſtitutam. Quaſi verò inter ſpinas, quàm inter roſas pulchrior videatur. Habes igitur conuiuales Philoſophiæ roſas, quas noſter Philoſophiæ Profeſſor inter laureatos Conimbricenſis Academiæ Doctores ſparſit plenis manibus, & quas grauiſſimus multorum hominum conſeſſus certatim collegit. Tu verò ſi adhuc irrepit aliquis ſpinarum horror, fuſos collige togæ ſinus, cautus incede, donec florum ſuauitas omnem tibi expellat metum.*

Cantic. 2. 1. Origenes. hom. 3. Theodor. Auguſt. lib. de vnit. Eccleſ. c. 13. tom. 3. Caſſiod. Beda. Philo Carp. Greg. PP. lib 1 moral. c. 1. Anſelm. Aponius. Bernard. ſerm. 48.

PROBLEMA I.

Vter ſitus hominis ſit præſtantior, ſeſſio, an ſtatio.

1. SVMVS in conuiuio Philoſophiæ, quæ ſuos conuiuas non molliter accumbentes, ſed viriliter ſedentes non aurea in ſponda, non in oſtro, ſericiſque puluinis, non mollibus in culcitris, & cubito preſſo innixos ſuos amat Philoſophia candidatos; ſed ſtantes, ſiue ſedentes, & ad reſpondendum paratos docet, & admonet. Aboleuit iam mollis ille, & antiquus Romanorum, Perſarum, & Hebræorum vſus, qui ſplendidioribus in conuiuiis triclinari quodam in lecto lautiſſimè diſcumbebant. Solùm igitur eſt de ſeſſione, & ſtatione controuerſia, quia de cubatione citra dubium eſt apud auctores infimum locum obtinere, iacere enim, vel cubare aut infirmitatis, aut certè deſidiæ indicium eſt. Cùm autem ſedentes videam plurimos, & ſtantes paucos, pro ſeſſione in primis pugno, quam ſedendo approbatis. Ille ſitus eſt præſtantior, magiſque homini connaturalis, qui eſt ipſi peculiaris, neque aliis conuenit animantibus, niſi fortè impropriè; ſed hic eſt ſeſſio, & non ſtatio. Nam cùm cætera animalia vel iaceant, vel ſtent, nec propriè ſedeant, homo ſolus propriè ſedet, & hunc ſitum, quàm vllum alium frequentiùs exercet: ergo ſeſſio eſt præſtantior. Hinc fortaſſis inter Iaponos orta conſuetudo colloquendi cum aliis ſeruato hoc ſitu; irroges enim magnam iniuriam ei, cum quo loqueris, ſi ſtans loquaris. Vnde deſumo

Pro ſeſſione pugnatur primò.

Iaponum conſuetudo.

2. Secundum argumentum. Ille ſitus videtur præſtantior, qui apud homines pluris habetur; ſed apud Reges & Principes magnus eſt honos ſedere apud ipſos: ergo, &c. Probo minorem, quia huiuſmodi ſitus ſolis magnatibus, purpuratis, ac viris principibus conceditur, vt patet ex illo Eſdræ 3. cap. 37. Nam pro ingenti præmio dicitur, *Sedebit ſecundo loco à Dario propter ſapientiam ſuam*, &c. Præterea inter regni inſignia numeratur thronus, ſeu ſedes, quam Rex ſibi ſemper reſeruat. Vnde Pharao ad Ioſeph, *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, vno tantùm regni ſolio te præcedam*, &c. Quaſi verò ſola ſedes eſſet indicium inter ſeruum, & dominum diſtinguens. Ex hoc colligit Apoſtolus Chriſti ſuper omnes Angelos dignitatem. Ad Hebr. 1. 13. *Cui enim Angelorum dixit: Sede à dextris meis?* & addit, *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi*, &c. Ac ſi diceret, ſatis perſpicua manet Filij nobilitas ſumma, ex ſeſſione apud Patrem, & ſeruilis conditio Angelorum ſatis etiam apparet ex ipſorum ſtatione coram eo, cui ſtando miniſtrant, ac ſeruiunt. Iam verò Chriſtus Dominus Apocalypſ. 3. promittit Angelo Laodiceæ ampliſſimum tan-

Pugnatur ſecundò.

quam præmium, & ſupremum dignitatis faſtigium ſedendi ſtatum. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecū in throno meo, ſicut & ego ſedi cum Patre meo in throno eius.* Ac ſi nulla ſupereſſet titulorum maieſtas, nulla amplior dignitas conferenda. Laureatis victoribus ſuam ſedem promitt.t Chriſtus, ex quo deduco.

3. *Pugnatur tertiò.* Tertium argumentum. Ille ſitus videtur præſtantior, quem in patria cœleſti ſumus habituri, ſed ſedendi ſitum ſumus habituri in patria, ergo, &c. Probo minorem imprimis ex Chriſto Domino. Nam Marci vltimo dicitur. *Aſſumptus eſt in cælum, ſedet à dextris Dei.* ad Hebr. 1. *Sedet ad dexteram maieſtatis in excelſis.* & cap. 8. *Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in excelſis.* & cap. 10. *Hic autem vnā pro peccatis offerens hoſtiam in ſempiternum ſedet in dextra Dei,* & cap. 12. *Atque in dextra Dei ſedens.* Similia habentur ad Rom. 8. ad Epheſ. 1. ad Coloſſ. 2. & alia quamplurima, vbi dicitur ſedere Chriſtum Dominum in patria cœleſti. Deinde ſeſſuros in patria beatos teſtantur innumera ſacræ paginæ monumenta, Apocalyſ. 3. *Dabo ei ſedere mecum in throno meo* Luc. 20. *Ego diſpoſui vobis regnum, vt ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael.* & Paulus Epheſ. 2. ait *nos conſeſſuros cum Chriſto in cæleſtibus,* &c. quamuis Stephanus videat Chriſtum Dominum *ſtantem à dextris virtutis Dei,* Act. 8. 55. non videtur intelligi, quòd ſtet, & non ſedeat, ſed quodammodo adhuc nobiſcum pugnet, nobiſque ſuppetias afferat paratiſſimus. Vnde Damianus ſerm. de ſancto Stephano, *cum bellante bellabat.* D. Ambroſius epiſt. ad Vercel. Eccleſ. ſtetiſſe dicitur, *vt ſolicitus iuuaret athletam, quem & paratus coronaret.* D. Gregorius lib 1. in cap. 1. Reg. *Stare eius, compati eſt.* D. Bern. ſerm. 5. ſuper verba Pſal. 43. *Quia iuuabat, quodammodo Propheta in adiutorium eū ſurgere precatur, Exurge: adiuua nos.* Ex his ergo, & aliis locis rectè colligitur ſeſſionem in patria nobis magis futuram connaturalem; & ſiue ea accipiatur metaphoricè pro clariſſimo maieſtatis argumento, vt acriter contendit Soar. tom. 2. in 3. p. diſput 51. ſect. 3. ſiue propriè pro corporali ſedendi ſtatu, vt vult Lorin. in Acta Apoſtol. cap. 8. 55. Optimè ex ea probatur præſtantiorem eſſe ſeſſionis, quàm ſtationis ſitum. Aliam partem ſtantibus relinquo defendendam.

Damian. Ambroſ. Gregor. Bernard. Soar. Lorin.

PROBLEMA II.

Quænam præſtantior ſit hominis ſtatura.

4. *Suadetur cauſa paruæ ſtaturæ.* INter quotidianos ſermones nihil familiarius, quàm ſermo de præſtantiori hominum ſtatura: in certamen aliquando abit ſermo, & certamen in rixam aliquando. Litem intendimus inter paruam, magnam, & mediocrem ſtaturam. Tandem præſtantiori litem adiudicabimus. Porrò, ne duabus prioribus ſuus deſit honos pro hominibus paruæ ſtaturæ hæc faciunt; quia illa ſtatura laudari potiùs debet, quam qui habent, & ſenſu acriores, & mente dexteriores euadunt: mens enim ea eſt, de qua meritò Phauorinus Philoſophus, *Nihil*, inquit, *in terris magnum, præter hominem, nihil in homine magnum præter mentem*; atqui breuis ſtatura ita ſe habet: nam, vt interim omittant id, quod eſt in veteri prouerbio ἄνους ὁ μακρὸς hoc eſt, *amens qui longus*, cui conſonum eſt illud M. Tullij, *Valentiſſimo quiſque corpore longè abeſt à ſapientia.* Certè ipſa diuina veritas id non obſcurè docet. Eccleſ. 11. his verbis, *Ne laudes virum in ſpecie ſua, neque ſpernas hominem in viſu ſuo: breuis in volatilibus apis, & initiū dulcioris fructus illius*; hoc eſt, interprete Epiſcopo Iãſenio, *Ne ſuſpicias, aut demireris procerū atque elegantem coporis habitum, quia in paruo corpore inuenitur ſapientia*; & vt quidam dixit,

Phauorinus. Tullius. Ianſen.

Maior in exiguo regnauit corpore virtus.

Et Baruch cap. 3. de Gigantibus illis loquens, qui ab initio fuerunt ſtatura magna, & ſcientes bellum, *Non hos*, inquit, *elegit Dominus, neque viam diſciplinæ inuenerunt.* Et meritò, cùm enim corpus, quod corrumpitur, aggrauet animum, & terrena inhabitatio deprimat ſenſum multa cogitantem, vbi vaſta fuerit moles corporis, neceſſe eſt, vt ſub tam graui pondere ſenſus gemant, & ad terram vſque deprimantur. Vt enim ait Ariſtoteles lib. 4. de partibus animalium cap. 10. *Carnis pondus tardiorem reddit mentem, & ſenſum communem,* & ideo eius magnitudinis homines à Græcis γὴγενεις id eſt, *terræ filij* dicti ſunt, quòd terrena ſapiant, mentemque à coniunctione materiæ nequeant auocare; & vt gloſſa ait Geneſ. 6. *Sint immanes corpore, ſuperbi viribus, inconditi moribus*; vnde ſatis appoſitè D. Chryſoſtomus gigantem illum barbarum & immanem Goliath, quem iuuenis Dauid ictu fundæ in terram dedit, *turrem ex carne ædificatam* nuncupauit: nihil enim in eo videbatur eſſe præter carnem exiſtente anima pro ſale, ne putreſceret: quod etiam veteres compoſitis fabulis adumbraſſe videntur, cum Cyclopas monſtra Alpibus æqualia, ſeu montibus Atlanteis vnum tantùm oculum; ſenſum nimirum ſpeculationi aptum, habere finxerunt; ferrariiſque Vulcani officinis deſtinarunt, quia, vt Ariſtoteles Polit 1. egregiè dixit, *Qui ratione valet, naturæ imperat, & dominatur: qui verò viribus & corpore, naturæ paret, & ſeruit.*

Ariſtoteles. Gloſſa. Chryſoſt. Ariſtot.

Vnde ea, quæ copore parua ſunt, virtute ſunt maiora, & ad bellum aptiora. Nam, auctore Seneca de Tranq. animæ cap. 6. *Habiliora ſunt corpora puſilla, quæ in arma ſua contrahi poſſunt, quā quæ perfunduntur, & vndique magnitudo ſua vulneribus obiicit,* Teſtis Virgilianus miles, 5.

Seneca. Virgil.

——— Bellis acer Halſeus
Tendit in aduerſum, ſéque in ſua colligit arma.

Sunt deinde Deo Opt. Max. magis ſimilia, vt enim D. ait Auguſtinus epiſt. 3. ad Voluſ. *Non mole, ſed virtute magnus eſt Deus.* Itémque maiorem ingenerant admirationem. Nam, vt idem D. Auguſtinus ait lib. 22. de ciuit. Dei cap. 24. de animalibus loquens, *Illa plus habent admirationis, quæ molis minimum: plus enim formicularum, & apicularum opera ſtupemus, quàm immenſa corpora balenarum.* Et Prou. 30. *Quatuor*, inquit Salomon, *ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus, formica nimirum, lepuſculus, locuſta, & ſtellio.* Accedit denique D. Cyrillus Alexãdrinus lib 3. in Geneſ. & lib. 9. aduersùs Iulianum; his enim in locis propterea ait in prima mundi ætate progenitos fuiſſe homines proceræ ſtaturæ, vt ea coporum vaſtitate, & vultuum deformitate vlciſceretur Deus nefaria hominum ſcelera.

Auguſt. Cyrill.

6. *Suadetur cauſa magnæ ſtaturæ.* Pro hominibus verò proceræ ſtaturæ maximè facit, vt interim reliqua argumenta miſſa fiant, com

Digitized by Google

commune deſiderium, quod omnes habent, vt corpora ſua, ſi poſſent, extenderent. Vnde Chriſtus Dominus Matth. 6. exemplum adhibere volens in re quapiam, quam omnes optarent, & de qua ſæpe cogitarent: *Quis*, inquit, *veſtrûm cogitans poteſt ad ſtaturam ſuam adiicere cubitum vnum?*

Chryſol.

Vbi D. Petrus Chryſologus ſermone 163. *Nam omnis homo, dum ſui corporis pulchritudinem concupiſcit, procerum ſe eſſe exoptat.* Deinde, quia Adamus humani generis caput, quem Deus Optimus Maximus, ſicut ætate florentem, ſapientia ornatum, virtutibus circumſeptum, virili pulchritudine decorum, ita magnitudine condidit omni ex parte perfectum, ſtaturæ erat giganteæ, vt ex illis verbis Ioſue 14. *Adam maximus ibi inter Enacim* (id eſt, gigantes) *ſicut eſt*; colligunt interpretes aliis multifariam renuentibus. Enimverò non mediocre dubium eſt, an Adam hoc loco ſumatur pro primo parente, an pro quouis alio homine; multi enim Patres exiſtimant primum genitorem Adamum in monte Caluariæ ſepultum fuiſſe: ad quos accedit Suarius tom. 2. incarnat. quæſt. 46. in comment. articuli 10. aſſertione 4. quem vide: conſule etiam Tertullianum lib. 2. contra Marc. cap. 4. ligatæ orat. Certè Chriſtus Dominus non breuem, ſed pro illius temporis conditione proceram habuit ſtaturam: hoc eſt, ſeptenorum illius temporis palmorum: vt ſcribit Nicephorus extremò cap. lib. 1. quæ ſtatura, vt annotauit Genebrardus in Pſalm. 44. ſatis procera eſt, cùm maxima non ſoleat excedere octonos palmos.

Suarius. Tertull. Niceph. Genebrard.

6\. Præterea breuis ſtatura ex mundi ſeneſcentis ſterilitate, procera verò ex vbertate florentis proficiſcitur. A prima enim ætate, vt ſcribit Plinius lib. 7. cap. 16. & luculenter oſtendit D. Auguſtinus lib. 15. de ciuitate Dei, à cap 9. cuncto mortalium generi, inquit Plinius, minorem in dies fieri ſtaturam propemodum obſeruatur, *raróſque patribus proceriores, conſumente vbertatem ſeminum exuſtione.* Cuius quidem rei domeſtica ſuppetunt teſtimonia: vix enim inter nos iam reperitur, qui veterum Luſitanorum arma geſtare poſſit, cùm & galeæ ſint capitibus multo maiores, & thoraces ad pedes defluant, enſes verò, & clauæ ferreæ vix vtraque manu moueri poſſint. Tanta corporum (& vtinam corporum tantùm) diminutio facta eſt. Quod argumentum eleganter pertractat D. Cyprianus ad Demetrianum, *Vbi minuatur*, inquit, *neceſſe eſt, quidquid fine iam proximo in occidua, & extrema diuergit: ſic Sol in occaſu ſuos radios minus claro ſplendore iaculatur: ſic declinante iam curſu exoletis cornibus luna tenuatur*, &c. Et ideo Horatius rectè, Odarum lib. 3. Ode 6.

Plinius. Auguſt. *Luſitanorum exempla.* Cypr. Horatius.

Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Iuuenal.

Et Iuuenalis Satyr. 15.

Nam genus hoc viuo iam decreſcebat,
Terra malos homines nunc educat, atque puſillos.

7\. Rurſus in ſacris literis ex proprietate linguæ Hebraicæ, quæcunque magna & excelſa ſunt, Dei eſſe dicuntur; ſic enim appellantur *montes Dei*, Pſalm. 36. hoc eſt, editiſſimi, *& cedri Dei*, Pſalm. 79. *& exercitus Dei*, 2. Paralipom. 2. hoc eſt, ingens, & robuſtiſſimus; vt nimirum hac magnifica appellatione magnarum rerum dignitas exprimatur, vt pote, quæ nullius alterius, quàm Dei eſſe poſſe videantur: ergo idem quoque in humanis corporibus dicendum eſt. Vnde Oleaſter Luſitanus per *filios Dei*, quos ſacræ literæ Geneſ. 6. commemorant vidiſſe *filias hominum*, &c. homines intelligit proceræ ſtaturæ, qui Hebraico idiotiſmo filij Dei nuncupantur, ſicut *montes Dei*. Facit etiam, quod Theodoretus q. 48. in Geneſ. ad diuinæ omnipotentiæ manifeſtationem refert, quod ingentia hominum corpora procrearit, *vt cognoſcant*, inquit, *Deum, tanquam omnipotentem Creatorem tantam hominibus menſuram tribuiſſe*; additque, quod maximè commendandum eſt, ideo non omnibus hominibus proceram ſtaturam dediſſe, vt ſuperbiam amputaret, & arrogantiam cohiberet; nam, *ſi exigui*, inquit, *corporibus præditi, non contra te modo, ſed contra Deum attolluntur, quid non commiſiſſent, ſi maxima corpora ſortiti eſſent?* Accedit etiam nomen, quo Gigantes apud Hebræos nuncupantur, dicuntur enim *Nephalim*, hoc eſt, lapſi, vel cadentes, quia nimirum, vt Caiet ait Geneſ. 6. è cælo dilapſi credebantur, vt magis diuini, quàm humani, vel vt aliqui Hebræi aſſerunt, quòd cor videntis illos præ ſtupore & admiratione caderet.

Oleaſt. Theodor. Caietanus

Adde, quod Ariſtoteles 4. Ethicorum 3. *Pulchritudo*, inquit, *in magnitudine corporis conſiſtit; parui enim vrbani quidem ſunt, ſed non pulchri.* Semiramis Regina in procera ſtatura pulchritudinem collocatam eſſe exiſtimauit, ſiquidem ſuam effigiem in lapide, cuius longitudo XVII. ſtadiorum eſſet, exculpi iuſſerit. Refert Verderius de imag. Deorum fol. 9. Iam verò Pallas ille Euandri Regis filius, cuius pulchritudinem in ipſa etiam acerba morte cum floribus pulcherrimis componit Mantuanus 11. Æneid. proceram habuit ſtaturam. Nam Clemente VII. Pontifice Maximo ſacrum vniuerſi orbis clauum moderante, inuentum eſt eius cadauer, & tantæ proceritatis, vt murorum vrbis Romæ pinnas erectum vertice pertingere poſſet. Nec obſtat, quod Poëta eius corpus exuſtum fuiſſe narret. Vide Maglum lib. 1. c. 4. 8.

Ariſtot. *Proceri homines pulchri.* *Semiramis ſtatua immanis.* Verderius. Virgil. *Pallantis cadauer.* Magius.

Hinc eſt, quod Act. 14. 11. proceram ſtaturam Barnabæ magni fecerint Ethnici homines. Vocabant enim *Barnabam Iouem, & Paulum Mercurium.* Cur ergo ſi Iupiter Diuûm Pater, atque hominum Rex ab ipſis credebatur, non appellant potiùs Paulum Apoſtolorum principem ſuum Iouem? D. Chryſoſtomus homil. 30. ſentire videtur rationem fuiſſe, quòd Barnabas præſtantioris, & elegantioris formæ fuerit. *Mihi quidem*, inquit, *videtur etiam ab aſpectu venerabilis fuiſſe Barnabas*, &c. quaſi Gentiles homines iudicarent, formæ præſtantiori, qualem Barnabas habebat, diuinitatem quoque præſtantiorem, qualem Iupiter habere putabant, deferendam. Quòd autem Paulus puſillæ fuerit ſtaturæ, tradit Nicephorus lib. 2. cap. 37. his verbis: *Paulus paruo fuit corpore, & contracto, & quaſi incuruo, atque paululum inflexo*, &c. Ipſe Paulus 2. Corinth. 10. 11. ingenuè fatetur, *Epiſtolæ, inquiunt, graues ſunt, & fortes, præſentia autem corporis infirma*, &c. Quaſi propter vnam exiguam corporis ſtaturā fuiſſet deſpectus. Procera ſtatura Sauli dedit imperium, 1. Regum cap. 10. quaſi hæc ſola eſſet digna forma imperio. Mantuanus ſuo in Turno hanc ſtaturam commendat Æneid. 7. 9.

Chryſoſt. Nicephor. Virgil.

Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus
Vertitur, arma tenens, & toto vertice ſupra eſt.

10\. Hanc formam laudat Apollin. Sidonius in ſuo Gothorum Rege Theodorico epiſt. 2. Hanc commendat in ſuo Anchiſe Matuanus iterum 8. Æneid.

Apollin.

Virgil.

——Sed cunctis altior ibat
Anchiſes.

Iul. Scal. Hanc ferè omnes Poëtæ in Heroibus ſuis decantant, vt notauit Iul. Scalig. lib. 1. Poët. omnes enim ab eis mira quadam corporum proceritate inducuntur, ſi vnum excipias Tydeum. Homerus. Hanc in Menelao agnoſcit Homerus lib. 3. Iliad. Claudian. Hanc in Agamemnone, & in Aiace. Hanc Claudianus in Germanis laudauit Paneg. 1. Stilic. Hammian. Hanc deſcribit Hammian. lib. 14. in Gallo Imperatore. Hanc denique ipſa etiam fœmina, ac Regina Didone Virgil. Virgilius extollit, Æneid. 1.

——gradienſque deas ſupereminet omnes.

Imitatæ ſunt reliquæ gentes Indos, & Æthiopas, qui proceritati corporis regna deferebant. Hanc etiam in tabellis ſuis deducunt pictores optimi, cùm elegantem corporis formam volunt Clem. Alex. exprimere. De Zenone Citico refert Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. cap. 11. Hanc denique cæleſtis ſponſa in ſuo amauit ſponſo, & laudauit. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ*, Cant. 7. ſeu, quia in eo excellebat procerus corporis habitus: ſeu quia pollebat ingenti pectoris conſtantia, virumque enim in procera ſtatura optimè copulatur. Laudo Annibales, Hercules, & Antæos. De Antæo autem illud mirabile apud Strabonem Strab. Plutarch. lib. 7. & Plutarchum in vita Sertorij. Sertorij enim iuſſu fuit eius ſepulchrum perfoſſum, demolitúmque, & in illo cadauer repertum ſexaginta cubitorum. *Obſtupuit Imperator, inſtaurato monumento, nomen eius, famámque adauxit*, Adde Pyrrhum Romanorum hoſtem, qui vt procerus erat, ita ad militiam proceros homines volebat: illud iactatur ab eo dictum delectori ſuo. *Grandes elige, ego fortes reddam.* Plinius. De Traiano Plinius Paneg. & cum eo loquens, *Tu ſola corporis proceritate elatior aliis, & excelſior, non de patientia noſtra quendam triumphum, ſed de ſuperbia Principum legiſti*. His, & aliis adde Alphonſum Henriquium primum Regem Luſitanorum.

11. *Proceri homines ingenioſi.* Neque verò corporis proceritas impedimento eſſe poteſt ingenij acumini, cùm hæc ex complexione cholerica proueniat, vt latè deducit Richard. Richard. quodlib. 2. quæſtione 18. vbi quæſtionem hanc ex inſtituto pertractat; complexio autem cholerica optima eſt ad capeſſendas diſciplinas, ſi diu operam literis nauare poſſet: breuitas autem corporis, vt plurimum ex melancholica, atque adeò terrea complexione exoritur, quæ ad ſcientiam per ſe non multùm iuuat, quamuis per accidens id præſtet, quatenus nimirum diutiùs in ſtudium incumbit: & confirmatur, quia prioris ætatis homines proceriora corpora habebant, & tamen miro ingenio artes omnes, diſciplináſque inuenerunt, præſertímque Mathematicas. Et ſi exemplis lis foret dirimenda, Ariſtoteles poſſim nominare, Ptolemæos, & mille alios apud veteres. Apud noſtros & ſanctitate, & doctrina præclaros homines, Gregorios Magnos, Baſilios, Auguſtinos, & alios.

12. *Media ſtatura cæteris præferenda.* Cæterùm mediocris ſtatura reliquis anteponenda. Hanc habuit Chriſtus Dominus, vt optimè tradit noſter Brunus in meditationibus beatæ Brunus. Virginis. Hanc ſortiti ſunt excellentes viri, quos ſiue bellica virtus, ſiue externa corporis, ſiue etiam interna animi pulchritudo commendauit. Hanc ſortitus fuit Alexander, Scipio, Cæſar, Pompeius, & alij tam inter Græcos, quàm inter *Luſitani media ſtatura præditi.* Latinos fortiſſimi Duces. Quibus accedunt ex noſtris Nonius Alures Pereira, Brigantinæ domus auctor, Luſitanæ gentis decus immortale, bellicæ virtutis ſingulare ornamentum, hoſtium noſtrorum fatale excidium. Magnus Albuquercius, Eduardus Paciecus, aliique quamplures, qui nobis opulentiſſimum Orientis imperium ſanguine ſuo pepererunt, quos omnes mediocri, ſeu media ſtatura præditos fuiſſe reperimus.

PROBLEMA III.

An ſcientia, & ingenium officiat, vel proficiat Principi ad Rempublicam adminiſtrandam.

ERit fortaſſe inter doctos, & ingenioſos auditores, qui ſtatim in limine quæſtionis mihi 13. ſuccenſeat, dum in quæſtionem voco rem luce meridiana clariorem; quis enim à litterarum ſtudiis ita amuſus, vt tam inſignem contumeliam doctis & ingenioſis audeat inferre, vt eos regno adminiſtrando inhabiles, vel minus aptos iudicet? Hunc tamen obſecro iras parumper ponat, dum oſtendo rem eſſe dubiam, doctorum iudicio ventilandam, & rationum examine trutinandam. Thucyd.

In primis Thucydides, veteranus auctor, & ingenij prærogatiua ſatis notus, lib. 3. expreſsè tenet hebetiores vtplurimum melius Rempublicam adminiſtrare, quàm acutiores. Licinius Imperator aliàs laudabilis, literis adeò infeſtus erat, vt virus ac peſtem publicam eas appellaret; tradit Aurelius Victor in vita Conſtantini Conſtantij. Et Aurel. Vict. *Littera nonnullis obfuerunt, & quibus.* quidem Iulianus poſtquam litteras didicit, vniuerſi orbis extitit peſtis execranda, atque adeò illi magis obfuit eruditio, quàm profuit, vt narrat Tiraquellus citandus. Tiraq. Plato. Diuinus item Plato *difficile*, ait, *eſſe reperire hominem ingenioſum ſimul, & manſuetum, atq; virilem.* imò addit, *& quidem nec fuiſſe vnquam exiſtimo, qui natura ſint ita inſtituit*: ſed ſine virili animo, & manſuetudine nemo aptus eſt, vt ad Reipublicæ clauum dignè valeat ſedere; ergo, &c. Hieronym. Præclarè enim aduertit D. Hieronymus epiſtola ad Theophilum, ideo Moyſem per 40. annos Rempublicam Hebræorum adminiſtraſſe, quia manſuetudinis prærogatiua cæteros anteibat; quòd verò Principis clementia, & manſuetudo cum litteris nequeat ſtare, inſinuatur ex illo Senecæ 1. de Clementia ad Neronem, qui Senec. Nero antequam litteras ſciret, erat pietatis ſpeculum; poſtquam autem eas didicit, nefarium extitit crudelitatis exemplar. Hinc illa eius vox, *Vtinam neſcirem litteras.* *Nero ſcire deles.*

14. Secundò confirmari poteſt eadem opinio ab exemplis; legite enim Lipſium in notis ad lib. 1. Lipſ. Polit. cap. 10. vbi refert Ludouicum XI. Galliæ *Galli Regis de litterarum ſtudiis ſententia.* Regem filium Carolum à litterarum ſtudiis omnino auocaſſe, ne eſſet (vt aiebat) in conſiliis capiendis refractior & tenacior ſui ſenſus. Ex quo conflari poteſt prima ratio pro hac parte. *Improbantur primò ad regimen litteræ.* Commune multorum placitum tutius plerumque eſt, ac certius, quàm vnius dumtaxat, licet ſapientis & ingenioſi, adeò vt iam iuerit in parœmiam, *errandum cum multis*, ſed Princeps literarum, & ingenij expers, vtpote in his parum verſatus, Doctorum fidit iudicio, non proprio; è contra verò ſapiens & ingenioſus proprio ingenio, & iudicio fidens, tenacior eſt ſui ſenſus, & aliorum iudicium in ſuam detorquet ſententiam, plus illi credens, quàm multitudini ſapientum: ergo hic regno

erit

erit infeſtus, & è contra litterarum ignarus proficuus. Accedit, quòd ſcientia admodum inflat, & ſi regiæ poteſtati adiungatur ſcientiarum ſuperbia, Deus immortalis, quis Regem poterit continere? Illuſtro hanc rationem illo Ezech. 28. *Tu Cherub extentus, & protegens*, loquitur de Lucifero, qui inter Seraphim numeratur. Cur ergo non dicitur Seraph? reſpondet Carthuſianus in cap. 10. cœleſt. Hier. art. 5. *Vt inſinuetur, quid fuerit ei incitamentum ambitionis, & lapſus, quod fuit excellentia ſua ſcientia; non diuini amoris, ſcientia enim inflat*, &c. Adiunge Henriquum VIII. Britanniæ Regem, qui ſcientia inflatus, & maiorem, quàm par erat, de ſe opinionem concipiens, in grauiſſimos errores incidit, & veram amiſit ſapientiam.

Carthuſ. *Scientia inflat.*

15. Procop.

Idem præterea confirmo ex Procopio lib. 1. de bell. Got. vbi refert hos populos nimium indignatos ſuum Regem Athalaricum à tutela matris, quæ illum in ſtudiis educabat, abduxiſſe: dicebant enim iſta omnia litteraria longè à robore, & armis abeſſe, imò effœminari his animum, & ad timorem traduci. Ex quo aliud deſumo argumentum. Reipublicæ adminiſtrator nil prius habere debet, quàm virile robur, & bellorum peritiam & experimentum, illúdq; populis ſuo exemplo inſtillare; ſed ingenioſi, doctíque homines, neruóſque ſuos omnes ad litterarum ſtudia conferentes quodammodo bello exauthorati, arma deteſtantur, non Martis bellicos tumultus, ſed Palladis ingenioſos congreſſus profitentur. Vt Alphonſus Hiſpaniæ Rex, qui totus literis deditus, regni curam non habebat; ergo huiuſmodi Princeps ſua ſapientia & ingenio, regno potius officiet, quàm proficiat. Præterea ſcientia cauſa eſt timoris, vnde ille alius dicebat, *militem generoſum ſcire nec debere locum pulmonis, vel hepatis, ne inter præliandum declinandis ictibus ab his partibus totus incumberet.*

Improbantur ſecundò in Rege literæ.

Hiſpanus Rex litterarum auidiſſimus.

Imbellē educant litteræ.

16. *Improbantur in Regibus ingenij acumen.*

Tertiò ſpeciatim argumentor contra ingenioſos; hi enim regno inhabiles videntur. Primò, quia velocia ingenia plerunque varia, & inquieta ſemper nouant, & mouent aliquid, & ne quieta quidem eſſe ſinunt. Secundò, quòd in multiplici mediorum inuentione, & rationum copia plerunque natant, & ægrè expediunt aliquid, cui inſiſtant; ergo ingenioſi libris, non regno incumbant. Vltimò idem confirmari poteſt ex Chriſti Eccleſia, quam tradit moderandam non ſapientibus & prudentibus huius ſæculi, elegit enim *ſtulta mundi*. Item ad ſummum ſacerdotij faſtigium non Ioannem ingenij acumine aquilam inter omnes, vt tenet D. Thom. Ioan. vltimo, ſed Petrum plus animo quàm ingenio clarum, ſimplicitate potius, quàm ſcientia notum, & ideo dictum *filium Ionæ*, id eſt, columbæ; & ex dictis patet rem non eſſe omnino extra controuerſiam. Detumeſce igitur mi homo, quiſquis erras à tua bile, & depone pauliſper iratum minas.

Chriſtus D. litterarum ignaris tradidit Eccleſiam moderandam. D Thom.

17. *Sapientia & Regi, & regno prodeſt.*

Verùm non ſum ita hebes, & à ſapientum choro alienus, non obtuſa adeò geſtamus pectora, vt pro ingenioſis & doctis potiùs non decertem. Dico ergo, regno non officere, imò multum proficere, Principem ingenio, & ſcientiarum ſupellectili inſtructum. Pro hac potior auctoritas, & rationum momenta pugnant, & in primis Plato multis in locis Reges & Principes ſapientes nimium præfert ſcientiarum expertibus; nam, vt refert Marſilius Ficinus in eius vita, ſolitus erat dicere, *Principi non aliter neceſſariam eſſe ſapientiam, quam corpori animam.* Idem lib. 6. de Rep. optimum delineans Principem, ait, *debere eſſe amatorem ciuitatis, non agreſtem voluptatibus, doloribuſq; probatum, & optimum præterea Philoſophum.* Qua in re Philone dicente lib. quòd deterior potiori inſidietur, *Rex ad populum ita ſe debet habere, vt lux ad tenebras, vt ſapiens ignoranti, vt Deus creatura.* Seneca 1. de Clem. Solem dicit quemcunq; Regem, ſiue Imperatorem, qui lucis doctrina prælucere debet populis. Tamen hoc ſenſu accipio Plutarchum in commentario, quòd in Principe requiratur doctrina, vbi aſſerit, *Deum duo ſui pulcherrima ſimulachra feciſſe, in cœlo Solem, in terris Regem*; quaſi verò Rex increatæ ſapientiæ vera effigies haberetur in terris. Et ſanè nihil maius in humano regimine, quàm hominem regere; nihil ſapientius poterit excogitari, ſi credimus Nazianz. in oratione prima Apolog. *Nam profectò*, inquit, *ars quadam artium, & ſcientiarum mihi eſſe videtur hominem regere animal maximè varium & multiplex*; &c. Si ergo Rex fuerit litterarum ignarus, quomodo poterit ſuum obire munus? Non valebit profectò hanc humanam belluam cicurare, *Qui ergo* (concludit paulo infrà Nazianzenus) *huiuſmodi belluæ curam ſuſceperit, eum varia omnino, & multiplici ſcientia ornatum eſſe oporteat.* Conſulite præterea D. Hieronymum in lib. Eccleſiaſtes, vbi comparat ſapientem ligno vitæ, quod in medio paradiſi plantatur. *Inter frugiferas*, inquit, *arbores exiſtimo tenere primatum lignum vitæ, quod eſt ſapientia; niſi enim hæc inter cætera plantetur ligna, cætera ſiccabuntur, id eſt, niſi ſapiens primatum inter cæteros obtineat, omnes delirabunt.*

Plato. Marſil. *Tantum indigent Reges ſapiētia, quantum anima corpus.*

Philo. *Qualē decent Regem inter ſuos exiſtere.* Senec.

Plutarch. *Rex Deo ſimilis in ſcientia.*

Nazianz.

Hieronym. *Rex ſapiens, lignum vitæ.*

Quòd ſi exemplis res ſit dirimenda, iam lis eſſet adiudicata; legite Tiraquellum de nobilitate cap. 5. n. 11. Vbi numerat 38. Imperatores & Reges, qui vt ſcientiarum peritia cæteris præſtitère, ſic regendi & gubernandi prærogatiua. Addit deinde idem auctor, *Si eruditio aliquibus vnquam obfuit, non ſcientia, & ingenij, ſed hominis vitium eſt bono abutentis.* Sed his prætermiſſis ad rationes accedo, è quibus primam deduco ex natura cum D. Thoma lib. 2. de regimin. Princip. cap. 2. Nam humano in corpore caput, quod inter cætera membra obtinet principatum, illorúmque procurat commoda, præ cæteris abundat ſenſibus, imò omnes ſenſus habet, cùm alia vno contenta ſint: ergo in corpore myſtico, quale eſt Reſpublica, Princeps Reipublicæ caput, cæteris ſi fieri poſſet, ingenio & ſapientia præſtare debet, vt cæteris inuigilet. 18. Tiraquel.

Neceſſarium Regibus eſt ſcientia. D. Thom.

Secundò officium Principis eſt condere leges iuſtas & honeſtas, prouidere bona, & repellere mala occurrentia: ſed ad hæc præſtanda neceſſaria eſt ſcientia, & ingenij acies perſpicua; ergo hæc non nocet, imò multum proficua eſt. Minor oſtenditur, quia lex verſatur circa bonum commune ſubditorum, obuians particularibus commodis: hoc autem nequit cognoſci, niſi à ſapiente multarum rerum habente notitiam: ergo, &c. Dices has leges commodius condi per Conſiliarios, qui deliberant, & Rex authoritatem confert. Difficultatem non euitas, quia Rex qui ſcientiam non habet, nec ſcit, quæ approbanda ſunt, poteſt nonnunquam ab ipſis falli Conſiliariis. Dices, ſatis erit fidere in Conſiliariis ſapientibus. Verùm hoc eſt regere in fide, ſeu regi potius, quàm Regem ſe præſtare. 19. *Idem ſecundò oſtenditur.*

Tertiò ad pacem tectámque imperij adminiſtrationem opus eſt, vt Reipublicæ magiſtratus, miniſtríque populi Reges reuereantur, timeant- 20. *Hoc ipſum tertiò demonſtratur.*

 que

que ſuos dolos,& iniquas ſententias pateſieri. & hinc eſt,quod Ioſeph Geneſ. 44. volens fratribus timorem incutere, dicebat: *An ignoratis, quòd non ſit mei ſimilis in augurandi ſcientia?* ſeu,vt ex Hebræo vertitur; *an ignoratis quòd diuinandò diuinat Rex,ſicut ego? Ac ſi diceret*, inquit Caietan.

Caietan. *Regis eſt etiã diuinare.*

an ignoratis Principem, cuius ego perſonam gero, omnia ſcire,omnia diuinare? etiam occulta illi ſunt obuia, ſed Rex ingenij & ſcientiæ expers ab omnibus deſpicitur, vtpote inuentus minus habens, è contra ſapiens & ingenioſus omnibus eſt formidini,atque timori;ergo,&c.Minorem oſtendo ab authoritate. nam electurus Dominus Conſiliarios & Principes, qui cum Moyſe Rempublicam Hebræorum adminiſtrarent, ex omnibus ſeptuaginta viros ſapiẽtes & magiſtros elegit,cur ita:nónne ſpiritu diuino,ſicuti Moyſes,nõ humano regere, & iudicare debeant? *Ita ſanè*,inquit

Abul. *Seniores ad regimẽ Deus elegit.*

Abul.n.11.q.35.*ſed nõ propter Principẽ,ſed propter populum ſapientes ad regimen elegit; quia ſi viderent illos antea indoctos & rudes,ſcandalizarentur, illóſque contemptui haberent, nec eis vlla præſtaretur authoritas:Deus autem volebat non ſolùm facere bonum,ſed quod bonum apparet.*

21. *Id quartò concluditur.*

Quartò Rex ad clauum regni ſedens habet ſe vt nauclerus ad clauum nauigij; ergo oportet ad optimam adminiſtrationem quòd ſit ſapiens. Antecedens probat Plutarchus in Moralibus. Plato in dialogo 8. de republica, ſeu de iuſto principe. Philo Iudæus lib. de Ioſeph. Qui omnes feſtiua & elegante ſimilitudine regium munus cum naucleri munere componunt, & quemadmodum ad naucleri munus perfectè obeundum magna peritia requiritur,ne in vadoſa loca,& infames ſcopulos nauis allidatur,ſeu fœdis tempeſtatib. ſubmergatur; ita ne Reſpublica pereat, ſeu miſerandum ſubeat naufragium, opus eſt, vt Rex optimarum ſcientiarum diſciplinis ſit inſtructus.Cõfirmo hanc rationem alia ſimilitudine, quam affert de medico citatus Plato. Quid ſi medicus non expertus, non peritus, non doctus fuerit? quæ mortis diſcrimina non ſubibit ægrotus? Ita ſe res habet in Rege, peribit hoc corpus Reipublicæ,ſi medicinam tempeſtiuo tempore adhibere neſciuerit,graſſabitur peſtilens venenum, & ſi neſciat cohibere, reſcindentur membra omnia,& tandem,æſtuante ſole, atque furente morborum flamma,lucis vſura extinguetur.

Plutarc. Plato. Philo. *Rex cũ nauclero confertur.* *Rex cum medico cõfertur.*

22. Xenoph.

Itaque optimus Princeps(Socrate authore apud Xenoph.lib.3.de dictis, & factis Socratis)*erit ille,qui bona & honeſta ſciat,vt eis vtatur, ac turpia cognoſcat,vt ab eis abſtineat: is enim moderatus,& ſapiens eſt*,&c. Talis Salomon, qui ad optimum regni ſui regimen vnam ſapientiam poſtulauit,& ideo Deo Maximo acceptus, à quo meruit audire illa verba 3.Reg.3. *Quia poſtulaſti verbum hoc,& non petiſti tibi dies multos,nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam, ad diſcernendum iudicium; ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos,& dedi tibi cor ſapiens,& intelligens; in tantum,vt nullus antè ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus eſt*,&c. Nullum quidem maius donum poterat à cœleſti Numine Salomoni cõferri, vt regni habenas laudatiſſimus moderaretur. Sapientia enim eſt regni ſtabile fundamentum. Vnde Sapient.cap.6. illa eſt Regibus admonitio haud iniucunda, *ſi delectamini ſedibus & ſceptris, ô Reges populi,diligite ſapientiam,vt in perpetuum regnetis*, &c. Imò ſine ſapientia nullus verè Rex, ſi Horatio credimus lib.1.epiſt.1. ad Mecæn. vbi concludit:

Ad ſummam ſapiens vno minor eſt Ioue; diues, Horat.
Liber,honoratus,pulcher,Rex denique Regum.

Sapientia enim, teſtante Platone Dialog.5. de Plato.
Rep.reddit Reges diſertos ad res præſentes moderandas,prudentes ad futuras prouidendas, fortes ad bellicas pertractandas,ac tandem gratos ad pacis munus conſeruandum. Vna eſt ſapientia, quæ Reges in ſua dignitate conſtituit; non eis igitur officit ad Rempublicam moderandam, ſed maximè prodeſt.

PROBLEMA IV.

Vtrùm perfectius ſit amicos diligere, an inimicos.

ILlam igitur cum Magiſtro in 3. d. 30. excito 23. Mag.
controuerſiam,auditu non iniucundam, difficilem explicatu,vtrùm perfectius ſit amicos diligere,an inimicos? Pro dilectione inimicorũ acriter pugnant Patres,D.Auguſtinus,D.Ambroſius, D.Baſil.D.Chryſoſtomus, D.Gregorius, D.Bernardus,& cæteri omnes,ad concionandum,quàm ad argumentandum promptiores. Illud tamen D.Chryſoſtomi delibo in priori hom. de cruce, & latrone,ad finem tomi 3.& ad finem etiam homiliæ, *Melius*, inquit,*eſt pro inimicis, quàm pro amicis orare. Nec enim tantum nobis præſtat pro amicis ratio,quantum pro inimicis deprecatio.* Neq; deſunt è caſtris Theologorum fautrices turmæ, D.Thom.Alexãd.de Hales, Altiſiodor.Alb.Mag. Dur. Bonau. Argent. quibus accedunt Abul. q. 350.Card.Tolet. in Luc. annot. 49. §. 4. conſid. Imò & Magiſter, qui ita loquitur ambiguè,vt in quam quiſque partem trahere velit, non inuitus ſequi videatur; non parum mihi videtur in hanc partem inclinare. Pro qua duplicem conficio rationem,vnam natam in ſcholis,alteram, niſi fallor,profuturam in ſuggeſtis.

Auguſt. Ambr. Baſil. Chryſoſt. Greg. Bernard. *Pro inimicis orare, præſtãtius eſt,quàm pro amicis.* D Thom. Alexan. de Hales. Altiſiod. Albert.Mag. Durand. Bonaent. Argentin. Abul. Tolet. Magiſt.

Pro ſcholis argumentor in hunc modum. Ille 24. *Theologicè probatur.*
actus charitatis eſt perfectior qui eſt propriusperfectioris legis,vt etiam è rebus naturalibus poteſt confirmari;nam propria paſſio nobilioris ſpeciei, ſemper eſt nobilior, quàm propria ſpeciei deterioris,alioqui nõ poſſemus ex nobilitate proprietatum colligere nobilitatem ſpecierum, quod eſt contra vulgarem Philoſophiam:ſed actus diligẽdi inimicos,eſt proprius nobilioris legis;ergo eſt perfectior.Probo minorem.Nam lex noua nobilior eſt,quàm vetus: quia lex vetus mortificat,noua viuificat,1.Cor.2.illa grauat, hæc leuat, Act. 15.illa cœlum claudit,hæc pandit, ad Hebr.9.illa vmbra eſt, hæc veritas, Ioan. 18.illa iram Dei operatur,hæc virtutem, ad Rom.1.& 4.illa temporaria eſt,hæc æterna, ad Epheſ.2. illa vni populo data eſt,hæc toti mundo,Iſai.11. illa ſeruorum eſt,hæc filiorum,ad Gal.4.illa denique continet Moyſem,hæc autem Chriſtum,ad Hebr.1.& 2. Itaq; nobilior eſt lex noua, quam antiqua:ſed actus diligendi inimicos eſt proprius legis nouæ, alienus ab antiqua.Probo.Nam in primis ita docent Irenæus lib.4.c.27.Tertull. lib. de patientia, Clem. Alex. lib.6. ſtrom. Hilar. in Matth.can.4. Epiphanius aduersùs hæreſes,hæreſ.33.Baſil homil.in Pſal.14. Chryſoſt.hom. 16. in Matth.Auctor imperfecti hom.11.Ambroſ.ſerm.5. in Pſal. 118.Hieron.in epiſt. ad Geruntiam de monogamia,Chromatius, Euthym. Theophyl. & plures alij

Iren. Tertul. Clem Alex. Hilar. Epiph. Baſil. Chryſoſt. Ambr. Hier. Chromat. Euth. Theoph.

alij. Quis hoc negare audeat, tanta preſſus mole ſanctorum patrum?

25. *Duplex inimicorũ genus.*

Sed rem vlteriùs confirmo, duplicem in lege veteri diſtinguendo inimicum, ciuilem, & legalem; ciuilem, nempe eiuſdem reipublicæ alumnum, & diuinæ legis cultorem: legalem, nempe ab eadem republica peregrinum, ac diuinæ legis exortem: vtrumque fas erat, vel interno odio, vel externo inſectari. Nam in ciuilem quidem inimicum, quamuis non licebat internum odium exercere, vt patet Exod. 23. Leuit. 19. Eccleſiaſtici 28. vbi tales inimici iubentur amari interno actu, & externis aliquando beneficiis foueri; nihilominus aliqua odij ſigna in eos permittebantur, vt patet ex illa lege Talionis Exod. 21. Leuit. 24. Deuteronom. 19. *Oculum pro oculo, dentem pro dente, fracturam pro fractura, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore*; adeò, vt ſi quis alium interficeret, conſanguineus occiſi poſſet impunè in vtroque foro tam externo, quàm interno homicidam interimere, & mortem morte compenſare. Iam verò in legalem inimicum non ſolùm externi affectus odij præcipiebantur, vt patet Eccleſiaſtici 50. 1. Regum 15. Exod. 23. & 24. Deuteronom. 7. & 23. & 25. *Delebis*, inquit Deus, ac præcipit, *Delebis nomen eius ſub cœlo, caue ne obliuiſcaris*; non ſolùm inquam, externi affectus odij præcipiebantur: ſed etiam internum odium permittebatur, vt D. Auguſtinus, D. Gregorius D. Hilarius, Origen. & plures alij teſtantur; nam ſicut illi populo in lege veteri vſura cum extraneis, vindicta, polygamia, diuortium, ac ſimilia permiſſa ſunt; ita mirum non eſt, ſi internum quoq; odium in legales inimicos permitteretur: vt noſter egregiè Salmeronius ex iiſdẽ Patribus expreſſit; ergo tantum abeſt, vt amor inimicorum eſſet proprius legis veteris, vt ab ea penitus exularet, & capitale in eos odium lex illa exerceret. At verò in lege noua, in lege gratiæ, *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, orate pro perſequentibus & calumniãtibus vos.* ore, corde, & opere, diligi, foueri, iuuarique præcipiuntur. Vnde cùm Apoſtoli Luc. 9. in Samaritanos excandeſcerent, ignémque de cœlo precarentur voraturum immites homines, qui Chriſto Domino hoſpitium denegarent, & loco ac foco interdicerent: increpauit eos Dominus, *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis*, hoc eſt, Neſcitis vos iam non ſpectare ad vetus Teſtamentum, cuius hæc erat propria vindicta, & hoc odium: ſed ad nouum, in quo ſunt, vel tenuiſſima odij veſtigia abolenda, & plena charitatis præcordia in ipſos quoque inimicos manifeſtanda.

August. Greg. Hilar. Orig. Salmer.

26. *Probatur rurſus.*

Addo aliam rationẽ. Ille actus charitatis eſt perfectior, qui nos Deo ſimiliores reddit; cùm enim ſit menſura totius perfectionis, ille actus, qui nos Deo ſimiliores reddit, reddit etiam perfectiores, ac proinde, & ipſe eſt perfectior, cùm nobilior effectus formalis nõ niſi à nobiliori forma oriatur: ſed actus diligendi inimicos reddit nos ſimiliores Deo, quàm actus diligendi amicos, in hoc enim conuenimus cum cæteris hominibus, tam probis, quàm improbis; omnes enim amicos diligunt. Matth. 5. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nam & publicani, & Ethnici hoc faciunt.* Neque ſolùm cum hominibus, ſed etiam cum brutis; nam & his ſuus in ſuos amor inſeritur à natura. *Amicos*, inquit Auguſtinus, *& benefactores quis non amet*? Amat latro, amat draco: amant lupi, amant vrſi. At verò per actum diligendi inimicos, à cæteris tam brutis, quàm hominibus recedimus, ſoli Deo propinquamus. *Diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij patris veſtri*; ac ſi nullo alio amoris actu tam expreſſa diuinæ perfectionis ſimilitudo à nobis hauriatur. Solius enim Dei bonitas ad ipſos quoque amplectendos effunditur inimicos. Bene exclamat Propheta, *Deus quis ſimilis ſit tibi*? Auguſtinus reſpondet, *Qui bene vult inimico ſuo, Deo ſimilis eſt, nec iſta ſuperbia, ſed obedientia eſt*, &c. Similem ſolus oſtendit Filius. *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Optimè Bernard. ſermone de paſſ. feria 4. *Tu maiorem Chriſte Domine ponens eam etiã pro inimicis; quænam alia videtur eſſe, vel fuiſſe, vel fore huic ſimilis charitati?* &c. Rectè quidem Eccleſiaſtici 18. *Miſeratio hominis circa proximum ſuum, miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem.* Quaſi dicat, amor hominis limitatur ad vnum circa proximum ſuum, ſingulariter loquitur: imò ad vnum, non quemlibet, ſed proximum, amicum, affinem, conſanguineum: at diuina charitas non ad probos tantùm, ſed ad improbos; non ad filios, ſed ad hoſtes; non ad paucos, ſed ad omnes liberaliter excurrit, ſuper omnem carnem.

August.

David fuſis, ac debellatis hoſtibus, in regale ſolium euehitur Palæſtinæ. Quid primùm in eo culmine honoris conſtitutus meditatur? Non quidem ſibi conſulit, ſed ſuis: & ex ſuis, non amicos proſequitur, ſed inimicos. *Nunquid*, ait, *ſupereſt aliquis de domo Saul*? Quorſum Rex optime, Saulis reliquias inquiris? quorſum expoſcis? An vt ſæuias? an vt mactes? an vt omnes, ſi qui ſuperant, de familia Saulis, face, ferróque ſequare colonos? Adſit, inquit Rex & Vates; ſed *vt faciam*, inquit, *cum eo miſericordiam Dei.* hoc eſt, vt parcam, vt amicè tractem, vt beneuolè excipiam, vt miſericordiam in illum exerceam, non humanam, ſed diuinam. *Miſericordiam Dei.* Neque enim illa, quæ in hoſtes miſeratio impenditur, alia eſſe poteſt, quàm diuina, vti egregiè docuit Cyprianus. Ioſephum conſtituit Deus patrem Pharaonis, Geneſ. 45. Moyſem verò alterius Pharaonis conſtituit Deum, Exod. 7. Quorſum illum patrem, & hunc Deum? Nónne voluit Deus, vt vterque Pharaonem diligeret, vterque Pharaoni benefaceret, vterque Pharaoni blandiretur? Planè ita eſt. Sed Pharao erga Ioſephum futurus erat gratus, beneuolus, & amicus: vt igitur Ioſephus hominem ſibi gratum, beneuolum, & amicum redamaret, ſatis erat intra naturæ limites conſtitui, & in ſolo gradu parentis erga filium collocari. At verò alter Pharao erga Moyſem futurus erat ingratus, difficilis, inimicus: vt igitur Moyſes beneficus euaderet in ingratum, facilis in difficilem, amicus in inimicum; ſatis planè non erat parentis locum obtinere: nam & parentes filiis ſibi inimicis inimicantur; opus erat, vt Pharaonis Deus efficeretur: ſola enim diuina charitas eò pertingit, vt etiam inimicos amplectatur. Mitto plura pro hac parte. 27. *Dauidis in hoſtes miſericordia.* *Impenſa hoſtibus miſeratio diuina.* Cypr.

Pro alia verò parte faciunt & Scripturæ veritas & Patrum auctoritas, necnon etiam Theologorum ſententiæ, & rationum momenta. Ex his tamen omnibus ſolùm affero Theologorum ſuppetias, qui, cæteris paribus, dilectionem amici præferunt dilectioni inimici. Ita videtur ſentire etiam D. Thom. 2. 2. quæſt. 27. art. 7. vbi Aragon, Bannes, Valent. diſput. 3. quæſt. 5. punct. 3. Caietan. art. 2. inclinat Magiſt. in 3. diſtinct. 30. Richard. ibid. art. 1. quæſt. 3. Paludan. quæſt. 2. Capreol. diſtinct. 27. quæſt. vnica, art. 1. concl. 8. 28. *Amicos diligere perfectius, quàm inimicos.* D. Thom. Aragon. Bannes. Valent. Caiet. Magiſt. Richard. Palud. Capreol.

&

Almain. Viguer.

& art. 3. Almain. quæſt. vnic. Viguer. in Inſtitut. cap. 11. §. 1. & communiter iuniores Theologi. Deinde rationibus hanc partem confirmo. Præmitto tamen nos procedere & ſecundùm perfectionem ſubſtantialem horum actuum, & ſecundùm rationem meriti ipſorum, quia cùm meritũ non ſolũ eſt ab obiecto, ſed ab aliis circũſtantiis, conditionibúſque deſumatur, bene fieri poteſt, vt actus ſit in ſubſtantia melior, in merito tamen inferior euadat. His ergo præmiſſis, Dico primò:

Prima ratio.

Dilectio amici ſimpliciter excedit in perfectione ſubſtantiali dilectionem inimici. Probo primò, quia perfectio ſubſtantialis actus deſumitur ab obiecto, quo enim illud eſt præſtantius, eo actus in ſua ſubſtantia perfectior euadit, ſed melius ac præſtãtius eſt obiectum amicus, quàm inimicus, eſt enim amicus Deo per bonitatem, & nobis per amicitiam, & beneficia, quæ in nos confert, coniunctior: ergo, &c. Deinde inimicus per bonitatem moralem, quam in ſe actualiter habeat, non eſt Deo, nec nobis gratus; ſed ſolùm in potentia, quatenus conuerti poteſt ex inimico Dei & noſtri: at verò amicus actu eſt bonus, & gratus Deo; ergo præſtantiorem dilectionem terminat.

Secūda ratio à poſteriori.

Secundò & à poſteriori ſic probo. Odium amici eſt peccatum ex genere ſuo grauius, quàm inimici: ergo viceuerſa dilectio amici in perfectione excedit dilectionem inimici. De antecedente nullum eſt certamen inter Theologos: conſequentia colligitur rectè, quia odium amici ideo eſt peccatum ex ſuo genere grauius, quia priuat ſubiectum melioti virtute, ſeu actu: ergo, &c. His rationum telis debellatus das manus quoad hanc partem, de perfectione ſubſtantiali; ſed dubitas de merito, quia cùm hoc non ſolùm ab obiecto, ſed ab aliis circumſtantiis, ac conditionibus deſumatur, optimè poteſt fieri vt actus ſit in ſubſtantia melior, ac præſtantior: at verò in merito longè euadat inferior. omnem de hac re tibi auellam religionem, nec dubitandi locus manebit vllus.

29\. *Dilectio amici eſt magis meritoria.*

Dico ſecundò: Dilectio, cæteris paribus, non ſolùm eſt perfectior, ſed magis meritoria. Dixi, *cæteris paribus*, quia alioqui nihil certum colligitur niſi omnes conditiones concurrant æquales ad comparationem vtriuſque actus; quod apertè demonſtro diſcurrendo per circunſtantias concurrentes ad talem æqualitatem.

Probatur primò ex parte obiecti.

Probo primò ex obiecto. Potior ratio meriti deſumitur ex obiecto, ſed ex parte obiecti longè excedit amici dilectio: ergo, &c. Probo minorem, quia amicus habet in ſe maiorem bonitatem & coniunctionem nobiſcum, quæ ſunt rationes diligendi eum: ergo, &c.

Obiectio.

Dices, etiam dilectio inimici ex parte obiecti eſt præſtantior, quàm dilectio amici, nam ex obiecto eſt difficilior; ergo magis meritoria.

Solutio.

Reſpondeo, difficultatem non efficere actum in entitatem præſtantiorem, cùm difficultas non ſit bonum, ſed potiùs malum, ſed ex eo efficere actum magis meritorium, quia in cauſa eſt, vt actus fiat cum maiori intenſione à potentia; ſi ergo ex ſuppoſitione vtraque dilectio ſit æqualiter intenſa, difficultas maior, quæ datur ex parte inimici, non confert ad meritum illius dilectionis.

Inſtantia.

Inſtabis, quia vbi maior eſt difficultas, & reſiſtentia, maior ibi conatus eſt adhibendus ad eam vincendam; hic autem conatus aliquid amplius eſt, quam intenſio actus: nam vt actus, qui ſit in ſubiecto habente contrarium, æquè intenſus euadat, ac alter, qui illud non habet, maiorem conatum debet potentia adhibere ad expellendum contrarium, & introducendum propriũ actum; ergo ſtante æquali intenſione maius euadet meritum actus difficilioris ex maiori illo conatu.

Solutio.

Reſpondeo maiorem hunc conatum dupliciter ſumi poſſe, primò & magis propriè in actu; ſecundò, vt ſi actu dilectionis amici & inimici ſint eiuſdem intenſionis, & voluntas nihilominus magis conetur, hoc eſt, eliciat actionem magis intenſam circa inimicum; ſed hic modus eſt omnino falſus, & imaginarius, quia intenſiori actui ſemper reſpondet terminus magis intenſus: ſi ergo terminus ſupponitur non magis intendi, actio intenſior non euadit.

Duplex acceptio maioris conatus.

Secundo modo poteſt conſiderari hîc maior conatus, ſeu efficacia dilectionis inimici in actu primo, ſeu ex parte potentiæ, & habitus, & in hoc ſenſu verũ eſt cõmuniter, quando obiectum eſt difficilius, aut aliqua ratione minus appetibile, moraliter eſſe neceſſariam maiorem virtutem ad operandũ æqualiter circa tale obiectum, ſicut in naturalibus agentibus ad agendum æqualiter in re & in modo circa paſſum magis reſiſtens, maior virtus in agente poſtulatur, inde tamen non fit, actionem, vel effectum eſſe meliorem, per ſe loquendo, cum ſupponamus eſſe æqualem in intenſione: neque etiam fit eſſe magis meritorium, quia plerumque meritum non attenditur penes virtutem in actu primo, ſed penes actionem ab illa procedentem.

Probatur ſecundò. 30.

Secundò probo ab inconuenienti. Si dilectio inimicorum eſſet maioris meriti, quàm dilectio amicorum, excederet etiam dilectionem parentum, & dilectionem ſui ipſius; ſed hoc eſt apertè falſum; ergo, &c. Sequela bene videtur inferri, quia dilectio parentum, & dilectio ſui ipſius ſunt eiuſdem rationis cum dilectione amicorum. Minor tam ſacris literis, quàm rationibus poterat demonſtrari. Omnia tamen miſſa facio, cùm liquidò conſtent apud Theologos, præſertim iuniores, qui hanc quæſtionem ex profeſſo tractant. Ex his autem benè colligitur, cæteris paribus, perfectiorem eſſe dilectionem amici, quàm inimici.

PROBLEMA V.

Vtrùm ſenes plus quàm iuuenes mortem reformident.

Senes potius, quàm iuuenes percellit mortis timor. 31.

HAnc quæſtionem vobis in priuatis colloquiis diſputandam relinquo. Sed ne inter ſenes ac iuuenes maior contentio oriatur, quàm illorum cani, & horum anni patiuntur: præibo, ſi annuitis, ſequeſter. Quòd ſenes mortem magis reformident, probatur tam ex parte ſubiecti, quàm ex parte obiecti. Ex parte quidem ſubiecti, quia ſenes, ſicuti ſunt frigidiores, ita & timidiores. Ex parte obiecti, quia malum, quò eſt propius & vicinius, eò magis formidatur: præſentia enim magis mouent. Vnde Chriſtus Dominus quamuis toto vitæ tempore claram de ſua morte cognitionem habuerit: tamen cùm eam ſibi viciniorem ſenſit, tunc cœpit tædere, & cauere, & in guttas ſanguinis liquefieri: atqui mors ſecundùm naturalem ordinem eſt vicinior ſenibus, quàm iuuenibus; ergo ſenes magis illam, quàm iuuenes reformidant.

Suar. tom. 2. de incarnat. d. 33. ſect. 2. § 3.

Confirmatur hoc fundamentum exemplo Moyſis, octogenarius enim cùm iam eſſet, timuit ad Pharaonem ire, ideo ponere calcare

calceamenta iubetur, vt D. Ambroſius exponit. Abraham ſeptuagenarius adeò mortem timuit, vt perſuaderet Saræ ne vxorem, ſed ſororem eſſe Ægyptiis declararet, Geneſ. 12. Similiter Iacob Gen, 32. timuit valdè fratrem ſuum Eſaü, immemor præ metu diuinarum prædictionum, quas habuerat. Infinita alia quæ ad hanc partem illuſtrandam occurrebant, non ingrata quidem auditu, niſi fallor, omnia prætermitto.

32. Quòd tamen iuuenes mortem magis exhorreſcant, ſuadetur eodem modo. Ex parte quidem ſubiecti, quia iuuenes ſicuti ſunt calidioris, ita feſtiuioris, hilarioriſque naturæ, quàm ſenes. Vnde *iuuentus* in ſacris literis Pſalm. 42. & paſſim alibi, idem eſt, quod exultatio; ergo multò magis eam triſtitiam, quam mors ſecum affert, auerſantur. Ex parte verò obiecti, quia malum impendens quo eſt maius, eo magis formidatur; ſicut bonum impendens, quo eſt maius, eo magis deſideratur: ſed mors reſpectu iuuenum eſt maius malum, quàm à ſenibus formidatur. Minor, quæ ſola probatione indiget, probatur. quia mors reſpectu iuuenum eſt priuatio maioris boni, nempe iucundioris vitæ, hilarioris ætatis, grandioris ſpei; ergo eſt maius malum. Nam maius malum eſt, quod priuat maiori bono. Plura de hac re, quæ multa eſſe poterant, relinquo iis, qui otioſius, quàm nos philoſophantur.

PROBLEMA VI.

Vtrùm nouæ opiniones communiter probabiliores euadant, quàm antiquæ.

33. *Suadetur primò, nouis plerumque opinionibus plus ineſſe probabilitatis. Contemnitur antiquitas.*

PArs affirmatiua probatur primò auctoritate, quia ſi obſeruemus omnes bonarum artium cultores, inueniemus eos ſemper ſe oppoſuiſſe antiquitati, eiúſque opinionibus exploſis nouas inuexiſſe, quibus & de ſuis artibus bene meriti euaſerunt, & ſibi immortale nomen compararunt. In oratoria M. Tullius veterum oratorum vitia cauillatur: in poëtica Mantuanus ab antiquorum vatum conſuetudine procul recedit: in medicina Hippocrates, & Galenus priorum medicorum aphoriſmatis excluſis, noua ac recentia moliuntur: in Mathematicis Ptolemæus, & Hiſpanorum Rex Alphonſus plures Aſtrologorum, quàm aſtrorum errores deprehendunt: in Ethicis Plato, quantis ſe maiorum claſſibus oppoſuit? In phyſicis Ariſtoteles quot veterum Philoſophorum catervas à philoſophico ludo eliminauit? In Theologia magiſter, ac D. Thomas quot priſtinæ falſitatis tenebras diffuſa nouæ veritatis luce expulerunt? Denique nihil familiarius eſſe ſolet cuilibet doctori in tradenda aliqua ſcientia, quàm vt incumbat antiquæ falſitati extirpandæ, iuxta quam accedat nouæ veritati inducendæ, iuxta illud Ierem. 4. *Nouate vobis nouale; & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Quod ex Theodoreto, & Carthuſiano ſic intelligo, vt prius veteris doctrinæ vepres eradicentur, quàm nouæ ſemina inducantur. Imò plus operæ collocandum eſſe in euellenda veteri, quàm in plantanda noua, docet illud oraculum Ierem. 1. *Vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Vbi, vt rectè Orig. & D. Hieron. obſeruarunt, quatuor verbis deſtructio doctrinæ veteris duobus tantùm plantatio nouæ imperatur; ergo tam humana, quàm diuina oracula nouas opiniones antiquis præferunt.

Tull. Virg. Hippo. Galen. Ptolem. Plato. Ariſtot. D. Thom. Theod. Carthuſ.

34. *Suadetur ſecundò.*

Secundò ſic argumentor ratione, quia illæ opiniones probabiliores ſunt ad quas homines maiorem habent appetitum: ſed ad nouas opiniones maiorem habent appetitum, quàm ad antiquas; ergo, &c. Conſequentia formalis eſt. Maior videtur euidens ex 1. Metaph. cap. 1. vbi cùm Philoſophus dicat dari in nobis naturalem appetitum ad ſcientiam; meritò inferunt interpretes dari maiorem ad ſcientiam veriorem, ſcilicet, ad ſcientias ſpeculatiuas, quàm ad practicas; ad principia, quàm ad concluſiones. Probo minorem. Nam in primis vulgares homines nihilo magis, quàm noua doctrina capiuntur, iuxta illud Homericum Odiſſ. α. *Vulgo illa cantio celeberrima eſt, quæ nuperrima eſt.* Et illud Pindaricum in Olympiis, *Plebi tam grata ſunt noua carmina, quam vina vetera.* Deinde etiam Sapientes nouitatibus ſtudent. Tritum eſt illud ſymbolum Pythagoræ, *Tritam viam terendam non eſſe.* Plato nouas res inquirendi ſtudium præ ſe ferebat, teſte Philoſopho 2. polit. cap. 4. Eapropter veteri Græcorum ſapientia non contentus, toto orbe peregrinatus nouam nouarum opinionum iniit mercaturam, vt D. Hieronymus ad Paulinum, D. Auguſtin. 8. de ciuit. cap 4. Laërtius ac Tullius teſtantur. Ariſtoteles Platonis auditor nihilo fuit minus nouitatis affectator: hauſtam à Magiſtro totis viginti annis diutius non decoxit, ſed quàm primùm euomuit diſciplinam. Vnde illa magni de diſcipulo querimonia, *Ariſtoteles in nos recalcitrat, vt in matrem pullus.*

Ariſtot. Homer. Pindar. Pythag. Plato. Hieron. Auguſt. Laërt. Tull. *Platonis de Ariſtotele querimonia.*

35. His omnibus ſapientior fuit Moyſes, de quo Philo Iudæus, *Præceptores*, inquit, *puer intra modicum tempus ſuperauit, natiua docilitate inſtitutionem præcurrens, vt reminiſci videretur, non diſcere; in rebus difficilioribus de ſuo comminiſcens aliquid; quippe præclara ingenia multa nouant circa ſcientias.* Sed quid memoro ſingulos ſapientes? Integras memorare poſſum Academias. Antiquiſſima illa in regione Theman ſuos nouitatibus imbuit auditores. Teſtes laudo tres eius alumnos, tres Iobi amicos, quorum tot penè fuerunt nouitates, quot voces, ſi Nazianzeno, Lyrano, ac D. Thomæ aſſentiamur. Græciam nouitatibus deditam quis ignorat? *O Solon, Solon!* exclamat Sacerdos ille Ægyptius apud Platonem, cuius meminit Alexandrinus 1. Strom. in fine. *Vos Græci ſemper eſtis pueri: nulla apud vos cana diſciplina: nullam penitus in animis antiquam habetis opinionem.* Athenas nouitatum altrices eſſe, patet Act. 17. vbi dicuntur Athenienſes ad nihil aliud vacare, niſi aut dicere aut audire aliquid noui. Vnde cùm D. Paulus nouorum, ſeu, vt aliqui cum Lyrano interpretantur, nouatum ſcientiarum annunciator videretur, ſiſtitur ad Areopagum, non vt illi ſupplicia irrogentur, vt opportunè in meam rem notat Chryſoſtomus, ſed vt ex eo nouitates addiſcamus.

Philo. S. Nazian. Lyra. D. Thom. Cyrill. Alex.

36. *Nouis opinionibus qui deditiſſimi.*

Quid referam Alexandrinos, quos ferunt nouarum opinionum aucupes, & venatores extitiſſe? Quid Pariſios, quorum ingenia Lyranus oculatus teſtis affirmat nouis ſemper rebus inhiaſſe? Quid Conimbricam, cuius alumni, ſi vel ex hoc loco, vel ex quouis ſimili veterem audiant diſciplinam, nauſeant, faſtidiunt, obdormiſcunt: ſi nouam, ſi nuperam, ſi recentem; quis fauor? quæ alacritas? quæ attentio animorum? Nec in gymnaſiis tãtùm philoſophicis, ſed etiam in ſacris literis grata eſſe ſolet interpretandi nouitas. Mitto alios,

Hieron.

alios, quibus id probem, vnum Hieronymum non omitto lib. 2. Apolog. contra Ruffinum, vbi inuehitur in eos, qui nouos in Scriptura explicatus faſtidiunt, *Cum*, inquit, (egregia ſunt verba) *nouas ſemper expetant voluptates, & gula eorum vicina maria non ſufficiant, cur in ſolo ſtudio Scripturarum veteri ſapore contenti ſunt?* ergo omnes homines non ſolùm vulgares, ſed etiam ſapientes

Potentia quò nobilior, eò acutior.

naturaliter appetunt nouas opiniones. Imò quo acutiores ſunt, eo ſunt ad illas proniores, vt ratio ipſa confirmat. nam potentiæ, quo ſunt nobiliores, eo ſunt magis arguitiuæ. Oculo propone album, album videt, in albo ſiſtit: propone phantaſiæ, longiùs excurrit, dulce colligit, frigidum arguit: propone intellectui, multò audaciùs ſpatiatur, diſtinguit partes, cognoſcit ſpiritum, præſcindit vniuerſale, externo non hæret, non quieſcit in obiecto. Ita planè rudiori Philoſopho antiquam propone opinionem, hanc apprehendit, hanc defendit, bene ne, an malè, parum curat; eandem acutiori Philoſopho inculca: audit, conſiderat, ſpeculatur, & veluti incluſus in anguſto ſpiritus, huc, illuc meat, non ſe capit intus, donec curioſa indagine veritatis nouam ſibi aperit viam, falſitatis nebulam ſcindit, & in aëra purgat apertum.

37.

Suadetur tertiò.

Ariſtot.

Tertiò ſic argumentor. Scientia eò certior & euidentior obtinetur, quò nititur experimentis diligentiùs ac maturiùs perſpectis, vt Philoſophus 1. Metaph. c. 1. teſtatur, ſed nouæ opiniones nituntur experimentis diligentiùs perſpectis, quàm antiquæ: ergo ſunt antiquis certiores. Minor, in qua eſt ſola difficultas, ſuadetur, quia experimenta tunc meliùs perſpiciuntur, quando cum oppoſitis comparantur, ſiquidem contraria iuxta ſe poſita clariùs innoteſcunt: atqui antiquæ opiniones ſua experimenta non conferunt cum oppoſitis, quæ poſtea collecta ſunt; ſed iis, quæ primùm deſumpta fuerunt, indicta cauſa adhæreſcunt, & tanquam poſſeſſores malæ fidei ſubdola pace, & fallaci tranquillitate fruuntur: contrà verò opiniones nouæ in ius vocant antiquas, in medium ſua, & aliena experimenta promunt, ſingula expendunt, omnia conferunt, ac tandem lite perorata ſuis potiùs acquieſcunt: ergo nouæ opiniones experimentis perſpicaciùs cognitis, quàm antiquæ fulciuntur. Adhæc quis ignorat longè ſemper à perfecto abfuiſſe exordia? Quis vnquam in fonte fluminis nauigia, in radice arboris fructum, in fundamento domus faſtigium, in aurora diei ſolem, in infantia ætatis eloquentiam requiſiuit? Atqui Philoſophia priſcis ſeculis nata repebat, balbutiebat, puerilibus veluti

Ariſtot.

crepundiis nugabatur, vt vel ipſe Ariſtoteles 1. Metaph. c. 6. & primo de partibus animalium c. 1. ingenuè fatetur: nunc verò iam adulta, ſuámque maturitatem aſſequuta, latè omnia humana ac diuina peruagatur, vti luculentiſſimè totis decem libris de perenni Philoſophia proſequitur

Eugub.

Eugubinus; ergo opiniones, quas modò condit, certiores ſunt, quàm illæ, quas olim finxit.

38.

Nouis opinionibus præferuntur antiquæ. Primò ex Scriptura.

Nihilominus, ne ſuus antiquitati honor denegetur, cuius ope opiniones plerunque maturiores ac veriores euadunt, pars negatiua, quæ nouis opinionibus antiquas præfert, à nobis quoque præferenda, ac defendenda eſt. Et niſi alienum eſſet à Dialectico inſtituto, tam Scripturæ, quàm Patrum auctoritate poſſet à nobis demonſtrari. Nam Scriptura paſſim antiqua nouis anteponit. Prouerb. 22. *Ne tranſgrediaris terminos, quos poſuerunt tibi patres tui.* Ierem. 6. *State ſuper vias bonas, interrogare de ſemitis antiquis.* Iob 12. *Sapientia in antiquis habitat, & in multo tempore prudentia.* Pſalm. 67. *Qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem.* Hebr. *Qui equitat in cœlis antiquitatis.* Ioan. epiſt. 1. c. 2. *Non mandatum nouum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus, quod habuiſtis ab initio.* Paulus 1. ad Timoth. 6. *Deuita profanas vocum*

Theoph. OEcumen. Athan. Auguſtin.

nouitates, ſeu, vt Theophyl. & OEcumen. è Græco eliciunt, *vanitates, & inanitates*, & quamuis, vt D. Athanaſius catecheſi 17. & D. Auguſtinus tract. 97. in Ioan. obſeruarunt, non omnis nouitas, ſed profana prohibeatur; tamen nouum frequenter in malam partem detorquetur. Pſalm. 10. *Non erit in te Deus recens.* Exod. 1. *Surrexit Rex nouus ſuper Ægyptum.* Deut. 32. *Immolauerunt Dæmoniis, & non Deo: diis, quos ignorabant, noui, recentéſque venerunt.* Vnde Chriſtus Dominus daturus legem nouam, docet ſe non aduerſari antiquæ, *Nolite putare, quoniam veni ſoluere*

Brixian.

legem, Matth. 5. Brixianus ibi, *Vide*, inquit, *quàm ſit metuenda ſuſpicio nouitatum, daturus celſiores leges, quæ noua viderentur, docet eas non aduerſari legi*

Clem. Alex.

eorum. Et propterea Clem. Alexand. in pædagogo rectè ait, nouum Teſtamentum eſſe veteri litera impreſſum.

39.

Secundò ex Patribus.

Auguſt.

Iam verò Patres nouas opiniones acerrimè inſectantur. D. Auguſtinus opuſc. de vtilitate credendi, hæreticum ſic definit, *Qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatúſque ſui*

Hæretici definitio.

gratia nouas opiniones, vel gignit, vel ſequitur. Et lib. 3. contra Iulianum c. 3. *Mira*, inquit, *ſunt quæ dicitis; noua ſunt, falſa ſunt.* quaſi dicat, noua; ergo falſa. Et addit, *ſunt noua, cauemus.* D. Bernar-

Bernard. Nazianz.

dus epiſt. 174. *Nouitas*, inquit, *mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia leuitatis.* Nazianzenus in carmine Nicobuli.

Pluraque canities nouit quàm læta iuuentus.

Cretenſ.

Cretenſis eius interpres, *Valeant*, inquit, *nouitates, partim ex inſcitia, partim ex intoleranda ar-*

Cyrill.

rogantia natæ. Cyrill. Alexand. lib. 1. de Trinitate docet, qui in nouas opiniones diſcedunt, corre-

Origen.

ptos eſſe morbo curatu difficillimo. Orig. tract. 23. in Matth. tradit certam regulam dignoſcendi opiniones hæreticas à catholicis, nempe illas, quæ nouæ ſunt, & extra canonizatas Scripturas, vt loquitur, hæreticas habendas eſſe; quæ verò ſunt antiquis Scripturis conformes, pro catholi-

Tertul.

cis reputandas. Tertullianus lib. de præſcriptionibus c. 7. de noua Philoſophia mihi videtur loquutus, cùm ait, Philoſophia hæreſes ſubornari, & de Philoſophis nouitatum ſtudioſis, quando dicit lib. contra Hermogenem c. 8. Philoſophos eſſe hæreſum patriarchas, & lib. 1. contra Marcionem, de Philoſophorum ingeniis omnem

Baron.

hæreſim animari. Doctiſſimè notauit Baronius tom. 1. annalium anno 74 proprium eſſe hæreticorum, vt nouos ſemper commentarios pro antiquioribus reponant, arbitrari non eſſe haben-

Lyrinenſ.

dos pro veris, niſi habeantur pro antiquis. Sed quid moror Vincentiũ Lyrinenſem, cuius totum eſt hoc argumentum? Is enim poſtquàm innumera mala profecta ex nouitate cõmemorat, *Atqui*, inquit, *hæc omnia, nunquid aliam ob cauſam, niſi vtique, dum bene fundata antiquitas ſceleſta nouitate ſubruitur; dum ſuperiorum inſtituta violantur, dum reſcinduntur ſcita patrum, dum conuelluntur definita maiorum, dum ſe ſe intra ſacratæ, atque incorruptæ vetuſtatis caſtiſſimos limites profana ac nouellæ curioſitatis libido non continet?*

Sed quàm ingenioſè interpretatur locum illum Pauli 1. ad Timoth. 6. *O Timothee, depoſi-* 40.

tum

tum cuſtodi. Quid eſt,inquit,depoſitum? Quod tibi creditum eſt,non quod à te inuentum eſt:quod accepiſti,non quod excogitaſti: rem non ingenij, ſed doctrinæ;non vſurpationis priuatæ, ſed publicæ traditionis:rem à te perductam,non à te prolatam,in qua non auctor eſſe debes,ſed cuſtos; non inſtitutor,ſed ſectator;non ducens,ſed ſequens. Aurum accepiſti,aurum redde: nolo mihi pro aliis alia ſubiicias: nolo pro auro aut impudenter plumbum,aut fraudulenter æramenta ſupponas:nolo auri ſpeciem, ſed naturam. Intelligatur te exponente illuſtrius, quod antea obſcurius credebatur: eadem tamen,quæ didiciſti, ita doce,vt cùm dicas nouè,nõ dicas noua. Quid verius, Quid elegantius? Quid ſublimius dici poterat?

Obiicitur. Dicet tamen aliquis:Quid ergo?Nunquid non licet antiquam ſapientiam augere & locupletare?

Lyrinenſ. *Reſpondetur.* Audi,qui ſic obiicis,Lyrinenſem, *Creſcat*,inquit, *vehementérque proficiat ſapientia, ſed in ſuo dumtaxat genere. Imitetur animarum religio rationem corporum; quæ licèt annorum proceſſu numeros ſuos euoluant & explicent;eadem tamen,quæ erant, permanent:ita Chriſtianæ religionis dogma annis conſolidetur,dilatetur tempore,ſublimetur ætate; incorruptum tamen,illibatúmque permaneat.*

41\. *Prima ratio.* Tanta auctoritatum moles rationum momenta non requirit. Tres tamen propono breuiter, quæ ſi tempus foret,luculentiùs poſſent illuſtrari. Aristot. Prima ſit à definitione probabilium. Probabilia ſunt ea,quæ videntur multis,teſte Philoſopho 1.Topic.c.1. Ergo magis probabilia ſunt,quæ videntur pluribus:atqui antiquæ opiniones videntur pluribus, vt patet; ergo ſunt probabiliores.

Secũda ratio. Secunda,illæ opiniones probabiliores ſunt, quæ ſunt acutiori,& maturiori ingenio inuentæ; cùm verò intellectus ſit acerrimus veritatis inquiſitor, qui præſtantior fuerit,certius in veritatem collimabit: atqui antiquæ opiniones ita ſe habent;nam antiqui Philoſophi, ſicuti melius habuerunt temperamentum, propter maiorem alimentorum vigorem, & vernantis adhuc naturæ hilaritudinem, ita vt plurimum melius habuerunt ingenium. Vnde in poſterum magna facta eſt,ſicuti corporum,ita& ingeniorum inclinatio, Cypr. vt D.Cyprianus ad Demetrianum eloquentiſſimè pertractat: ergo antiquæ opiniones, multò ſunt,quàm nouæ,certiores.

Tertia ratio Tertia,nihil eſt in rebus moralibus pernicioſius, quàm nouas leges, *Quid nouitatum præfecti apud Sinas* nouas conſuetudines inducere. Adeò vt vel Sinæ populi non admodum literis exculti hoc intelligant. Et propterea præfectos nouitatum, vt vocant,in vrbe creant:quorum munus eſt,quidquid noui in regno contingit,ad Regem deferre. Neque ſolùm magni momenti nouitates deferunt, ſed penè nullius: qualis illa fuit, de qua Principem accuſarunt,quòd comam raderet cõtra morem gentis,neque delictum impune tulit:ergo nihil erit in rebus ſpeculabilibus inutilius, & à veritate alienius,quàm noua dogmata, nouas opiniones comminiſci. Patet conſequentia, quia cùm veritas ſit vna, eáque in indiuiſibili conſiſtat:bonitas autem nõ ita,ſed potiùs vna,eadémque res,& bona, & mala eſſe poſſit, ſeu conueniens,& diſconueniens ſub diuerſis rationibus,vt Metaphyſici communiter oſtendunt:fit, vt ſi varietas mediorum in inquirendo bono, quod eſt multiplex,eſt damnabilis,à fortiori varietas mediorum in inquirendo vero, quod eſt vnum ac ſimplex,multò damnabilior videatur.

Mendoça Viridarium.

Problema VII.

Parentibus ne, an nutricibus filij ſimiliores euadant.

QVòd nutricibus ſimiliores euadant,probatur,quia vbi datur maior amor,datur & maior ſimilitudo;ſimilitudo enim eſt cauſa amoris: 42. *Nutricibus alumnos ſimiliores euadere, quam parentibus filios.* vnde in diuinis, vbi datur adæquatiſſima ſimilitudo,perfectiſſimus quoque amor reperitur: ſed inter nutrices, & alumnos maior amor ſæpenumero intercedit, quàm inter filios & parentes, iuxta illud ſcitiſſimum oraculum Alexandrini, *Alexandrini oraculum.* *Aluiſſe maiora interdum habet amoris incitamenta, quàm creaſſe.* Vnde amoris teneritudo non tam parentis nomine,quàm nutricis,in Scriptura exprimitur. Oſeæ 11. *Ero quaſi nutritius Ephraim.* Iſai.66. *Ad vbera portabimini, & ſuper genua blãdientur vobis.* Numer.11. *Porta eos in ſinu tuo,ſicut portare ſolet nutrix infantulum.* Et propterea contingit ſæpenumero, vt quæ matris viſcera geſtauit in filios, recuſet nutricis vbera producere in alumnos; iuxta illud Chryſoſtomi in parentes, Chryſ.in Pſ. 50.hom.10. quæ filios ſuos aliis nutriendos committunt. *Erubeſcit*,inquit,*fieri nutrix,quæ facta eſt mater,& pietatis inſignia abſcindit ſuperbia, &c.* Ac ſi parentis amor minor ſit,quàm requiratur ad nutricis charitatem exhibendam; ergo inter nutrices, & alumnos maior ſimilitudo,quàm inter parentes & filios reperitur.

Secundò ſic argumentor.Nutrices accommodatius transfundunt ſuas qualitates, & natiuas 43. *Pro eadem ratio.* diſpoſitiones in alũnos, quàm parentes in filios: ergo magis ſibi aſſimilant alumnos,quàm parentes ſibi aſſimilant filios. Valet conſequentia;cùm enim qualitas ſit,qua res dicuntur ſimiles, ſi nutrices meliùs deriuant in alumnos ſuas qualitates, eos quoque ſibi efficiunt ſimiliores. Probo antecedens. Nam parentes interuentu ſanguinis, nutrices interuentu lactis ſuas qualitates communicant; atqui lac eſt ſanguis magis coctus ac defœcatus,melioribuſque diſpoſitionibus imbutus, vt Ariſtoteles lib 4. de generatione animalium cap.8. Albertus Magnus lib.8. de animalibus c.7. Abulenſ in c.12.Leuit.q.23. Mathiolus lib.6. in Dioſcoridem, aliique teſtantur: ergo nutrices meliùs ſuas qualitates in alumnos,quàm parentes in filios transfundunt. Ariſtot. Alb. Magn. Abul. Mathiol.

Tertiò,quia innumera ſunt exempla, ex quibus colligi poteſt, maiorem inter nutrices & 44. alumnos, quàm inter parentes & filios ſimilitudinem reperiri. Tiraq. de nobilitate, c.20. à n.83. vſque ad n.93. multa multus tradit de nutricibus. Tiraq. De plantis primum eſto exemplum;enim verò vitis in alium collem tranſlata mutat ingenium. De Perſicis tradit Gal.lib.2. Pharm.c.2.& Galen. lib.de alim. Nimirum in Perſis eſſe pernicioſas, in Ægyptiorum regione eſſe innocuas. Hoc tamen damnat Plinius lib.15.c.13. Sed Galeno adſtipulatur Martialis lib.13 xenio 46. Plin. Martial.

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis,
Nunc in adoptiuis perſica rara ſumus.

Quaſi verò nutrici potius, quàm matri telluri ſimiles videantur. De hominibus ſit ſecundum exemplum, de quibus admiranda narrantur. Hinc eſt,quòd multi natiuam,& propriam relinquant naturam, & degenerent in ferinam; cum

ipſo enim nutricis lacte aliam induūt naturam, quàm ex ſuis reddunt actionibus. Optimè apud Iuſtinum lib. 38. Mithridates arguit Romanos de crudelitate,& auiditate lupina, vtpote qui referebant originem ad homines lupæ vberibus enutritos. De Achille etiam dicitur non lacte, ſed bile fuiſſe alitum, quòd iracundiæ nimium indulgeret. Ita Homer. Iliad. lib. 16. ſicque Dido Regina apud Mant. 4. Æneid. in Æneam excandeſcit,

Iuſtin.

Homer.

----- Hircanæque admorunt vbera tigres.

Virgil.
Donat.

Quo in loco Donatus interpres oſtendit per alimoniam lactis mores pueris infundi; ſed de hoc multa apud Tiraquellum citatum. Illud ego à teſtibus oculariſſimis, & locupletiſſimis accepi, virum ſcilicet aliūde religioſum,& optimis moribus imbutum, remotis arbitris in morem capreæ ſaltare,& currere ſolitum fuiſſe, nec ſe continere potuiſſe,quin hanc ludicram ſpectationem exhiberet. Rogatus reddidit cauſam, *Caprea lacte ſui educatus.* O reſponſum homine indignum,ſed in rem natum! Vide capreæ nutricis naturam in alumnum ſuum transfuſam. Simillimum eſt illud apud Iuſtinum lib. vlt. de Habi illo Hiſpano ceruæ lacte nutrito, qui Habis curſu perniciſſimo ceruos æquabat.

Tiraquel.

In quos fera ſuum transfuderint ingenium.

Iuſtin.
Habis Hiſpaniarum Rex.

Problema VIII.

An voces virtutem habeant naturalem ad vitam prorogandam, vel mortem maturandam.

45. Signanter quæro de efficacia naturali, quia de obedientiali certam exiſtimo affirmantem partem, vt enim verba in ſacramentis effectus mirabiles ſupra ſuam naturam phyſicè cauſant, vt verior fert ſententia, ſic eoſdem circa mortem & vitam à Deo eleuatæ poterunt efficere.

Quæſtio ergo eſt de virtute naturali,cuius affirmantem partem triplici ſtabilio fundamento. Primò ab auctoritate, & in primis conſulite annales ſacros, è quibus non pauca, neque leuia eruuntur teſtimonia;nam Exod. 2. fertur Moyſes Ægyptium occidiſſe rixantem cum Hebræo nō ferro,neq; alio genere miſſili, ſed verbo,ſic enim aſſerunt myſtæ Hebræorum, vt refert Clemens Alexādrinus 1. ſtromatum, quod verbum,(vt ipſe Clemens,& Abulenſis referunt)erat nomen Dei *Tetagrammaton*. Nec abs re factum, vt qui Hebræos, Deumque ipſorum maledictis inceſſerit, verbo etiam diuino pœnas ſolueret. Nec dimiſſili exitu mortuus eſt idem Moyſes,nam Deut. vlt. dicitur. *Mortuus eſt Moyſes iubēte Domino*;ſeu,vt Hebræi vertunt, *per verbum Domini*, id eſt,interprete Caietano,vi & efficacia verbi Dei, dicētis, *morere*. Prætereà Antichriſtum non fulgure, ſed verbo interficiendum graues auctores affirmant, ad illa verba Pauli: *Quem Dominus interficiet ſpiritu oris ſui.* Sic enim interpretantur Salmerō to. 1. in Epiſtolis Pauli,& Hugo vict. ibidem, *ſpiritu oris ſui*, hoc eſt, verbo oris ſui; ergo in verbis vis naturalis ineſt ad mortem non ſolùm maturandam,ſed inferendam. Quòd verò nonnunquam vitam & ſanitatem præbeant, ex eiſdem fontibus oſtendo. Saulem quis neſcit furore & morbo acerbiſſimo correptum ad ſanitatem reuocatum cantilenis,quas Dauid diuinus Pſaltes fundebat? Nec deſunt grauiſſimi auctores (inquit Azor tom. 1. lib. 9. cap. 16.) qui exiſtiment ſpiritum malum, qui Saulem vexabat, non fuiſſe dæmonem,ſed atræ bilis humorem,qui, ſi copioſus ſit, ita excruciat homines,mentémque obnubilat,vt meritò arreptitios, ac dæmoniacos credas; hanc tamen vim & efficaciam humorum ita Dauidis harmonia temperabatur,vt ad breuem illius cantum omnino ſopiretur. Nec extorta videri debet prædicta expoſitio, quæ ſpiritum malum humorem atræ bilis interpretatur, cùm certè probabilior ſit expoſitio, quæ credit Angelum Satanæ diuinum Paulum colaphizantem non dæmonem,ſed morbum virulentum fuiſſe; ita enim interpretantur grauiſſimi Patres, Hieronymus, Auguſtinus, Nazianzenus, Diuus Thomas & alij quàm plures, quos latiſſimè refert Salmeron 2. Corinth. cap. 12.

Senſus quæſtionis.

Clem Alex.
Abulenſ.

Caiet.

2. Theſſ. 2.
Salmer.
Hugo Vict.

Azor.

Hieron.
Auguſt.
Nazianz.
D.Thom.
Salm.

46. Secundò argumentor experientia quorundam hominum noſtræ ætatis, qui ſine vllo pacto dæmonum(vt ipſi de ſe iactant)verbis tantùm piis, Pſalmorúmque recitatione morbos ſanant,dolores mitigant,cicatrices curant, & ſi quæ ſunt alia vitæ commoda,ſalutiue propitia, talibus verbis remedium applicant;ergo voces ſecundùm naturalem virtutem vitam protendere, mortémque maturare poſſunt.

47. Verùm præſens difficultas præmiſſa priùs explicatione duplici aſſertione eſt dirimenda; nam vox dupliciter conſiderari poteſt per ordinem ad effectus,de quibus in argumento fit mentio. Primo formaliter, prout eſt ſignificatiua. Secundò materialiter, prout eſt quidam ſonus dearticulatus. Hoc poſito aſſero primò certum eſſe vocem, quà ſignificatiuam,non habere virtutem naturalem ad reſarciendam vitam, vel maturandam mortem, & alios effectus in argumento aſſignatos. Hæc diligentiſſimè probatur à Delrio lib. 1. diſquiſit. Magic. cap. 4. quæſt. 3. pro qua refert D.Thom. & alios Theologos, grauique cenſura oppoſitam notat ſententiam. Probatur facilè aſſertio,quia ſignificatio nihil reale, & poſitiuum addit voci, ſed eſt moralis impoſitio, ſeu denominatio ex actu voluntatis prætérito,quæ cenſetur perſeuerare in vocibus media aliqua operatione rationis;ergo efficere non poteſt reales, & phyſicos effectus,quales ſunt curationes morborum,& ſimiles.

Duplex vocis acceptio.

Delrius.
D.Thom.

48. Aſſero tamen ſecundò, ſi voces ſumantur materialiter, virtutem nonnunquam habere naturalem ad ſanitatem inducendam, vel maturandam mortem, & ſimiles effectus phyſicos edendos. Quis enim neſcit vocum contentus nunc iratos animos ſedare, nunc pacatos prouocare ad bellicos tumultus, exanimatis præbere animum, doloribus excruciatis refocillamentum, ac penè emortuis vitam & ſalutem? Quod latè confirmat D.Thomas lib. 4. de regim. Princip. cap. 21. Duo tamen proferam ad comprobandos hos effectus, vnum ex D.Auguſt. alterum ex Caietan. quærit enim Auguſtinus cur Seruator Chriſtus poſt cœnam & ſermonem multis illius & diſcipulorum lacrymis celebratum hymno dicto, ſeu potiùs ſolemniter cantato (ſic enim communiter aſſerunt interpretes,) locum paſſionis exordiendæ adierit? Reſpondet idem Auguſt. Pſalm. 72. hoc feciſſe,vt ita ſe muniret ad paſſionem,robutque ad certamen colligeret ex cantu. Nec mirum, ſi Creator omnium ex muſica ſolatium reciperet, qui etiā ex Angeli ſermonibus ſolamen accepit

D.Thom.

Auguſt.
Caietanus.

Digitized by Google

accepit. Confirmo ſecundò ex Caiet. interpretante locum illum Matth. *Cum vidiſſet tibicines tumultuantes*, &c. Vbi ait, ſonum illum, & concentum fieri ſolitum ad experimentum & comprobationem mortis; iis enim (inquit) qui paulo antea erant emortui, multi ad aures fiebant ſoni, puta acuti, vehementes, vt ita compertum fieret, an vera mors, an profundus ſopor, vel grandis defectus naturæ adhuc viuentis talem ceſſationem cauſaret. Exiſtimabant ergo huiuſmodi homines mutuum concentum efficaciam habere ad recuperandas vitæ operationes iis, qui penè exanimati erant.

49. Plinius. Sed quoniam incidimus in rem muſicam, ſeu canoras voces, non me latet Plinianum illud in lib. 7. de muſico Xenophilo, qui vna vocis canoræ ope adiutus, centum ſupra quinque annos vixit ſine vllo corporis incommodo. Nec etiam Plutarch. fugiunt huiuſce rei exempla innumera apud Plutarchum ſuper opera moralia. Illud de Homero Homer. vate non tacendum; qui Græcos à peſtilentiæ incendio liberatos & ad vitam longiorem bene ominatos canit. Cæterùm, quæ diuina vis liberauit, & ominata eſt? Vox vna dulcis & canora. Conſule Plutarchum. Pythagoras cantu varios Alexand. ab Alex. morbos depellebat. Euolue Alexandrum ab Alex. lib. 2. c. 25. & lib. 4. cap. 7. Sed de muſices vi alibi fuſiùs.

50. Quòd verò aliquando mortem voces inferant, vel maturent, haud difficile oſtendi poteſt ex auctoritate. nam Exod. 20. filij Iſraël ad Moyſem ſic loquuntur: *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè* Carthuſ. *moriamur*, id eſt, interprete Carthuſiano, *ne moriamur ex nimia corporalis harmoniæ immutatióne, & ex nimia excellentia obiectorum ac vocum, quibus Deus loquebatur, neque enim poteſt humana fragilitas talia diu ſufferre, ſine confortatione ſpeciali*. Hæc Carthuſ. Hinc illi timores eorundem Hebræorum, Deuter. 5. *Quid eſt omnis caro, vt audiat vocem Dei loquentis de medio ignis, ſicut nos audiuimus, & poſſit viuere?* Cætera omitto, ne multus fiam.

PROBLEMA IX.

An qui ſe interimunt, ex animoſitate, vel igaauia id efficiant.

51. *Sibi necem inferre alienum à virtute.* IN hac re vnum vt certum ſuppono, & alterum diſputationi ſubiicio. Suppono ſui homicidas non moueri ad tale facinus, per ſe loquendo, ex vero motiuo virtutis; quia cùm ſe interficere, ſit opus intrinſecè malum, & contra rationem, à virtute fortitudinis, nec elici, nec imperari poteſt. Verùm, cùm à virtute, quæ in medio conſiſtit, declinare quis poſſit per defectum, vel exceſſum, ſic in materia fortitudinis, de qua modò eſt ſermo. Inquiro ergo hoc loco, an qui ſibi necem machinantur, id efficiant ex animoſitatis exceſſu, an ex defectu?

52. *Oſtenditur animoſitatis eſſe interimere ſeſe.* Quòd verò non ex animi mollitie, ſed ex animoſitate procedat, auctoritate, & ratione confirmo. Machab. 2. cap. 14. laudatur Rahazias Machabæus vt fortis, dum manus ſibi aſciuit, gladio ſe petiinens, ſic enim ait: *Cum iam comprehenderetur, gladio ſe petiit, eligens potius nobiliter mori, quàm ſubditus fieri peccatoribus, & cõtra naturales ſuos indignis iniuriis agi.* Vnde ponderanda ſunt verba illa, *eligens nobiliter mori*, ex quibus non obſcurè colligitur mori ſuis manibus non ignaui & puſilli animi eſſe, imò generoſi ac nobilis. Quinimò Lyra ad locum citatũ refert Hebræos Lyra. antiquos exiſtimaſſe, non ſolùm licitam, ſed meritoriam fuiſſe huiuſmodi mortem. Secundò id Horat. confirmare poſſumus Gẽtilium teſtimoniis. Horat. lib. 1. Od. 13. *Catonis nobile lethum* dicit, qui ſuis manibus periit. De eodem M. Tullius verba Tull. faciens epiſtola ad Petum ſic ait: *Cæteri quidem Pompeius, Lentulus tuus, & Scipio fœdè perierunt; at Cato præclarè.* Et Plutarchus in vita eiuſdem Plutarch. Catonis ſcribit populum Vticenſem audita Catonis morte ad eius fores cucurriſſe vnà voce clamantem illum ſolum liberũ, ſolum inuictum. Confirmatur tertiò ex communi conſenſu popu- Curt. lorum. nam Qu. Curtius de moribus Indorum differens lib. 8. *Spectatam* (inquit) *mortem, id eſt, naturalem pro dedecore vitæ habent, & ideo ſe interficiunt, antequam ſeneſcant.* Quid memorem Æthiopes, Iaponas, & ſexcentas alias nationes, apud quas parmarium ducitur, violentam mortem ſibi inferre, ne pereant aliena manu?

Tertul. Cætera omitto, ne vnus me fugiat Tertull. lib. ad martyr. cap. 4. vbi recenſet quamplurimos homines ſtrenuiſſimos, fœmináſque fortiſſimas, qui omnes propriis manibus ſibi mortem intulerunt ob vnum aſſequendæ gloriç ornamentum. Quod quidem nõ ignauiæ, ſed fortitudini vertit. *Lucretia cultrum*, inquit, *ſibi adegit, vt gloriam caſtitati ſuæ pareret. Mutius manum ſuam dextram in ara cremauit, vt hoc factum eius fama haberet. Minus fecerunt Philoſophi, Heraclitus qui ſe bubulo ſtercore oblitum excuſſit. Item Empedocles, in ignes Ætnei montis diſſiluit; & Peregrinus, qui non olim ſe rogo immiſit, cùm fœmina quoque cõtempſerint ignes. Dido cùm poſt virum dilectiſſimum nubere cogeretur: item Aſdrubalis vxor, quæ iam ardente Carthagine, ne maritum ſuum ſupplicem Scipionis videret, cum filiis ſuis in incendium patriæ deuolauit*, &c. Et his alia addit præclariſſima fortitudinis exẽpla, quibus Chriſti Athletas ad æternæ laudis adoream comparandam excitat, concludítque. *Quis ergo non libentiſſimè tantum pro vero habeat erogare* Florus. *quantum alij pro falſo*: Flores Flori delibo ad lib. 2. c. 18. vbi beatiſſimos credit Numantinos; affigo verba. *Duces ſuos, ſéque, patriamque ferro, & veneno, ſubiectóque vndique igne peremerunt.* Ne ſcil. in Romanorum manus viui venirent, quos illi, teſte Floro Romano etiam homine, quamuis numero exigui, per annos XIV. ſoli ſuſtinuerunt, imò ſæpè pudendis vulneribus affecerunt. Et ad extremum ad maiorem ſuæ fortitudinis laudem morti liberæ deuota pectora conſecrarunt. *Vnus enim*, claudit Florus, *vir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur? præda vt de pauperibus nulla, arma cremauerant. Triumphus fuit tantùm de nomine.*

53. *Pro hac parte fundamentum.* Ad rationem accedo, quam ſic propono. Bonum vitæ eſt maius, & amabilius cæteris, & è contrà illius priuatio maximum omnium malorum; ergo vt quis ſe vita priuet, grandi animo opus habet, & conſequenter ab animoſitate ſui occiſio procedit. Cõſequentia valet, quia vt quis ſe priuet bono vitali, vel delectabili, grandi animo opus habet; & idcirco communiter cenſetur opus fortitudinis opes, & facultates proprias abiicere, & carnis oblectamenta contemnere; ergo à fortiori id erit exiſtimandum de iis, qui ſe voluntariè vita priuant, cùm vita & ſit bonum præſtantius, & reliquorum omnium fundamentum.

Confirmatur idem ſecundò, quia fortitudo præcipuè conſiſtit in tolerantia malorum pœnæ; ſed maximum omnium viſitur in ſui interfectione; ergo ad huiuſmodi facinus non animi defectus, ſed animoſitas maximè inclinat.

54. *Ignauia eſt violentū ſibi exitum parare, ad mala declinanda.* Nihilominus longè probabilius videtur eos, qui ſibi mortem procurant, præcipuè ad declinandam infamiam, vel vitæ miſerias, videlicet tormenta, dolores, inedias, & ſimiles, mollis potius & ignaui animi indicium præbere, quàm grandis ac generoſi. Hęc communiſſima eſt apud ſapiẽtes exiſtimatio, & in primis id manifeſtè expreſſit

Ariſtot. Ariſtoteles 3. Ethic. *Fugere*, inquit, *ſequentem inopiam, vel aliquid triſte, non fortis, ſed magis timidi eſt, mollities enim eſt, fugere laborioſa.* Conſentit

Auguſt. Auguſtinus multis in locis, ſed præcipuè lib. 7. de Ciuitate Dei, c. 17. 20. & 25. vbi loquens de Catone & Lucretia, qui ſibi ipſis manus conſciuẽte, ſic ait: *De Catonis facto quid potiſſimum dicam, niſi quod amici etiam docti imbecilli potius, quia fortis animi id eſſe cenſuerunt, quo demonſtraretur non honeſtas turpia præcauens, ſed infirmitas aduerſa non ſuſtinens.* Et ſimilia ait de Lucretia. Tertius teſtis ſatis locuples ſit

Ioſephus. Ioſephus lib. 3. de bello Iudaic. c. 14. *Timidus eſt,* (inquit) *habendus qui mori non vult, cùm opus eſt.* & ſtatim addit, *Non viri fortis eſt ſemel occidere, imò verò ignauiſſimi, nam & gubernatorem timidiſſimum puto, qui tempeſtatem metuens ante vim turbinis nauem ſpõte ſubmergit.* Hæc Ioſephus. Iam verò

Cypr. D. Cyprianus de duplici morte, ante medium, ſic ait. *Si qui leguntur ſibi fortiter mortem conſciuiſſe, aut infirmitas erat, morte quærens dolorum finem, aut ambitio, aut dementia.* Idem ex ſacra pagina 1. Regum 28. exemplo Saulis ſe occidentis, ad illa verba, *Arripuit itaque Saul gladium, & cecidit ſuper eum.* Optime

Caietan. Caiet. traditam doctrinam confirmat. *Hinc*, inquit, *apparet mollities animi Saulis non valentis ſufferre illuſiones à Philiſthinis, nam ad eas euitandas ſe ipſum peremit.*

55. Neque ſolùm apud veri Dei cultores hæc viget opinatio, ſed etiam apud naturales Philoſophos Ethnicos, vt patet nõ ſolùm in Philoſopho citato, ſed etiam in ſapientiſſimo

Senec. Seneca. Hic enim epiſt. 24. ſic ait: *Imbecillus & ignauus eſt, qui propter dolorem moritur.* & alibi: *Vir fortis & ſa-*

Martial. *piens non fugere debet è vita, ſed exire.* Quibus concinit eleganter Epigrammatarius,

Rebus in aduerſis facile eſt contemnere vitam,
Fortius ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

Euripid. Accedit Euripides, qui introducit Herculem in ſe ipſum crudelem, mortémque ſibi meditantem, poſtea verò ad ſe redeuntem conſilium mutantem; quaſi verò vereretur, ne id ſibi ignauiæ adſcriberetur. Athenienſes abſcindebant manum illius qui ſe interfecerat, & vt ſceleſtam inhumatam relinquebant; quod Platonis fuit documentum. Apud Thebanos ſe ipſum etiam interficere piaculum erat inexpiabile, iſque ſui carnifex, & natiræ dicebatur. Plura fortè dabit

Alex. Alex. Alexander ab Alex. lib. 5. cap. vltim. ad finem, vide

D.Thom. item Alciatum emblem. 119. Quapropter meritiſſimè Doctor Angelicus 2. 2. q. 64. artic. 5. ad tertium concludit, Catonem, Lucretiam, imò & Zachariam Machabæum ſe occidentes, non vt generoſos, & magnanimos habendos, imò & molles, & timidos, non valentes miſerias ſuſtinere. Ex quibus hanc efformo rationem pro hac parte: Qui fugit ardua & difficilia, timidus, & mollis eſt; ſed qui ſemet interficiunt, id præſtant, vt fugiant vel infamiam, vel dolores maiores, ac diuturniores ipſa morte; ergo timidi & imbecilles ſunt exiſtimandi. Et confirmatur, quia timidus cenſetur, qui mortem potius eligit, quàm mutilationem brachij, in qua acutiorem ſentit dolorem; ergo, &c. Quapropter merito exiſtimant Philoſophi non ſolùm timidos & puſillos, verùm etiam tanquam inſanos habendos ſui interemptores. Id enim concludit Martial. dum in Martial. quendam, qui vt mortem fugeret, ſe peremit, iocatur.

Hoſtem cùm fugeret, ſe Phaunius ipſe peremit:
Dic rogo, non furor eſt, ne moriare, mori?

PROBLEMA X.

Vtrùm mors naturalis non ſolùm ſine dolore, ſed cum voluptate poſſit aliquando accidere.

CONcluſio eſt Philoſophorum, Ariſtotelis, Platonis, & interpretum vtriuſq; mortem naturalem non ſolùm ſine dolore, ſed etiam cum voluptate accidere; & ferè nullus eſt, qui peculiare aliquod ſui temporis nõ afferat exemplum. 56. *Naturalis obitus cū voluptate accidit.* Probatur facilè, quia ſi naturalis mors dolorem aliquem afferret, aut eſſet in ipſo inſtanti ſeparationis, aut in tempore antecedente: non in ipſo ſeparationis inſtanti, cùm corpus iam non ſit doloris capax; non in tempore antecedenti, quia tunc nullus eſt noxius humor, qui dolorem cauſare poſſit, aliter mors naturalis non eſſet, ſed violenta: illa verò præuia alteratio, quæ mortem naturalem antecedit, iucunditatem potius parit, quàm dolorem. Probatur hoc vltimum, quia inſtante morte naturali propter defectum humidi, calor natiuus huiuſmodi defectum naturali inſtinctu præſentiens, vehementiùs excitatur, conatúrque agere quantum poteſt in illud, quod reſiduum eſt, atque ita in primis ſit, vt dum in multum ſimul humidum agit, quodammodo reuiuiſcat, accreſcátque; mox verò, quia totum humidum per maiorem illam actionem conſumpſit, repentè extinguatur. Quod euidenter cernimus in lucerna, quæ paulò antequam ex defectu olei extinguatur, exſplendeſcentem flammam eadem ratione emittere ſolet, quia ſcilicet inſtinctu naturæ præſentiens defectum olei neceſſarij ad ſui conſeruationem, quaſi id moleſtè ferens incaleſcit, excitatúrque, atque ita fortiùs agens totum quod ſupereſt, breuiter conſumit, eóque conſumpto extinguitur: ſed calor ille accreſcens, qui eſt proxima cauſa mortis naturalis, eſt etiam cauſa lætitiæ, & iucunditatis; ergo cùm in fine illius mors ſequatur, neceſſe eſt, vt animal in media illa voluptate moriatur.

Quòd autem calor lætitiæ parens ſit, manifeſtum eſt; ideo enim qui complexionem habent 57. *Calor lætitiæ parens.* ſanguineam, alacriores ſunt, quòd in eis vigeat natiuus calor; ſanguis namque, vt docet Galen. Galen. in lib. de ſanguinis miſſione, non tantùm præbet animalibus alimentum, ſed etiam natiui caloris perſeuerantiam. Vnde Ariſtoteles lib. 3. de partibus animalium c. 4. cor ſicut caloris natiui, ita Ariſtot. etiam lætitiæ fontem facit. Atque hæc eadem cauſa eſt, cur vinum lætificet cor hominis, quia *Cur vinum lætificet.* ſcilicet calidum cùm ſit, vitales reficit ſpiritus, & cor ipſum calore fouet, ac recreat, vt deducitur ex Ariſtotele problem. 1. 5. 30. Si namque non per

Digitized by Google

per calorem, ſed per qualitatem aliam eam hila-
ritatem cauſaret, ſanè cùm multum eſt, non red-
deret homines triſtes, reddit autem, idque quia
eos frigefacit, vt ait Aroſtoteles loco citato, con-
ſumpto videlicet calore natiuo à vehementiori
calore vini. Quòd verò neque in animo mœſti-
tiam efficiat naturalis mors, ex eodem fundamen-
to deducitur. Etenim natiuus calor ſicut animum
exhilatat, ita etiam eum bene ſperare iubet. Vn-
Ariſtot. de dixit Ariſtoteles problem. paulo antè citato
iuuentutem ſpe plenam eſſe, ſenectutem autem
parum ſperare poſſe, quia calor eam continet
ſedem, qua ſperamus, cor videlicet vbi ſedem
habet appetitus iraſcibilis, cuius eſt ſperandi
actus. Cùm igitur paulo ante mortem naturalem
natiuus calor accreſcat, ſpem facit longioris vitæ,
ex qua maxima in animo exoritur lætitia, qua
dum animal perfruitur, ſubdito emoritur. Et
ideo mirum non eſt, ſi dum ſimili voluptate cy-
gnus emoriturus recreatur, cum cantu emoria-
Ariſtot. tur, vt præ cæteris docet Ariſtoteles lib. 9. de hi-
Plato. ſtor. animalium, cap. 12. Sanè Socrates apud
Platonem in Phædone in eos inuehitur, qui cùm
mortem expaueſcerent, cygnos falsò crimina-
bantur, aſſerentes concentum illum, quem in
morte edunt, argumentum eſſe doloris, non læ-
titiæ. Atque hoc mortis genere tandem occum-
beret Chriſtus Dominus, niſi ab impiis Iudæis
fuiſſet occiſus, mortuaque eſt Virgo Deipara, vt
ex lib. reuelationum B. Brigittæ oſtendit Petrus
Pet. Caniſ. Caniſius lib. 5. cap. 2.

58\. Auguſt. Greg. Ariſtot. Neque verò obſtat id, quod D. ait Auguſtinus,
& poſt eum Magnus Gregorius. Non niſi cum
dolore amittitur, quod cum amore poſſidetur;
quod vſque adeò verum eſt, vt dicat Ariſtoteles
problem. 5. cap. 28. propterea nos ægriùs ferre
ſitim quàm famem, quòd iucundius & ſuauius
bibere, quàm comedere ſoleamus: quare cùm
nihil vita nobis charius ſit, conſequens neceſſariò
videtur, vt mors etiam naturalis, quæ hoc tam
iucundum bonum aufert, nullo modo poſſit
cum voluptate contingere, imò verò cum acer-
biſſimo doloris ſenſu. Vnde illud Chriſti Domi-
Math. 26. Marc. 14. ni, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, ſic de-
Euthym. clarat Euthymius, *Dolorem patitur anima mea do-
lori mortis ſimillimum.* Non, inquam, obſtat, tum
quia ſapiens non ita viuere amat, vt abſolutè de-
ſideret eſſe immortalis, cum iudicet naturali-
ter eſſe impoſſibile, ſed deſiderio tantùm condi-
tionato, quod eſt non voluptas, ſed velleitas,
Fonſec. quæ, vt egregie notauit Fonſeca 1. Met. 2. q. 2.
ſect. 3. ad 4. nullam ei afferat inquietudinem:
vnde qui ad eam peruenit ætatem, vt iure poſſit
dicere,

Vixi, & quem dederat curſum natura peregi.

abſque vllo doloris ſenſu, & animi mœſtitia ex
corporis ſoluitur ergaſtulis: quia paulo ante
mortem naturalem accreſcit ſpes diutiùs viuen-
di, vt dictum eſt, ideóque nulla tunc mœſtitiæ
cauſa erit, ſed lætitiæ. Ariſtoteles verò, qui 1.
Ariſtot. Rhetor. cap. 23. ex Poëta Sapho probat mor-
tem quocunque modo contingat, malum quod-
dam eſſe, quia ſi bonum eſſet, etiam dij morere-
tur; & 2. Phyſic. cap. 2. Empedoclem reprehen-
dit quòd mortem finem appellarit, cùm finis bo-
num quoddam ſit, mors autem malum; de morte
violenta interpretandus eſt, non de naturali. Si-
D. Thom. militer D. Thomas cùm mortem ait omnium pœ-
narum eſſe maximam, violentam intelligit: vnde
quæſt. 26. de veritate art. 6. ad 8. affirmat labo-
rem omnem, quantumuis magnum & prolixum
quem Confeſſor toto vitæ tempore ſuſtinet,
æquiparari non poſſe ſecundùm genus operis ei
dolori, quem Martyr in momento ſuſtinet;
quamuis alia via poſſit Confeſſor plus mereri; Ioan. 15.
nam *maiorem charitatē nemo habet, quàm vt ani-
mam ponat quis pro amicis ſuis*, quia per mortem
aufertur id, quod nobis eſt maximè amabile.

Problema XI.

Vtrùm quæ per oculos faſcinatio contin-git, naturaliter fiat.

Cvm varij ſint faſcinationum modi, de qui- 59.
bus multi multa diſputant, de ea tantùm
præſens ſuſcipitur diſputatio, quæ fit inuido, at-
que maligno oculorum obtutu, quod Luſitanè
dicimus, *dar olhardo*, iuxta illud Virgilij Ec-
log. 3.

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos. Virgil. Ecl. 3.

Igitur D. Hieronymus lib. 1. in epiſtol. ad Galat.
ſatis dubium ſe præbet, an talis faſcinus à natu- Hieron.
ra proueniat: ſic enim ait, *Dicitur faſcinus infan-
tibus nocere, & ætati paruulæ; hoc vtrùm verum nec
ne ſit, Deus viderit: quia fieri poteſt, vt & dæmones
huic peccato inſeruiant.* Partem verò negatiuam
ſequuti ſunt quamplures apud Abulenſ. parado- Abulenſ.
xo 4. viri pij, & catholici vt interim omittamus
Cornelium Agrippam, hominem hæreticum, in Corn. Agrip.
lib. quem edidit aduersùs Lamiarum inquiſito-
res vbi contendit ſemper malum hoc ex dæmo-
num præſtigiis prouenire, cui etiam parti non
mediocriter fauet D. Ioan. Cryſoſtomus hom. 8.
in epiſt. ad Coloſſ. vbi malum hoc Satanicum ap- Chryſoſt.
pellat, nullúmque aliud ei vult adhiberi reme-
dium præter ſignum crucis.

Rationibus autem ſic eam poſſumus confir- 60.
mare: Si naturaliter euenire poſſet vt vetula, dum *Non euenire faſcinationē naturaliter.*
liuidis oculis infantem contuetur, ipſum in ta-
bem verteret; aut id per ſolam fieret viſionem,
aut per vehementem imaginatricis facultatis ap-
prehenſionem, aut denique per venenatos ſpi-
ritus ab oculis eiaculatos. Primū dici non poteſt,
cùm viſio non fiat per radios ab oculis egreſſos,
vt Plato aſſeruit, ſed per receptionem ſpeciei ab
ipſo obiecto, atque adeò patiente ſenſitiuo, vt Ariſtot.
probat Ariſtoteles 2. de anima 7. Tantum ergo
abeſt, vt oculus rebus ſibi obiectis per videndi
actum nocere valeat, vt potiùs ab eis bene, vel
malè afficiatur. Solet enim color viridis oculos
recreare, & reficere, ater verò & obſcurus tæ-
dio afficere. Accedit etiam faſcinum non tantùm *Faſcinatio*
viſu, ſed voce quoque contingere: conſtans enim *per laudem.*
fama fuit Theſalos laudando faſcinare, quod
etiam de quibuſdam Africæ populis ſcribit Pli- Plinius.
nius lib 7. naturalis hiſtor. cap. 2. quo ſenſu acci-
piunt nonnulli illud, quod habetur Sapient. 4.
Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona; hoc eſt, nu-
gatoria adulánſque laudatio mentem euertit, bo-
nóſque mores ſæpe corrumpit. Vnde, *Si te*, inquit
idem Sapiens Prouerb. 1. *lactauerint peccatores,
ne acquieſcas illis*, quia nimirum ſolent laudando
faſcinare. Sanè ad hoc alluſiſſe videtur Arcas ille
paſtor apud Maronem, qui carminibus cum Co-
ridone contendens, ſic ait Eclog. 7.

Aut ſi vltra placitum laudarit, baccare frontem Virgil.
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Fieri ergo nullo modo poteſt, vt ſola viſione fa-
ſcinatus puer contabeſcat. Secundum etiam dici

non poteſt, niſi quis exſibilatam iam & exploſam, imo & anathemate non ſemel damnatam ab articulis Pariſienſibus Auicennæ ſententiam ab inferis velit exſuſcitare, qui lib. 6. naturalium part. 4. cap. 6. tantam vim, & agendi efficaciam tribuit virtuti imaginatrici, vt res diſtantes non ſolùm alterare, ſed & imbres & ventos concitare poſſit: atqui ita faſcinationem imaginationis vi fieri contendit. Non poteſt, inquam, hoc dici, quia pluſquam certum eſt non poſſe agens naturale operari in diſtans, & non per medium, vt interim omittam alia abſurda, quæ hanc ſententiam ſequuntur. Sed neque dici poteſt ex oculis hominis faſcinantis venenatos egredi ſpiritus, qui pueros attingentes contagione afficiant. Primò quidem, quia ſæpe & tam longa diſtantia contingit faſcinatio, vt credibile non ſit illuc ſpiritus ex oculis iaculatos perſtringere voluiſſe. Conſtat enim Duci Brigantiæ fuiſſe famulum coclitem, qui cum fixis oculorum obtutibus falconem aut niſum ad prædam aduolantem intueretur, in terram deiicere ſolerter, quare cauebat Dux ad aucupium iturus, ne ille in comitatu eſſet, quomodo ergo ſpiritus illi per tantam diſtantiam fundebantur, vt eò peruenirent, quo vix oculorum acies pertingeret? quomodo per aërem fuſi non ardeam, ſed falconem enecabant? Certè per alios ſpiritus videbitur id factum, qui per aërem hunc caliginoſum vagantur, rectoréſque ſunt tenebrarum harum. Deinde, quia vt commemorat Hieronymus, Vida Epiſcopus Albenſis, & Poëta nobilis in lib. de bombyce, quidam in Italia ſuo tempore ſenex erat,

Auicen.

Brigantini Ducis famulus cocles.

Qui triſti ſcelus obtutu genus omne necaret,
Reptantem tenues animas, volucréſque volantes:
Quique hortis ſtragem daret, arboribúſque ruinā.

Vida.

Sed hoc per venenatos ſpiritus præſtari omnem fidem humanam excedit; vnde enim tanta illorum copia, quos videndo exhalaret? Vnde tanta veneni efficacia, vt non tantùm auibus, inſtar Auerni lacus, noceret, ſed herbis, & plantis? præterea quia non quæcumque vetulæ, ſed quæ malè audiunt, vt lamiæ, & veneficæ infantes ſolent faſcinare; ad quorum proinde curationem inducit vulgus fœminas alias, quas benedicentes appellat, (rectè dixiſſet maledicentes, rectiùs maledictas) appenditque lunulas argenteas, & neſcio quas figuras alias ex ſuccino è frontibus puerorum: in quam ſuperſtitionem acriter inuehitur D. Chryſoſtomus loco ſuprà citato, *Crux*, inquiens, *Chriſti dehoneſtatur, elementorum verò ſuperſtitioſi characteres præferuntur, Chriſtus eiicitur, & inducitur temulenta & nugatrix anus, myſterium noſtrum conculcatur, & ſeductio diaboli tripudiat.* Denique quia faſcinus plerumque oritur ex inuidia: vnde verbum ipſum, *faſcinare*, ſæpenumero ſignificabat inuidere, vt præter profanos auctores annotauit D. Auguſtinus lib. 5. locutionum in Deuteronom. quo ſenſu accipiunt nonnulli illud Pauli ad Galat. *O inſẽſati Galatæ, quis vos faſcinauit*, hoc eſt, quis vobis inuidit, & inuidendo nocuit, vt fidei ſtomacho nauſeante Spiritus ſancti cibum euomueritis? vt gloſſa ait deſumpta ex D. Hieronymo. Vnde etiam apud Plutarchum in lib. de claris mulieribus, cap. 17. fit mentio cuiuſdam ſepulchri, quod faſcinationis, hoc eſt, inuidiæ propterea fuit appellatum, quòd in eo condita ſit Polycrita memorabilis fœmina, quæ cùm velut altera Iudith patriam ab hoſtibibus liberaret, & magna populi lætitia in vrbem reciperetur, inter ipſas fauſtas acclamationes repentè occubuit, quaſi ab inuidia faſcinata. Sed omninò videtur à ratione alienum, vt inuidia animo concepta ita oculos immutare valeat, vt externo noceant obiecto; ergo non hoc naturæ malum, ſed maleficium eſt dæmonum arte perpetratum.

Auguſt.

Galat. 3.

Hieron.

Plutarch.

60 Oppoſita tamen ſententia, quæ habet faſcinum, & ſi aliquando miniſterio dæmonum contingat, plerumque tamen naturaliter fieri aſſeritur à D. Thoma multis locis, & eſt communis. Ea verò facile probatur, quia non eſt à ratione alienum poſſe ex ſanguineis oculis alicuius vetulæ, venenatos ſpiritus emicare, qui pueros tabefaciant: nam, vt ſcribunt Plinius, Galenus, & plures alij, Baſilicus quem regulum ſacræ litteræ vocant, ſolo oculorum intuitu homines, cæteráque animalia interneccat, ídque efficit per peſtilentes qualitates, quas ex oculis eiaculatur, vt ait D. Thomas 2. 2. quæſt. 26. de veritate art. 3. ad 4. Lupus item, cùm procul hominem contuetur, vocem ei abripit, vt ſcribit idem Plin. Vnde illud Virgilianum Eclog. 9.

Suadetur faſcinũ contingere naturaliter.

D. Thom.

Plinius.

Galen.

D. Thom.

Plin.

——vox quoque Mœrim
Deficit ipſa; lupi Mœrim vidêre priores.

Virgil.

Teſtatúrque D. Iſidorus lib. 12. Etymol. cap. 1. hinc exortum fuiſſe tritum illud prouerbium, *Lupus in fabula*, quo vtimur, cum ille de quo ſermonem habemus, improuiſus adeſt, præſentiáque ſua ſermonem noſtrum interrumpit. Teſtudo quoque marina, quam Luſitanè dicimus *tartaruga*, vt multorum eſt opinio, teſtante Plinio lib. 9. cap. 10. intentis oculis oua in littore collocata inſpectando fouere ſolet. Ergo quid mirum eſt, ſi ex vetularum oculis mali ſpiritus emittantur, quibus infantes faſcinentur. Eſtque huius rei peculiaris in his fœminis ratio, quam modò explicare non eſt neceſſe; conſolantur Medici.

Iſidor.

Plinius.

61 Neque verò refert, quòd malum hoc plerumque ex inuidia oriatur, vt egregiè notauit D. Thomas ſuper cap. 3. Epiſtolæ ad Galat. nam affectiones appetitus ſenſitiui non fiunt abſque corporis alteratione, atque adeò cùm vehementes ſunt, ipſum acriter commouent, vt rectè philoſophatur D. Auguſtinus epiſt. 155. vbi, *Arbitror*, inquit, *omnem motum animi aliquid facere, in corpore, id autem vſque ad noſtros exire ſenſus, cùm maiores ſunt animi motus.* Vnde etiam legimus inſignem medicum Eraſiſtratum latentis in Principe Antiocho amoris paſſionem ex venarum micantium pulſu deprehendiſſe. Cùm igitur inuidiæ venenum ſit omnium præſentiſſimum, vt pote, quo animus cruciatur, & corpus contabeſcit, quid mirum ſi inde nociuæ qualitates procreentur, quæ ad oculos & inde longiùs diffundantur. Sanè vulgaris Poëta id non obſcurè ſignificauit, cùm verbis ita depinxit inuidiam.

D. Thom.

Auguſt.

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto:
Nuſquam recta acies, liuent rubigine dentes:
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno.

Denique confirmatur hæc pars, quia, vt experientia teſtatur, talparum manus è frontibus puerorum ſuſpenſæ huic malo mederi ſolent: ergo quemadmodum rectè concludimus Magnetem occulta aliqua vi ferrum ad ſe attrahere, quia ſi alliis linatur, hebes ad trahendum fit; ita ſanè opus eſt, vt dicamus fieri faſcinum aliqua vi occulta, naturali tamen, quòd ad præſentiam manuum talparum omnino remittatur.

Antidotum faſcini.

PROBLE

Problema XII.

An Pygmæi veri ſint homines.

62. *Pygmæi veri homines.* Iuuenal. Ariſt. *Inſana proceritatis homines.*

PYgmæos, *quorum tota cohors pede non eſt altior vno*, vt Poëta ait, veros homines eſſe aſſeruit Ariſtoteles 8. lib. de hiſt. animalium cap. 12. vbi affirmat non eſſe fabuloſa ea, quæ de his homunciis dicuntur. Accedunt rationes. Prima, quia ſicut fuerunt homines portentoſæ magnitudinis, ita eſſe potuerunt portentoſæ breuitatis. Quòd fuerint homines portentoſæ magnitudinis, conſtat in primis ex ſacris literis, dicitur enim Deut. 3. de Og rege Baſan, quòd lectus eius ferreus nouem cubitos haberet longitudinis, & quatuor latitudinis ad menſuram cubiti virilis manus. Et ex profanis literis omnibus notum eſt Pallantem illum Euandri filium, quem Turnus interfecit, Romanæ vrbis mœnia toto capite ſuperaſſe; cùm enim anno ferè octingenteſimo poſt Chriſtum natum corpus eius prope vrbis mœnia inuentum fuiſſet, integrum in pedes erectum eſt, pinnáſque murorum ab humeris ſuperauit. D. item Auguſtinus lib. 15. de ciuitate c. 9. affirmat oſtenſum ſibi fuiſſe molarem D. Chriſtophori dentem pugno maiorem. Similitudo verò bona eſt, quia cùm humana natura ad vtrunque terminum determinata ſit, ſicut Gigantum ſtirpem ſuo ambitu coërcet, ita par eſt, vt eos non excludat, qui in minimo ferè habitant, qualis eſt Pygmæorum gens, quorum ſtatura non eſt infra minimum humanæ naturæ, cùm illud adeò exiguum ſit, teſte D. Thoma in 3. d. 3. q. 5. art. 2. ad tertium, ex Ariſtotele, vt apis quantitatem non excedat. Neque negandum eſt rationalem animam in ſuo minimo introduci poſſe, cùm id affirmet D. Thomas tam loco citato, quàm etiam 3. p. 4. quæſt. 33. art. 2. de anima ſanctiſſima Chriſti Seruatoris noſtri, in quo tamen rationis plenum habuit rationis vſum, vtpote quæ in primo ſuæ creationis inſtanti Deum viderit. Accedit etiam Pygmæorum opera rationem, & diſcurſum ſapere, vt enim ſcribit Plin. lib. 7. cap. 2. caſas quibus ſe defendant à cœli iniuriis, conſtruunt ex luto, penniſque, & ouorum putaminibus, inſidentéſque arietum, & caprarum dorſis, armati ſagittis ad mare deſcendunt, vt gruum oua, pullóſque conſumant. Vnde eſt illud Iuuen. Satyr. 13.

(Margin: August. — D. Thom. — *Pygmæi diſcurrunt.* — Plinius. — Iuuenal.)

Ad ſubitas Thracum voces, nubémque ſonoram
Pygmæus paruis currit bellator in armis.

(Margin: Niceph. — *Homo perdici ſimilis.* — August.)

Denique accedit illud, quod ſcribit Nicephorus lib. 12. Eccleſ. hiſtor. cap. 37. imperante ſcilicet Theodoſio in Ægypto degiſſe hominem ea corporis mole, vt perdici ſimilis eſſet. *Neque ingratum*, inquit, *ſpectaculum erat, ſi cum illo in globo hominum conuerſaretur, & ad contentionem excitatus colluderet: & quod mirabile dictu eſt, prudentia ei inerat, vox à muſis non abhorrebat.* Hæc Nicephorus. Huic etiam ſententiæ ſubſcribit D. Auguſtinus lib. 16. de ciuitate cap. 8. *Non nobis*, inquit, *abſurdum videri debet, vt quemadmodum in ſingulis quibuſque gentibus quædam monſtra ſunt hominum, ita in vniuerſo genere humano quædam monſtra ſint gentium.* Sanè ſcriptores in regione, quam incoluerint, non conueniunt: nam Ariſtoteles loco ſuprà citato, quem ſequitur Plin. lib. 6. cap. 3. & Pompon. Mela cap. 9. eos in Æthiopia, quæ eſt ſupra Ægyptum, collocant: at idem Plin lib. 4. cap. 11. in Thracia eos habitaſſe affirmat, in quam à gruibus fugatos ait. Solinus verò cap. 65. & quidam alij apud Gellium lib. 9. noctium Attic. cap. 4. ad extremas Indiæ oras eos relegarunt. Quæ vna ratio fuit, quæ M. Albertum lib. 21. de animalibus cap. 2. mouerit vt eos veros homines eſſe negaret: nam ſi in tot ſimul partibus habitarunt, mirum eſt ita fuiſſe à gruibus extinctos, vt ad Alexandri, & Romanorum tempora nullus peruenerit, nec aliquis ſcriptum reliquerit, quòd eos inuenerit aut fuerit alloquutus. Deinde, quia eorum hiſtoria, eſto fabuloſa non ſit, antiquiſſima eſt, cùm nimirum homines erant longiſſimæ ſtaturæ: non eſt autem credibile, tunc cùm maximè humana natura vigebat, ita defeciſſe, vt non vno tantùm loco, ſed in pluribus tot homines nani naſcerentur. Igitur Albert. Mag. ſub genere ſimiarum Pygmæos collocat. Et certè ex Ariſtotele habetur Pygmæos eiuſdem ſpeciei nobiſcum eſſe non poſſe, cùm eos ex homine & equo conſlatos eſſe aſſeueret.

(Margin: *De regione quã incolunt Pygmæi.* — Ariſtot. — Plinius. — Pomp. Mela. — Plin. — Solinus. — Gellius. — Albert. Mag. — *Pygmæos ſimias credidit Magnus Albertus; Ariſtoteles, ex equo, & homine conſlatos.*)

Problema XIII.

Vtrùm fuga aliquando à fortitudine imperetur.

IN hac difficultate explicanda tres grauiſſimos Patres, vt interim alios Scholaſticos, & Scripturarios interpretes omittam, duces habere poſſumus Tertullianum, D. Athanaſium, D. Auguſtinum. Tertullianus lib. de fuga in perſequutione abſolutè negat fugam ab homine forti capeſſendam. *Pulchrior*, inquit, *eſt miles in pugna amiſſus, quàm in fuga ſaluus; malo miſerandum, quàm erubeſcendum.* Vnde addit eos, qui martyrium fugiunt, Chriſtum negare. *Negatio*, inquit, *eſt martyrij recuſatio.* D. Athanaſius in Apologia de fuga ſua, abſolutè affirmat fugam eſſe actũ fortitudinis; & cùm multa in hanc rem exempla prodidiſſet, tandem concludit, *Iſta*, inquit, *documenta exhibent fugam nequaquam metu ſuſceptam eſſe, ſed magnam vim fortitudinis in ea contineri.* Quapropter addit, *qui in fuga moriuntur, non moriuntur ingloriè, verùm & hi quoque adoreã martyrij conſequuntur.* Inter hos duos Patres adeò diſſidentes, caduceator, ſeu pacificator intercedit D. Auguſtinus epiſt. 180. ad Honoratum. Qui vt erat ingenioſus, ingenioſè diſtinguit, & ſicut quandam fugam indecoram fatetur, ita aliam glorioſam teſtatur, rémque totam feliciter declarat. Auguſtini partes D. Ambroſius toto libro de fuga ſeculi, D. Thomas 2. 2. q. 185. art. 5. Abulen. in c. 10. Matth. q. 108. egregiè proſequuntur. Ab his fontibus noſtræ diſputationis riuulus emanabit.

(Margin: 63. Vide auctorem tom. 2. in lib. Reg. c. 4. an. 13. ſect. 1. 2. & 3. — Tertul. — Athanaſ. — Auguſt. — Ambr. — D. Tho. — Abul.)

64. *Oſtenditur, fugam à fortitudine imperari.*

Pars igitur quæſtionis affirmatiua, quòd ſcilicet fuga aliquando à fortitudine imperetur, dictis exemplis, rationib. firmatur dictis. Res ſacra eſt, de virtute agimus. Confugiamus ad virtutum omnium ſacrarium, ſacras literas, Pſal. 67. *Rex virtutum dilecti dilecti.* Hebraicè, *Reges virtutum fugerunt, fugerunt.* Vtraque verſiculi pars, emphatica eſt. Prior, *Reges virtutum*, id eſt, Reges fortiſſimi, Reges robuſtiſſimi, Reges magna virtute prædici. Sicut alibi, *Dominus virtutum nobiſcum, & Altaria tua Domine virtutum*, &c. *Domine Deus virtutum exaudi*, &c. Poſterior, *fugerunt, fugerunt*, id eſt, valde fugerunt, per Epizeuxim, ſicut alibi,

Digitized by Google

Conſolamini, conſolamini popule meus, id eſt, valde conſolamini. Quid ergo, Reges magna virtute præditi fugerunt? plane fugerunt. Et quidem fuſa fuga, laxis habenis, equis & quadrigis, remigiis Dædalæis; *fugerunt, fugerunt*; ergo fuga actus eſſe poteſt fortitudinis, Pſalm. 17. *Deus, qui præcinxit me virtute, qui docet manus meas ad prælium, & poſuiſti vt arcum æreum brachia mea.* hoc eſt, Deus manus mihi reddidit promptiſſimas ad bellandum; brachia ex ære fuſa, ne vllis ictib. frangantur; totum corpus robore ac virtute pluſquam ſeptemplici thorace munitiſſimum, ne vllis ingruentium telorum procellis obruatur. Quid deinde? *Qui perfecit pedes meos quaſi ceruorum*, id eſt, qui roborauit pedes meos, quaſi pedes ceruinos. Quid iſtud eſt fortitudinis? Pedes ceruini timidi, & fugaces ſunt. In quo fortitudo iſta ſita eſt? Niſi forte

Vigil. 11. Æneid. *Ventoſa in lingua, pedibúſque fugacibus?*

Abſit. Sed plane oſtendit vates, non omnem fugacitatem timiditatem eſſe; ſed in fuga aliquando fortitudinem collocari.

75. Quàm bene cum Vate regio colludit alius Abac. 3. *Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos, quaſi ceruorum*, hoc eſt, Deus mihi fortitudo eſt. Cur ita? An quia confert vim ad reſiſtendum? animos ad irruendum? Virtutem ad diſperdendum? Nequaquam. Sed quia confert pedes velociſſimos ad fugiendum, *pedes ceruorum*, ſeu, vt eſt in Hebræo, *Angelorum*, quaſi in fugacitate ceruina fortitudo Angelica conſiſtat. Mirum eſt Apocalypſ. 12. datas fuiſſe mulieri alas duas aquilæ magnæ, vt fugeret in deſertum, cùm ad fugam aptiores videantur alæ columbicæ, quàm aquilinæ, columbæ enim imbelles ſunt, aquilæ bellatrices; ſed nihil mirum, cùm & generoſam, & bellatricem aquilam non dedeceat fugam aliquando maturare; præſertim cùm fugiendo non conſulat timori, ſed artem oſtendat.

Chryſol. *Bellicoſus miles*, (inquit Chryſologus, loquutus de fuga Chriſti Domini in Ægyptum,) *quod in pugna fugit, artis eſt, non timoris.* *Fuga illa*, inquit
Ambroſ. Ambroſius loquutus de fuga Hebræorum ex Æ-
Cyprian. gypto, *erat trames innocentiæ, pietatis aſſumptio, via virtutis. Aduerſa*, inquit Cyprianus, *eſt confidentia, quæ periculis vitam ſuam pro certo commendat: expe-*
Athanaſ. *dit plus bene timere, quàm malè fidere.* Addit Athanaſius, fortius eſſe aliquando à morte fugere, quàm in mortem ruere. Rationem reddit, *quia qui in mortem ruit, multis ſe eripit à miſeriis, quibus ferendis non erat par: qui à morte fugit, maioribus ſe calamitatibus exponit, quibus deuorandis animum geſtat capaciſſimum.*

76. Venio ad exempla. Quis Tegeatas timoris arguat, quòd fugiendo vincant? Quis Horatios ignauiæ condemnet, quòd fugam capeſſendo victoriam capeſſant? Quis Parthos timiditatis inſimulet, quòd verſis in fugam equis inſequentes hoſtium cuneos vertant? iuxta illud Mantuani,

Virgil. *Fidentémque fuga Parthum, verſiſque ſagittis.*

Et illud Horatianum,

Horat. *Et verſis animoſum equis Parthum.*

Demoſthenes datus aliquando in fugam adeò non erubuit, vt percontantibus, cur fugerit, reſponderit, *Seruo me patriæ.* Antigonus hoſti cedens, *Non fugio*, inquit, *hoſtem, ſed vtilitatem bellandi à tergo ſequor.* quaſi non timoris eſſet illa fuga, ſed artis Fabius, quem non potuit Pœnum vincere irruendo, cedendo fregit, & emolliuit. Fuga planè obtinuit, quod pugna non obtineret. Quid ſacra moror? Ioſue cap. 8. diuino armatus præſidio, fortium bellatorum agminibus circumſeptus, oraculo de cælo admonitus, ne quid formidaret; nihilominus vrbem Hai expugnaturus, fugit, terga vertit, & quam non potuit vrbem irruendo expugnare, fugiendo labefecit. Iſrael contra Beniamin præliaturus Iud. 20. pugnam in fugam vertit: & qui à Beniaminis fuſus & fugatus fuerat pugnando, Beniaminos fudit & fugauit fugiendo, vt maius eniteſceret in fuga, quàm in pugna bellicæ fortitudinis trophæum. David, vt rectè colligit Genebrardus, Genebrard. duodecies fugit à facie Saulis. De qua fuga tantum abeſt, vt erubeſcat, vt potiùs eam compoſitis carminibus decantet. *Deus vitam meam annuntiaui tibi*, Pſal. 55. Hebraice, *Deus fugam meam annuntiaui tibi.*

Hinc eſt, quod miratur Chryſoſtomus multos 77.
Pſalmos à Dauide ſic inſcriptos, *Pſalmus David, cùm fugeret à facie Abſalonis, cum fugeret à facie*
Saulis. Quid hoc eſt, inquit Chryſoſtomus, *cæteri* Chryſoſt.
homines fugam, ſi quam aliquando inierunt, celant, & occultant: Dauid prædicat, & oſtentat: Planè intelligit non fuiſſe à timore ortam, ſed à fortitudine profectam. Percurrite clariſſimos heroas, pleroſque inuenietis fugam aliquando ſuſcepiſſe, non indicem timoris, ſed alumnam fortitudinis. Iacob fugit à fratre ſuo Eſau, Moyſes à Pharaone; Elias à Rege Achab; Dauid à Saule, & Abſalone; filij Prophetarum ad necem requiſiti, ſe in ſpeluncas abdiderunt, D. Paulus in ſporta è muro dimiſſus eſt. Chriſtus Dominus fugam ſuadet, *cùm vos perſequuti fuerint in ciuitate iſta, fugite in aliam.* Et iterum, *qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes*; imò & ipſe recens natus fugit in Ægyptum; & ſæpe alibi à Iudæis in mortem requiſi-
tus, eorum ſe eripit à conſpectu, Matth. 12. Marc. Athanaſ.
3. Luc. 6. Ioan. 11. *Quid ergo*, inquit Athanaſius, Arator.
adeò inſanire poſſunt iſti animoſi, & pompatici bella- Beda.
tores, vt Deo Domino timiditatem obiiciant? Quis eos ſic inſanientes ferat? Melius eſt, vt de ignoratione Euangelij malè audiant. Feſtiuum eſt, quod Arator antiquus Poëta, & poſt eum Beda, Gloſſa, aliique interpretes, in ſporta, qua Paulus e muro dimiſſus eſt, excogitarunt. *Sporta*, inquiunt, *plerumque è palmis contexitur: in ſporta igitur Paulus, fugit, quia eius fugam non timor & imbecillitas, ſed fortitudo & palma conſequuntur.* Quadrat illud Gregorij Magni Greg.
lib. 31. moral. c. 14. *Paulus*, inquit, *ſeceſſum à certamine petit, & pugnaturus felicius ad alia ſe bella ſeruauit: non loco virtus, ſed locus virtuti defuit, & idcirco fortiſſimus miles ab obſidionis anguſtia certaminis campum quæſiuit.* Nata eſt in hanc rem illa paroemia, quam ex Græco tranſtulit Tertullianus, Tertull.
Miles, qui fugit, iterum præliatur.

Ad hæc triplicem adhibeo rationem. Primam, 78.
metus ſæpenumero fugam impedit ac refrænat: nam timente appetitu, ad cor omnes ſpiritus vitales, tanquam ſatellites ad regiam conueniunt; quibus proinde ſpiritus cætera membra deſtituta nequeunt ſe in fugam explicare. Vnde leones feras ſe perniciores venaturi, rugiunt, & quas curſu prendere non poſſunt, rugitu terrefaciunt, & conſternant, ne in fugam actæ ſibi è dentibus auferantur. Quò illud Dauidicum ſpectat, *Catuli leonum rugientes, vt rapiant & quærant à Deo eſcam ſibi*, Pſalm. 103. ſed fortitudo metum temperat, &
coërcet; vnde ab Ariſtotele 2. Ethic. cap. 7. ac D. Ariſtot.
Thoma 2. 2. q. 123. art. 3. definitur mediocritas D Thom.
circa metum & audaciam: hoc eſt, virtus, quæ metum & audaciam moderatur: ergo fortitudo poteſt

poteſt fugam imperare. Probo conſequentiam, quia qui tollit impedimentum fugæ, poteſt ad fugam expedire; ergo ſi fortitudo tollit metum, qui fugam impedit, ipſa ad fugam expedit. Secunda ratio eſt, quia non magis alienus videtur à fortitudine actus fugiendi, quàm à charitate actus reſiſtendi: nam ſicut fortitudo non deficit in arduis,, ita charitas non immutatur in aduerſis, ſed reſiſtentia & pugna eſſe poteſt actus charitatis tam propriæ, quàm alienæ: vt ex Magiſtro ſententiarum, ac D. Gregorio Magno, Richardus quodlib. 2. quæſt. 27. teſtatur: nam malos ſuaſores poteſt quis per vim repellere, ex motiuo propriæ charitatis, & ex motiuo alienæ impium aggreſſorem per violentiam remouere; in his enim rebus charitatis genus eſt eſſe crudelem: ad hunc enim finem Chriſtus Dominus gladium in terram miſit,& cùm præceptum intulit charitatis, ac ſi hæc duo charitatem, & reſiſtentiam contraria non eſſe indicaret: ergo etiam fuga eſſe poteſt actus fortitudinis. Tertiò ſic argumentor: Vbicumque datur bonum arduum, ac difficile, ibi datur tota ratio terminatiua fortitudinis; hæc enim, vt docet D. Thomas citato loco, verſatur circa pericula, quæ retrahere poſſunt voluntatem à ſequela rationis: ſed fuga aliquando eſt magis ardua ac difficilis, quàm ipſa periculorum tolerantia, vt ſuprà ex D. Athanaſio referebam. Vnde Helias 3. Regum 19.fugiens mortem, petebat mortem. ***Sufficit mihi Domine, tolle animam meam;*** ac ſi mors facilior illi videretur, quàm fuga mortis: ergo fortitudo poteſt aliquando ad fugam inclinare.

Magiſt. Gregor. Richard. — *D.Thom.*

79. *Fuga non eſt actus fortitudinis.* Nihilominus dicendum eſt fugam eſſe poſſe actum prudentiæ, aut alterius virtutis, non tamen fortitudinis. Quòd ſit actus prudentiæ, probant quæ hactenus diſſeruimus. Vnde Chriſtus Dominus Matth. 10. poſtquam præcipit, ***Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes***; ſtatim addidit, vt ingenioſè recentiores interpretes obſeruarunt, ***cum vos perſequentur in ciuitate iſta, fugite in aliam.*** Ac ſi manifeſtè indicaret fugam aliquando prudentiæ partem eſſe. Et cùm Iacobo mater ſuaderet, ***Fuge in Meſopotamiam***, pater ſuaſit, ***Vade in domum Bathuelis***, qui interpretatur *ſapientia*, ***quaſi fuga illa***, vt D. Ambroſius exponit, ***prudentia, ac ſapientia dirigeretur.*** Quòd tamen non ſit actus fortitudinis, ſed timoris, multis probari poteſt teſtimoniis, Poëtæ paſſim. Virgil. 8. Æneid.

Ambroſ.

——pedibus timor addidit alas.

Virgil. Homer.

Homer. Iliad. 11. appellat fugam ***frigidi metus ſociam.*** Lacedæmones ſuis militibus ad pugnam prodituris, ſoleas, ſiue calceos induebant, ne ad capeſſendam fugam timor pedibus alas adderet. Aliquando etiam ex collo militum anchoras religabant, vt ſcirent eodem veſtigio, & collato pede, aut vincendum, aut moriendum, nunquam verò fugiendum.

80. Iam verò inter Romanos fortiſſimi dicebantur, qui nunquam è bello fugerant. Lucius Dentatus, teſte Liuio, centum & viginti præliis cum hoſtibus congreſſus, nullam excepit auerſo pectore cicatricem, & ideo ***Romanus Achilles*** appellatus. Probus Imperator, Vopiſco authore, cùm de præda repertus eſſet equus, qui centum & decem milliaria currere diceretur, & per octo & decem dies curſum continuare, crederentque omnes ipſum Probum ſibi illum reſeruaturum, dixiſſe narratur; ***fugitiuo militi potius, quàm forti Imperatori eum equum conuenire***, atque adeò illum repudiaſſe, & illius nomen in vrnam conieciſſe à militibus ſortiendum. Quaſi illud fugæ præſidium, tanquam ſibi indecorum aſpernaretur: Tertulliani hæc fuit ſententia de fuga in perſecut. cap. 10. ***Pulchrior eſt miles in pugna amiſſus, quàm in fuga ſaluus; malè miſerandum, quàm erubeſcendum***, &c. Sed de his mille ſuperſunt exempla valde nota tam in ſacris, quàm profanis monumentis.

Liuius. Vopiſc. Lucius Dentatus victoriis clarus. Probus Imp. Equus ſtupenda pernicitate. — *Tertull.*

ROBLEMA XIV.

Vtrùm homini poſt vigeſimum quintum annum vlla creſcendi ſpes ſuperſit.

81. *Probatur in eſſe homini ſpē creſcendi poſt 25. annum.* PArs affirmatiua probatur primò, quia aliqua ſunt viuentia, quæ toto ferè vitæ tempore augeantur: ergo non eſt, cur id homini denegetur. Conſequentia videtur bona, cùm neque humanum temperamentum ſit deterius, quàm belluinum; neque potentia augmentatiua hominis inefficacior, quàm aliorum viuentium; & ſi reliqua viuentia ſemper creſcunt, cur homo deteriorem conditionem ſortiatur? Antecedens in primis probatur in vegetatiuis tantum. Nam arbores nonnullæ ſemper creſcunt, tales fuerunt, (vt alias omittam à Plinio, Pomponio, Solino, Columella, Æliano, aliiſque relatas) quas imemorat Liuius Luſitanus, (noſtis quem intelligam) in ſua Geographia, quàm manuſcriptam legi, typis mandata non extat. Memorat, in quam, Barrius, vidiſſe ſe in regione interamni quercus, in quarum fiſſuris & hiatibus quinquaginta pecudes, ac duo ſimul equites hoſpitarentur, quod aliter contingere non poſſet, niſi illæ arbores per multos annos tam extraordinaria incrementa ſuſcepiſſent. Sed quid de aquatilibus? Refert Lyranus in cap.41. Iob ad illa verba, ***Sternutatio eius ſplendor ignis***, prope oram maritimam Portugalliæ, & Carthuſianus ibidem, vt patriis vtamur exemplis, inuentum aliquando fuiſſe cetum, cuius lingua in fruſta diuiſa,quatuor, & viginti mulos oneraret: quod pondus ſi ad noſtros numeros reuocaretur, pendebat ſola lingua ad minimum (dico Luſitanè, ne ponderum vocabulis hæreamus,) 240. *arrobas.* Quòd ſi lingua tanta erat, quantos neceſſe eſt dentium aggeres fuiſſe, quantos faucium hiatus, quantam capitis molem, quantam totius corporis vaſtitatem? In tantam verò proceritatem abire illa bellua non poſſet, niſi toto vitæ tempore augeretur.

Ioan Barr. — *Lyra.* — *Carthuſ. Cetum immane.*

82. De volatilibus quid putatis? recolite illud ex Pſalm. 49. ***Pulchritudo agri mecum eſt.*** Adite interpretes, quid nomine *pulchritudinis* intelligatur, explorate. Sentiunt Rabbini auem immenſæ magnitudinis intelligendam eſſe, ***gallum*** vocant, atque ita transferunt ex Chaldæo, ***Pulchritudo agri mecum eſt, gallus ſyluestſer, cuius pedes quieſcunt in terra, & caput tangit cœlum, cantat coram me.*** Quis non miretur tam immenſam vnius alitis longitudinem, vt pedes in terra figat, ***caput inter nubila condat?*** Planè eſſe id non poſſet, niſi in multorum annorum ſpatio continuò adoleſceret. Iam verò de terreſtribus mira ſunt, quæ prodvnt Strabo, Plinius, & Ælianus, quorum ille, vt alios omittam, lib. 13. ſcribit viſum fuiſſe ſerpentem, ingeri longitudine, craſſitudine tanta, vt equites

Gallus immenſa magnitudine. — *Strabo. Plin. Ælianus. Serpens portentoſa molis.*

equites ex vtraque parte aſtantes ſe inuicem intueri non poſſent, hiatu autem tam immenſo, vt hominem equo inſidentem integrum deuoraret; ſquamis nihilo minoribus, quàm clypeis, conſertum. Imò & homines cedris, & quercubus æquales, Amos cap. 2. memorantur. *Exterminaui Amorrhæum; altitudo cedrorum, altitudo eius: & fortis ipſe quaſi quercus.* Hæc autem proceritas obtineri non potuit, niſi vltra 25. annum cōtinuaretur accretio: ergo non eſt, cur homini 25. annum attingenti ſpes creſcendi amputetur.

83. Secundò ſic argumentor, ſi homo poſtquam 25. annum expleuit, non poſſet vlteriùs accreſcere, vel eſſet ex eo, quòd anima iam eſt intrinſecè terminata quoad effectum accretionis: vel quòd temperamentum, cuius interuentu nutritio & accretio peraguntur, ita eſt debilitatum & infirmum, vt non poſſit plus ex alimento decoquere, quàm ex ſubſtantia amittat; ſed nulla ex his cauſis eſt ſufficiens: ergo bene poteſt vlteriùs augeri. Maior & conſequentia patent. Probo minorem. Nam in primis neque anima quoad ſubiectum informationis, neque potentia augmentatiua quoad effectum accretionis intrinſecè terminantur: ſi quidem in homine proceriori anima ampliorem materiam informat & potentia augmentatiua maiorem effectum accretionis producit; cùm tamen omnes inter ſe animæ, & omnes inter ſe potentiæ augmentatiuæ ſint eiuſdem infimæ ſpeciei, neque proinde diuerſos terminos magnitudinis ſortiantur; ſed quidquid vna anima informat, & quidquid vna potentia producit, poſſit quantum eſt de ſe ab alia anima informari, & alia potentia produci. Deinde temperamentum non eſt ita debilitatum, vt plus humidi radicalis amittat, quàm ex alimento aſſequatur: tum quia licèt aliquando ita ſit, non tamen opus eſt, vt ſemper ita contingat; nam ſicut arte medica poteſt vita in longiores metas extendi, quàm ſine illa extenderetur; ita poteſt natiuum temperamentum, ſartum tectúmque vltra 25. annum prorogari.

84. Tum etiam, quia calor natiuus non eſt efficacior ad depaſcendum humidum radicale, quàm ad alimentum in ſubſtantiam aliti conuertendum; proindéque quantum deſtruet ex humido, tantum reſarciet ex alimento: tum denique, quia poteſt eſſe alimentum tam facilis coctionis, vt ſemper plus ex illo in ſubſtantiam rei nutritæ conuertatur, quàm ex humido euertatur: quales ſunt illæ fumeæ ſubſtantiæ, quibus aliqui ægroti per iuxtapoſitionem nutriuntur, quæ in ipſis poris decoctæ, quin ad communem focum viuentis deportentur, ſtatim in ſubſtantiam aliti commutantur; tale fuiſſe dicitur manna, quod propterea Pſalm. 77. appellatur *panis Angelorum*, ſeu, vt alij vertunt ex Hebræo, *panis membrorum*, quòd in ipſis ſtatim membris corporis decoctum in ſubſtantiam aliti verteretur: ergo ex nullo capite poteſt prouenire, quòd homo poſt vigeſimumquintum annum non accreſcat in longitudinem, quemadmodum in latitudinem & craſſitudinem accreſcere ſæpenumero experimur.

* * *

PROBLEMA XV.

Vtra aptior ſit ad inſaniam inducendam, felicitas, an infelicitas.

SVppono felicitatem humanam, de qua ſolùm ſermo eſt, in bonis tam externis, quàm internis cōſiſtere: contrà verò infelicitatem in malis tam externis, quàm internis collocari. Deinde ſingula felicitatis bona cum ſingulis malis infelicitatis compono, externa cum externis, interna cum internis, & vtra habeant maiorem vim ad inſaniam inducendam inquiro. Quod externa bona facilius poſſint homines dementare, quàm externa mala, exemplis & rationibus fulcitur. Exemplis. Vtro quæſo de fonte vobis placet, vt hauriamus, de ſacro ne, an de profano? Hauriamus, ſi ita lubet, de vtroque. De profano. Cleopatra, cum ad Ægyptiam opulentiam, maiorem, quam poſſit oratione præſcribi, ſibi videretur propediem adiectura, Romani Imperij gloriam, ampliorem, quàm poſſit ratione definiri; quid agit? Tantæ impotens felicitatis furit, inſanit, bebacchatur. Eadem nauali prælio ad Actium ſuperata, cùm neque Ægyptias opes, quas poſſederat, retineret: neque Romanum decus, quod ſuperauerat, compararet. Quò ſe contulit? planè ad ſanam mentem. Reſipuit, deferbuit, amiſſam mentis rediit in ſanitatem. Bene hoc expreſſit Lyricus 1. carm. 37. de Cleopatra loquutus, 85. *Humana felicitas in quo conſiſtat.* *Pro felicitate.*

Fortunáque dulci ebria, ſed minuit furorem, Horatius.
Vix vna ſoſpet nauis ab ignibus.

Ergo tantum abeſt, vt externa mala conferant ad inſaniam inducendam, vt potiùs conferant ad inſaniam per externa bona iam inductam, penitus expurgandam.

Alexander Macedo, cùm inter hoſtium cuneos, inter iaculorum miſſus, inter cadentium militum ſtrages ſemper illæſum & immunem ſe videret; ideò proſpera fortuna elatus inſaniuit, vt ſe humanum Iouem, ſeu hominem diuinum, quaſi ſtygia ſuſceptum de palude prædicaret. Idem lethali vulnere aliquando ſauciatus, dolore incredibili commotus, vbertim erumpente ſanguine perfuſus, mentem ſic recepit, vt exclamaret. *At iſte*, inquit, *cruor, mortali fluit è corpore, non è diuino. Homo ſum, naturæ legibus pareo, non impero.* Legite Curtios & Plutarchos, cæteróſque de Alexandro Macedone chronologos: ergo dementia, quæ per felices euentus Alexandri animo inoleuit, eadem per infelices caſus ab Alexandrini animo exulauit. Feſtiuius eſt illud exemplum, quod memorat Procopius lib. 2. de bello Vandalorum; (narro hiſtorias extremo in conuiuio, vt priorum faſtidia abſtergam.) Gelimarus Vandalorum Rex opum affluentia tumens, imperij claritudine inſolens, felicium rerum euentū furens quodammodo & lymphatus, Romano inſultabat Imperio, ſe ſolum in orbe Ducem, ſolos Vandalos in orbe milites, ſolam Vandalatiam in orbe regnum prædicabat. Prodit aliquando in prælium cum Beliſario ſtrenuiſſimo Duce Romanorum, ſub auguſtiſſimo Imperatore Iuſtiniano. Pugna vtrinque acriter conſeritur. Vtrinque ſanguis & ſtrages; vtrinque metus cladis; vtrinque ſpes victoriæ. Tandem mutare incipit belli alea, & à Gelimaro paulatim deficit ad Beliſarium. *Alexander Deus haberi voluit.* *Procop.*

Pergit

Horat. Pergit fortuna aduerſari *ludum inſolentem ludere*
pertinax, ruunt Vandali, ingruunt Romani, ca-
pitur Gelimatus, ſuperat Beliſarius. Quid dein-
de? Triumphalis pompa inſtituitur; præire iu-
bentur captiui; parta ſpolia præferuntur, ponè
ſequitur Gelimarus pedes humilis, ſeminudus,
catenatus: quorſum pluribus opus eſt? captiuus;
Romam acceditur, ſiſtitur in hippodromo. Ad-
erat Iuſtinianus Imperator auguſtiori, quàm ſo-
lebat maieſtate conſpiciendus: aderant Romani
proceres hilarioribus, quàm vnquam antea inſi-
gnibus expoliti: aderat tota ciuitas ad ſpectacu-
lum effuſa maioribus quàm dici poteſt, clamori-
bus, & plauſibus gratulabunda. Quid Gelima-
rus? inter hoſtes ſolus, inter ſuperbos humilis,
inter lætos triſtis, inter victores victores, inter
triumphatores triumphatus, inter fortunatos in-
felix. Huc atque illuc oculos circumfert: nihil, niſi
Romanam felicitatem intuetur. Victrices aqui-
las, ſuperba ſigna, fulgentes togas, nobiles præ-
textas, coronas, purpuras, faſces, gladios, ſe-
cures. In ſe conuertit oculos, ipſum videt miſe-
riæ ſimulachrum. Hiccine eſt, hiccine ille Geli-
marus? *Quantum mutatus ab illo*, qui quondam
fuerat! Hiccine eſt? Vbi ſceptrum? Vbi purpura?
Vbi corona? Vbi milites? Vbi Regnum? Vbi pri-
ſtina illa fortuna?

Virgil. ——*Ferus omnia Iuppiter Argos*
Tranſtulit.

Inſanus eſſet, qui non crederet Gelimarum tot
infelicitatis aculeis punctum in extremam inſa-
niam præcipitandum.

87. Sed, ô fortuna ſæua! hoc vno blanda nomine,
quòd vulnerando corpus, mentem ſanat. Tantum
abfuit, vt Gelimarus extremam actus in miſe-
riam inſaniret, vti potiùs perfectiſſimam ſapien-
tiam inter reflantis fortunæ turbines aſſequere-
tur. Contemplatus, vnde ruerat, quò deuenerat;
antiquam ſortem, præſentem cladem, felicitatem
amiſſam, calamitatem inuentam, quaſi maturo
ratiocinatus iudicio, hoc vnum exclamauit, *Vani-
tas vanitatum, & omnia vanitas.* O ſcientiam hu-
mana certiorem! ô Philoſophiam terris hoſpi-
tem, cælo incolam! ô ſapientiam non humano
exquiſitam ingenio, ſed diuino! Ille, ille quon-
dam Eccleſiaſtes, qui naturæ latebras aperuit, qui
cæli penetralia adiuit, qui totum ſub cælo mun-
dum rimatus eſt, qui omnia ſupera atque infera
ſedula mentis cogitatione peragrauit; ille ex
principiis ſolertiſſimè penſatis, hanc ſapientiſſi-
mam conſequentiam deduxit, *Vanitas vanitatum,
& omnia vanitas* In eandem Gelimatus prorupit,
non quidem molli felicitatis aura delinitus, ſed
ſæuo infelicitatis turbine agitatus; ergo infortu-
nia ſapientiam conciliant, non inſaniam. Claudo
hanc partem grauiſſimo illo teſtimonio Boëtij
lib. 2. de conſ. proſ. 3. *Plus*, inquit, *reor, hominibus*
Boëtius. *aduerſam, quam proſperam prodeſſe fortunam.* Hæc
fallit, illa alit: hæc cæcat, illa docet: hæc per-
dit, illa regit: hæc ligat, illa ſoluit: hæc vulnerat,
illa curat: hæc ad infauſtos ſcopulos allidit, illa ad
fortunatas ſtationes antecedit.

88. Hauſiſtis de profano fonte, de ſacro, quæſo,
deinceps hauriatis. Vltra ducentos annos Hebræi
apud Ægyptios habitarunt, vt rectè colligunt re-
centiores Pererius & Barradas. Toto hoc tempo-
Bened. Peter. Barradas. re, (integrum legite Pentateuchum, imò integras
euoluite Scripturas) nuſquam inuenietis eos ido-
lolatraſſe. Nam licèt duplex locus in contrariam
partem afferatur, vnus Ioſue 24 vbi dicitur, *Au-
ferte deos, quibus ſeruierunt patres veſtri in Meſo-
potamia, & in Ægypto.* Alter Ezechiel. 23. vbi
Iudæi dicuntur idololatraſſe in Ægypto; *in ado-
leſcentia ſua*; tamen vterque locus intelligitur, vt
graues interpretes probabiliùs opinantur, de ido-
lolatria, quam non in Ægypto, ſed prope ægy-
ptum ſuſceperunt. Sed iidem, mox, vt ab Ægy-
pto egrediuntur, paucorum dierum interuallo
vitulum conflant, proni adorant, cernui vene-
rantur, colunt obſeruantque. Quæ lues, quæ ta-
bes adeo illius populi intimas ſe inſinuauit in
medullas, vt ne Palæſtinam quidem ingreſſus im-
pium idololatrandi ritum ſepeliret? Tres Reges
excipite, Dauid, Ezechiam, & Ioſiam; cæteros
omnes aliqua ex parte ea contagio ſlabefecit. Quid
hoc eſt? Inter Ægyptia idola abſtinent ab ido-
lis: ab idolis Ægyptiis remotiſſimi idola vene-
rantur? O læuum ingenium & præpoſterum!
Sed rem accipite. In ægypto miſeri viuebant,
& infelices, tunſi plagis, vinculis impediti, oneri-
bus fatigati. Extra ægyptum proſperi & felices;
de cælo paſti, ab Angelo ducti, hoſtibus formi-
dabiles. Et quos infelicitas & aduerſitas in veram
ſapientiam continuit, eoſdem fauſtitas & proſpe-
ritas meram in inſaniam redegit. Bene Hierony- Hier.
mus in Pſalm. 61. ad illa verba, *In labore homi-
num non ſunt, ideo tenuit eos ſuperbia. Per arrogan-
tiam*, inquit, *felicitatis, multiplicata iniquitate
premuntur.* Concinit Iſaias 28. *Præ vino neſcierunt,
& præ ebrietate errauerunt*; id eſt, præ nimia fe-
licitate, vt neſcio quis ex recentioribus expo-
nit, nam quæ ex aduerſitate naſcitur ebrietas,
potiùs mentem acuit, & rationis nubila ſerenat
iuxta illud Thren. 3. *Inebriauit me abſinthio*; vbi
aduerſitas abſinthio comparatur, quod, vt con- Plin.
ſtat ex Plinio, Dioſcoride, Laguna, cæteriſque Dioſc.
ſcriptoribus herbariis, oculorum caligini mede- Lagun.
tur; vnde ſequitur, *inebriata abſinthio noui dilu-
culo*, hoc eſt, aduerſitatibus exercita, depuli ig-
norantiam, ſcientiam comparaui. Quare egre-
giè concludit Auguſtinus ſermon. 13. de verbis Auguſtin.
Domini, *Magnæ virtutis*, inquit, *eſt cum felicita-
te luctari, magnæ felicitatis, a felicitate non vinci:
quem enim felicitas nulla frangit, eum infelicitas
nulla corrumpit*; ſed non ſolùm vera felicitas men-
tem dementat; rationemque præcipitat; ſatis eſt
leuicula quædam felicitatis vmbra, ſeu vana quæ-
dam ſpes felicitatis ad mentem alienandam, & à
ſuo ſtatu abducendam. Non regnum, ſed regni
ſpes inuaſerat Abſalonem: ea ſatis fuit, vt cæcus,
vt inſanus redderetur. Nam cùm illi duo proce-
res Achitophel, & Chuſai, ille amicus fidus, &
perſpectus; hic verò fictus, & ſimulatus, contraria 89
de bello gerendo conſilia tradidiſſent; Princeps
Achitophelis conſilium ſanum prudenſque de-
ſeruit: conſilium Chuſai læuum ſtultúmque arri-
puit. Cur ita? quia, vti egregiè Chryſoſtomus, im-
perandi cupiditate ebrius, quid inter vtrumque
conſilium intereſſet, non expendit; ergo felici-
tas tot in ratione turbas excitat, vt rationem à ra-
tione penitus exturbet. Imo non ſolùm iuuenes
inconſulti, ſed etiam ſenes præmaturi, cum ni-
mia felicitate potiuntur, à ſanitate mentis extur-
bantur. Quis maturior Dauide, quis ſapientior
Salomone? Sed vterque dum felicitatis mare na-
uigarunt, rationis naufragia ſubierunt. Hoc enim
mare, vt bene docuit Auguſtinus, amatores ſuos
vorare nouit, non portare. In tranquillitate, in-
quam, duo clariſſimi Reges perierunt, qui in tem-
peſtate incolumes ſuperarunt. Optimè Bernar- Bernard.
dus lib. 2. de conſideratione ad Eugenium, *Sa-
piens*, inquit, *Dauid, ſapiens Salomon fuit: ſed blan-
dientibus*

Digitized by Google

dientibus nimis ſecundis rebus, alter ex parte, alter ex toto deſipuit. Et concludit, *Magnus eſt, cui præſens felicitas, ſi amiſit, non irriſit.* Quare faciliùs inueneris, qui ſapientiam retinuerunt contraria ſibi fortuna, quàm qui propitia non perdiderunt.

90. Quid verò interna bona? in quibus principem locum obtinet philoſophandi & contemplandi labor. Certè nihil videtur aptius ad inſaniam inducendam. *Inſanis Paule*, inquit Feſtus magna voce, Act. 26. *inſanis: multa te littera ad inſaniam conuertunt.* Nam, vt bene Philoſophus (Ariſtot.) problem. 30. *qui multa diu ſpeculantur, facilè à ratione alienantur.* Affertque exempla Aiacis, Bellerophontis, Socratis, Empedoclis, Platonis, qui dum mutuæ ac diuturnæ ſpeculationi vacabant, pariter delirabant. Vnde Eccleſiaſtes 1. *In multa*, inquit, *ſapientia multitudo indignationis*, ſeu, vt vetus habet translatio, *in multa ſapientia multitudo furoris*. Nam, vt Bonauentura, Lyranus, Olympiodorus, & vterque Vgo Victorinus, & Cardinalis interpretantur, *ſcientia inflat, ſuperbiam, quæ eſt ſpecies quædam inſaniæ, infundit.* (Bonau. Lyra. Olymp. Hugo Vict. Vgo Card. Nazianz.) Vnde colligit Nazianzenus homines propter inſcientiam eſſe ſapientes, propter ſuperuacaneam ſapientiam inſipientes: quaſi non minus conferat ad ſapientiam modica inſcitia, quàm ad inſaniam nimia ſapientia. Et D. Damaſcenus (Damaſc.) in parallelis lib. 2. cap. 94. *Scire*, inquit, *quempiam ſe neſcire, ſapientia eſt, quemadmodum & ſcire ſe iniuſtè egiſſe iuſtitia*, quaſi firmum cuiuſque de ſua ſapientia iudicium, manifeſtum eſſe poſſit de ſua ſtultitia indicium. Quare, *ſicuti multus cibus*, inquit Bernardus iam citatus, *malos generat humores, ita & multa ſcientia malos mores, à quibus in inſaniam facilè deuenitur.* Vnde meritò circumfertur illud pentametrum,

Quiſquis plus iuſto non ſapit, ille ſapit.

91. Conſtat igitur ex dictis tam externa, quàm interna bona, ex quibus humana felicitas coaleſcit, ad inſaniam promouere. Pro infelicitate autem vnicam affero rationem, quia infelicitas triſtitiam ſecum importat, contrà verò felicitas lætitiam; atqui triſtitia aptior eſt ad dementandos homines, quàm lætitia; ergo & infelicitas, quàm felicitas. Probo minorem, quæ ſola indiget probatione; triſtitia inducit ſiccitatem, iuxta illud Prouerb. 17. *Spiritus triſtis exſiccat oſſa, ſiccitas autem inſaniam inducit*; vnde dicunt Medici inſaniam eſſe morbum curatu difficillimum, quia cùm oriatur ex ſiccitate, quæ eſt qualitas omnium maximè reſtitiua, ſicut & minimè actiua, omnibus medicamentis, pluſquam cæteræ ægritudines, reſiſtit; vt Galenus, Auicenna, & alij docent (Galen. Auicen.): ergo de primo ad vltimum triſtitia inducit inſaniam. Et confirmatur, quia triſtitia aptiſſima eſt ad inferendam mortem, iuxta illud Lucretij (Lucret.),

Et dolor & morbus lethi fabricator vterque.

ergo & ad inferendam quamcunque aliam intemperiē, ex qua inſania oriatur. Adiunge exempla illorum, qui, Valerio Maximo auctore, repentina ex trepti triſtitia fato conceſſerunt. Ego verò illud delibo, quod noſtræ memoriæ homines viderunt, ferúntque. Poſt fatalem illam, apud Africam, Luſitaniæ euerſionem, quidam ex Dominicana famil·a, & erga Deum religione, & erga patriam pietate nobilis, accepto de Sebaſtiani Regis interitu, lugubri admodum, ac peracerbo nuncio, faciem auertit, & ex improuiſo diem obiit. Contrà autem lætitia aptiſſima eſt ad totius corporis habitum rectè diſponendum, omnéſque humorum tumultus ſerenandos, ſecundùm illud Prouerb. 17. *Cor gaudens ætatem floridam facit*, ſeu, vt eſt in Hebræo, *medicinam facit*; ac ſi vna lætitia omnibus tum animi, tum corporis morbis medeatur. Sed inſurgis eodem ferè argumento, quia felicitas non minus efficax eſt ad inducendam mortem, quàm infelicitas: ergo etiam ad inducendam inſaniam. Probas conſequentiam, quia maior alteratio requiritur ad mortem, quàm ad inſaniam inferendam. Antecedens patet ex Valerij citati teſtimoniis, necnon rationibus: quibus omnibus interim ſuperſedeo.

Problema XVI.

Vtrùm dormientes propria vigilantium opera moliantur.

Dvo ſunt propria vigilantium opera, quædam, quæ fiunt per artem dirigentem actionem tam externam, quàm internam; quædam, quæ fiunt cum libertate morali, meriti, aut demeriti capace: ſeu propriæ vigilantium actiones vel poſſunt eſſe liberæ, vel artificioſæ. 92. (*Duplex acceptio actionum vigilantium*) Quòd igitur dormientes propria vigilantium opera moliantur, inde ſuadetur in primis quoad actiones artificioſas, quia dormientes vtrumque genus operationis videntur exercere. Nam in primis (*Suadetur pars affirmatiua.*) operantur per artem dirigentem actionem internam. Sæpe enim inter dormiendum ſyllogiſmos conficiunt, carmina condunt, integras actiones ex præceptis Rhetoricæ fabricantur. Ita ſumitur ex D. Thoma (D. Thom.) 1. par. q. 84. art. 8. ad 2. & in 4. d. 9. quæſt. 1. art. 4. ad 3. Deinde etiam operantur per artem dirigentem actionem externam; quod multis poteſt exemplis ſuaderi, quorum Iuriſperiti meminerunt. Nam Marianus (Marianus.) in cap. *ad audientiam*, teſtatur habuiſſe ſe puellam viginti annorum, quæ dormiens è lecto ſurgebat, panémque faciebat, non minori dexteritate, quàm ſi omninò vigilaret. Bart. (Bart.) in l. *vt vim, ff. de iuſtit. & iure*, tradit fuiſſe quendam Piſanum, qui ſe noctu dormiens armabat, vagabaturque per vrbem cantando. Tiraquell. (Tiraq.) *tractat. de pœnis temperandis, aut remittendis, cauſa quinta*, aſſerit, Pariſiis fuiſſe Anglum quendam, qui noctu dormiens à templo D. Benedicti ad flumen Sequanam perrexit, ibique puerum interemit, & non expergefactus ſeſe in lectum coniecit. Nos etiam hominem (*Exemplum memorabile.*) nouimus qui in nocte intempeſta ſomno conſopitus ex lectulo ſurrexit, gladium, & clypeum ſibi aptauit, portam aperuit, foras exiluit, viam capeſſiuit, vrbem peragrauit. Quid plura: Ecce tibi domum reuertens incidit in ciuitatis magiſtratus ingenti ſatellitum numero ſtipatos, & quaſi hoſtes appeteret, euaginat gladium, rotat clypeum, punctim, cæſim nititur ferire, donec aliquod poſt tempus à ſatellite cæſus lethaliter à ſomno illo ſuo excitatus eſt tandem. Quid ergo amplius?

Quòd autem dormientes exercere aliquando ſoleant liberas actiones, probari poteſt ex illis 93. (*Suadetur dormientes exercere liberas actiones.*) verbis Diui Ambroſij epiſtol. 60. ad Anyſium. *Semper*, inquit, *Sanctorum ſomnus operarius eſt, iuxta illud, Ego dormio, & cor meum vigilat.* (Ambroſ.) De Iacob id expreſſit Rupert (Rupert.) lib. 5. in Cant. *ſecundùm corpus dormiebat, ſecundùm animā vigilabat.* De Iſaac id aſſerit Philo Iudæus (Philo Iud.) lib. de ſomn. *Senſibus dormiebat,*

miebat, anima verò vigilabat. De Abrahamo id videtur colligi ex Geneſ. 15. vbi poſtquam Abrahæ facta eſt promiſſio de futura ſobole, quam nonnulli per viſionem nocturnam, hoc eſt, inter dormiendum factam eſſe arbitrantur, additur, *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam*; ac ſi per fidem in ſomno exercitam mereretur. De B. Virgine Rupertus, Ambroſius, Bernardus, Anſelmus, Epiphanius, aliique PP. communiter id affirmant. Tandem ex 3. lib. Regum cap. 3. vbi Salomon dormiens, & ſomnians facta ſibi à Deo optione petendi, petiit ſapientiam: quæ petitio grauiſſima fuit Deo, & meritoria, non ſolùm ſapientiæ, ſed aliorum bonorum, quibus à Deo cumulatus eſt. ne quis dubitaret, totum hoc negotium in ſomno tranſactum fuiſſe, additur; *Euigilauit Salomon, & intellexit, quòd eſſet ſomnium.*

Rupert. Ambroſ. Bernard. Anſelm. Epiph.

94. Et ne quis dicat id ſupernaturaliter tantùm contigiſſe, tripliciter oſtendo poſſe contingere naturaliter. Primò, quia intellectus in hac vita poteſt aliquando naturaliter operari ſine conuerſione ad phantaſmata, vt patet in ecſtaſi, quæ naturaliter contingit aliquando; ergo licèt in ſomno ſenſus ſint ligati, poterit ille expeditus eſſe ad operandum: ergo & voluntas illum ſecuta poterit liberè operari. Secundò, quia ſi homo in duobus locis ponatur, opus erit, vt vtrobique habeat eoſdem actus voluntatis, quia cauſa adæquata talium actuum eſt vtrobique: ergo ſi in vno loco vigilans, ac liberè operatur, & in alio dormiat, in eo liberè operabitur. Tertiò, quia in ſomno poteſt dari omiſſio libera; ergo etiam libera commiſſio. Patet conſequentia, quia non minus libertas requiritur ad omiſſionem liberam, quàm ad commiſſionem. Probo antecedens, quia ſi quis obligatus ad ſactum pro tali tempore toto eo dormiat, in culpabilem incidet omiſſionem; non propter aliquem actum ſubſequentem poſt ſomnum; ſuppono enim nullum fuiſſe. non propter actum antecedentem ſomnum; ſuppono enim toto eo tempore antecedenti bonis operibus incubuiſſe. Deinde, quia ſi caſu excitetur, & impleat præceptum, quod dormiens non impleſſet, non peccat peccato commiſſionis, & tamen iam antecellerat ille actus; ergo ſolùm peccat propter omiſſionem ipſam in ſomno: ergo talis omiſſio fuit libera. Ita Marſil. cum aliis apud Vaſquez 1. 2. q. 62. cap. 1. in 4. ratione.

Tripliciter oſtenditur poſſe contingere naturaliter. Prima ratio. Secũda ratio. Tertia ratio.

Marſil. Vaſquez.

95. Nihilominus dicendum eſt propria vigilantium opera nullo modo à dormientibus exerceri poſſe. Ita tenent Adrian. in 4. q. 3. Adrian. ibid. d. 9. q. 2. Palud. q. 3. Gabr. in 2. d. 22. quæſt. 2. art. 2. Fundamentum eſt omnino oppoſitum, quia neque ex arte, neque ex libertate poteſt quiſpiam perfectè operari, quandiu ſomno indulget: ergo nullo modo poteſt dormiens propria vigilantium opera exercere. Patet conſequentia, cùm vigilantium opera ad hæc duo tantùm reuocentur. Antecedens ſuadetur, quia in ſomno neque ratio, neque vſus liberi arbitrij eſt perfectè expeditus; cùm enim intellectus & voluntas, dum anima eſt in corpore, ſint à corpore dependentes, ſenſus autem corporei, ſint in ſomno ligati, & impediti, neceſſe eſt, vt & intellectus & voluntas à ſuis operationibus artificiosè & liberè exercendis impediantur. Ergo nullo modo poteſt dormiens in proprios vigilantium actus prodire.

Pars negatiua eſt vera. Adrian. Palud. Gabr.

***

Problema XVII.

An viribus naturæ poſſit iuuenta ſenibus redire.

Diuturna experientia ſuo quoque malo edocentur homines, cùm ad ſimilem accedunt ætatem ſenectutis defectus nec occultare, & multò magis poſſe effugere; nam vbi primùm ſexagenarij ſunt, nitor oris hebetatur, ſulcatur cutis caneſcit caput, labaſcunt vires, & totius corporis viror, ac ſpecies paulatim marceſcit. Non leuis tamen eſt controuerſia inter Doctores, an viribus naturæ, arte ſcilicet humana, vel Angelica hi qui ſenili iam curuantur ætate, vires iterum reſumant, habitúmque oris in nitorem iuuenilem, frigus in teporem, torporémque in agilitatem commutent; ac denique cæterum corpus recipiat, quæ ſenium abſtulerat. Affirmatiuam partem, vt aliqua ſaltem ex parte ingraueſcentis indies ſenectutis moleſtias abſtergamus, & auctoritatibus & exemplis ſtabilio, nec non validiſſimis confirmo rationibus. 96.

97. In primis in confeſſo eſt apud omnes, neque id ſine perfidia negari poteſt, iuuentam aquilæ renouari; id enim expreſsè teſtatur regius Hymnographus Pſalm. 102. *Renouabitur*, inquit, *vt aquila iuuentus tua* Licèt de modo, quo ea renouatio contingat, non parua ſit diſſenſio. Idem teſtatur Iſai. 40. *Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas, vt aquilæ volabunt, & non deficient.* Idem præſtat beneficium natura abiectis, & venenoſis ſerpentibus, dum exuta pelle, & renouatis viribus ad priſtinum virorem, & viridem iuuentam redeunt; ergo non eſt, cur ſaltem de poſſibili hoc beneficium natura deneget homini. Secundò nulla apparet repugnanti ob quam naturalia remedia inueniri nequeant tantæ efficacitatis, vt natiuum inſtaurare ac ſenectutis ariditatem valeant temperare, ſi non viribus humanis, ſaltem Angelicis, quæ vt ſunt longè maiores, ſic maiori facilitate remedium adhibere poſſint.

Pars affirmatiua oſtenditur primò. Oſtenditur ſecundò.

98. Præterea humanis exemplis id confirmo; nam legite noſtrum Delrium lib. 2. diſquiſit. Magic. quæſt. 23. vbi refert anno 1531. Tarenti fuiſſe centenarium ſenem capularem, qui pilis, cute, vnguibus, ſitu, ac ſqualore ætatis decidentibus, & in melioris ætatis omnia mutatis de ſene iuuenis prodierit, & 50. pòſt annis ſuperuixerit. Quid plura? Noſtræ Luſitaniæ annalibus ſcriptores fidei probatiſſimæ, intèr, quos eſt Petrus Maphæus hiſtor. Indicæ lib. 11. teſtantur cuidam Indo nobili annorum, quibus vixit, trecentorum, & quadraginta ſpatio iuuentæ florem ter exaruiſſe, & ter refloruiſſe, nec deſunt, qui in eodem orbe, quandam inſulam repertam teſtentur, Bonicam nomine, in qua fons ſcaturiat, cuius aqua vino pretioſior epota ſenium cum iuuenta commutet. Et quidem de illo homine ter refloreſcente vera eſt fides. Enimuerò illum agnouerunt: & alloquuti ſunt noſtræ Societatis Patres, qui animorum ſalutem, apud Indos ardenti ſtudio procurant, vt à iucatiſſimis ipſorum literis accepimus.

Confirmatur exemplis. Delrius. Maphæus.

99. Vltimò tandem ratione ſic argumentor: Senectus & illius naturales effectus oriuntur ex defectu humidi, & calidi natiui; ſed vtrumque ab extrinſeco

Probatur rationibus.

H

trinſeco reſarciri poteſt ; ergo & ſenectus expelli , & iuuenta iterum redire. Maior patet. Probatur minor, quia calor & humidum hominis eſt eiuſdem ſpeciei cum calido, & humido, quod eſt in cibo , & medicamentis ; ergo ab illis damnum illatum iterum reſarciri poteſt. Valet conſequentia , quia qualitates eiuſdem ſpeciei virtute naturali adinuicem ſe intendunt, & licèt arte , & induſtria humana talis iuuenta recuperari non poſſit, nulla eſt repugnantia, cur ſcientia, & virtus angelica id non efficiat. Et confirmatur, quia Chriſtus Dominus , & Adamus per ſcientiam vtrique conceſſam ſeipſos immortales , & incolumes ſeruare poſſent , vt docet Vaſquez tom. 1 in 3. part. q 60 cap. 3. ergo ſimiliter homo Angeli induſtria. Et hanc partem abſolutè defendit Martinus Delrio citatus.

Vaſq. Delrius.

100. *Pars aduerſa oſtenditur.*

In contraria tamen ſententia ſunt illi omnes, qui exiſtimant humanæ vitæ periodum eſſe certam, & deſignatam in vnoquoque homine , vltra quam viribus naturæ extendi nequit ; ergo nec iuuentus ſeni iterum redire poterit ; alioqui extra ſuum terminum viuere poſſit talis homo. Antecedens probant ex Geneſ. 6 vbi humanæ vitæ terminus 120. annorum ſpatio limitatur, ſic enim ait : *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum , quia caro eſt , eruntque dies illius 120. annorum* ; cùm ergo neget illi fore æternum , & pro termino apponat 120. annos. videtur vltra illos viuere non poſſe. Et in hoc ſenſu locum explicant Ioſephus lib. 1. antiq. cap. 4. & 7. Lactant lib. 2. de origine erroris , cap. 14. Eandem eſſe præfinitam humanæ vitæ periodum ſatis inſinuauit Moyſes Deuteronom. 31. vbi ſic ait, *Centum viginti annorum ſum hodie , non poſſum vltrà egredi & ingredi.* Verùm non placet fundamentum, quia longe probabilius eſt non dari aliquem certum annum qui ſit maximum quod ſic humanæ vitæ. nam ille , quia aſſignatur, ipſa experientia conſtat talem non eſſe ; cùm S. Romaldus 130. & alij terminum illum exceſſerint, nec loca ſacræ paginæ aliquid fauent. nam illa verba Geneſ. 6. non de vitæ humanæ termino poſt diluuium, ſed de pœnitentiæ tempore , quod Deus ante diluuium hominibus conceſſit, accipiuntur, vt tradūt D. Hieronymus, Auguſtinus, & Lyranus, & plerique alij , ex quibus Hieronymus ait fuiſſe datos ad pœnitentiam 120 annos. Sed quoniam pœnitentiam agere contempſerunt, noluiſſe Deum expectare decretum tempus, ſed 20. annorum ſpatiis è ſumma deductis diluuium induxiſſe anno 100. Deinde nec Moyſes loco citato ait vltrà ſe viuere non poſſe , ſed oſtendit illam ætatem decrepiti ſenis, adeò frigidam, & elanguem, minimè aptam fuiſſe ad clauum illius populi moderandum, duræque ceruicis Rempublicam ſuſtinendam.

Ioſephus. Lactantius. *Refutatur fundamentum.* Hieron. Auguſt. Lyran.

101. *Aliter oſtenditur ſecunda opinio. Probatur primò.*

Aliter ergo probanda eſt prædicta ſententia quod duplici ratione conficio , primæ ſententiæ fundamenta labefactando , & illius rationes infringendo. Prima ratio eſt , quia ſi cæli , hominis, vel Angeli induſtria poſſit iuuenta ſenibus redire , poſſet homo virtute naturali durare in æternum ; ac proinde mortalis non eſſet ab intrinſeco. hoc dici non poteſt ; ergo, &c. Sequela oſtenditur, quia ſi ſemel Angelus inuenire poteſt viam ad reducendum hominem ad iuuentutem , non eſt, cur eum ſemper ad illam reuocare non poſſit. Poteſt ſcilicet eum ſpectare quoad vſque deueniat ad ſenectutis exitum , & poſtea illum reuocare ad iuuentutis initium. Quod verò hoc admitti non poſſit , ex eo patet, quia alioqui homo ab intrinſeco non eſſet ſimpliciter mortalis, cùm per naturam immortalitatem conſequatur.

102. *Probatur ſecundò.*

Secunda ratio, & magis à priori eſt, quia ſenectus in homine radicaliter enaſcitur ex eo, quòd continua nutritione repatitur à cibo virtus nutritiua , & aliquæ partes talis potentiæ paulatim exhalantur , vel corrumpuntur partibus animalis , quæ in hac pugna decidunt : ſed defectus in potentia natiua ab extrinſeco reſarciri nequit; nam ſicut quando læſio eſt in organo viſus , vel in ipſo viſu nulla virtus creata, mederi illi poteſt, ſic nec virtuti nutritiuæ , & aliis potentiis , vt ita ad priſtinum vigorem accedant. Dices virtute pomi vitalis , quæ virtus erat naturalis , vt egregiè probat Soarius de opere ſex dierum libr. 3. cap. 15. num 2. & Pererius citandus , poterat homo viuere in æternum ; ergo etiam redire ad iuuentutem. In primis negare poſſem antecedens cum Scot. in 3. d. 16. quæſt. 2. & in 2. d. 19. quæſt. vnica, vbi negat potuiſſe primum hominem , vel Chriſtum Dominum immortalem fieri ſolo fructu ligni vitalis : niſi ſpeciali Dei prouidentia à contrariis defenderetur. Quam ſententiam ſequitur Benedictus Pererius in Geneſ. lib. 3. q. 3. licèt diuerſo fundamento. Eandem expreſſit Caietanus , ſaltem ex parte aliqua , eámque tenent aliqui iuniores , & Soarius citatus num. vltimo dicit fructum ligni vitalis non eſſe quidem cauſam adæquatam immortalitatis , ſed neceſſariam fuiſſe ſingularem Dei prouidentiam , & poſt lapſam naturam. Ita exiſtimat D. Thom. 2. 2. quæſt. 164 artic. 2 ad 6. illúmque ſequuntur communiter interpretes in Geneſ. qui verba illa, *& viuat in æternum*, exponunt in longum tempus , vt videre eſt apud Soar. n. 12.

Soarius. Pererius. Scotus. Pererius. Caiet. Soar. D. Thom. Geneſ. 3.

103.

Nihilominus admiſſo antecedente, nego conſequentiam cum Soario, vel etiam in natura lapſa niſi alia cauſa mortis interueniret , & cum aliis quos citat & Conimbr. in lib. Ariſtot. de ſeneſt. & iuuent cap. 3. num. 4. Quæ ſententia eſt magis conſona ſacræ paginæ , & ſanctiſſimorum PP. auctoritate ſtabilita , præſertim ſi loquamur ante lapſam naturam, vt procedit argumentum. Maior igitur ratio eſt, quia multò facilius eſt rem in ſtatu præſcripto conſeruare , quàm illam denuo ad primum ætatis florem & vigorem reuocare , vt patet. Huc vſque per tempus licuit,

Conimbr. *Plus requiritur ad renouationem, quàm ad conſeruationem.*

PROBLEMA XVIII.

Vtrùm ſint homines ſuaptè natura monſtroſi.

104. Iuuenalis.

NOn excito quæſtionem de Pygmæis. *Quorū tota cohors pede non eſt altior vno.* quia ſimpliciter non ſunt dicendi monſtra, & ita neque hoc nomine illud condecoramus, quod Nicephorus 12. Eccleſiaſt. hiſtor cap. 37. affirmat fuiſſe quoddam in Ægypto , quod ad perdicis magnitudinem vſque creuit. Enimuerò , ſi huiuſce hominum naturam ſpectamus [ſi tamen homines ſunt appellandi) non ex accidente tales partus producit rerum omnium mater natura , ſed potiùs virtus formatrix inhærens ſemini , quæ more opificis totum corpus membratim delineat , & effingit : in hoc verò opere deerrat , & à recta formandi ratione deflectit ; ſiue id mauis ſoli , cœlique ingenio vertere , vt multi aſſueuerunt. Nec deinde

Nicephor. *Monſtrum perdicis magnitudine.*

de

Digitized by Google

de quibuſdam Gigantum familiis nobis agendum,ob eandem,ſcilicet cauſam,quorum ille erat, cuius ſe molarem dentem vidiſſe narrat D.Auguſtin.cap.9.lib.15.de Ciuit.Dei,qui, inquit, dens, ſi in noſtrorum dentium modulos minutandus concideretur, centum nobis facere potuiſſe videretur. Solùm igitur de monſtris, quæ rigoroſa Philoſophi definitio includit, breuiter pertractabimus, in hoc ſpectabile mundi theatrum varias deerrantis naturæ formas exhibebimus, quæ quidem ad eius pulchritudinem haud parum facere exiſtimamus;fœda enim,atque difformia vniuerſitatis decorem non mediocriter commendant. Nónne caliginoſæ noctis obſcuritas Solis gratiam exornat? Ita ſanè, quemadmodum vmbræ atríque colores picturæ augent venuſtatem. Ergo oculos intende paululum, nec auertere faciant deformes formæ.

Auguſt.

105. Plin. Auguſt. En Plinius lib. 7. & refert D. Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 16. c. 8. nobis exhibet monſtroſas hominum figuras, quibus vnus duntaxat oculus in fronte media. Alios deinde commemorat, qui ſine ceruicibus oculos geſtant in humeris: alios etiam, qui caninis capitibus pro voce latratum edunt. Quæ plura Plinius? Quoſdam affert, qui ſingula tantùm habeant crura, nec poplitem flectant, cùm tamen ſint admirandæ pernicitatis: hoc Sciopodas,hoc eſt vmbripedes vocant, quòd per æſtum in terra iacentes reſupini vmbra pedum ſe protegant; quoſdam verò ita auritos, vt eis ad pedes aures defluant, decubéntque ſuper alteram; altera verò contra incurſantes temporis iniurias protegantur: nec non quoſdam ſine ore, qui per nares tantùm ſuſcepto & emiſſo ſpiritu viuant. Quæ autem non tradit Ariſtoteles lib.4.de Gen.anim.cap.3.Puerum memorat capite arietino inſignitum; vitulum capite humano exornatum: arietem verò bubulo capite ſuperbum. Quæ Ptolomæus lib.7 Geographiæ?In Satyrorum inſula extra Gangem homines caudatos habitare ſcribit. Quæ D. Auguſtinus ſerm.37. ad fratres in eremo, ſi tamen huius ille author eſt operis? Vidiſſe ſe ait in Africa interiori homines capite truncos, oculóſque in pectore continentes. Quod etiam Ianſenius in ſuis tabulis delineauit apud nouum orbem, & vt certiſſimum tradit, Auguſtinus etiam lib.16. cap. 8.ſua memoria vixiſſe monſtrum teſtatur,quod erat ſuperioribus membris duplex,inferioribus ſimplex.

Varia monſtra. Ariſtot. Ptolom. Auguſt.

106. Hieronym. Quænam doctiſſimus pariter ac ſanctiſſimus Hieronymus? In vita Pauli Eremitæ prodit vidiſſe D. Antonium Abbatem inter ſaxoſam conuallem haud grandem homunculum aduncis naribus, fronte cornibus aſperata; cuius extrema pars corporis in caprarum pedes deſinebat, qui ab Antonio quiſnam eſſet rogatus, *Mortalis*, inquit, *ſum,& vnus ex accolis Eremi, legatione fungor gregis mei, precamur, vt pro nobis communem Deum depreceris, quem pro ſalute mundi veniſſe cognouimus.* Affirmátque ibidem Hieron.ſub Imperatore Conſtantino,vniuerſo teſte mundo, iſtiuſmodi hominem Alexandriam viuum perductum fuiſſe, & poſtea cadauer Antiochiam, vt ab Imperatore videretur. Quæ deinde monſtra vis imaginandi parentum non edidit? Vnicum ſit exemplum.Mulier, quæ quod domi depictum haberet Cacodæmonem, filium peperit, qui corniculis, deformíque vultu dæmonem exprimeret. Claudat hæc ſpectacula monſtrum illud Genuenſe, quod per ſummum delicium Romana Iuuentus ſpectauit. In primis decenti erectus ſtatura homo, duplicem vultum præferebat, vtroque manducabat, & vtroque videbat, viuebátque: ſuperioris autem mentum inferioris caput attingebat. Vterque deinde tam eleganti forma præditus, vt nihil ad pulchritudinem elegantius; tam ſuaui colorum præſtantia ingenuus, vt nihil ad ſuauitatem præſtantius; tam dulcem, atque canoram vocem emittebat, vt nihil auribus vel dulcius, vel iucundius deſiderari poſſit. En illa monſtroſa hominum ſpecies in pulchritudinem deſita eſt.

Monſtrum informe. *Monſtrum horrendum.* *Monſtrum Genuenſe.*

Mendoça Viridarium.

PROBLEMA XIX.

Num hominis interiora plus hyeme, an æſtate caleant.

ESſe internas hominis partes hyemali tempore, multò quàm æſtiuo, calidiores vel ipſis pueris in ore eſt, quibus conſtans atteſtari videtur experientia. Sed ne hoc rudium puerorum exiſtimetur placitum, obſtat irrefragabilis in re medica Hippocratis Medicinæ parentis auctoritas, qui lib. de natura humana,pronuntiauit ventres hyeme natura eſſe calidiſſimos. Quod iudicium licèt aliò velit auocare Galenus in commentariis eiuſdem libri comm. 37. dicens ventrium calidiſſimorum nomine temperatiſſimos eſſe accipiendos: re vera tamen non videtur ea Hippocratis mens, vt ex iis, quæ conſequuntur, facilè poteſt colligi. 107.

Hippocrates putauit eſſe hyeme calidiores internas hominis partes. Galen.

Sed rationibus pro hac parte pugnemus. Prima eſt ab experientia. Videmus per hyemem plus ſumi alimenti propter maiorem appetentiam;meliùs decoqui; pinguiora reddi corpora & vegetiora; quæ ex abundantia caloris videntur prouenire, qui partes reſoluendo excitat appetentiam, & concoctionem perficit. Secunda, humana corpora hyberno tempore à circunſtante aëre frigido oppugnantem: ergo actione antiperiſtica ex appoſitione contrarij fiunt calidiora. Tertia, Audacia oritur ab interno corporis calore, vt cum Galen. de art. med. cap. 29. docent Medici: & eò, cæteris paribus, audacior quiſquam eſt, quò calidior: ſed populi ad Septentrionem ſiti, vt Germani & Galli, quibus ferè ſemper hyems eſt, multò ſunt audaciores, quàm qui ad Auſtrum & Meridiem viuunt, vt Æthiopes: ergo ſecundùm interiores corporis partes plus calent, qui ſub Septentrione, quàm qui degunt ſub Auſtro; & ex conſequenti cùm frigus plus viget exteriùs,plus corporis partes calent interiùs. Vnde neceſſe eſt,vt augeatur per hyemem in viſceribus animalium innatus calor, per æſtatem verò remittatur. 108.

Suadetur rationibus eadem ſententia. Primò. *Secundò.* *Tertiò.* Galen.

Cæterùm Medicorum princeps non ſemel docet plus æſtate, quàm hyeme interiora calere. Ita præcipuè lib.1.de natura humana, comment 37. quem de art. med. cap. 29. ſequitur Thomas à Veg. §. Iam de altero ſigno, &c. Vrgentia argumenta hanc partem confirmant. Primum: Iuuenes vt plurimum melius habent hyeme, quàm æſtate, quod docet experientia: cauſa non eſt alia, quàm innati caloris remiſſio;ſi enim calor ſecundùm intenſionem hyeme in ipſis augeretur, vt in quantitate augeri compertum eſt, abſque dubio hyemali tempore multò haberent deteriùs,quàm æſtiuo: quantumcunque igitur calor hyeme ſe- 109.

Suadetur pars contraria. Thomas à Vega. *Primum argumentum.*

Digitized by Google

eundùm quantitatem in interioribus accreſcat, ſecundùm qualitatem tamen, ſiue intenſionem non accreſcit re vera, ſed minuitur. *Secundum argumentum.* Secundum, hyems pituitæ generationem valde promouet; æſtas verò generationem bilis: ſicut autem cauſa bilis eſt excedens ſecundùm intenſionem interiorum calor; ita cauſa pituitæ eſt decoquentis caloris penuria. Quòd verò naturales functiones, chylificatio, ſanguificatio, corporis nutritio felicius procedant hyeme, quàm æſtate, ad quantitatem innati caloris, non ad intenſionem referendum eſt. Colligitur enim propter circunſtās frigus innatus calor, nō diffunditur: collectus verò, & magis vnitus, operatur perfectiùs. *Tertium argumentum.* Tertium, minima eſt per hyemem ſitis, per æſtatem plurima; per hyemem calidis vtimur alimentis, per æſtatem frigidis: ſomnus hyeme multus, frequens grauedo; pulſus humilis, tardus, exiguus; ſanguis gignitur pituitoſus, ſenes & ij, qui ex morbis conualeſcunt, caloris inopia non roborantur. Hæc autem & eiuſdem generis alia apertè indicant remiſſiorem eſſe hyeme innatum calorem, quàm æſtate; ergo, &c. Legatur Thomas à Vega de art. cap. 29. § Iam de altero, & cap. 62. vbi reddit cauſam, cur frigidus ventriculus plus appetat, quàm calidus. Burid. in parua naturalia fol. 60. col. 4. Fernel. lib. 4. de ſpirit. c. 9.

Thomas à Vega. *Burid.* *Fernel.*

PROBLEMA XX.

Quænam ætas ad diſciplinas perdiſcendas ſit aptior.

110. *Tripartita acceptio vitæ humanæ.* MVltis diuiſionibus humanam vitam in ætates partiuntur Philoſophi. Inter reliquas præſenti inſtituto ea inſeruit, quæ vitam in tres ſtatus, pueritiam, adultam ætatem, ſenectutem diſtribuit, vt videre eſt apud Andream Valaſques medicum libello de Melancolia Hiſpanè edito, cap. 3. Ex his verò cùm ſenectus propter potentiarum debilitatem ad perdiſcendum ſit inepta, de primis duabus quæſtio excitatur: atque adeò breuiſſimè quærimus ſitne pueritia, an adoleſcentia ad diſciplinam opportunior?

Valaſq.

111. *Ariſtot.* *Argumenta pro adoleſcentia.* Pro adoleſcentia videtur eſſe Ariſtoteles in problem ſect. 30. problem. 4. vbi ſic ait: *Vt igitur manu non inde ab ortu natura vti poſſumus, ſed cùm eam natura abſoluit, perfecitque: ita etiam mens, quæ res naturalis eſt, non protinus nobis contingit*, &c. *Galen.* Eandem partē ſequitur apertè Galenus oratione, qua ad artes perdiſcendas excitat, vbi docet eo maximè tempore incumbendum eſſe ſcientiis, quo formoſiſſima noſtra (vt ille loquitur) cernuntur corpora, id eſt, adulta & confirmata iam ætate, cùm virtus corporis viget. Probatur verò hæc opinio. Primò, quia diſcendi ſtudium tunc maximè opportunum eſt, cùm natura ad operandum exiſtit fortior, ad perſcrutandum promptior, ad intelligendum paratior, ſed hoc in adulta ætate potiſſimum contingit, in qua potentiæ ad exequenda ſua munia magis ſunt diſpoſitæ: hæc igitur ætas ad diſcendum eſt accommodatior. Deinde nimia humiditas, vt communis eſt ſapientum conſenſus intelligentiæ officit; vnde fœminæ, quia humiditate ſuperant, prudentia ſuperantur: atqui in pueritia humiditas præter modum abundat, vt notum eſt; eſt igitur ad perdiſcendum minus apta pueritia, quàm adoleſcentia, & quæcumque adulta ætas. Tandem ex Ariſtotele ſect. 31. Problem. 15. ſenſus & intelligentia mentem exigunt quietam; & ſciendi ratio, vt idem ait, requie conſtat, quæ animum ſiſtat, atque temeraria agitatione in tranquillitatem adducat; ex quo fit, vt pueri ebrij, & inſani a ſcientia ſint alieni, quia cùm animus mouetur, vagatúrque, fieri non poteſt, vt aliquid vel ſentiatur, vel intelligatur, & qui in motu plurimo eſt, vt ibid aduertit Ariſtoteles, intelligere nequit. At puerilis ætas valde eſt volubilis, & vaga: igitur ad perdiſcendum inepta. Quod etiam tradit Thomas à Vega de art. med. cap. 7. Pſalm. 45. vbi ait (ex Galeno credo, aut Hippocrate) pueros ob immodicum alimenti motum ſapientiæ non eſſe accommodatos. Deſino rem exemplis oſtendere virorum complurium, qui cùm ætate iam adulta ad diſcendum acceſſiſſent, breui doctiſſimi euaſerunt.

Ariſtot. *Thomas à Vega.*

Nihilominus quanquam verum eſt, non eſſe hominem vt pſittacum, quem ait Plinius duobus tantùm prioribus annis eſſe docilem, ſed poſſe aliquid ſemper de nouo addiſcere, neminémque eſſe, qui nequeat fieri ex ignaro ac rudis ſciens, ſiquidem, vt præclare cecinit Horatius lib. 1. epiſt 1. 112. *Plinius de Pſittaco.*

Nemo adeò ferus eſt, qui non miteſcere poſſit,
Si modo culturæ patientem accommodet aurem. *Horat.*

Tamen tum propter vitæ breuitatem, rerúmque multitudinem, tum propter naturæ ſtatum, aptior nobis videtur ad diſcendum pueritia, quàm nulla alia humanæ vitæ ætas. Quod placuit Ariſtoteli problemate priori loco citato, vbi ſic, *Diſcimus*, inquit, *ocyus iuniores, quia rem ferme nullam tenemus, cùm enim res pleraſque ſcimus, non æquè præterea capere alias poſſumus, quo modo etiam meminiſſe meliùs ea valemus, quæ manè primum percepimus*, &c. *Ariſtot.* Nec dubium eſt, quin eiuſdem ſententiæ ſint alij viri ſapientes, qui de inſtitutione puerorum multa præclarè ſcripſerunt, & à primis annis exordiendum eſſe tradiderunt, quorum monumenta per omnium manus feruntur. Eſt in primis pro hac parte id, quod lib 1. aphoriſm. 1. ait Hippocrates, *Ars longa, vita breuis.* *Hippoc.* Deinde ſumma pueritiæ tenacitas. Vnde tritum illud Fabij, *Tenaciſſimi ſumus eorum, quæ primis annis arripuimus.* *Fabij iudicium.* Quæ retinendi facilitas inde videtur proficiſci, quia mentes in ea ætate curis ſunt vacuæ, & facilè inculcata percipiuntur. Denique, quamuis ætas iam confirmata ratiocinando ſit aptior, eſt tamen pueritia ob innatam humiditatem rebus percipiendis aptiſſima, atque adeò ſi vitæ breuitas, rerum multitudo, organorum diſpoſitio conſideretur, anteponi pueritia in addiſcendo reliquis ætatibus debet.

***

PROBLEMA

PROBLEMA XXI.

Quæ complexio ſit aptior ad ſcientiam.

Complexiones quatuor.

113\. VT in mundo quatuor elementa ,in anno tẽpora ſunt quatuorʃ; ita quatuor in vita humana complexiones;ſanguinea,calida,& humida aëri, veríque perſimilis ; cholerica, ſicca & calida igni & æſtati par ; melancholica , frigida & ſicca terræ & autumno conformis;phlegmatica,humida,& frigida aquæ hyemíque reſpondens.De quibus omnibus vide Petrum Vaëzium in commentario medico c.7.de melanchol. Medinam loco in problem. citato , auctorem Hiſpanum de melancholia c.3.fol. 35.Thom.à Vega de art.cap.8.pag. 36.Ficinum'lib.de triplici vita.Cęl.lib.17.c.5. Ambroſium Non. in Hippoc. Federicum de natura partus.Ex his extremam eſſe prorſus ad ſcientiam ineptam, ferè omnes conſentiunt;neque ſentit aliter Philoſophus,cùm 2.de anima text.64. molles carne aptos eſſe mente;de temperatis enim loquitur;vt boni auctores interpretantur. Vertitur igitur in reliquis tribus rei totius cardo. Sed & illud monitum volo , non quid per accidens poſſit in propoſito complexio,ſed quid per ſe ipſam, atque vt ſimplex eſt, valeat vnaquæque nobis hoc loco diſputari.

Vaëzius. Medina. Hiſpanus. Vega. Ficin. Cæl. Ambroſ. Federicus. Ariſtot. *Phlegmatica eſt inepta ad ſcientias.*

Argumenta pro cholerica. Galen. Leuinius. Galen. Heraclit.

114\. Laudant ergo non pauci ad hoc officium cholericam , quia billioſi ſunt natura agiles , feruidi, & ſpiritibus abundantes , quæ conditiones faciunt ad ſcientiam ; quia cùm ſpiritus vitales ſint natura ſua ſubtiles , ſubtilitatem quoque ingenij conciliant , adſtipulatut Galen. in lib.artis medicæ, vbi ait mentis celeritatem calidi,ſiccíque eſſe temperamenti,quia hoc ſubtilem cerebri ſubſtantiam indicat ; ſed ſiccitas dominatur in cholerica complexione,quia in illa abundat calor,quem ſiccitas quaſi lima quædam acuit,in illóque ſuam ſedem collocat : ergo bilioſi acres,& alacres , ingenioſíque potiùs euadunt. Conſonat Leuinus Lemnius lib. I. de occult. naturæ miraculis c.16. vbi cholericis hominibus , iis maximè , quibus ſtatura corporis non admodum procera eſt , ſed in paruitatem declinans , ingeniíque vim & ad res gerendas non minus promptitudinem tribuit, quàm ad iram facilitatem. Cui fauet parœmia, *Mentem non habet,qui non habet iram.* Nobilis verò apud Galen.locus lib.2. de natura humana cõment.48.hoc grauiter confirmat ; *Animi*, inquit, *acumen,& dexteritas à bilioſo humore prodibit , ab atra bile conſtantia & ſtabilitas,à ſanguine ſimplicitas & ſtoliditas,vt pituita ad formandos mores inutilis ſit.* Eodem videtur reſpicere illud Heracliti, *Splendor ſiccus,anima ſapientior* ; quod multi referunt,ac de bilioſo temperamento recipiunt.

Argumenta pro melancholia. Ariſtot. Terul. Plato. Democr. Pontanus. Plato. Hieron. Medin. *Chriſtus Dominus melancholica pollebat.* Galen.

115\. Altera ex parte, vrget melancholicum temperamentum,cui tantum tribuit Ariſtoteles ſect. 30. problem. I. vt pronunciet omnes in quacumque arte inſignes melancholicos fuiſſe, ſiue floruerint in ſtudiis Philoſophiæ , ſiue in Republica moderanda,ſiue in regno adminiſtrando , ſiue in poëmate pangendo , ſiue in oratione conflanda , aut in artibus exercendis , aut quibuſcumque aliis muneribus obeundis, quod referens Cicero Tuſcul.I. *Vt ego me* , inquit , *tardiorem eſſe non moleſte feram.* Ante Ariſtotelem Plato in lib. de ſcientia,& in Timæo,& Democritus,ac poſt eos Galenus in lib. quod animi mores , &c. præcipuam quandam ingenij vim melancholicis tribuunt. Concordat Pontanus in ſua Vrania,qui de Saturno atræ bilis principe ita cecinit.

Nigra ſeni facies,tardus gradus ,horrida barba,
Et cani crines,& membra effœta ſenecta.
Ingenio tamen,ipſe bonus,nec inutile pectus
Conſiliis,conſtánſque animi,prudénſque futuri.

Pontani carmen illa laudat ratio, quia cùm ſenes ferè melancholico abundent humore , ita prudentia & iudicio dexteriores euadunt. Quamobrem,Platone auctore,*tunc animus efflorеſcit ,quando corpus deflorеſcit.* Imò in ſenibus,teſte D.Hieronymo,*creſcente ſola ſapientia,cætera virtutes decreſcũt.* Sed inter omnes grauiùs hanc partem ſuadet Michaël de Medina lib.2.de recta in Deum fide,c.7. fol.66.qui veritus fortaſſe, ne Chriſtus Dominus ſecundùm humanitatem minus haberetur ſapiẽs, ni foret etiam melancholicus, maluit in ipſo bilem atram , quàm ſanguineæ conſtitutionis temperamentum dominari. Eſt pro hac parte ratio efficax, quia vt vinum moderatè hauſtum mentẽ acuit,ſicut citato problemat. vult Ariſtoteles ; ita melancholicus ſuccus ratione ſiccitatis , quæ duplici nomine facit ad ſapientiam, tum quia tollit excrementa ſpirituum vitalium diſcurſum & claritatem impedientia ; tum quia ad quietem confert, anima autem quieſcendo fit ſapiens. Cùm igitur velocitas diſcurſus,& graue de inuentis iudicium potiſſima ſint ad comparandam ſcientiam inſtrumenta, eáque præſtet melancholia modicæ permixta bili, vt 2.de natura hum. comment.40. Galen.docet,fit profectò melancholicam complexionem plus ad ſcientiam conferre. Adde atram bilem,cogitabundos reddere homines , & à rebus ludicris alienos, atque adeò litteris perdiſcendis aptos.

Præſtat ſanguinea. Thom. à Vega. Heraclit. Galen. Mercardus. Hippocr. Ariſtot. M.Albert. *Suadetur ſanguineam cæteris præſtare.* Ariſtot.

116\. Cæterùm,quamuis non dubitem melancholiã modicæ permixtam bili , & ex conſequenti temperamentum ſiccum cum moderantia calidi & ſicci plus conferre ad ſapientiam , quàm quæuis alia complexio,vt ait Thomas à Vega de art.med. c.11.par.53.& credendum eſt voluiſſe Ariſtotelẽ, Heraclitum,Galenum , & alios vetuſtiores, quos idem Vega Mercadus & alij recentiores ſecuti ſunt.Tamen ſi complexiones impermixtæ ac ſimplices ſpectentur,primas in hoc officio ſanguineæ do ; quod expreſſit Hippocrates lib. de flatibus, Ariſtoteles 2 de partibus animalium,c.2.Galen.8. de vſu partium,c.13.vbi bonam temperiem ad ſapientiam commendat Albertus Magnus in I.Metaphyſic tract.I.c.5.& alij.Ratio verò eſt,quia ingenium,& animi mores corporis ſequuntur temperaturam,& quò quiſq; eſt temperatior,eò operationes naturæ ſuæ conuenientes habet perfectiores,vt communiter tradunt medici.Atqui ſanguineus habens moderatam ſanguinis quantitatem temperatior eſt,quàm ij in quibus aliæ complexiones dominantur. Ergo cæteris paribus eos ingenio & innata ad ſapientiam promptitudine ſuperat.Et hoc voluiſſe Philoſophum, cùm dixit, *molles carne aptos eſſe mente* ; nemo ferè eſt,qui dubitet. Reliqua omittens,illud dumtaxat prælibo, ſcilicet quòd ſanguinei hilariores pręcæteris ſint; hilariores autem ſapientiores videntur , vt probatur ex Solino c.4.vbi ait Zoroaſtem optimarum artium peritiſſimum , eadem hora riſiſſe qua natus extiterit.

Digitized by Google

Problema XXII.

An naturæ, vel artis beneficio ita diſponi quis poſſit, vt non lædatur à veneno.

117\. *Argumenta pro parte negatiua.*

PArs quæſtionis negatiua ſuaderi poteſt primò, quia nemo poteſt ita diſponi, vt piper in debita ſumptum quantitate ipſum non calefaciat, aut papauer ipſum non infrigidet: at veneni efficacia ſuaptè natura eſt humanæ temperaturæ deſtructiua; ergo à ſimili non poterit humanum corpus ita diſponi, vt veneni in debita quantitate ſumpti vim & actiuitatem ſuperet, ita vt nullam ab eo accipiat læſionem. Et confirmatur, quia veneni, vt venenum eſt, ratio & natura conſiſtit in eo, quòd mediante occulta proprietate humanæ complexionis ſit corruptiuum, ac penitus deſtructiuum, vt videre eſt apud medicæ artis profeſſores. Secundò, ſi quis ex propria temperatura & complexione, vel à natura accepta, vel arte acquiſita, ita diſponatur, vt à nullo veneno lædi poſſit, ſequitur ita fore diſpoſitum, vt venenis omnibus æqualiter reſiſtat; ſed hoc fieri non poteſt; ergo, &c. Minorem probo, quia ſi temperamentum in calidum declinet, plus frigido veneno reſiſtet, quàm calido, vt docet Auicen. ſecunda primi, doct. 3. cap. 3. (Auicenna.) Contrà ſi declinet in frigidum, plus veneno calido reſiſter, atque adeò quæ magis ad reſiſtendum calido diſponetur, eò minùs fiet aptum ad reſiſtendum frigido: & ita non poterit ſimul aptum eſſe ad ſuperandam cuiuſcumque veneni actiuitatem.

118\. *Argumenta prò parte affirmatiua.* Auicenna.

Oppoſitum ſequi videtur Auicen. ſexta quarti cap. de eius medicina, qui potu venenum hauſit: quatuor enim adhibet modos, quibus veneni actio poteſt impediri. Primus eſt per aliquam formam ſpecificam veneni formæ omnino repugnantem, quod patet in allio cum vino poto in morſu ſcorpionis, & videtur etiam reperiri in lapide Indico, quem vulgus Luſitanorũ de *Bazar* appellat, cui videtur eſſe vis. ad omne omnino venenum ſuperandum, ſiue frigidæ ſit naturæ, ſiue calidæ. Secundus eſt, ſi veneni actiuitas medicamento aliquo vincatur, quo pacto optimum vinum, & euforbium aſſumpti opij vires aliquando frangunt? Tertius, ſi veneni ſubſtantia aliquo remedio reſoluatur; qua ratione allium venena in ſudorem reſoluit? Quartus, ſi venenum aſſumptum expellatur, quomodo terra ſigillata ante venenum ſumpta per vomitum ipſum expellit; & Smaragdus ad ſe hauſtum venenum attrahit, vt ait Conciliator, (Conciliator.) & Regi Gallorum contigit, qui ſumpto veneno pedi ſuppoſuit Smaragdum, quæ ita venenum attraxit, vt liber Rex euaſerit. (*Smaragdus contra venenum.*) Idem videtur ſentire Ariſtoteles de ſecretis ſecretorum ad Alex. (Ariſt.) vbi ait puellam quandam nutritam fuiſſe veneno. Et de Mithridate fama celebrat, & narrat Plinius lib. 25. natur. hiſtor. cap. 2. Gellius lib. 17. Noct. Attic. cap. 16. Cæl. lib. 11. cap. 13. Galen. de aliment. facultate, & 3. ſimplic. med. Mathiolus ſuper Dioſcorid. lib. 3. cap. 1. (Plinius. Gellius. Cælius. Calenus. Mathiol.) vnde Martialis lib. 5. Epigrammat. (Martialis.)

Profecit poto Mithridates ſæpe veneno
Toxica ne poſſent ſæua nocere ſibi.

Mithridates ſcilicet ita ſe veneno aſſueuerit, vt nullum ei poſtea nocuerit. Cambiæ etiam Regis filius veneno educatus in præſentiſſimum vſque adeò exereuit cum ætate venenum, ac proinde ita venenoſus eſt redditus, vt muſcæ, quæ eius ſuccum perſtringerent, turgidæ interirent. (*Cambaia Rex venenoſus.*) Quin & Auicenna fœminam veneno nutritam prodit. Auicenna. Magnus Albertus aliam vidiſſe teſtatur, quæ aranearum aucupio mirificè oblectabatur. M. Albert.

Plinius lib. 7. cap. 2. ſcribit ad Helleſpontum circa Parium eſſe populos quos Ophiogenes vocat, qui ſerpentum ictus contactu leuant, & manu impoſita venena corpori extrahunt. 119. Plinius. Varro etiam nunc eſſe paucos ibi commemorat, quorum ſaliuæ contra morſus ſerpentum medeantur. Subiungit Plinius vbi ſuprà, ſimiles in Africa fuiſſe Pſyllos, à Pſyllo Rege dictos, quorum corporibus ingenitum fuit virus, exitiale ſerpentibus, & cuius odore ſopirentur. Solinus prodit fuiſſe homines, quos Ophiogagos dicit, ſeu Anguiuoros, quippe qui non alio victu, quàm ſerpentibus vterentur. Solinus. Hinc eſt quòd Spartani Ophiodori vocarentur, quia ſcilicet, cùm aliquando mira ſerpentum multitudo in Laconia ſuccreuiſſet, facta inde annonæ caritas eſt incredibilis, coactique ſunt indigenæ ſerpentes in eſcam vertere. Auicenna iterum teſtatur tempeſtate ſua vixiſſe hominem, quem fugerent venenata omnia, morientibus tamen reliquis, quæ forte eum mordicus apprehendiſſent, ipſum inde nihil omnino læſum. Auicenna. Rurſus Plinius citatus refert ex Damone pharmaces in Æthiopia reperiri tam peſtifero ſudore, vt contactis corporibus tabem afferant. Plinius. D. Auguſtinus lib. 2. cap. 8. de moribus Manich. mentionem facit de quadam muliere, quæ vel leui, vel ſine vllo valetudinis incommodo venenum hauriebat, quo hauſto morti damnati homines illico ſpirabant. Auguſt. Verùm enim verò quòd vel artis, vel naturæ miraculo vix fieri poteſt, Chriſtiana fide facilè comparat; nam teſte Marco 16. *Mortiferum ſi quid bibent, non eis nocebit*; de quibus infinita narrant annales ſacri: collegit Maiolus Epiſcopus colloq. 4. ab initio. & Lorinus noſter Act. 28. verſic. 6. apud quos de hac re multa ſcitu digniſſima. Adde Delrium in Mag. Idem expreſsè docent Simon Genuenſis citatus à Gaynerio tractatu de venenis cap. 4. & Ioann. Boccatius lib. 6. de caſibus virorum illuſtrium, (Maiolus. Lorinus. Delrius. Genuenſis. Gayner. Boccatius.) & alij quorum de numero eſt chirurgus quidam ab eodem Gaynerio relatus, qui retulit, dum captiuus apud Turcas teneretur, Soldanum ita ſe aduersùs venena muniiſſe, vt illud nulla ratione timeret. Deinde quædam animantia veſcuntur cibis venenatis, vt viperæ, ſcorpionibus, auctore Ariſtotele lib. 8. de hiſtor. animalium, cap. 19. (Ariſtot.) ſturni cicuta, coturnices veratro, anates bufonibus, gallinæ araneis, ciconiæ ſcorpionibus, ſues, & quædam pelicani ſpecies ſerpentibus. Quibus adde veſpas, quæ venenoſo alimento lethale vulnus relinquunt. Et de his lege Scaliger. exercit. 23. in Card. Plinium lib. 10. cap. 1. Fernel. libr. 2. de abditis rerum cauſis, & in lib. de fruct. & hum. cap. 1. (Scaliger. Plinius. Fernel.) Probatur igitur hæc pars primò, quia fieri poteſt, vt eam quis à natura vel ab arte ſortiatur complexionem, vt venenoſæ ſubſtantiæ proprietatem prorſus ſuperet: igitur non repugnat aliquem aduersùs omnem veneni actionem diſponi. (*Suadetur primò pars affirmatiua ratione.*)

120\. *Suadetur ſecundò.*

Secundò contingit non rarò, vt qui priùs alicuius regionis cœlum ferre non poterat, aſſuetudine tandem non modò ipſum æquè ferat, ſed etiam efficiat ſibi propitium & clemens, vt optimè

Auerroes. Auicenna. Galenus. Auicenna. Columel. Ruellius. Genuenſis. Reynald.

mè oſtendit. Auerr. in prologo lib. 3. phyſ. Vnde Indus ad Sclauoniam ſenſim deportatus ita paulatim diſponitur, vt Sclauonici cœli actione nil lædatur, qui aliàs ſubitò delatus abſque dubio moreretur, vt videre eſt apud Auicen. 1. primi cap. de complexionibus; igitur fieri etiam poteſt, vt quis natura vel arte ita diſponatur, vt fiat prorſus ineptus ad hoc, vt veneno ſuccumbat. Confirmatur in malo Perſica, quæ cùm eſſet apud Perſidē venenoſa, alieno in ſolo ita complexionē depoſuit, vt veneni reliquerit naturam, quod tradunt præter alios Galen. 2. de alimentis cap. de arbore Perſidis, Auicenn. 3. 41. cap. de Morphea alba. Columel. de cultu horror. lib. 10. Ruellius lib. de natura ſtirp. c. 3. & paſſim hiſtorici, & nos alibi fuſiùs tradimus. Confirmatur rurſus, quia in vitis inſitione, ſi apponatur venenum, vuæ producuntur venenoſæ, vt ait Simon Genuenſ. citatus, qui etiam tradit vinum fieri laxatiuum ex helleboro, vel ſcammonea, alióve laxatiuo medicamine viti impoſito, cùm inſeritur; quod in aliis plantis fieri poſſe docet Reynaldus de villa noua tract. de vinis.

121. *Suadetur tertiò.* Gaynerius.

Tertiò complexio naturalis per ætates mutatur, eáque fit mutatio, vt quod in vna ætate ferre ſtomachus non poterat, ferat in alia; ergo mutari etiam eo modo poterit, vt lædi à veneno non poſſit. Antecedens patet multis experientiis, nam qui nullo modo poterant caſeo victitare, poſtea victa paulatim repugnantia, eo mirificè recreabantur, & ita de mille aliis. Sed hac de re vide multò plura apud Gaynerium cap. 4. de venenis. vbi circa venenoſas actiones plura mouet dubia ad hanc controuerſiam pertinentia. Capite verò ſequenti tradit modum, quo quis poſſit acquirere tyriacalem, aut bazardicam complexionem, id eſt, veneni deſtructiuam.

ROBLEMA XXIII.

Vtrùm aqua per ſe ſolum nutrire valeat.

122. *Argumenta pro parte affirmatiua.* *Animalia quæ terra veſcuntur.* Virgil.

SAlubres aquas non fugit conuiuium Philoſophiæ: Iuuat reſtinguere ſitim, quam excitat ingenioſus argumentorum calor, & ardor. Pro parte affirmatiua argumentor primò. Terra per ſe ſola nutrire valet: ergo & aqua. Conſequentia patet à paritate rationis. Antecedens probatur exemplis. Lupi & elephantes terra veſcuntur, vt tradit Ariſtoteles 8. de hiſt. animal. cap. 5. & 26. Plin. lib. 10. nat. hiſt. cap. 72. De ſerpentibus idem conſtat ex Geneſ. c. 3. vbi Dominus ad ſerpentem; *Terram*, inquit, *comedes omnibus diebus vitæ tuæ*. Talpa etiam ex terra gliſcit, & alitur, vt conſentit auctor libri, qui inſcribitur, Summa de exemplis, & ſimilitudinibus, lib. 1. c. 43. Quin etiam omnes videmus columbas & capras terra, & puluere veſci. Idem de bufone dicendum, ſimilibúſque beſtiolis, quæ in defoſſis humi cauernulis verſantur. Nam, teſte Mantuano lib. 1. Georg.

—— Cæci fodere cubilia Talpæ,
Inuentúſque cauis bufo.

123. *Animalia quæ aëre veſcuntur.* Plin. Tertull. Plutarc. Tranſylu. Lop. Petr. Maiolus. Borruſ. Solinus. Boëm. Cælius. Oribaſ. *Sacerdos ſolo aëre vixit 40. annos* Hermol. Rondelet. Nonius.

Secundò argumentor; quia aër per ſe ſolùm nutrire poteſt. ergo & aqua. Conſequentia patet, cùm non detur maior ratio de vno elemento, quàm de alio. Probo antecedens, quia Chamæleon ſolus animalium, vt loquitur Plinius lib. 8. nat. hiſt. c. 33. nec cibo, nec potu alitur, nec alio, quàm aëris alimento; ſeu, vt ait Tertullianus de pall. oſcitans veſcitur, ſollicans ruminat, de vento cibus. Similis Plutarchi auicula in vita Artaxerxi, quæ vento & rore nutritur. Nec diſſimilis illa Braſilicæ regionis, quæ roſtro ex arbore ſuſpenſo ſex integros menſes ſine alio, quàm aeris pabulo viuit. Menſibus verò illis tranſactis ad vitales auras redire videtur, ideo indigenæ eam appellant excitatam, vt ex incorruptiſſimis annalium noſtrorum accepimus monumentis. Quid referam aliam auiculam, de qua latè ſcripſit Maximilianus Tranſyl. Franc. Lop. hiſt. Indic. Occid. c. 96. Pet. Hiſp. p. 5. cap. 19. Maiol. coll. 6. Borruſius præ cæteris, vt teſtis oculatus, quam vulgus dicit *Manucodiatam*, ſolo nimirum aere viuentem, & in eo ſemper degentem, & ſolùm mortuam in terram decidentem? Adde monſtrum illud Africæ regionis, quòd barbari ventorum flatu duntaxat viuere credunt. Narrat. Solin. c. 65. Boemius lib. 2. de morib. c. 8. Argen. in Aphor. Cælius lib. 24. c. 22. de Democrito, Oribaſius 1. Aphor. comm. 2. & alij. Quid commemorem illud longè mirabile, ſacerdotem ſcilicet Romæ annos 40. ſola aeris reſpiratione viuentem ex Leonis Pontif. Maximi, & multorum Principum cuſtodia, quod ex Hermolai Barbari hiſtoria certum eſt, vt ait Rondeletius lib. 1. de piſcibus c. 13. quo loci etiam ſcribit puellam annos tres in Gallia Narbonenſi, & in Germania aliam multos annos ſolo aeris alimento traduxiſſe, ſéque vidiſſe vnam teſtatur, quæ eo ſolo cibo ad decimum ætatis annum acceſſit. Ficinus affirmat ſe vidiſſe hominen, qui ſolo alebatur aëre, & ſole. Et ex Platonicorum ſententia dico eſſe locum orbis amœniſſimum, vbi homines quaſi ex aëre conflari aëre ſolo nutriuntur. Accedit teſtimonium medicæ artis profeſſorum, quos citat, & ſequitur Ambroſius Nonius lib. 2. Aphor. 11. §. 6. qui aſſerunt ſpiritus vitales nutriri aëre, qui inſpiratur, & per arterias trahitur.

124. *Animalia quæ igne nutriuntur.* Ariſtot. Auguſt. Plinius. Ælianus. Plinius. Olympiod. Seneca. Philo. Plato.

Tertiò argumentor, quia ignis per ſe ſolùm nutrit: ergo, &c. Antecedens multis oſtendo, & confirmo exemplis. Nam, teſte Ariſtotole 5. de hiſt. anim. c. 19. D. Auguſt. 21. de ciuit. cap. 1. Plin. lib. 11. c. 36. in Cypri ærariis fornacibus ex medio igni maioris muſcæ magnitudine volat pennatum quadrupes, appellatur *pyralis*, ſeu *pyrauſta*. Salamandra etiam eodem vtitur elemento. Quippe quæ in illo viuit, vt credit Ælian. lib. 2. c. 5. Plin. lib. 10. cap. 6. Olympiod. in 4. Met. D. Auguſt. de ciuit. lib. 21. c. 4. Adde, quod refert D. Macarius Eremita Ægyptius non minus doctrina, quàm ſanctitate commendandus, eſſe nimirum quoſdam montes igneos, in quibus ignis ſemper durat, & in quibus animantes quibus ſimiles viuunt, ad quas capiendas venatores rotis quibuſdam vtuntur, iactatis in ignem hamis ferreis illas foras extrahunt, ſed ſtatim vt extra ſuum elementum, ac alimentum pereunt. Confirmatur hoc ex Senecæ Philoſophi oraculo quæſt. nat. lib. 5. c. 6. vbi ait ignem, qui omnia conſumit, quædam etiam creare, & generare. Hinc Philo lib. de Gigantibus neceſſario habere docuit in omnibus ſuis partibus animata, ideóque animalia in igne genita in Macedonia plurima repetiri. Quod Plato confirmat, dum aſſerit eſſe animalia quædam ignea, quædam aëria, quales Nymphæ, quæ Maeræones dicuntur, id eſt,

longæuæ. Venit in mentem, quod aliquando legi apud Caſſiod. lib. 3. var. epiſt. 74. ad Fauſtum vrbis præpoſitum Regis Theodorici, vbi Iouianus curialis ædis reus Vulcaniæ inſulæ perpetua relegatione damnatur. *Salamandra*, ait, *ſecuturus exemplum, plerumque degit in ignibus, tanto enim naturali frigore conſtringitur, vt flammis ardentibus temperetur? ſubtilie ac paruum animal, lumbricis aſſocium, flauo colore veſtitum, vitam præſtat ſoli, qui mortalia cuncta conſumit.*

Caſſiod.

125\. Quartò argumentor, quia odores tenuiſſimi nutriunt: ergo, &c. Antecedens docet Hippocrates lib. 1. de alimento. Galen.& alij, quos citant & ſequuntur Thomas à Vega lib.6. de locis cap.4.ſect.5.& Ambroſius Nonius citatus, & 18. Aphoriſm. Quod per experientiam videtur demonſtrari. Nam liquentes animo ex ſpirituum defectu per ſuauiſſimos odores illicò ad priſtinã valetudinem reuocantur. Quod Auicenna confirmat fen. 12. 3. tract. 1. cap. 8. dicens. *Et plurimum quidem, quod accedit, ex ſyncope oportet vt incipiatur, & laboretur cum eo, quod nutrit ſpiritum ex odoribus bonis*, &c. Quod quidem hauſiſſe illos exiſtimo ex Galeno, Paulo, Traliano, aliiſque medicæ facultatis luminibus, dum omnes aſtruunt animi deliquium optimorum odorum afflatu facilè curari. Illorum ſententiam exemplis ſtabilio. Nam Aſtomorum gens, Plinio actore lib. 7. c.2. ad extremas Indiæ oras, ſolùm odore, quem è pomis, floribuſque ſuauiſſimis captant, recreantur, & ſuſtentantur. Democritus Philoſophus mellis, ſeu panis calidi odore tantùm adiutus per aliquot dies inediam tolerauit. Prodit Athenæus lib. 2. cap.3. Oriſabius lib.1. Aphor. Laërt. 1. lib.9. Suidas, & alij. Factum ex Græco fonte in Latinum tranſtulit Ambroſius.

Odores nutriunt. Hippocr. Galen. Thomas à Vega. Nonius. Auicenna. Galenus. Paulus. Tralian. Plin. Athen. Oriſabius. Laërt. Suidas. Ambroſ.

Dixit opus ſapiens vnquam quis tale peregit
Fecit quale ſciens omnia Democritus?
Qui per tres tenuit præſentia funera ſoles,
In calidis panum ſoſpes anhelitibus.

126\. Quintò argumentor, & feſtiuiſſimis probo exemplis ab ipſa aqua deductis. *Attentas, ac beneuolas date aures.* Piſces ſola aqua nutriri aliquando oſtendit Rondelet. citatus c. 12. vbi affirmat vxorem ſuam tres annos piſcem intra vas vitreum ſola aqua aluiſſe, qui in eam excreuit corporis magnitudinem, vt nec qua ingreſſus eſt via egredi potuerit, nec tandem vas, quamuis ampliſſimum, eum caperet. Deinde quædam animalia terreſtria, & humiles beſtiolæ aqua, ſeu rore aluntur, vt rore cicadæ paſcuntur, canit Mantuan. Eclog. 3. & credit Athenæus lib. 2. cap.2. Et ſi Geographo aſſentimur lib.12. ex Apollonide, ac Theophane, vermes in Armenia enaſcuntur, qui à niue, quam pro alimento habent, ſeparati intereunt. De auibus in aqua viuentibus mira tradit ex aliis Maiolus Epiſcopus ſuprà citatus, vir planè eruditus, cuius teſtimonium ego confirmo auicularum quarundam induſtria apud Sinas. Hæ ſunt magnitudine vt hirundines, candore vt columbæ, in maris fluctibus continenter degunt, nidos tamẽ ſcopulis marinis affigunt; ſed ex ipſis maris fluctibus & ſpumis illos mira arte conficiunt, nullámque aliam adhibent materiam: hæc autem ad guſtum, & ſaliuam adeò mirabiliter euadit, vt Rex Sinarum illam in regium vectigal quotannis acceperit. Nihil dulcius, nihil guſtui ſuauius excogitari poteſt, vt non ſemel audinimus ab illis, qui hos nidos per ſummum delicium deguſtarũt. Albert. Mag. lib.7. de anim. ſcribit hominem atra bile vexatum integras ſeptem hebdomadas ſola aquæ potatione vitam traxiſſe. Ex his rectè concludo, aquæ elementum, eſſe aliquando alimentum, quod Magni Baſilij auctoritate magis fulcitur hom.5. Exaëm. *Vna*, inquit, *aqua per radices attracta alio modo caulicis cortem, alio lignum, alio medullam, alit*, tandem vinum nutrit: vnde apud Medicos abiit in parœmiam, *vinum eſſe lac ſenum.* ergo & aqua nutriet, cùm vtriuſque eadem videatur eſſe ſimplicitas. Nam inter aquæ ſpecies vinum à Philoſopho numeratur 4. Metaph. text. 31. Hæc pro hac parte ſint ſatis.

Animalia quæ ſola aqua nutriuntur. Rondelet. Virgil. Athen. Maiolus. Memorabile exemplum. M. Albert. Baſil. Ariſtot.

127\. Pro parte verò negatiua ſtat Ariſtoteles de ſenſu, & ſenſibus c. 5. Auerroes 2. collig. c.19. Galen. lib. 4. de vſu part. cap. 5. q.7. art. 1. Et hæc eſt communis Philoſophorum optimorum ſententia, quæ aſſerit aquam (ſic de cæteris elementis) per ſe, & in ſuo naturali conſtitutam non poſſe eſſe alicuius rei viuentis alimentum. Probatur, quia alimentum debet eſſe alito proportionatum, vt Magnus Albert. probat in op. de nutrim. quia alioqui non poteſt id, quod alit, continentis formam induere. Sed animal eſt compoſitum, aqua verò eſt ſimplex: ergo hæc non poteſt eſſe illius alimentum. Confirmatur, quia vt aqua nutriret, deberet priùs in chylum conuerti; ſed non poſſet prius conuerti, antequam craſſeſceret actione natiui caloris, cùm multò rarior ſit, ſimpliciórque, quàm chylus; ſed hoc eſt impoſſibile, cùm verum ſit illud Ariſtotelicum 4. Met. text. 21. *aquam inter omnia humida non craſſeſcere actione caloris, ſed in vapores abire: ergo*, &c. Hæc ſufficiant: *Sat prata biberunt.*

Suadetur pars negatiua. M. Albert. Ariſtot. Virgil.

PROBLEMA XXIV.

Vtrùm homo poſſit vltra nouem dies inediam tolerare.

128\. Laura minus, & ſplendida Philoſophiæ menſa, vbi de fame, de inedia indicitur quæſtio. Fugaces ne Tantali dapes? Recedat longè hæc de nobis querimonia, omnes lautos vos dabimus, & ſplendidos conuiuas, nullus ieiunus abibit. Irritamus tamen famem ad nouas cupedias, noua bellaria, noua tragemata, & noua obſonia. In primis certum eſt, poſſe famem tolerari ad tertium vſq; diem, quod diuinis profaniſque probatur exemplis. Diuinis ſic oſtẽdo. Vir ille Ægyptius, de quo agitur 1. Reg.3. 12. non comederat panem, neque biberat aquam tribus diebus & tribus noctibus. Imò & Eſther ad Gentiles ſuos, *Non comedatis*, inquit, *& non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo*, Eſth. 4. 16. Ita Sara Tobiæ vxor tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit, Tob. 3. 10. Mitto alios, qui tribus integris diebus famem ſeruarunt citra quidem miraculum. Profanis demonſtro, quia Græci, vt refert Lucianus delectu, ad finem, in ſuis funeribus totum triduum abſque vllo cibo tranſigebant. Ægyptij ſacerdotibus, vt refert D. Hieronymus lib.2.contra Iouin. bidui triduique inediam tolerabant. Idémque narratur de Regina Angliæ. nam cùm ei à Gallis Caliſium caperetur, præ mœrore à cibo per triduum abſtinuit. Teſtor Turnebum poëtam Gallicum in Panegyrico de capto Caliſio.

Homo vltra tres dies ſine victu viuit. Lucianus. Hieron. Turnebus. Gallicus.

Tres illam perhibent ſecretam ex ordine luces,
Et totidem noctes potu caruiſſe, ciboque.

Dein

Deinde ſine cibo, potúque multos vltra triduum
vſque ad ſeptimum diem vixiſſe, conſtat ex Hip-
Hippoc. poctratis oratione, lib. de principiis, hunc enim ter-
minum præſcribit hominum vitis cibo, potúque
abſtinentium. Quod mille patet exemplis. Vnum
dumtaxat delibo apud Plinium Hebræum lib. de
vita contemplatiua, qui de ſuis monachis Ale-
xandrinis teſtatur ad ſextum ſaltem diem ieiunos
Philo. duraſſe. *Nec deſunt*, inquit, *qui prolatè accepti
epulo ſapientiæ perdurant duplum eius temporis, &
vix ſexto die deguſtant cibum neceſſarium, aſſueti
ſicut cicadæ, rore viuere, canticis, opinor, ſolantes ine-
diam.*

129. Quòd verò vltra nonum diem poſſit homo
vitam degere, mille probant exempla. In primis
ſic argumentor. Lacerti, ſerpentes, ſtelliones,
fluuiales crocodili, vt Ariſtoteles 8. hiſtoriarum
animalium cap. 15. hyberno tempore ita latitant,
Animantes quæ viuunt hyberno tempore ſine victu. vt nihil comedant, cuius rei cauſam reddit Al-
bertus Magnus lib. 22. de anima, tractat. 2. Sunt
enim huiuſce beſtiolæ ſuapte natura frigidæ, &
ad ingluuiem pronæ, ac ventri deditæ, ideóque
M.Albert. æſtiuo tempore multos, eoſdémque craſſos, &
indigeſtos humores in ventriculo conflant, quos
calor natiuus cùm valde ſit debilis, nec decoque-
re, nec ſuperare valet, cùm à calore externo, &
motu non iuuetur; quare torpente hyeme tor-
pent, ideóque redduntur pigræ, vt ferè eo tem-
pore præ nimia inertia, atque pigritia, laſſitudi-
néque dormiant. Vnde ex quibus maior ineſt
calor appetente verna cæli temperie è latebris,
cauernı́ſque ſuis nimis macilentæ prodeunt; ex
verò, quibus minor eſt calor, ſæpenumero pin-
gueſcunt, vt de ſe ingenuè fatetur ridiculus ille
mus apud Poëtam in xeniis lib. 13.

Martialis. *Tota mihi dormitur hyems, nec pinguior vllo
Tempore ſum, quàm cùm me niſi ſomnus alit.*

Deinde animalia altera, de quibus proximè egi-
mus, vt Chamæleon, quibus adde vrſum, taxum
& alia, ſine cibo potúque multorum dierum ſpa-
tio viuunt: ergo & homines viuere poterunt.
Annecte omnes illos, qui ex puro elemento in
multos dies vitam traxerunt, cùm verò elemen-
tum ſimplex non ſit alimentum, vt probat Ari-
Ariſtot. ſtoteles, quem omnes Philoſophi ſequuntur, li-
bello de ſenſu & ſenſ. cap. 5. rectè infertur poſſe
hominem per multos dies ſine cibo potúque vi-
tam exigere. Animalia tanto tempore dormien-
tia ſecutus eſt bos, de quo Lælius Biſc. tom. 1.
Lælius. horar. lib. 16. cap. 2. qui ſub ingenti fœni cumulo
ſine alimento multos vixiſſe menſes, quem ruſtici
credebant amiſſum, tandem inuentus eſt adeò
pinguis & nitidus, vt ſe loco mouere non poſ-
ſet. Epimenides annos LXXV. perpetuos dormi-
Laërtios. uit. Ita Laërtius lib. 1. Heroës in Sardinia hanc
Ariſtot. fortunam, ſortiti ſunt. Ita Ariſtoteles in phyſic.
Ruſticus in Germania ſub ingenti fœni cumulo,
per autumnum, & brumam perpetuò dormiuit,
conſumpto paulatim fœno attonito ſimilis tan-
Simplic. quam ab inferis excitatus ſurrexit. Ita Simpli-
Damaſc. cius & D. Damaſcenus. Homo vltra tres menſes
Medina. ieiunus vixit. Ita Medina lib. 2. de recta in Deum
fide cap. 7. Mulier Patauina quadraginta dies
M.Albert. continuos à cibo abſtinuit. Ita M. Albertus in
ſumma de homine, tractat. de nut. & lib. 7. de
anim. ait, ſe vidiſſe Coloniæ mulierem alteram,
quę aliquando totos triginta, & aliquando totos
viginta dies ſine alimento vixit. Puella Germana
Portius. per biennium ieiuna vixit. Ita Portius Fœmina
in Normandia annos decem & octo nihil prorſus
Aponenſ. guſtauit. Ita Aponenſis 10. problem. ad finem.

Pinguiſſimus Mauritaniæ Rex hac noſtra ætate
diu ſine cibo conſiſtebat, alebatur enim proprio
abdomine. Venetiis homo fuit præclaris ortus
natalibus, qui integros XLVI. annos ieiunos ab-
ſoluit, cùm eſſet frigida corporis habitudine,
craſſáque pituita, & incocta nutritione, obſtru-
ctíſque membrorum meatibus. Ita Lælius. Spiræ Lælius.
puella fuit Margarita nomine, quæ tres ferè an-
nos famem tolerauit, quæ ſtatura erat æquali,
habitudine recta, oculis cæſiis, ingenua fronte,
ore tamen arido ſemper, cùm nihil cibi & potio-
nis admitteret, nunquam expetebat, plorabat ta-
men, nares emungebat, & dormiebat, inter reſpi-
randum non admodum venter ei contrahebatur,
vel dilatabatur. Ita Lælius citatus, apud quem Lælius.
alia leguntur exempla. Illud noſtra hac memoria
admirandum, & à nonnullis ex auditoribus ſpe-
ctandum fuit. Gallina abſque cibo & potu poſt *Gallina exemplum.*
80. dies reperta eſt viua, quod non parum admi-
rationis iniecit, propter nimium, quo pollet, ca-
lorem.

Exemplis quibus annales abundant ſacri, ſu- 330.
perſedeo, ne aliquis obiiciat id extra vires na-
turæ contigiſſe. Scio equidem hiſtoriam de San-
ctis VII. dormientibus; ſcio multos Euchariſtiæ
ſanctiſſimæ nectare alitos per aliquot annos fuiſ-
ſe. Scio auguſtiſſimos noſtræ Societatis paren-
tes, & auctores Ignatium, & Xauerium multos
dies ſine cibo traduxiſſe. Scio Nazianzeni mo-
nachos, in carmine exhortatorio ad Hellenium,
totos viginti dies, totidémque noctes à cibo ab-
ſtinuiſſe; *dimidia ex parte*, inquit Nazianzenus,
Chriſti ieiunium imitantes. Scio denique alios He-
roas innumerabiles, qui diuinis dumtaxat dapibus
recreati integros annos exegerunt. Cùm verò
hi præter vſitatum naturæ ordinem inediam ſu-
ſtinuerint, parum ad hanc partem ſtabiliendam
conducere videbuntur, ideo reliqua miſſa om-
nino facio. Aliam autem vobis partem & ratio-
nibus, & exemplis defendendam relinquo; nos
verò inter tot ieiunos, atque famelicos, diu ver-
ſati, neque ieiuni, neque famelici à menſa rece-
dimus.

PROBLEMA XXV.

Quod maius tormentum, ſitis, an fames.

FAmelicos cerno aliquos, quorum famem irri- 331.
tare potius volumus, quàm ſitim extingue-
re. Philo lib. 1. de vita Moyſis, famem, & ſitim Philo.
vocat dominos graues, & difficiles; quod repetit
D. Baſilius de vita contemplatiua homil. de ſqua- Baſil.
lore, & fame. Nazianzenus orat. 23. famem ma- Nazianz.
leſuadentem dixit. Priùs Virgilius 6. Æneid. Virgil.

——*Malè ſuada fames.*

Impelluntur oppidò mortales ad furta, ad rapi-
nas, ad ſcelera, ac cædes, vel etiam filiorum, ſi im-
proba fames vrgeat. Ingens tormentum. Lau-
do Quintilian. in declamat. de hoc malo, quem Quintil.
legite.

Pergo ad ſtupenda inſaturabilis diræque famis *Famis diræ exempla.*
exempla. Et in primis ex ſacris literis conſtat
mortale genus in ſeipſum dentes conuertiſſe. In
obſidione Samariæ 4. Regum 6. & apud Ioſe-
phum lib. 9 cap. 4. Iud. antiq. matres filios præ fa- Ioſephus.
me comedebant. Quod luculenter expendit
D. Augu

Digitized by Google

Auguſt. D. Auguſtinus ſermone de tempore 211, Multò
tamen acerbior fuit fames Hieroſolymitana, ſi
Ioſeph. quid acerbius fingi poteſt. Meminit Ioſeph. lib. 6.
Hegeſip. cap. 11. & lib. 7. cap. 7. & Hegeſippus lib. 1. de ex-
Hieron. cid. Hieroſ. cap. 44. & D. Hieronymus 1. lib com-
ment. in Thren. cap. 2. Hæc apud Palæſtinos.
Excurramus per alias orbis regiones. Apud Per-
ſas cùm Rex Cambyſes partem exercitus amiſiſ-
ſet, & partem ſortitò præ fame comedilſet, ti-
Senec. muit ne & ipſe vocaretur ad ſortem, Seneca lib. 1.
Herodot. de Ira cap. 20. Herod. lib. 3. Apud Scythas Cyrus
Perſarum Rex ad tantam rerum inopiam fuit
cum ſuo exercitu redactus, vt milites ſe mutuò
deuorarent, Herodotus idem. Apud Sarmatas
conſumptis omnibus quæ mandi poterant, miſeri
homines mortuorum cadaueribus non abſtinue-
runt, & liberi in parentes, parentes ſæuierunt in
Mart. liberos, vt vitam tolerarent, Mart. Crom lib. 11.
Apud Gallos anno 1146. annonæ charitas ita
quoſdam adegit, vt in Ligonenſi agro carnes hu-
manas coctas venderent, Rob. Abb. in Chron.
Rob. Apud Germanos anno 849 ita vniuerſos popu-
los deformauit, vt patres filios ad ſyluas dolo
ducerent, & ex illorum necibus ſibi cibos para-
Sigib. rent, Sigib. in Chron. ann. 851. Chron. Hirſaug.
& Naucl. Apud Anglos ſub Rege Gulielmo ali-
qui ad extremam rerum omnium redacti penu-
riam, vicinorum pueros furabantur, rapiebant, &
deuorabant. Æmilius lib. 3. Apud Italos non ſe-
Æmil. mel hęc peſtis. Cùm Alarius Rex graui obſidio-
ne Romam premeret, ludis circenſibus acclama-
tum eſt: *Pretium pone carni humanæ.* Nam & in-
fantes adhuc lactantes in matres deſęuierunt, Zo-
Zoſimus. ſimus lib. 6. hiſtoriæ. Aliam vrbis calamitatę hac
etiam grauiorem deplorat Hieronymus ad Prin-
S. Hieron. cip. in epiſt. Marc. *Hæret*, inquit, *vox, & verba ſin-
gultus intercipit. Capitur vrbs quæ totum cepit or-
bem, imò fame prius perit, quàm gladio, & vix pau-
ci, qui caperentur, reperti ſunt. Ad infandos cibos
erupit eſurientium rabies, & ſua inuicem membra
laniarunt, dum mater non parcit filio, & recipit vte-
ro, quem nuper effuderat.* Rurſus ſub Totila Ro-
mani ciues in propria membra præ fame morſus
Sigon. conuerterunt, Sigonius lib. 19. de Imp. Occid.
Sub eodem Placentini homines eadem vrgente
peſte humanas carnes eſui adhibuerunt, vt ibidem
narrat Sigon. Deinde ſub Iuſtiniano, cùm in dies
obſidione premerent Gothi Beliſarium vrbem
defendentem, ad tantam inopiam deuenerunt
Romani, vt duæ mulieres, 17. hominum cadaue-
ra, quos dormientes interfecerant, abſumpſerint.
Eadem & fame in Piceno, & in Æmilia gliſcente,
cogebantur miſeri humana carne veſci, & liberi
parentum fiebant dapes, Procopius, & paſſim hi-
Procop. ſtorici.

133. Iam venio ad Hiſpanos, de aliis multa apud
Sabell. Sabell. Enn. 4. lib. 9. Cardan. lib. 8. de rerum va-
Cardan. riet. cap. 45. Hiſpanos quondam ter ſe carne hu-
mana pauiſſe legimus, nimirum cùm dura obſi-
dione cingerentur eò aliquando miſeriarum de-
uenerunt, vt vix matres fœtum ediderint vtero,
Auguſt. cùm iam præ famis rabię vtero redderent. D. Au-
Valer. guſtinus de ciuitate lib. 3. cap. 20. Valerius Ma-
ximus lib. 7. cap. 6. Quamuis apud Hiſpanos poſt
Chriſti aſſertoris legem acceptam non adeò li-
center hæc peſtis graſſata fuerit; apud Hiſtori-
cos multa paſſim inuenies luctu quidem digna.
Accedo ad Luſitanos, qui tanto malo ſæpiùs ve-
xati ſunt. Sub Sancio II. Luſitaniæ Rege ſæ-
uiùs debacchata eſt hæc rabies inferorum. Squa-
lebant agri, laborabant homines, ipſa mœrebant
tecta: miſeri exibant in agros, ſtirpes colligebant,
alij iumenta mactabant, alij mures venabātur. His
conſumptis vita in pœna, mors in lucro. Concur-
ſabant pueri per plateas, parentes appellabant, *Famis de-*
opem flebili voce petebant, qui ne filios intereun- *ſcriptio apud*
tes viderent, ereptum ex ore cibum, ſi quis tamen *Ouid. 8. Met.*
erat, illis dabant, ipſi miſeri moriebantur. Pallebāt *apud Plaut.*
ora, eminebant malæ, venter macie collapſus, de- *in Stich. &*
fluxerat ille natiuus color, totum corpus ſine ſuc- *in Luc. Con-*
co, ſine ſanguine miſerandum in modum extabue- *ſule per otiū.*
rat. Planè tota cadauerosā erat Regni facies, & in
dies graſſante malo, tota ferè periit, & conſumpta
eſt. De his hactenus.

Problema XXVI.

An genus aliquod animalium in elemen-tari igne viuat.

HVius controuerſiæ diſputandæ occaſionem 134.
obtulit Philoſophus lib. 4. Meteor. text. 28. *Pars affirma-*
vbi partem negatiuam reſoluit. Sed omiſſa fabu- *tiua proba-*
loſa Platonicorum opinione, qui dæmonum do- *tur.*
micilia in regione ignea conſtituebant: occurrit
in primis in hac veteri quæſtione pro affirmatiua
parte idem Ariſtoteles lib. 5. de hiſtor. animalium
cap. 19 vbi ait ignem in Cypro eſſe, in quo diu-
tius perſiſtente, volucres reperiuntur, quæ mul-
tos dies in ipſo viuant, ac mox pereant, vbi inde Ariſtot.
egrediuntur. Sequitur Ariſtotelem Plin. lib. 6. c. Plinius.
36. & 38. & *pyrales*, ſeu *pyrauſtas* hæc animalcula
vocat, & quadrupedia pennata eſſe affirmat. Rur-
ſus Ariſtoteles 3. de gener. animalium cap. 11. ita
ſcribit, *Vnumquodque elementum ſedes & domici-
lium eſt aliquorum, quæ in ipſo naſcuntur, & degunt.*
quam ſententiam videntur arripuiſſe Balbus Ci- Baldus.
ceronianus lib. 2. de natura Deorum, & Ouid. 1. Ouid.
Metam. illis verſibus,

Neu regio foret vlla ſuis animalibus orba,
Aſtra tenent cæleſte ſolum, formæque deorum.

His omnibus addi poteſt D. Auguſtinus lib. Auguſtinus.
21. de ciuitate c. 2. vbi idem videtur ſentire. Pro
hac parte ſic argumentor, primò. Naturæ ordo, *Probatur*
& perfecta mundi diſpoſitio poſtulat, vt ſicut in *primò ratio-*
reliquis tribus elementorum regionibus terreſtria, *ne.*
aquatilia, ac volatilia degunt animalia; ita quoque
aliqua ſint, quæ in igneo degant tractu, ne inter
elementa illud ponatur incultum, & infrequens,
quod cæteris nobilitate præſtat. Et confirmatur,
quia in aëre, elemento igni ſimillimo, non mo-
dò viuunt aues; ſed (quod videtur creditu diffi-
cile) in ipſo generantur, ac nutriuntur, nec ter-
ram vnquam contingunt, vt ex viris doctis te-
ſtatur Vielmius de opere ſex dierum, lect. 23. vbi Vielmius.
ait repertum in India genus auium, quæ in ſubli-
mi ſemper feruntur, nec pedes habent, quibus ter-
ram prendant, & ſuper aliarum auium dorſa pa-
riunt oua, & tandiu incubant, quoad exierint fœ-
tus.

Secundò argumentor experimento, Salaman- 135.
dra viuit in igne, præter alios teſtatur Nazian- *Probatur ſe-*
zenus, vnde eam *Conſtantiæ* vocat *ſymbolum*: ex *cundò expe-*
igne etiam nutritur, vt ſentit Rhodiginus lib. 24. *rientia.*
cap. 21. Et pyrauſtas ex igne etiam generari tra- S. Nazianz.
dit præter Ariſtotelem Scaliger exercitatione 23. Rhodig.
& 194. n. 4. vbi acriùs reprehendit Cardanum, Scaliger.
quòd eas putet ex putri humore fieri, cùm in
igne

Digitized by Google

igne naſcantur, vbi putredo non eſt: ergo, &c.
Probatur tertiò. Tertiò nihil obſtat, quominus in igne animalia
viuant: non defectus pabuli, tum quia nutriri
igni poſſunt, vt aëre Chamæleontes; tum quia
non indigent fortaſſe alimento, cuiuſmodi ſunt
Ariſtot. beſtiæ quædam, quarum meminit Ariſtoteles,
Pompon. referente Pomponatio in 4. Meteor. dubit. 62. &
fuere fœminæ, quæ per totos duos menſes; &
aliæ, quæ per tres integros annos ſine cibo vixerunt,
eodem Pomponatio teſte; & in quibuſdam
animantibus, quæ tota hyeme à cibo abſtinent,
experimur, vt nos alibi latiùs in hoc volumine
tractamus. Non defectus reſpirationis, quia ſicut
aëre calido reſpiratio fit, ita igne poterit fieri; aut
ea eiuſmodi animantes non indigebunt. Non
quia nullum corpus corruptibile diu in igne cō-
D. Thom. ſeruatur illæſum, quod videtur dicere D. Thom.
in 2. d. 15. q. 2. art. 2. ad 1. hoc enim falſum vide-
Ariſtot. Plin. tur, tum quia lapis ſtragilis, teſte Ariſtotele 4.
Meteor. text. 47. & Aëtites, teſte Plinio lib. 10.
cap. 3. & adamas, eod. teſte lib. 37. & lapis Py-
Olympiod. rimachus, teſte Olympiodoro, & anthrax, qui
nec calefieri quidem vllo modo poteſt, teſte loco
Ariſtoteles. citato Ariſtotele, nequeunt ab igne abſumi: tum
quia dari poterit in mixto complexio, quæ ignis
actioni prorſus reſiſtat; cuiuſmodi videtur fuiſſe
in pollice dextri pedis Pyrrhi regis Epirotarum,
quo ſpleniticos Rex ipſe ſanabat, qui conjecto
Pyrrhi pollex non crematur. in ignem & combuſto Pyrrhi corpore illæſus &
integer permanſit, vt tradit Plin. lib. 7. cap. 2. &
Plin. poſt eum Bened. Pereir. lib. 3. in Danielem, vbi
Perer. addit cor eorum, qui morbo cardiaco, aut vene-
Sueton. no intereunt, cremari non poſſe. Speciatim hoc
Germinij cor non crematur. tradit Suetonius de Germinio Cæſaris Caligulæ
patre, cuius cor cùm reliquum cadauer abierit in
fauillas, nihilominus intactum, illæſúmque re-
manſit. Rei nouitas Romam in admirationem
rapuit. Sed venenum, quo erat repletum, & com-
pertum poſtea fuit, flammas furentes retudit, &
illuſit.

136. *Pars negatiua probatur.* Breuiter tamen oppoſita pars nobis probanda
eſt. Primò quia nullum animal poteſt viuere ſi-
ne cibo, ſimplex verò elementum non nutrit.
Secundò, quia perpetuò ea animalia vigilarent,
quod nec leoni concedit Philoſophus, licèt hic
modico vtatur ſomno, & apertis dormiat oculis.
Tertiò, quia omne mixtum complexionem ha-
bet primarum qualitatum, quæ in igne conſer-
uari commodè nequit. Tandem, quia nec reſpi-
rarent eæ animantes, nec tactus ſenſiones exer-
cerent; ad vtrunque enim ineptum eſt elemen-
tum ſua natura calidiſſimum; ſentiunt nobiſcum
Ariſtot. Ariſtoteles 2. de gen. animal. cap. 3. 4. Meteor.
Galen. cap. 1. 2. de ortu & inter. text. 21. Galen. 3. de
Dioſcor. temper. Dioſcorides lib. 2. cap. 56. Buccaferreus
Buccafer. ibid. text. 30. Guilliel. Pariſienſ. in lib. de Vni-
Guilliel. uerſo, Bened. Pereir. lib. in Daniel. cit. & lib. 2.
Pererius. Pierius. in Gen. Pierius Valerianus, ex quibus aliqui af-
firmant ſe multis Salamandris experiundi cauſa
in ignem coniectis, breuíque cōnſumptis, fal-
ſam eſſe communem de Salamandra opi-
nionem comperiſſe. Et de his ſatis,
ne cum vermibus ac beſtio-
lis humi reptare vi-
deamur.

***

Problema XXVII.

An ſerpentum incantatio naturali verborum poteſtate fiat.

Non dubium eſt, quin ope ceremolianis Ma- 137.
giæ, κακουργίαν Græci, ſiue γοητείαν vocant,
non modò ſerpentes incantentur, ſed effectus
alij præſtentur mirabiles, quos tamen dæmonum
artibus omnino tribuimus, cùm fiant hominum
perditorum miniſterio, potiſſimúmque infa-
mium fœminarum, quarum de numero fuit Ma-
ga illa, de qua Virg. Æneid. 4. Virgil.

Hæc ſe carminibus promittit ſoluere mentes
Quas velit, aſt aliis duras immittere curas.
Siſtere aquam fluuiis, & vertere ſydera retro.
Nocturnóſque ciet Manes, &c.

Quorum ſimilia de Theſſalis mulieribus ſcribit
Lucan. & alij non pauci. Sed reiicienda etiam eſt Lucan.
inſania Cabaliſtarum, qui eam operandi vim He-
braicis nominibus tribuebant, vt cuncta ſancto-
rum Vatum, imò & Chriſti Domini miracula
nominum Hebraicorum virtute edita dicerent.
Solùm in hoc problemate inueſtigabimus, an ali-
quibus verbis naturalis vis ad incantandos ſer-
pentes ineſſe poſſit?

Affirmatiua pars tradi videtur à D. Auguſt. 11. 138. *Pars affirmatiua.*
de Geneſ. ad lit. vbi cauſam tangit, cur potius
ſerpentes, quàm vllum aliud genus animalium, Auguſt.
ſoleant carminibus permoueri. Eſt de mente eo-
rum omnium, qui naturalem actiuitatem nomi-
nibus cōncedunt, in quibus cenſentur Picus Mi- Mirandula.
ran. in Apolog. concl. 5. quo loco Platonem pro Plato.
ſe in Cratilo citat; Cælius Rhodig. lib. 16. cap. 14. Rhodig.
Plinium referens: Stephanus quidem Aqueus
Bituricenſ. in Plin. lib. 28. cap. 2. & lib. 30. cap. 1. Plin. Steph.
Ex vetuſtioribus Origen. à Mirandula citatus, Orig.
qui ideo putat quædam Hebræa nomina, vt *Alleluia,
Sabaoth, Oſanna*, & ſimilia reſeruata in Ec-
cleſia fuiſſe, quòd naturalem quandam vim con-
tineant, quam in aliud idioma conuerſa non re-
tinebunt: Cato in lib. de re ruſtic. Plinius locis Cato.
illis citatis, Iamblicus inter Academicos cogno- Plinius.
mento Diuinus; quibus concinit Maro in Buco- Iamblic.
licis illis verſibus, Virgil.

Carmina vel cœlo poſſunt deducere lunam.
Carminibus Circe, ſocios mutauit Vlyſſis.
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Sed iuuat etiam hanc partem Pſalm. 57. vbi Re-
gius Vates ita canit, *Furor illis ſecūdùm ſimilitudi-
nem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ & obturātis aures
ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & ve-
nefici incantantis ſapienter.* Videtur enim diuino
oraculo confirmari ius & facultas incantatio-
num, & commendari incantatoris ſapientia, &
ſerpentis obturantis aures calliditas, quod haud
obſcurè confirmat magna Nazianzeni auctori-
tas in Apolog. 1. vbi loquitur de hominibus qui
Dei verbis obſeratas præbent aures. Sic ille. *Vel
etiam obſtructis aſpidis ſurdæ ritu auribus noſtris,
obſtinato ſtudio in hoc incūbimus, vt ne incantantiū
vocem audiamus, ſapientiaque faſcino, quo anima
morbus curari, ac diſcuti ſolet, faſcinemur*, &c. Vbi
dubio procul Regij Vatis carmen attingit. Cùm
igitur armare ſe belluæ naturaliter non poſſint
aduerſùs incommoda, quæ naturalia non ſunt:
ſanè conſtare videtur quòd ſicut natura beſtias
contra incantationes munit, ita naturales eſſe in-
canta

cantiones, quod eſt præcipuum huius partis argumentum. Deinde ſi incantatio ſerpentum vi dæmonum fit, non efficacia verborum naturali, quæ eſt cauſa, cur aſpides potius, colubri, & id genus animantes, quæ ſerpunt, quàm equi, leones, boues incantentur? Præterea ſerpentes gerunt naturales cum homine inimicitias, vt docet Barcephas lib. de Paradiſo cap. 27. & Bened. Pererius lib. 6. in Geneſ. q. 4. p. 446. non apparet autem alia huius naturalis diſſidij cauſa, niſi quia ſerpentes videntur à natura humanis vocibus ſubditæ. Denique eſt naturalis in herbis virtus ad impediendas tollendáſque excantationes, vt eſt apud Plinium lib. 25. cap. 10. Homericum Molij, & Artimiſia: at ſi vi dæmonum incantatio fieret, non poſſet profectò herbarum poteſtate tolli, aut impediri; fit igitur verborum vi.

Barcephas. Perer. Plinius.

139 Eſt tamen oppoſita pars omino certa, cùm ſerpentum incantatio vt res prorſus illicita à tota Theologorum ſchola damnetur: quibus adde Patres, Auguſtinum lib. 1. de doctr. Chriſt. & habetur 26. q. 2. D. Gregor. Mag. refertur etiam 26. q. 5. D. Thom. 2. 2. q. 96. art. 2. Baſilium in ſcholiis Pſalm. 57. & multos alios, quos breuitatis cauſa innominatos volo. Sanè D. Auguſtinus illo ipſo lib. 11. de Geneſ. citato cap. 27. *Quòd*, inquit, *vulgò putatur ſerpentes audire & intelligere verba incantantium, vt eis incantantibus proſiliant plerunque de latebris, etiam illic diabolica vis operatur*, &c. Probatur verò primò, quia carminibus nulla poteſt eſſe naturalis efficacia ad alliciendos potius ſerpentes, quàm quodcunque aliud animalium genus; cætera autem animalia non incantantur. ergo neque ſerpentum incantatio verborum poteſtate fit. Maior patet, quia carmina nec ratione ſoni, nec ratione ſignificationis efficacia ſunt ad agẽdum; ſonus enim reali actione actiuus non eſt; ſignificatio verò neq; efficax eſſe poteſt, cùm ſit relatio rationis, neq; à ſerpentibus percipi, in quibus intelligendi vis deſideratur. Deinde carmina non ſortiuntur incantandi effectum, niſi vt à certo hominum genere pronuntiantur; non poſſunt autem incantandi vim à pronuntiante accipere: ergo quidquid id eſt, arte dæmonum fit. Tandem ſacra Dei nomina nullam habent naturalem agendi virtutem, vt latè probat Abulenſis in cap. 14. Paralyp. q. 12. ergo neque illam carmina habere poterunt. Porrò de huiuſmodi ſerpentum incantatione præſertim legatur Michaël Med. de recta in Deum fide lib. 2. c. 7. & Valleſ. in ſacra Philoſophia cap. 3. & noſter Delrius in Mag. Quòd autem huiuſmodi cantus incantatio nihil efficiat, pulchrè oſtendit D. Ambroſius Hex. libro 4. cap. 9. dum ait. *Habet* (ſcilicet Eccleſia) *incantatorem ſuum Dominum IESVM, per quem Magorum incantantium carmina, & ſerpentum venena euacuauit.*

August. Greg. D. Thom. Baſil. *Probatur primò.* *Probatur ſecundò.* Abulenſ. Michaël. Valles. Delrius. Ambroſ. *Nomen IESV incantat.*

***

PROBLEMA XXVIII.

An cor humanum medio in pectore ita locatum ſit, vt neque ad dextram declinet, neque ad ſiniſtram.

140 QVanquam in quibuſdam imperfectis animantibus per totum corpus facultates permiſcentur, quòd non habeant exactam aut partium varietatem, aut facultatum integritatem; in perfectis tamen principales virtutes, quibus gubernantur anima, locis ac ſitu diſtribuit natura. Supremam ſedem animalis facultas obtinuit, mediam vitalis, infimam naturalis; oportebat enim vim cogitantem ab alimenti officinis ſeparari, ne crebri halitus intelligentiam interturbent, quod fieri ſolet, iuxta illud, *Craſſus venter non gignit tenuem mentem.* At cùm ſpirituum vitalium calor ad opera animalis & naturalis facultatis plurimum ſit neceſſarius, neceſſe fuit intervtramque locari cor viuifici caloris officinam, vt poſſet commodè vtrique communicari.

141 Sunt & aliæ plauſibiles rationes, quibus oſtendi poteſt cor in medio pectore locari; tum ex mẽbri dignitate, eſt enim cor veluti rex ac princeps partium reliquarum, cui proinde regni in medio eſſe conuenit, vt bene Ariſtoteles loquitur lib. 3. de part. anim. cap. 4. & lib. de iuuent. & ſeneſt. cap. 2. Tum ex commoditate vitæ, quia corporis temperamentum à corde dependet. Tum ex tuendæ vitæ ratione, quia opus fuit ſollicitam eſſe naturam de membro principe, cui vel minima læſio magnum affert detrimentum; vnde non fuit contenta natura ſitum cordi in medio aſſignare, ſed fortium & durorum oſſium appoſuit munimenta, vt Plinius conſiderauit lib. 11. c. 37. Vnde obſeruant anatomicæ artis homines periti oſſa, quæ cor cuſtodiunt, gladij cuiuſdam effigiem referre, ac ſi natura illum vitæ theſaurum armata manu vigilanter cuſtodire ac defendere videatur. Tum denique ex operatione gemina cordis propria, pulſatione videlicet, & reſpiratione, quæ in medio commodius, quàm in aliqua extrema corporis parte initium habent. Aliter enim perennis illa cordis agitatio difficiliùs deprehenderetur, nec ille arteriarum pulſus ad modulos quoſdam bene temperatos, legéſque metricas compoſitus vel corporis ſanitatem, vel ægritudinem indicare rectiùs potuiſſet. Cùm igitur certum ſit cor medium tenere pectus, num ad alteram eius partem aliquantulum declinet, dubitatur; Vergere ad ſiniſtram cenſuit Auicenna lib. 3. fen. 10. tract. 1. cap. 1. & fen. 11. cap. 1. de anatomia cordis. Ariſtotelem ſequuntur omnes ferè Peripatetici cum reliquo hominum vulgo; pro quibus ſunt huiuſmodi argumenta.

Cor in medio pectore ſitum. Ariſtot. Plinius. *Probatur cor vergere ad ſiniſtram.* Auicenna. Ariſtot.

142 Primum. Siniſtra pectoris humani pars eſt frigidiſſima, Medicorum confeſſione; oportuit igitur huic frigiditati conſultum iri per aliquam cordis membri calidiſſimi inclinationem: permixtum enim calori frigus temperamentum efficit ſalubre; & hac ratione vtitur Ariſtoteles. Secundum, ſi cor humanum medio in pectore prorſus eſſet, conuicta in parte dextra cordis & hepatis caliditas animal penitus inflammaret: ſed ſecus fit; declinat igitur cor ad læuam. Accedit experientia, argumentum in philoſophia. Sentimus

Probatur primò. *Probatur ſecundò.*

mus dextrum pectoris latus eſſe calidius, quod ſex eo prouenit, quia cor in læuam modicè declinans ſpiritus motu ſuo in dextram exſufflat; quæ fuit cauſa, qua deceptus Ioannes de Gand. falsò credidit ad 4. phyſic. q. 8. in ſolutione primi, cor in dextram partem deflectere. Item maiorem experimur in ſiniſtro latere pulſationem, quàm in dextro. Et hæc pro hac parte. *Gand.*

143. *Probatur verius ad nonnumerum.* *Galen.* *Vega.* Sed nos contrariam tuemur cum Galeno 6. de vſu partium cap. 2. & alibi, quem Thomas à Vega ſequitur lib. de art. med. cap. 28. & Medici alij, qui aſſerunt cor in medio thoracis ſpatio ita ad amuſſim ſitum eſſe, vt neque ad dextram, neque ad ſiniſtram, neque ſurſum, neque deorſum declinet. Argumenta ſunt. Cor in medio omnino pectore exiſtens in loco eſt, vt ait Galenus, tum ad firmitatem aptiſſimo; tum ad recipiẽdam maximè opportuno; nec eſt vlla in declinatione commoditas: non eſt igitur cur ſedes prorſus media illi denegetur. Nam quod Ariſtoteles ait, læuam frigidæ eſſe naturæ, retorqueri in ipſum poteſt: quoniam opus eſt, vt in animalibus, præſertim homine, pars ſiniſtra frigida ſit; datur enim in locali animalis motu pars vna veluti quieſcens, cui motio innitatur; altera agilis ac velox, à qua facilè motio prodeat; vt autem temperatura frigida ad quietem eſt aptiſſima; ita calida ad motum: quare non debent eſſe paria ſiniſtra dextris. Quæ ratio cùm in omni animali locum habet, tum multò maximè in homine, qui ad exercendas artes frequentiſſima eget dextræ partis motione ſiniſtra quieſcente. Deinde in reliquis animalibus, quæ ferè ſolo motu progreſſiuo exercentur, non eſt tam euidens partium imparitas; & tamen in ipſis cor prorſus in medio eſt: ergo, &c. Sed inter omnes grauiùs vrget pro hac parte anatomica experientia, quæ in medio prorſus pectore humanum cor ſitum reperit. Sed de hoc conſule primarios Medicæ artis profeſſores, & præſertim legatur Thomas à Vega de arte cap. 28. & 34. fol. 79. & 97. ad finem, & cap. 29. fol. 85. & ſeq. Burid. de iuuent. & ſeneƈt. quæſt. 2. §. oppoſitum vult, &c. *Ariſtot.* *Th. à Vega.* *Burid.*

Problema XXIX.

Vtrùm Anima ſeparata ſe, & corpora à ſe diuiſa, localiter mouere, vel corpus aſſumere queat.

144. *D. Aug. nõ eſt auſus definire quæſtionem.* INgeniorum apex Auguſtinus ſatis arduam atque accliuem ſanè reddidit quæſtionem, dum eam definire magna ex parte non auſus fuerit, præſertim epiſt. 102. & tom. 3. lib. de ſpirit. & anima, cap. 29. & lib. de cura pro mort. agenda, c. 16. & cap. 17. Cæterùm Auguſtinus plus nobis doƈtrinæ attulit dubitando, quàm alij determinando attulerunt. *Reſolutio primæ partis.* Quod attinet ergo ad priorem partem, dico mihi omnino certum videri animam à ſe poſſe moueri, per propriam potentiam motiuam, licèt nonnulli Scholaſtici à Mendoça infrà citando allegati in contrariam partem abierint. *Alphonſ. Mendoça.* Et hæc eſt communis Patrum, & Scholaſticorum ſententia, quos referunt & ſequuntur Conimbr. traƈtat. de anima ſeparata, d. 6. art. 2. §. eſt nihilominus, & Bellarminus lib. 2. de Purgator. cap. 8. Soar. de anima, lib. 1. cap. 2. num. 8. Bubalus de Ang. quæſt. 53. §. 3. & probatur facilè. *Conimbr.* *Bellar.* *Soar.* *Bubalus.* Primò, quia Angeli, vt conſtat ex ſacra pagina, multis in locis, habent virtutem vt ſe moueant ex vno loco ad alium; ergo & animæ ſeparatæ ſimilem virtutem ſortiri debent. *Probatur primò.* Valet conſequentia, quia ideo in Angelis ponitur virtus motiua, quia ſunt actus per ſe ſubſiſtentes vita præditi, & finitæ præſentiæ, qui ſe ex vno loco ad alium mutare poſſunt; ſed animæ ſeparatæ hæc omnia habent; ergo, &c. Secundò probatur ex abſurdo, quia ſi anima ſeparata ab intrinſeco ſe non poteſt mouere, vbi primùm corpus deſineret informare, ex ſe in eo loco immobilis per æternitatem permaneret; ac cætera entia vitæ expertia, quod certè magnam imperfectionem arguit. *Probatur ſecundò.* Præterea incongruum videtur priuare animam rationalem ea perfectione, qua pollent animantia; ſed hæc à ſe poſſunt moueri; ergo, &c.

Maior dubitatio eſt de ſecunda parte, an anima ſeparata corpora à ſe diuiſa mouere poſſit? 145. *Secunda pars quæſtionis.* Prima ſententia, & ſatis communis ſtatuit animam nihil à ſe diſtinctum poſſe mouere. Ita Diuus Thomas 1. par. quæſt. 89. art. 8. ad 2. ſed præcipuè eadem 1. part. quæſt. 11. art. 4. qui de hoc ſpecialem inſtituit articulum, quem ſequuntur communiter Thomiſtæ, & ex noſtris peritiores Theologi Soar. tom. 2. in 3. part. d. 32. ſect. 2. §. ſecunda ſententia. Et in Metaphyſica d. 35. ſect. 6. num. 23. & tom. de anim. lib. 6. cap. 2. Vaſq. 1. p. d. 194. cap. 3. num. 9. Delrio lib. 2. diſquiſit. Magic. q. 26. ſect. 2. §. elementaria. Hurtadus in Metaph. d. 12. ſect. 2. §. 11. & in hanc magis inclinat Lorin. Act. 23. num. 9. *D. Thom.* *Soar.* *Vaſq.* *Delr.* *Hurtad.* *Lorin.*

Primum & præcipuum fundamentum à ſancto Thoma inculcatum eſt, quia anima eſt eſſentialiter forma corporis; & natura ſua ita ad illud ordinata, vt nihil operetur quoad actiones materiales, niſi media informatione; ſed vna ex iſtis operationibus eſt motus localis; ergo à corpore ſeparata illum exercere non poterit circa corpora à ſe diuiſa. 146. *Primum fundamentum.* Maiorem confirmat experientia; quia anima non mouet in corpore, niſi membrum viuificatum, vnde ſi aliquod eſt emortuum, nullum motum per illud exercet; ergo minus poterit illum exercere in corporibus à ſe diuiſis. Si verò illi obiicias, Angelum corpora poſſe mouere ex vno loco ad alium; ergo & animam ſeparatam. Negat conſequentiam, quia Angelus non eſt forma corporis, vnde vt moueat, non eſt determinatus ad vnum, ſed indifferenter ſe habet ad omnia. Secundum fundamentum, ſi anima extra corpus poſſit alia à ſe diuiſa mouere, etiam poſſet efformare corpus, & in eo apparere, per illúdque ſuas operationes exercere; ſed hoc cõmuniter negatur à Theologis citatis, imò Soarez ſuprà talem formationem corporis ita miraculoſam exiſtimat, vt eam comparet cum reunione proprij corporis; vnde agens de apparitione Moyſis in transfiguratione, aſſerit ſatius eſſe concedere miraculum in eo quòd reſurrexerit proprio in corpore, quàm illud admittere in aſſumptione corporis phantaſtici. *Secundũ fundamentum.* *Soar.* Hæc ſententia non eſt improbabilis exiſtimanda, præcipuè cùm tot, ac tam graues habeat patronos.

Ego tamen oppoſitam, quæ aſſerit animam ſeparatam, & corpora à ſe diuiſa poſſe mouere, imo, & phantaſtica poſſe efformare, longè probabiliorem cenſeo, quam expreſsè tuentur Abulenſ. Matth. 25. quæſt. 773. Dionyſius Carthuſ. 147. *Oppoſita ſententia eſt verior.* *Abul.* *Carthuſ.*

Conimbr. Ægid.

Act. 23. Conimbr. tractat. de anima ſeparata,
d.6.artic.2. cum aliis, quos referunt Ægidius
quodlibeto 4.quæſt.7.& alij, quos miſſos facio.

Prior pars probatur primò.

Et in primis priorem partẽ, quæ aſſerit animam
corpora à ſe diuiſa poſſe mouere, ſic oſtendo pri-
mò, quia anima ſeipſam poteſt mouere; ergo &
corpora à ſe diuiſa. Antecedens patet ex ſuprà
dictis. Conſequentia probatur, quia potentia
motiua non eſt immanens, ſed tranſiens; ergo
non eſt, cur in anima ita limitetur, vt ad mobile
extra ſe nequeat extendi, præſertim cùm obie-
ctum huius potentiæ ſit in Angelis, & aliis, qui
illam poſſident, indifferens ad ſe, vel alia extra ſe,
vt experientia patet; ergo nec potentia motiua
animæ, cùm ſit perfectior, hanc limitationem

Probatur ſecundò

ſortietur. Secundò ſic argumentor impugnando
fundamentum in oppoſitum. Quia non minus
ordinantur formæ accidẽtales ad proprium ſub-
iectum, nec minus ſunt dependentes in ſuis ope-
rationibus ab illis, quàm anima à corpore, cuius
eſt forma, imò magis; ſed formæ accidentales
extra ſubiectum collocatæ, adhuc poſſunt exer-
cere ſuas operationes in aliis ſubiectis, vt patet in
calore & frigore, grauitate & leuitate acciden-
tium ſacræ Euchariſtiæ; ergo & anima dum eſt
extra materiam, actiones potentiæ motiuæ non
ſolùm circa ſe, ſed etiam circa alia corpora exer-

Probatur tertiò.

cere poterit. Et confirmatur vltimò; quia licèt
cæteræ operationes animæ, dum illa eſt in corpo-
re, ab eo dependeant quoad modum, abſolutè
tamen extra illud exercentur, vt patet in actibus
intellectus, & voluntatis; ergo ſimiliter dicen-
dum erit de operationibus potentiæ motiuæ. Ex
dictis patet maior probabilitas huius partis.

Probatur ſecunda pars quæſtionis.

148\. Maior aliquantulum eſt difficultas circa aliam,
videlicet, an corpora aſſumere, & efformare poſ-
ſit? Videtur enim hoc eſſe ſupra animæ virtu-
tem, nihilominus non video, cur etiam corpora
efformare nequeant. Et confirmari hoc poteſt
exemplis; nam animæ ſæpe corporibus aſſum-
ptis viuis apparent, & cum eis ſermocinantur;
ergò ad ea efformanda virtutem habent. Ante-

Greg. Ambroſ.

cedens probatur ex illis, quæ affert D. Gregorius
lib.4.dialog.vſque ad cap.55. D. Ambroſius lib.
7.epiſt.59.de Acholio, & de ſanctis Geruaſio, &
Prothaſio, & Agnete nobilem refert apparitio-

Paulinus. Baſil. Nazianz. Auguſt. Damaſc. Sulpit.

nem. Paulinus de ipſo Ambroſio, D. Baſilius de
Mamante martyre, Nazianzenus de fratre Cæſa-
rio; D. Auguſtinus de multis, præſertim Hiero-
nymo; Damaſcenus de iuuene quodam, Sulpi-
tius de D. Martino, aliiſque. Beatam verò vir-
ginem multis apparuiſſe teſtantur paſſim hiſto-

Alph. Mend.

riæ, vt videre eſt apud Alphonſum Mendoçam
in quodlib quæſt.5.ſchol.num.12. & 13. vbi ad
faſtidium penè ſacræ paginæ etiam tradit appa-
ritiones ab animis, quæ in aliam vitam tranſmi-
grauerant, hominibus in hac adhuc degentibus,

Petr. Tyr. *Annuæ litteræ Iapponiæ.*

factas. De his etiam, & de aliis lege Petrum Ty-
ræum noſtræ Societatis de Apparit. Quibus om-
nibus adde Iapponiorum hiſtoriam in annuis

Nangaxi anima.

Patrum noſtrorum litteris exaratam. Enimuerò
anima Nangaxi cuiuſdam fœminæ corpus occu-
pauit, ita vt in hanc, vel illam partem illud mo-
ueret, & caperet quò vellet. Nec de hoc & de
aliis exemplis dicas hoc à Deo, & immediatè, &
per miraculum præſtitum fuiſſe. Nam hoc liberè
dictum videtur, alioquin idem de Angelis di-
ceremus, quod omnes Theologi negant, quia
certum eſt ab Angelis corpora aſſumi, atque mo-

Suar. Bubalus. Becan.

ueri, vt latè oſtendit Soarius tom. de Ang. l.b.4.
cap.37. Bubalus noſter citatus, Becanus etiam
noſter de Angelis, & alij quamplurimi ex recen-
tioribus.

Problema XXX.

Quis color omnium præſtantiſſimus.

NObiliſſima omnium accidẽtium ſunt colo- 149.
res, vtpote qui lucis filij, Solis proſapia, &

Colorum præſtantia.

cœleſtis naturæ. Ita ex Ariſtotele deducit Caſſa-
næus. Enimverò nihil oculis gratius, nihil mira-
bilius. Colores gemmas nobilitant, flores ve-
ſtiunt, atque diſtinguunt: colores lapides, me-
talla inſigniunt, & condecorant. Colores auium
plumas, ouium velleta, ferarum pelles, arborum
fructus variant, & commendant. Colores tabu-
las, imagines, ſtatuas pictutant, & animare vi-
dentur. Colores hominum formas & habitus
non ſolùm diſtinguunt, ſed etiam illuſtrant. Co-
lores ipſum etiam cœlum exornant, coloribus
enim Iris veſtitur, nubes induuntur; à colore di-
citur aureus Sol, argentea luna, flammea ſydera,
denique totum ipſius cœli corpus ab vno colore
cæruleum appellatur. Omnes igitur ita natura
comparauit, ita pulchros & diuerſos conſtituit,
vt de ipſorum primatu ingens reliquerit certa-
men. nobis nunc, haud vobis faſtidientibus, ſub-
eundum; ſed quoniam multiplex ſingulariſque
colorum varietas multiplices, ſingulóſque ſorti-
tur patronos, vnuſquiſque ſuum mecum tuea-
tur, & in primis ſciat quos iam olim fautores ha-
buit, & auctores.

Roma totius orbis Regina quatuor in ludis 150.

Romanorum factiones coloribus diuiſæ.

certantium factiones habuit, diuerſis coloribus
diſtinctas, & aduerſis pariter animis repugnantes
inuicem, & aduerſantes. Vna erat viridis, quæ
Praſina dicebatur; altera cærulea, quæ Veneta
nominabatur. Adde albam alteram, quæ viridi,
alteram verò rubeam, quæ cæruleæ adhærebat.
Quatuor hæ ſacratæ erant quatuor elementis, &
quatuor anni temporibus. Viridis Terræ, & Ve-
ri; Cærulea Aquæ, & Autumno; Rubea igni, &

Nero, & Caligula. Vitell.

æſtati; Alba aëri, & hyemi. Nero & Caligula Vi-
ridi, & Albæ vſque adeò indulſerunt, vt eas vitu-
perare auderet nemo. Vitellius tanto ſtudio Ve-
netam, cæruleam, & rubeam proſequebatur, vt
morte mulctaret eum, qui contra eas loqueretur.
Conſtantinopoli ex hac contentione tanta, ac
tam fœda coorta eſt armorum tempeſtas, vt tri-
ginta hominum millia funditus perirent, ſi credi-

Manaſſes.

mus Manaſſi in ſua Politica. Imò, auctore Paulo
Diacono, ab his colorum factionibus atrociſſi-
mum illud, ac ciuile bellum fuit excitatum, quod
quidem vniuerſam penè plagam Orientalem in
commune incendium, atque excidium impulerit.

Plato.

Nunc verò ſecundùm Platonem, pro rubicundo
colore videre mihi videor ſtare animoſos, pro vi-
ridi viriles, & maſculo, pro albo, ſeu candido
pios, ac Deo deuotos, pro pallido amatores, pro
nigro in oculis, ſecundùm perſpectiuos timidos,
pro flauo dociles, pro igneo iracundos, pro cæ-
ruleo crudeles, pro viridi denique etiam in ocu-

Claud.

lis hilares, ac lætos. Sed de hoc Claudius ab Embl.
Alciati 117.

Ex his liquidò conſtat omnia colorum genera 151.
in ſex præcipuos cõſtari. Nam præter cæruleum,
viridem & aureum, quos Platonici admittebant,
addimus tres alios, rubrum, nigrum, & album,
ſeu candidum cum communi Philoſophorum

placito

Dandin. Viuald. Ficin. Rhodig. Caſſan. Gell. Dand. Aquil. Perot. Conimbr.

placito apud Dandinum libro tertio, digreſſione 35. de omnibus tamen latè agunt Viualdus in ſpecul. Ficinus libro tertio, de vita cœlitus comparanda. Rhodiginius libro primo, antiq. cap. 2. Caſſanæus in Cat. part. 1. & part. 12. Aulus Gellius lib. 2. c. 26. Dandinus lib. 2. de anima. Aquilonius de Opticis lib. 1. Nicolaus Perottus Epigrã. 20. in Matt. Conimbr. de anima lib. 2. capit. 7. quæſt. 1. & 2. Pro primatu igitur cærulei coloris ſic argumentor. Color cæruleus ſimpliciſſimus, ac tenuiſſimus inter omnes ideo à pictoribus magno pretio habitus. Iam verò antiquitas illum aëri ex elementis, Ioui ex Planetis, Sapphiro ex gemmis, Iuſtitiæ ex virtutibus attribuit. Per hunc colorem aqua, cœlum, & Autumnus ſignificabatur. Inter flores cum illo triumphant lilia; inter gemmas cum illo regnat ſapphirus; inter complexiones cum illo ſanguinea exultat. Deinde cum multis accipe illum pro caſtitatis hieroglyphico. Ex quibus ſic conficio argumentum. Sicut Iupiter eminet inter planetas, lilium inter flores, ſapphirus inter gemmas, cœlum inter corpora, ſanguinea inter reliquas complexiones, Iuſtitia, & caſtitas inter virtutes; ita color cæruleus inter reliquos iure optimo eminet, & triumphat. Et confirmatur primò eius præſtantia ex ſacro Ordine Sancti Ioannis Euangeliſtæ, qui hoc colore indutus orbem condecorat, & illuſtrat. Confirmatur ſecundò ex præclariſſima tot, tantorúmque Magiſtrorum corona, qui cæruleo pileorum colore inſigniti primas huic colori deferunt, & coronam. Vobis igitur Philoſophiæ clariſſimi profeſſores, hunc colorem laudandum, & defendendum committo.

Argumentatur pro cæruleo.

Ordo Ioannis Euang. *Philoſophia Magiſtri.*

152\. *Argumentatur pro viridi.* Aquilon.

Pro viridi non imbelles conſtruo turmas. Quis non videt viridem iuuentutem arma capere, & ſuas veluti partes agere? Hic ſacer erat Veneri, & telluri: hunc præ cæteris gratiſſimum eſſe oculis probat Aquilonius. Subſcribunt pictores ſuáſque ducunt lineas, quippe qui feſſis oculis virides colores inducunt, vt reficiantur, & extollantur. Eo antiqui vernum tempus ſignificabant, & pueritiam inter ætates indicabant. Tellus viridi habitu pingebatur, & quidem quid viſui iucundius, quid gratius, quid pulchrius, quàm herbeſcentis terræ viriditas? Quid ad hominum animos aucupandos facilius? Adde bruta ipſas ratione carentes. Nam teſte Aquilonio 1. de proprietate rerum, cerui, & alia huiuſce generis animalia loca viridia lubentiùs frequentant, ad ripas confluunt, ad prata, ad ſyluas, ad nemora ſuopte ingenio currunt. Vnde ſi venatores herbaceis veſtibus induantur, & viridi in ſpecie ſeſe illis oſtendant, ea facillimo negotio venantur. Dolus quidem ingenioſus, quo vſus eſt Giraldus ille impauidus, ſeu, vt Luſitani dicimus, *Sempauor*, cùm Eboram ab hoſtibus cepit, & in libertatem vindicauit. Narrat Bernardus de Britto in ſua Monarchia Luſitana. Auget huiuſce coloris excellentiam marmor Lacedæmonium, quod viride erat, & omnium laudatiſſimum. Tradit Plinius lib. 36. cap. 7. commendat eundem maximè ſmaragdus, gemma ob vnum viridem colorem magno vbique pretio æſtimata. In inſula Cæa ſub tumulo Hermiæ Reguli marmoreus leo ſpirabat, qui ſmaragdinos habebat oculos, viridicantes adeò, vt piſces ſubiecto in gurgite natantes territaret; nec comparebant, donec piſcatores ſuam vicem dolentes oculis illis erutis alios alterius coloris induxerint. Sicque tantum viridi colore piſces perterrentur, quantum ferè eodem alliciuntur; ſcribit Perottus, quem ſuprà allegaui. Ex virtutibus etiam caſtitatem demonſtrat; vnde ſmaragdus adeò vſque libidini aduerſatur, vt penitus frangatur, ſi quis eam ſecum habeat, in re venerea committenda; refert Pierius in ſuis Hierogl. lib. 41. cap. de ſmaragdo. Quod ego confirmo ex noſtrorum Regum annalibus. Nam in conceptione Regis Ioannis ſecundi Iſabellæ matri ingentis pretij ſmaragdus, quem annulo incluſum geſtabat, fractus dicitur. Sed ex virtutibus vnam præſertim ſpem deſignat. Vnde ſmaragdus ſpei ſymbolum: Ideo viſio illa Apocalypſ. 4. *in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ*, quia tota noſtra ſpes in Dei miſericordia, de qua ibi ſermo, poſita eſt. Hoc colore ſacrorum canonum Profeſſores exornantur. Vobis igitur, ampliſſimi Academici illum commendandum, & ſi opus fuerit, tuendum relinquo.

Girald. Britto. Plinius. Perot. Pierius. *Chronicon Luſitaniæ.* *Doctores canonum.*

153\. *Argumentatur pro aureo.*

Pro aureo pugnat tota auri Soliſque pretioſa ſupellex, nullus ſanè de illius præſtantia dubitabit, niſi qui de auri Soliſque primatu inter metalla, atque planetas dubitarit. Ab hoc colore quidquid vel diuitiarum, vel venuſtatis eſt, cognominatur. *Aurea Cæſaries.* Virgil. 8. Æneid. *Coma aurea*, Ouid. 12. Met. *Imago aurea.* Ouid. epiſtola 19. *luna aurea.* Ouid. 10. Met. *aurea mala*, Virg. Eclog. 3. *aureus ramus*, Virg. 6. Æneid. *Sol aureus.* Virg. 1. Georg. *Sydera aurea*, Horat. Epod. 17. *aurea veſtis*, Virgil. 8. Æneid. & ſic de aliis rebus paſſim apud Poëtas, quos prudens ſciénſque omitto, qui quidem pro hoc, & aliis coloribus paſſim occurrunt. Vlteriùs progredior, per hunc colorem ſapientia ſignificatur; ſignum eſt adoleſcentiæ à viginti quinque annis. Inter virtutes illarum Reginam, nimirum caritatem exprimit; inter gemmas Topazion præſertim inſigniteius pretium in capillis maximè collocatum; capillorum enim flauities tanti fiebat, vt aureis ramentis ſtatet. Deorum comæ flaua depingebatur. Vnde Auguſti, & Conſtantini Magni cæſaries magno honore colebatur. Iam verò apud Hebræos homines nihil pretioſius. Probatur ex Dauidis, Abſolonis, Salomoniſque cæſariebus. Probatur etiam ex egregio pulcherrimorum iuuenum cœtu, qui Salomonem comitabantur, quorum fuit cura præcipua auri ſcobe comam inaurare, ſic credimus Ioſepho libr. 8. antiquit. cap. 2. Crines flaui argumenta ſunt liberalis ingenij, & optimæ indolis, vt oſtendit Pineda de Salomone libr. 6. cap. 4. Claudo huius pretium, & æſtimationem eum Medicæ facultatis Doctorum laurea, aurea illa eſt, illorum ergo ſit eius partes tueri.

Virg. Ouid. Horat. Ioſeph. Pineda. *Medicæ facultatis Doctores.*

154\. *Argumentatur pro rubeo.*

Pro rubeo autem eſt, quòd eo veteres ignem ex elementis, Martem ex planetis, leonem ex aſtris, ex ætatibus iuuentutem, ex floribus roſam ſignificabant. Quid Martius ille color, & calor non exprimit furoris? Hoc colore vexilla, galeæ, criſtæ, paludamenta, chlamydes, & reliqua militaria inſignia tingebantur. Teſtor Romanos, Perſas, Græcos, Gallos, Hiſpanos, cæteráſque orbis nationes. Neque verò hic color erat ſolùm inanimorum incitamenta, ſed victoriarum etiam argumenta. Imperatores enim Romani minio rubente illiti triumphos agebant. Præterea diuinus habebatur apud veteres. Nam, auctore Alexandro ab Alexandro, deorum imagines purpureo ſemper habitu, & miniata facie palàm exhibebant. Accedit, quòd ſit maieſtatis regiæ indicium, illo enim induuntur Reges; Cardinales

Alexand. ab Alex.

Digitized by Google

etiam Eccleſiæ principes, purpurati incedunt. Addo, quòd nullus color magis commendet pulchritudinem, quod in Theodorico Sidonius, in Alexandro Plutarchus, in Salomone Abulenſis laudarunt. Neque id latuit ſponſam diuinam. *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Cantic. 5. hunc canit Tibullus in ſuo adoleſcente lib. 4. Eleg. 4.

Sidon. Plutarc. Abul. Tibull.

Et color in niueo corpore purpureus.

Hunc Virgilius in Lauinia,

Flagrantes perfuſa genas, cui plurimus ignem
Subiecit rubor.

Rubei coloris præſtantiâ in verecundia extollitur.

Eam tamen rubei coloris laudem non infimam iudico, quòd ſit certiſſimum pudoris, & verecundiæ argumentum, atque adeò ſingulare iuuentutis ornamentum. Quia in re illud illuſtre prodiuit exemplum. Cùm Romani damnare capite vellent Philippum Macedoniæ Regem ob aliqua crimina ab eo patrata, Demetrius rei conſcius filium optimæ indolis adoleſcentem Romam mittit, vt obiecta diluat, & pro parente deprecetur. Verùm enim verò ingenuus adoleſcens atrociſſima patris facinora referri audiens in ſenatu, & comprobata agnoſcens: pudore ſuffuſus erubeſcit, & tacet præ verecundia. Quid ſenatus? Solo illo pudoris, vel ruboris indicio permotus parenti parcit, filióque patris crimina lubenter condonat. *Et vade,* inquit, *adoleſcens, dic parenti rubore tuo ſua ſcelera diluta manere, parcimus eius ſanguini, quem rubore tuo compreſſiſti.* Diogenes cùm vidiſſet adoleſcentem rubore perfuſum dixiſſe traditur, *Confide fili, huiuſmodi enim eſt virtutis color.* Cato, auctore Plutarcho, plus delectabatur adoleſcentibus, quorum vultus rubore priuſquam pudore perfundebatur. *In fœminis autem,* inquit Nazianzenus oratione aduersùs mulieres, *vnus color amabilis eſt, nimirum rubor ille, quem pudor gignit:* & oratione in laudem Gorgoniæ ſororis. *Vnus illi rubor placebat; quem gignit pudor, vnus candor, quem parit abſtinentia.* Agite verò, Cæſarei iuris profeſſores, & colorem quo adeſtis inſigniti, defendite verbis, rationibus illuſtrate: nullus ex vobis in hoc erubeſcat.

Plutarch. Nazianz. *Doctores iuris Cæſarei.*

155. *Argumentatur pro nigro.* Caſſan.

Pro nigro tamen totus inſudat Caſſanæus 1. p. concluſione 17. eique haud dubius primas defert, quo autem iure, date aures. Color niger præ cæteris virtute pollet; nam cùm ipſe omnes extinguat, à nullo extinguitur: ergo omnium præſtantiſſimus eſt habendus. Significat Saturnum ex planetis, diem Veneris ex diebus, ferrum ex metallis ex ætatibus ſenectutem, ex virtutibus prudentiam. Apud Ægyptios Apollini ſacer erat, eò quòd à ſole homines denigrarentur, vt tradit Porphyrius de abſtinentia. hac de cauſa Brachmanæ illum venerantur. Ab eo petit venuſtas magnam commendationem, hæc datur Memnoni nigro, qui tamen Auroræ filius credebatur, ſed in primis oculi nigri, & comæ nigræ laudantur. Audio Horatium lib. 1. Odarum Od. 32.

Porphyr. Horat.

Lycum nigris oculis, nigróque
Crine decorum,

canentem. Rurſus eundem in arte poëtica,

Spectandum nigris oculis, nigróque capillo.

Mitto alia exempla, iubet enim ſponſa Cantic. 5. *Coma eius ſicut elatæ palmarum, nigra ſicut coruus,* Quid elegantius ad commendandam nigri coloris venuſtatem? Iam de ſe ſponſa prædicauerat, Cantic. 1. *Nigra ſum, ſed formoſa.* Placuit admodum hic color Auguſto. Imperat ex lapide nigro ſibi ſtatuas in templo erigi. Hunc præ cæteris inſignis pictor Apelles in Alexandro exprimendo amauit; ſubnigrum enim, auctore Plutarcho, cùm eius pulchritudinem exprimere voluiſſet, depinxit. In equis nihil præſtantius, indicium eſt inuicti roboris. Legio illa Germanorum ſua virtute nobilis ab atro, nigróque colore agnoſcebatur. Hæc cùm pro Gallis aduersùs Hiſpanos dimicaſſet, inuictæ nomen meruit comparare. De illa multus eſt Iouius. Auget coloris huius æſtimationem melancholicum temperamẽtum, quod ingenium in primis demonſtrat, vt ex Philoſopho probat Tullius lib. 1. Tuſcul. & nos alibi; & quamuis nullus Doctorum conſeſſus hoc coloris genere nobilitetur, plurimus eſt Religioſorum hominum ordo, qui ab illo habitus, & veſtes petant. Imò alij colores, qui ſymbola ſunt ſcientiarum, ſolùm ſuprà pileum nigrum, ſedem ſuam habent, & maieſtatem. Ergo Religioſæ familiæ veſtras partes agite, & honeſtate. Suppetias afferte, ſi opus fuerit, vos omnes AA. præſtantiſſimi, qui hoc colore induti noſtram actionem condecoratis.

Plutarc. Iouius. Tull. *Varia familia hominum Religioſorũ.*

156. *Argumentatur pro albo.* Ariſtot.

Pro albo denique nobis dimicandum cũ Philoſopho lib. 1. phyſicor. & lib. de ſenſu, & ſenſibili. Probat ratione, quia ille color eſt nobilior, qui vicinior eſt luci: ſed albus eſt vicinior luci, vt patet; ergo, &c. Deinde diſcurrendo, eius excellentiam prædicemus. Ille notat ex elementis aquam, ex planetis lunam, ex facultatibus eloquentiam, ex virtutibus fidem præſertim, & caſtitatem, ex gemmis adamantem, & margaritas, ex ætatibus infantiam, à qua ducit vita primordium. Ad hoc comprobandum mille ſuperſunt teſtimonia, intacta relinquo. Deſignat fortunam proſperam, & ſecundam. Hinc dies candidi, & niuei lapilli felicitatis indices. Habetur victoriæ inſigne. In veſtibus ſignificat puritatem, & virtutem. Hinc candidati, qui Deos orabant, qui magiſtratus petebant. Hinc triumphantium color flaminum, & ſacerdotum, Principúmque, vt videre eſt apud Alexandrum ab Alexandro, Roſinum, Rhodiginum, & paſſim alios. Hinc ſanctiſſimorum hominum, teſte Hilario, color, & habitus. Hic color eſt illud animorum ornamentum apud Hieronymum. Imò, ſi vis, Angelorum, beatorúmque omnium cultus. Laudo Matth. vltimo, in veſtimentis albis Angelos inducentem. Laudo Luc. Act. 10. Angelum ante Petrum in veſte candida collocantem. Quin potiùs ipſum Angelorum Regem Chriſtum apud Matth. 17. Marc. 9. & Luc. 9. in veſtibus albis glorioſum ſpectamus. Quid plura pro hoc colore? Per illum cœleſtis patria in ſacra pagina adumbratur, teſtor Eccleſiæ lumina, Auguſtinum, & Hieronymum. Hæc ſufficiant pro coloribus. Albi tamen cauſam meliùs probandam multis religioſis ordinibus relinquo. Vos præſertim ſacræ Theologiæ Doctores, defenſores volo, & nomino, illo enim inſigniti hanc aulam condecoratis, hanc Academiam exornatis, hoc Regnum, totámque Hiſpaniam illuſtratis.

Alexand. ab Alex. Roſin. Rhodig. Hilar. Hieron. Auguſt. Hieron.

***

Pro

PROBLEMA XXXI.

Vtra animi affectio ſit vehementior, ſpes, an deſperatio.

157. *Argumentatur pro deſperatione.* OMiſſis, quæ ex ſacræ paginæ fontibus pro vtraque quæſtionis parte haurire poſſem, pro deſperatione priùs, deinde pro ſpe breui argumentor, & auctoritatibus, & exemplis.

Ambroſ. Pro deſperatione facit illud Ambroſij ſuper Lucam lib. 2. *Deſperatio certa mors eſt.* Facit illud Auguſtini in Pſalm. 50. *Deſperatio homicida eſt animæ.* Facit illud Iſidori lib. 2. de ſummo bono. *Perpetrare flagitiũ aliquod mors eſt animæ, ſed deſperare eſt in infernũ deſcendere.* Cùm igitur mors ſit præ cæteris vehementior animæ affectio, ſeu potius truculentius animæ tormentum, deſperatio, quæ cum illa comparatur, præ cæteris eſt etiam vehementior. Et confirmatur exemplis. Numantini ab Scipione Africano lõga obſidione oppreſſi, cùm iniquas pacis leges præſcriberet, deſperatis rebus vltimò ſeſe prælio accingunt, ſatius ducentes pro patria mori fortiter, quàm per ignauiam deditos iugulari turpiter. Sabellicus lib. 9. Enn. 5. & Florus lib. 2. cap. 18. De Saguntinis idem legimus apud Liuium, Valerium Maximum, Florum, & alios. P. Lucius Craſſus profectus contra Ariſtonicum Eumenis filium, in eo prælio profligato exercitu, ipſe ne in hoſtium manus veniret, baculo barbari ſatellitis oculum petens, eum in ſui necem prouocauit, Plutarchus. Similis Marius iunior à Sylla è Mithridatica victoria redeunte fuſus cum toto exercitu in oppidum Præneſte ſe contulit, vbi obſeſſus cùm nulla euadendi fuiſſet ſpes, veniam deſperans Pontio Teleſino ſe præbuit iugulandum. Mitto mille alia exempla virorum, qui deſperata ſalute ſe morti tradiderunt.

(Margin: Auguſtinus. Iſid. Sabell. Florus. Liuius. Valer. Max. Florus. Plutar.)

158. *Argumentatur pro ſpe.* Pro ſpe facit in primis Catonis Vticenſis exẽplum, quem non tam deſperatio (quod aliquis putaret) quàm ſpes in mortem impulit voluntariam. Mortem enim veritus, ad quam eum deſperatio incitabat, Platonis librum de immortalitate animæ inſcriptum perlegit, cuius aſſequendæ ſpes omnem illi mortis formidinem ademit, atque adeò hac ſpe inductus præcipitem ſe in mortem egit. Et ſic, quod deſperatio non potuit, ſpes potuit. Adnecte illos, qui ſe quotidie inſtantibus mortis periculis, vna vel lucri, vel voluptatis ducti ſpe audacter committunt. Iam verò ad ſuſtinendum firmiſſima eſt ſpes. *Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion immobilis, & in æternum habitabilis*, Pſalm. 124. Ita enim vertit Hieronymus ex Hebræo. Ac ſi facilius ſit moueri montes, quàm nutare, ac vacillare illos, qui ſpe diuina nituntur. Bene Paulus ad Hebr. 6. *Spem ancheram firmam animæ* appellauit; ſicut enim anchora contra inſanientium fluctuum vim hæret immobilis, ita ſpes contra reciprocantium laborum tempeſtates fixa perſiſtit, immota durat. Auguſtinus in Pſalm. 64. *Spem iam in terram ſanctam, quaſi ancheram præmiſimus, ne in iſto mari turbati naufragaremus.* Et Laurentius Iuſtinianus in ligno vitæ cap. 2. de ſpe. *Spem columnam* appellat, *quæ totum ſpirituale ædificium ſuſtentat, qua deficiente corruit ædificium.* Exemplis patet eius ad ſuſtinendum vehemens poteſtas. Rhodius quidam ob intempeſtiuam libertatem à tyrãno coniectus in caueam, in qua more nocentis beſtiæ alebatur, ad cruciatum proprium, & ad alienum oculorum oblectamentum amputatis manibus, ac fœdata vulneribus facie, cùm ab amicis admoneretur, vt inedia ſibi malorum finem imponeret, *Cuncta*, inquit, *ſperanda ſunt*. Eraſmus lib. 8. apoph. Eraſm. Mitto alia pro ſpei poteſtate digna ſcitu exempla. Affigo tamen Tibulli carmina 2. Elegia vltima. Tibull.

(Margin: S. Hieron. Auguſt. Iuſtin.)

Iam mala finiſſem letho: ſed credula vitam
Spes fouet, & melius cras fore, ſemper ait.
Spes alit agricolas, ſpes ſulcis credit aratris
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine piſces,
Cùm tenues hamos abdidit antè cibus.
Spes etiam valida ſolatur compede vinctum,
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.

PROBLEMA XXXII.

Num intellectus noſter poſſit vllam rem ſenſatam in hac vita percipere, nulla interueniente ſenſus operatione.

TRibui poteſt affirmatiua huius quæſtionis pars D. Auguſt. lib. 10. de Trinitate à cap. 159. *Tribuitur pars affirmatiua D. Aug.* Auguſt.
3. vſque ad 12. & lib. 9. cap. 3. vbi videtur velle animam coniunctam corpori abſque vlla ſenſus ope ſe ipſam, ſuas potentias omnes, actúſque earum internos intelligere; cùm verò ex animæ potentiis nonnullæ ſenſitiuæ ſint, planè ſequitur D. Auguſtinum putare poſſe intellectum humanum in corpore rem ſenſatam ſine ſenſu percipere. Non eſt alienus ab eadem opinione Richard. lib. 1. de arca myſtica cap. 6. & lib. 3. cap. 9. vbi de quarto contemplationis genere loquens ait illud fieri ſemoto omnis imaginationis officio, cùm ſolus animus illa intendit, quæ imaginatio non nouit. Alia ibidem ſubiicit, quibus videtur ſentire humanum animum, dum eſt in corpore, in earum tantùm rerum cognitione à phantaſmatis pendere, à quibus diſtat ſitualiter. Citatur pro eadem parte Scotus in 4. d. 45. quæſt. 2. à Caietan. 1. part. quæſt. 89. art. 1. Et quamuis eius mens non ſit probare, animum corpori immerſum obiectũ materiale ſine phantaſmatum ope poſſe cognoſcere; imò oppoſitum doceat in 1. d. 3. quæſt. 5. vt fatetur Caietanus 1. part. quæſt. 84. art. 7. §. de materia autem, &c. ſed de animo ſeparato loquatur: tamen rationes, quibus vtitur, non minus de coniuncto, quàm de ſeparato à corpore animo procedunt; imò quòd animus in corpore, phantaſmatum ope indigeat, in pœnam originalis peccati eſſe credit, atque adeò per accidens, iuxta illud Auguſtin. 15. de Trinitate, cap. 27. *Quæ cauſa, vt ipſam lucem fixa acie videre non poſſis, niſi infirmitas? Et quis eam tibi fecit, niſi iniquitas?* &c.

(Margin: Richard. Scot. Caietanus. Auguſt.)

Confirmo hanc partem primò, quia ſi intelle- 160. *Confirmatur primò.*
ctus noſter non poſſet abſque vllo ſenſus interuentu rem ſenſatam percipere, eſſet, vel quia ea res materialis eſt; vel quia non eſt intellectui ſufficienter præſens; vel quia eſſentiale eſt intellectui cognitionem à ſenſibus percipere. Primum non officit, cognoſcit enim intellectus res naturales & ſenſatas, vt eſt communis opinio. Secun-

dum non eſt verum, quia nō magis immediatum eſt corpus rebus ſenſibilibus externis, quàm ſit animus, quo viuit corpus, & ex conſequenti intellectus qui cùm in animo ſit, nuſquam non eſt in corpore. Tertium falſum eſt, quia ſi intellectui noſtro foret eſſentiale in cognoſcendo phantaſmatum vti miniſterio, & ſeparatus hanc haberet dependentiam, & coniunctus nec per Dei potentiam ab ea abſolui poſſet.

Confirmatur ſecundò.

Secundò anima à corpore ſeparata per ſuum intellectum agentem poteſt venari ſpecies à rebus, quibus independenter à ſenſu eas cognoſcat; quod etiam Angelis grauiſſimi authores concedunt: ſed non eſt cur vnio cum corpore hanc animæ poteſtatem impediat, actus enim ex coniunctione cum propria potentia vires ſuas non amittit, nec fit infirmior: igitur poterit intellectus ſine auxilio ſenſus rem materialem immediatè percipere.

161. *Pars negatiua approbatur*

D. Thom.
Caiet.

Eſt tamen pars negatiua prorſus vera, & apud authores indubitata; eámque tradunt præter D. Thom. 1. part. quæſt. 84. art. 7. & Caietan. ibidem, omnes ferè Theologi, ac Philoſophi, cuiuſcumque ſcholæ ſint, ideo eos citare operæ pretium non exiſtimo; illos tamen tradunt diligenter Conimb. de anima, Prouerzalis quodlib. 1. quæſt. 5. Soar. de anima, lib. 4. cap 1. & cap. 5.

Conimbr.
Prouerzal.
Soar.

Suadetur experientia.

Præcipua negandi ratio eſt ipſa experientia. Videmus enim defectu viſus non poſſe intellectum colores agnoſcere, defectu auditus non cognoſcere ſonos, defectu olfactus non percipere odores, & ſic de aliis. Hoc non aliunde prouenit, niſi quia ad res ſenſibiles intelligendas indiget intellectus ſenſuum opera: fieri igitur naturaliter nequit, vt intellectus humanus immerſus corpori abſque corporeis ſenſibus à rebus ſenſibilibus moueatur.

162. *Suadetur ex prouidentia.*

Colligi idem inſtitutum poteſt ex prouidentia ac ſolicitudine naturæ; quid enim parens prouida internos ſenſus homini donaret, qui rerum ſenſibilium quidditates præpararent, & quodammodo ſpirituales redderent, vt obiici intellectui poſſent? Quid ſibi vult hæc ſenſuum externorum internorúmque multitudo? Quid eorum inter ſe ordo, ac diſpoſitio? Quid diſtributio, aptatióque organorum? Ne igitur hæc in homine fruſtrà eſſe ponatur; abſolutè fatendum eſt non poſſe humanum intellectum rem vllam ſenſatam abſque ſenſus concurſu naturaliter cognoſcere, dum in corpore eſt, in quo modum eſſendi habet quodammodo materialem, & à corpore dependentem.

Problema XXXIII.

Vtrùm phantaſia cognitionem ſubſtantiæ poſſit attingere.

163. *Duo ſenſus interni.*

Accipio in hoc problemate vt certum duos tantùm eſſe internos ſenſus re & ſitu inter ſe diſtinctos, nimirum ſenſum communem, & phantaſiam, quæ vt diuerſa obit munera, diuerſas ſortitur appellationes. Accipio deinde ſenſum communem præſentia tātùm obiecta ſimul cum externis ſenſibus apprehendere, vt 3. de anima c. 2. copioſè oſtendit Ariſtoteles; phantaſiam verò & diſtantia loco, & tranſacta tempore, & externis potentiis quieſcentibus poſſe cognoſcere: ſolùm igitur dubio verto, an queat etiam ſingularem ac materialem ſubſtantiam ſub ſenſatis accidentibus latentem per ſe, atque in proprio phantaſmate percipere?

Ariſtot.

Senſus quæſtionis.

164. *Pars negatiua.*

Scotus.
Heru.
Fonſec.

Negant Scot. in 1. d. 3. quæſt. 1. cum diſcipulis, Heru. in quodlibetis, & pleriq; recentiores, quos tacito nomine citat Fonſec. lib. 5. Met c. 28. q. 8. ſect. 4. Præcipua huius partis firmamenta ad duo capita poſſunt reuocari.

Primum fundamentum.

In primis, quia ſi phantaſia poſſet latentem ſub accidentibus ſubſtantiam propria ſimilitudine agnoſcere, perciperet abſque dubio tranſcendentem accidentis à ſubſtantia dependentiam; vnde proſpectis hoſtiæ conſecratæ accidentibus naturali vi deprehenderet panis viníque abſentiam; quod ne angelico quidem intellectui concedi ſolet.

165. *Secundū fundamentum.*

Scot.
Caietanus.

Deindè phantaſia nequit abſtracta à concretis ſeiungere, propriáſque abſtractarum ſimilitudines effingere, vt cùm Scoto in prædicamentis, q. 11. & Caiet. de ente & eſſen. c. 3. docent communiter reliqui; ſed non minus eſt ſubſtantiam ſeparare ab accidentibus, cùm hæc realiter inter ſe differant, abſtracta verò & concreta, vt probabilius eſt, ſolo ſignificandi modo: igitur non poteſt phantaſia propriam ſubſtantiæ imaginem in ſe efformare.

Confirmatur ſecundū fundamentum.

Stabiliri argumenti huius vis ex eo poteſt, quia ſi phantaſia poſſet ab accidentibus ſubſtantias abſtrahere, poſſet quoque occultas rerum proprietates, relationes reales, priuationes & ſimilia quæpiam ex ſenſatorum accidentium ſpeciebus eruere; quod ſanè difficile concedi debet, cùm ne intellectiua quidem potentia in ſuis cognitionibus à ſenſatis accidētibus videatur liberari, quod experientia confirmat. Vnde graues authores ne humano quidem intellectui puram, ſyncerámque ſubſtantiæ creatæ cognitionem audent concedere. Et quidem ſi quis dicat, quod ſentit, ingenuè fatebitur nunquam ſe corporeæ ſubſtantiæ conceptum efformare, quin in eodem caput, pedes, talem figuram ac modum intueatur. Quod magno argumento eſt, conceptus, quos in hac vita de ſubſtantiis effingimus, non eas purè ſyncereque repræſentare.

166. *Pars affirmatiua defenditur.*

D. Thom.
Auicenn.
Auerr.
Algazel.
Albert. Mag.
Fonſeca.
Ariſtot.

Grauiſſimi tamen authores à parte affirmatiua ſunt, quam nos etiam libentiùs amplectimur. Eam præter alios tradunt D. Thom. pluribus locis, præcipuè opuſcul. 29. de principio indiuiduationis, Auicenn. 6. naturalium, Auerr. de anima, comment. 52. Algazel, Albert. Magn. & non pauci alij ibidem, quibus addendus eſt Fonſ. lib. 2. Metaph cap. 1. quæſt. 2. ſect. 6. ad 2. vbi obiter aduertit viſis ſacramentalibus panis ſpeciebus gigni in nobis naturaliter panis ſpeciem, niſi genita iam ſit, & lib. 5. citato, quo loco partem hanc affirmantem vero ſimiliorem putat. Videtur hoc expreſsè aſſeruiſſe Philoſophus 1. Metaph. cap. 1. vbi ait ſenſum cognoſcere ignem eſſe calidum, quamuis propter quid ſit calidus, non cognoſcat.

167. *Confirmatur primò.*

D. Thom.
Conimbr.

Confirmari argumentis hæc ſententia poteſt primò, quia phantaſia percipit relationes conuenientiæ, diuerſitatis, amicitiæ, & inimicitiæ, aliáſque ſimiles, vt multis locis aſſerit D. Thomas, & Conimbric. de anima, lib. 3. cap. 5. quæſt. 5. art. 1. § quinta aſſertio; percipit etiam tempus cognitu difficillimum, eiúſque differentias diſtinguit, vt idem D. Thom. ait opuſcul. 43. cap. 4. vbi notat animantes brutas præteritarum iniuriarum meminiſſe, & vindictæ obſeruare tempus. Præterea opuſcul. 29. citato noſtræ æſtimatiuæ concedit poſſe hanc materiam, & hanc formam ſeorſim concipere, vtramque rurſus conferre; vnde

etiam

etiam admittet poſſe aliquo modo attingere trãſcendentem accidentis à ſubſtantia dependentiam. *Confirmatur ſecundò.* Denique ſunt, qui velint apprehendere negationes, ac priuationes, diémque à nocte diſtinguere. Sed iſta non ſunt cognitu faciliora, quàm ſubſtantiæ ſingulares, ergo non videtur deneganda phantaſiæ materialis ſubſtantiæ cognitio. Secundò, amplius poteſt phãtaſia cognoſcere, quàm ſenſata accidentia; non eſt igitur cur in iis non cenſeatur] ſubſtantia corporea.] Et quidem D. Thom. illo opuſcul. 29. adeo hoc verum putat, vt aſſerat quidditatem particularis ſubſtantiæ eſſe per ſe obiectum noſtræ cogitatiuæ, quæ ex particularium accidentium, ſubſtantiarúmque collatione ratio dicitur particularis? D.Thom.

Problema XXXIV.

Num brutæ animantes odore, & cantu recreentur.

168. *Pars negatiua eſt Ariſtotelis.* Partem huius problematis negatiuam diſertis verbis tradidit Ariſtoteles 3. Ethicor. cap. 10. de temperantia, vbi ait brutas animantes nullam per ſe recipere voluptatem ex odore & cantu, niſi ſolùm per accidens in ordine ad tactum, aut guſtum. Ariſtotelem ſequuntur Burlæus eodem lib. tract. 3. cap. 2. concluſ. 64. Burid. quæſt. 27. §. ſecundò ſciendum, &c. Soar. lib. 3. de anima, cap. 29. num. 3. Abulenſ. in 9. c. Deuteron. quæſt. 3. & alij, quos citant Conimbric. de anima, lib. 2. cap. 11. quæſt. 5. art. 2. quorum ſententia ad hunc modum probari poteſt. (Burl. Burid. Soar. Abul. Conimbr.) Primò, quia natura eas ſolùm delectationes debuit brutis cõcedere, quibus poſſint ſaluti cõgruentia proſequi, & aduerſa declinare; huiuſmodi non ſunt, quæ ex odore cantúque hauriuntur; ergo illæ beſtiis à natura tributæ non ſunt. *Oſtenditur primò.* Si quis occurrat non eſſe eaſdem auditus & odoratus voluptates hominibus ad vitæ conſeruationem neceſſarias, proinde concludi eodem argumento poſſe homines neque delectari per ſe cantu, neque odore; dicendum ex Philoſopho 1. Rhetoricorum ſenſitiuas potentias in homine ad intellectiuam cognitionem ordinari; vnde obiecta ſenſuum percipiendo admiramur; ex admiratione conſurgit delectatio, qua rerum cauſas inueſtigamus, vnde noua pullulat voluptas. Ariſtot.

169. *Oſtenditur ſecundò.* Secundò experimur beſtias illis tantùm capi odoribus, qui per ſe ſapores conſequuntur, quales ſunt carnium piſciúmque nidores; non verò illis, qui proportionem ſequuntur primarum qualitatum, vt roſarum, liliorum & aliorum florum odores: huius rei non poteſt alia probabilis ratio aſſignari, niſi quia prioris generis odores appetitum excitant ad eſum; igitur odore & cantu non aliter recreantur brutæ animantes, niſi quatenus ad guſtum aliúmve ſenſum referuntur; atque adeo per accidens. *Confirmatur.* Confirmatur, quia ſi beſtiæ cantu & odore per ſe capiuntur, capientur etiam voluptatibus ex viſiuæ potentiæ obiectis perceptis; vnde rurſus fiet, eas conſpecta ſtellati cœli pulchritudine deliniri, hiſtrionum geſtu in theatris oculos paſcere; ac demum non minus picturis & imaginibus, quàm homines ipſos, recreari, quod certè abſurdum eſt, cum his omnibus ſpretis in cœnoſa, ac lutuoſa humo ſumma cum voluptate ſe verſet & volutet ſus.

Quamuis igitur hæc opinio propter hæc argumenta & Philoſophi auctoritatem multum habeat probabilitatis: veriorem tamẽ iudicamus oppoſitam, & experientiæ ac rationi magis conſonantem. 170. *Pars affirmatiua eſt tenenda.* Eam tenet Theophraſtus 6. de cauſis, ſect. 13. Cælius Rhôdig. lib. 9. cap. 2. & lib. 24. cap. 19. Scaliger exercitatione 303. in Cardanum num. 2. Magiſter Martin. nobilis Doctor Pariſiẽſis in tract. de virtutib. quæſt. 1. circa temperantiam ſtrictè acceptam, concluſ. 3. fol. 7. colum. 4. & complures alij, quos referunt, & ſequuntur Conimbr. proximè citati. (Theoph. Rhodig. Scalig. M Martin.) Probari autem poteſt primò, quia operationes auditus & odoratus, præciſa omni habitudine ad ſenſus alios, ſunt appetibiles, atque adeo bonæ; ergo percipi ex iis voluptas poteſt. (Conimbr. *Probatur primò.*) Et confirmatur, quia, vt paſſim docent Philoſophi, omnibus operationibus ſuas indidit natura delectationes, quæ ſunt ipſarum peculiares ac propriæ. *Confirmatur.* Vnde odore Pantheræ, beſtiæ admodum oblectantur, vt tradit Plin. lib. 8. nat. hiſtor. cap. 17. & alij, & ob hanc cauſam illam ſequuntur. Plinius. Venatorum, ſiqui adſunt, appello teſtimonium, nónne canes venaticos à floridis pratis diligenter amouent, ne ſcilicet occupato ſenſu odora illa vis ab inquiſitione ferarum impediatur, & obtundatur? Et ampliùs declaratur. Nam quemadmodum brutis animantibus odores aliquando ſunt tormenta, ita & aliquando ſunt oblectamenta. *Beſtiæ quæ odore necantur.* Enim verò odor ſulphuris muſcas, galbani ſerpentes fugat, roſarum cantharos, vnguentorum vultures necat, vt narrat Theophraſt. lib. 6. de cauſis plant. cap. 4. & 5. Theophr.

171. *Probatur ſecundò.* Secundò. Auiculæ in conſtruendis nidis, & educanda prole anxietates ſentiunt ac tædia, quæ ſuapte natura concentu leuare videntur; eſt enim Muſices harmonia ad pellendos animi mœrores accommodum inſtrumentum, quod notat Abulenſis 1. lib. Reg. cap. 16. & colligi videtur ex lib. Prouerb. cap. 25. vbi ſic, *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo*, quaſi dicat ſapiens, non ſecus animi languores ac perturbationes à corde deprauati hominis concentus depellit, ac ſolent aures aceto nitro diſſoluto expurgari, & ſanitatem recipere. (*De hac muſices vilatè auctor in 1. ſam. Reg.* Abul.) Sed hoc alibi fuſiùs probatur. Interim vide Macrob. 2. Saturn. 24. Cæl. lib. 5. c. 28. Quint. lib. 1. c. 16. Polydorum Virgilium lib. 1. cap 24. (Macrob. Cælius. Quint. Polyd.)

172. *Probatur tertiò.* Tertiò. Muſices concentu reſici feras, negare non poteſt, niſi qui probatiſſimam contemnat experientiam, & grauium authorum teſtimonia; Elephãtos enim tympanorum ſono mulceri tradit Strabo; fiſtulis ceruos ſcribit in ſympoſiacis Plutarchus, cantu delphinas refert Plinius. (Strabo. Plutarc. Plin.) Denique morti vicinus olor, cùm neque ad eſum reſpicit, neque alias delectationes curare poteſt, ſiue modulatione oris, vt opinor, ſiue, vt malunt alij, pennarum agitatione, & colliſione ſuauiſſimum efficit concentum; ac diſceſſus mœrorem, beſtiis etiam grauem, dulci releuans harmonia, inter iucundas moritur cantilenas, & pulcherrimi fit carminis particeps.

Sic vbi fata vocant, vda proiectus in herba
Ad vada Mæandri concinit albus olor.

Oui. epiſt. 7. *Oloris cantus in morte.*

Problema XXXV.

An principium alendi, quod eſt in plantis, ſit re vera anima.

173. *Negatiua ſuadetur.* Auguſt.

NOn eſſe plantas re vera viuentes, ac proinde carere anima, ſentire videtur D. Auguſt. lib. de ſpiritu & anima cap. 9. & 14. vbi primum vitæ gradum in ſenſatione conſtituit. Rurſus 7. de Geneſi ad litter. cap. 16. ad illa verba, *Factus eſt homo in animam viuentem*, ait, *ſi tantum plantarum motus in homine reperiretur, non fuiſſe dicendum, Factus eſt homo in animam viuentem.* Idem tenuerunt ante D. Auguſtinum Stoici, referente Theodoreto lib. 5. de curandis Græcorum affectionibus. Sed & Ariſtoteles hoc videtur ſentire lib. 2. de anima text. 14. vbi ſic, *Quamobrem*, inquit, *planta omnes viuere videntur*; quibus verbis, vt notat Zimara ad eundem locum, ſignificauit plantas in confinio eſſe viuentium, ac non viuentium, cùm non abſolutè eas viuere, ſed videri viuere dixit. Apertiùs tamen hanc partem tradit Valleſ. lib. de ſacra Philoſophia, cap. 1. & 4. vbi non ſemel ait alendi principium, quod eſt in plantis, animam non eſſe; & plantas, ac reliqua, quæ nutriuntur tantùm, & non ſentiunt, non viuentis nomine dignatur, ſed virentis, ac proinde genus omne plantarum viuens appellare non audet, ſed virens, cùm vita in iis tantùm ſit, quæ ſentiunt.

Stoici. Theodoret. Ariſtot. Zimara. Valleſ.

174. *Probatur ex Scriptura.*

Probari poteſt hæc opinio, in primis ſacræ Scripturæ argumento. Primo enim Geneſ. c. ſæpiùs Moſes herbas appellat virentes, non viuentes, ſic enim inquit, *Et vidit Deus, quòd eſſet bonum*, & ait: *Producat terra herbam virentem*, & mox ſubdit, *Et factum eſt ita, & protulit terra herbam virentem.* Cùm verò de productione animalium loquitur, & animæ viuentis nomine vtitur, *dixitque Deus*, inquit: *Producant aquæ reptile animæ viuentis*; & paulò pòſt, *Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem.* Ex his ergo ita ſtrui poteſt argumentum: Herbæ prius creatæ ſunt, quàm animalia, quod decuit, tum quia naturæ ordo ab imperfectioribus tendit ad maiora; tum quia oportebat, vt animalia mox producenda haberent paratum ad ſui ſuſtentationem alimentum: & tamen poſtea in creatione animalium dicitur creata omnis anima viuens; ergo plantæ priùs conditæ nec anima videntur conſtare, nec propriè viuere.

Probatur ratione primò.

Probatur ſecundò. Procl. Plato.

Secundò non videtur dari poſſe vera anima, veráque vita ſine ſenſu, quæ eſt cauſa cur Proclus in Timæum Platonis, ex ſententia eiuſdem Platonis, dicat plantas poſtremum habere ſéſum omnium obſcuriſſimum, cuius cognitio nõ ſenſibiles iudicet qualitates, ſed iucunditatem & moleſtiam, quæ fuit etiam Pythagoræ ſententia; atqui plantæ re vera non ſentiunt, vt & conſenſus Philoſophorum, & experientia docet; non eſt igitur vera in plantis anima, atq; adeo non propriè viuunt, ſed virent. Accedit, quia vbi eſt vita in rebus corruptibilibus, ibi mors eſſe poteſt, ſed nemo dicet mori plantas, marceſcere verò, & exſiccari, maximè. Quare, &c.

175. *Pars affirmatiua defenditur.* Ariſtot.

Dicendum tamen eſt plantas re vera viuere, eſſéque in ipſis animam, quæ cum ſenſitiua & intellectiua vniuocè conueniat. Ita ſentit Ariſtoteles 2. de anima multis textibus, præcipuè à text. 14. vbi non ſolùm aſſerit, ſed probat vitam eſſe in plantis principiúmque alendi, quod in ipſis reperitur, animam eſſe. Idem docet cap. 12. eiuſdem lib. text. 124. & lib. 1. cap. 5. & locis aliis. Eadem fuit haud dubiè D. Auguſtini ſententia lib. de quantitate animæ cap. 32. vbi ait primum vitæ gradum arbuſtis conuenire, & hom. 29. de verbis Apoſtoli ait viuere nobis cum arboribus commune eſſe. D. Gregor. hom. 29. in Euang. ait viuere homini eſſe commune cum arboribus, ſentire cum animalibus. Prætereo Patres alios, & totam Peripateticorum ſcholam, vbi hæc reſolutio extra diſputationis aleam poſita eſt, vt oſtendunt Zimar. 1. de anima, & recentiores omnes, præſertim Conimbric. Soar. & Pererius de anima.

Auguſt. Gregor. Zimara. Conimbr. Soar. Perer.

176. *Probatur ratione.*

Ratio huius ſententiæ eſt, quia planta vitæ opera verè ac propriè exercet, augetur enim per attractionem alimenti, ac proinde per intus ſuſceptionem, & per ſementem generat, quod eſt maximè naturale viuentis opus; quibus operationibus à non viuentibus differt: hæc autem ab anima procedunt; igitur in plantis anima eſt, qua veriſſimè viuunt. (Idem patet ex vtraque animæ definitione à Philoſopho tradita, & à cæteris recepta; eſt enim corpus plantæ organicum, & eius forma vegetandi principium: corpus autem organicum non eſt alterius formæ, quàm animæ ſuſceptiuum, & vegetandi principium anima ſit neceſſe eſt.) Addi poteſt verſiculus Pſalmi 77. vbi plantæ dicuntur occiſæ, *Occidit*, inquit Vates, *in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina*; non poſſent vineæ occidi, niſi viuerent. Dicendum igitur eſt plantas animam habere ac viuere; quod adeo perſuaſum fuit Philopono, apud Zimar. 1. de anima text. 89. fol. 94. colum. 1, lit. A. vt exiſtimarit nihil viuere, niſi plantalis animæ opera.

Ariſtot. Philopon. Zimar.

Problema XXXVI.

Vtrùm primus dies artificialis in ſuperiori hemiſphærio illuxerit.

177. *Pars negatiua, oſtenditur.*

PArs negatiua fundatur in illis verbis Gen. 1. *Factum eſt veſpere, & manè dies vnus.* Ex quibus conſtat diem naturalem Palæſtinæ, quæ in noſtro hemiſphærio ſita eſt, & reſpectu cuius Moyſes loquebatur, à veſpere incepiſſe; & conſequenter in oppoſito hemiſphærio incepiſſe à manè. Quod vt clariùs intelligatur, tripliciter explicari poteſt ille locus, *Factum eſt veſpere, & manè dies vnus.* Primò, vt illa lux primæ diei (ſiue ab aliquo corpore luminoſo, ſiue, quòd potiùs credo, immediatè à ſolo Deo producta fuerit) illa, inquam, lux diffundi cœperit à puncto meridiano Palæſtinæ, ita vt eſſet ibi meridies, & ſucceſſiuè ad occaſum laberetur, indéque per ſuppoſitum hemiſphærium ad ortum, ac tandem ad eundem locum meridianum remigraret. Et ſic ille proceſſus lucis à meridie vſque ad mediam noctem diceretur veſpere; à media nocte vſque ad meridiem diceretur manè: atque adeo priùs ex veſpere, deinde ex manè dies ille naturalis conflaretur. Hæc explicatio, ſi vera eſt, hanc partem deſtruit. Iam enim aſſerit lucem in ſuperiori hemiſphærio incepiſſe. Sed planè falſa eſt. Vel ex eo, quòd

Explicatur tripliciter Scripturæ locus.

Hebræi

Hebræi ab occaſu diem ſupputabant. Hieron.

Hebræi non à meridie, ſed ab occaſu diem ſupputabant, vt docet D Hieronymus in c.2.Ionæ,& ex Leuit.23. aliiſque locis paſſim conſtat. Secundò igitur ſic explicatur. Vt tenebræ illæ, quæ erant ſuper faciem abyſſi, poſtquam Deus creauit cælum & terram, duodecim horas durarint: quibus finitis diffundi cœperit lux ab ortu, & per noſtrũ hemiſphærium totidem horarum ſpatio ad occaſum commearit: atque adeò priùs veſperi, hoc eſt, illis duodecim horis diurnis, poſtquam lux cœpit, dies ille naturalis clauderetur.

Abul. Molina. Engubin.

Hanc explicationem ſequuntur Abulenſ.in 1. Geneſ.& Molin.de opere ſex dierum d.7. quibus addo Engubinum in Coſmopœia. Quæ ſi vera eſt, huic etiam parti aduerſatur; iam enim docet hoc hemiſphærium prius fuiſſe luce perfuſum, quàm inferius. Quare contra illam tripliciter inſurgo.

Impugnatur præcedẽs ſententia.

Primò, quia dies naturalis cùm ſit tempus quoddam reale, debet componi ex horis temporis realis: ſed illæ duodecim horæ tenebrarum non fuerunt temporis realis, quia nullum motum realem menſurabant; (nam tunc vel nullum erat cælum mobile, ſed ſolum Empyreum, vt Strabo, Beda, & Molina opinantur, vel ſi erat, non mouebatur; cùm cælum ad id tantùm moueatur, vt lucem, & interuentu lucis influentias diffundat:) ergo ex illis horis imaginariis naturalis ac realis dies componi non poterat. Secundò, quia dies naturalis conſtat ex vera nocte, & vero die artificiali: ſed illa duratio tenebrarum ante productionem lucis non fuit vera nox; nam, vt bene D. Auguſtinus, D. Baſilius, & Caietanus aduertunt, antequam in mundo detur lux, nulla eſſe poteſt, aut intelligi nox: alioqui propria nox vtrumque ſimul hemiſphærium occuparet. Quo etiam pacto dicunt Phyſici in animali ante vigiliam non dari verum ſomnum,& ante viſum non dari propriam cæcitatem; ergo talis duratio non potuit diem naturalem conſtituere. Tertiò, quia nomen *veſpere*, tam in primo, quàm in ſequentibus diebus idem ſignificare debet, alioqui ſacer hiſtoricus æquiuocè, & præter leges narrationis loqueretur: ſed in ſequentibus diebus, quando dicitur, *factum eſt veſpere, & manè dies ſecundus, veſpere, & manè dies tertius*, &c. veſpere non ſignificat durationem aliquam imaginariam, ſed veram ac realem; vt patet, quia iam tunc dabatur realis motus, cuius ea duratio menſura foret: ergo neque in primo die durationem imaginariam, ſed realem ſignificabit. Tertia igitur explicatio, quam mihi videor ex D. Auguſtino, apud gloſſam,& Lippomanum eruiſſe, vt alios recentiores omittam, Catharinum, & Honcalam, & huiuſmodi. *Factum eſt veſpere, & manè dies vnus.* Lux primùm à Deo producta fuit in puncto occaſus Palæſtini, indéque Occidens, & in inferiori hemiſphærio diem artificialem efficiens, in ſuperiori noctem artificialem effecit. *Factum eſt veſpere*; rursúſque ſurgens ab ortu diem nobis attulit artificialem; *factum eſt manè*; & ſic naturalis ille dies in Palæſtina à vera nocte incepit, & in diem artificialem terendit. Quo poſito quis non videt prius in inferiori hemiſphærio, quàm in ſuperiori diem artificialem effulſiſſe? quod erat inſtitutum.

Strabo. Beda. Molin. — Auguſtinus. Baſil. Caiet. — Auguſt. Gloſſa. Lippom. Catharin. Honcal.

179. *Obiectio contra Aug.*

Sed contra hanc meam, ſeu potiùs Auguſtini explicationem acriter aliquis inſurget in hunc modum. Deus creauit cælum & terram ante primam lucis productionem: nam creato iam cælo, ac terra, adhuc tenebræ erant ſuper faciem abyſſi; ſed iſte dies naturalis incepit cum prima lucis productione: ergo Deus creauit cælum & terram ante primum diem naturalem. Hoc autem eſt apertè falſum,& contra Scripturam, Geneſ.2. dicentem, *Iſta ſunt generationes cæli & terræ, in die, quo fecit Dominus cælum,& terram*, ergo potiùs, imò neceſſariò dicendum eſt, diem illum naturalem ex primis tenebris lucem antecedentibus conſtitiſſe. Dupliciter reſpondeo. Primò enim concedo cum D.Bonauentura in 2.d.12.art. 2.quæſt.2. Gabriel.eadem d.quæſt.2. & aliis, cælum creatum à Deo fuiſſe breuiſſimo tempore ante primum diem naturalem; quod non tollit, quominus verè dicatur productum fuiſſe in primo die, cùm parum pro nihilo reputetur. Neque hæc expoſitio violenta, ac peregrina videri debet, vt aliquis eam vocat; cùm ſimiles in Scriptura neceſſariò adhibeantur. Nam de malo Angelo Lucifero dicitur, Ioann. 8. *Ille homicida eſt ab initio.*& 1.Ioann. 3. *Ab initio diabolus peccat*; cùm tamen non in primo inſtanti peccauerit, ſed in alio inſtanti certo, ante quod tempus præceſſit. Et ſicut illud dicitur fieri in aliquo loco, quod fit propè. Ioann.1. *Hæc in Bethania facta ſunt*, id eſt, propè Bethaniam. Ioann. 10. *Ambulabat in templo in porticu Salomonis*, id eſt, propè templum, vt bene notat D. Anſelmus; ita illud dicitur fieri in aliquo tempore, quod fit propè. Et D. Auguſtinus 1.de ciuitate, cap.9. dicit, Angelos bonos nunquam fuiſſe à Deo peregrinatos, cùm tamen aliquo breuiſſimo tempore fuerint viatores, vt Theologi communiter oſtendunt. Secundò reſpondeo cum Caietan. creationem cæli non præceſſiſſe duratione aliqua diuiſibili primam lucis productionem, ſeu diem naturalem; ſed ſolùm inſtanti quodam indiuiſibili: ita vt immediatè poſt illud inſtans, in quo Deus cælum creauit ſine luce, lucem produxerit, ac diem naturalem inchoauerit. Vnde inſtans intrinſecum creationi cæli fuit extrinſecum productioni lucis, ac diei naturalis: proindéque ad eum diem, tanquam inſtans extrinſecè inchoatiuum illius pertinebat. Quo fit, vt in primo die ſaltem extrinſecè, ſeu in inſtanti extrinſeco primi diei optimè dici poſſit cælum creatum. Ex quo tota obiectio omnino ruit. Hæc pro hac parte.

Dupliex ſolutio. Bonau. Gabriel. — Anſelm. Auguſt. — Caietan.

Nihilominus dicendum eſt primum diem artificialem in ſuperiori hemiſphærio, quod à nobis habitatur, illuxiſſe. Fundamentum eſt, quia nobis Scriptura minimè repugnat,& ratio maximè ſuffragatur. Quòd Scriptura non ſtet contra nos, probatur, quia ille locus Geneſ.1. *Factum eſt veſpere, & manè dies vnus*, qui nobis maximè repugnare videbatur, ita eſt intelligendus, vt per nomen *veſpere*, intelligatur totus dies artificialis; per nomen *manè*, tota nox artificialis, & ſic priùs in noſtro hemiſphærio fuit *veſperi*, id eſt, dies artificialis, deinde *manè*, id eſt, nox artificialis. Ratio autem, cur per nomen *veſpere*, dies, & per nomen *manè*, nox intelligatur, eſt, quia eo loco agitur de die artificiali completo, & de nocte item artificiali completa; atqui complementum diei artificialis eſt veſpere, & complementum noctis artificialis eſt manè; ergo rectè à veſpere dies, & nox à manè, ſeu ab aurora nuncupatur. Hanc explicationem eò libentiùs amplectimur, quò à grauioribus Patribus inculcatur. Illam enim tradunt D. Ambroſius, D. Chryſoſtomus, D. Baſilius. Quin etiam D. Auguſtinus 1. de Gen. contra Manichæos, c.10.& lib imperfecto ſuper Gen.cap.7. in eandem magis inclinat, quos Hugo in annotat. ſuper Geneſ. cap. 6.& alij recentiores ſequuntur. 180.

Primus dies artificialis in noſtro hemiſphærio illuxit. — Ambroſ. Chryſoſt. Baſil. Auguſt. Hugo.

Dicet

181. *Occurritur obiectioni.*

Dicet aliquis, Primus dies artificialis in eo hemiſphærio illuxit, in quo vltimus illuceſcet, cùm par ratio de vtroque videatur: ſed vltimus in inferiori hemiſphærio illuceſcet; ergo & primus. Probatur minor, quia extremum iudicium quod in noſtro hemiſphærio peragendum eſt, nocturno tempore peragetur; ergo tunc in oppoſito hemiſphærio dies erit artificialis, qui quidem vltimus futurus eſt. Antecedens traditur à multis Patribus, Hieronymo, Chryſoſtomo, Auguſtino, Ambroſio, Lactantio, Caſſiodoro, & aliis: colligitúrque ex multis Scripturæ locis, Matth.25. *Media nocte clamor factus eſt.* Luc.17. *In illa nocte, erunt duo in lecto vno, & vnus aſſumetur, alter relinquetur.* Iſai. 15. *Nocte diſperdetur murus Moabitidis.* Et probatur ratione, quia, vt docet D. Baſilius in locum citatum Iſai. ſupplicium, quod nocte irrogatur, atrocius eſſe ſolet, & amarulentius: atqui ſupplicium illius temporis atrociſſimum, & amarulentiſſimum eſt; ergo nocturno tempore irrogabitur. Occurrendum nihilominus eſt, concedendo in eodem hemiſphærio illuxiſſe primum diem artificialem, in quo illuceſcet extremus: negandum tamen vltimum diem artificialem in inferiori hemiſphærio futurum. Extremum enim iudicium in noſtro hemiſphærio celebrandum diurno, non nocturno tempore celebrabitur, vt D. Thom. D. Bonau. Richard. Durand. Palud. & alij Theologi communiter in 4.d.43. teſtantur: hoc enim tempus tum ad gloriam beatorum, tum ad ignominiam reproborum, tum ad iudicij manifeſtationem accommodatius videtur; ergo vltimus dies artificialis, in quo extremum iudicium erit, in noſtro hemiſphærio illuceſcet. Neque Patres citati nobis aduerſantur, cùm loquantur figuratè ad indicandum iudicium eo tempore futurum, quo homines ſecuriores ſibi eſſe videntur, quale eſt nocturnum, quod D. Auguſtinus, D. Anſelmus, Theophylactus, & alij obſeruarunt.

Hieronym. Chryſoſt. Auguſt. Ambr. Lactant. Caſſiod. Baſil. D.Thom. Bonau. Richard. Durand. Palud. Auguſt. Anſelm. Theoph.

182. Quòd autem ratio pro nobis ſtet, quæ erat altera pars noſtri fundamenti, ſic confirmatur; quia primus dies artificialis in eo hemiſphærio debuit illuxiſſe, quod eſt nobilius: atqui noſtrum hemiſphærium eſt nobilius, quàm inferius; ergo in illo primus dies artificialis illuxit. Maior facilè admittetur; æquum enim erat, vt hemiſphæria ſecundùm propriam nobilitatem à Deo luce ornarentur: ſicut enim Deus nobiliori Angelo maiorem gratiam ſupernaturalem contulit, vt Theologi communiter docent apud Vaſquez diſp.228. c.2. licèt gratia non eſſet illis connaturalis proprietas, neque illis ex naturæ ordine deberetur; ita lux licèt non eſſet naturalis proprietas alicuius hemiſphærij, æquum tamen erat, vt prius aut poſterius, prout cuiuſque nobilitas exigebat, conferretur. Minor, quòd noſtrum hemiſphærium ſit nobilius, facilè probatur, vt ex tota ſequenti quæſtione conſtabit.

Vaſq.

PROBLEMA XXXII.

Vtrum hemiſphærium ſit nobilius, ſuperius ne, an inferius.

183. *Duplex acceptio perfectionis.*

IN primis duplex eſt hemiſphærium, Septemtrionale vnum, noſtrum ſcilicet, & ſuperius: Auſtrale verò alterum, quod eſt inferius; quæſtio igitur, vel poteſt procedere de perfectione ſeu nobilitate eſſentiali, vel accidentali. Et in vtroque ſenſu non parum difficilis & ardua eſt. Enimverò de perfectione eſſentiali, & intrinſeca vtrumque hemiſphærium videtur æqualiter nobile. Nam cælum & elementa vndequaque eadem materia & forma conſtant, vt alibi nobis explicandum erit. D. Hieronymus 128. ad Fabiolam vtrumq; hemiſphærium ſignificatum putat duobus illis lapidibus ſmaragdinis, qui ſummi ſacerdotis veſtem exornabant. Quæ interpretatio æquè nobile vtrumque hemiſphærium videtur conſtituere. Manilius Poëta in Aſtronomia loquens de Antipodis idem aſſerit, ſic enim canit, Hier.

Nec minor eſt illis mundus, nec lumine peior,
Nec numeroſa minus naſcuntur ſydera in orbe. Manilius.

184. *Argumenta pro hemiſphærio accidentali.*

Et quidem de perfectione hac eſſentiali non eſt controuerſia, æqualis enim eſt in vtroque; de accidentali autem non mediocris, & pro inferiori hemiſphærio non deſunt argumenta. Primum eſt, hemiſphærium inferius iacet ſub Auſtro, ſuperius autem ſub Aquilone; ſed Auſter præſtat Aquiloni: ergo, &c. Minor ſumitur ex Scriptura Cant.4. *Surge Aquilo, veni Auſter,* &c. teſte D. Auguſtino epiſt. 120. ad Honoratum, vbi Aquilonis aſperitas procul amandatur, & Auſtri ſuauitas adamatur, ad delicias illius horti conſeruandas. Vnde iterum: *Surge Aquilo,* id eſt, recede, vt multorum eſt interpretatio. Rurſus alibi, *Ab Aquilone pandetur omne malum,* &c. Item Eccleſ.11. *Vbi ceciderit lignũ, ſiue ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem, ibi erit.* Quo loci D. Hieronymus per *Auſtrum* gratiam, per *Aquilonem* peccatum intelligit. In diſtributione terræ promiſſionis inter filios Iſraël filij Dan ad Aquilonis partem caſtrametati ſunt, Numer.2.25. Mala enim tribus, ex qua futurus erat Antichriſtus, vt colligunt antiqui Patres, præſertim Irenæus lib.5. c.30. de temporibus Antichriſti. Ad deteriorem igitur orbis partem mala tribus caſtrametatur.

Auguſt. Hieronym. Iren.

185. Nec immeritò pro deteriori accipitur Aquilo; ventus enim eſt ſiccans, vrens, ac deuorans, vt palàm eſt ex ſacris profaniſque litteris: Auſter verò humectat, nutrit, & fœcundat; quod patet ex illo Iob 39.26. *Nunquid per ſapientiam tuã plumeſcit accipiter extendens alas ſuas ad Auſtrum?* Plumeſcit ſcilicet accipiter ad Auſtrum, vel quia veteres plumas Auſtro molliter flante ac decutiente exuit; & eodem beneficè aſpirante, ac nutricante, nouas induit; vel quia accipitres, vt refert Ælianus, non aliter, quàm ex Auſtro concipiunt ac fœcundantur. Ita etiam narrat Diuus Ambroſius lib.5. Exaëm. cap. 20. Origen. contra Celſum lib.1. Diuus Baſilius homil. 8. & oratione 19. de prouidentia, Suetonius libro 2. cap. 93. Blondus Flauius lib.1. & alij, quamuis Plutarchus id Ægyptiorum fabulam appellet. Et poſtea vt pullos ſuos excludant ad inſulas quaſdam auſtrales naturæ inſtinctu ſe conferunt, vbi beneficam ac ſuauem illam Auſtri vim ſuis fœtibus maturandis experiuntur. Accedit, quòd ſtellæ, quæ polo auſtrali vicinæ apparent, habent eandem magnitudinem, & claritatem cum planetis Iouis, ac Veneris, qui à nobis clariſſimi contemplantur, vt teſtatur Staſlerinus; præſertim illæ quatuor, quæ in pede Centauri in formam Crucis fulgent, & nos dicimus *Cruzeiro.* Duæ etiam illæ, quæ in remo nauigij videntur, & *Canopus* appellantur, quæ omnes eandem erga ſuos, quam noſtræ erga nos, ſortiuntur beneficentiam.

Ælianus. Ambroſ. Orig. Baſil. Suet. Flauius. Plutarch. *Stellæ auſtrales.* Staſlerin.

Secun

186. *Probatur ſecundò.* Secundum argumentum. Illud hemiſphærium eſt nobilius, in quo dies artificialis primò incepit, & vltimò deſiit; ſed prius incepit, & poſterius deſiit in hemiſphærio inferiori: ergo, &c. Conſequentia eſt euidens. Maior & minor liquidò conſtare videntur ex ſuperiori quæſtione. *Probatur tertiò.* Tertium argumentum deſumi poteſt ex mercium præſtantia, quæ ſunt in altero hemiſphærio, ex illo enim gemmarum, aurique pretium aſportatur in noſtrum. *Probatur quartò.* Quartum ex perfectiori, ac maiori animalium copia, quæ in illo gignuntur. Quintum ex feraciori telluris ingenio ad omnia producenda. Sextum denique ex imperiis, regnis, ac vrbibus multò nobilioribus, quæ in eo floruerunt. Sed quoniam hæc attigimus argumēta, quæ ad alia infinita vitam poſſint aperire, ex infinitis nimirum hemiſphæriorum comparationibus, ne in infinitum elabamur, antequam ad probationem alterius partis accedam, exponam breuiter varias hemiſphæriorum acceptiones, præter illas in communi, in quas ipſo in limine quæſtionis incidiſti.

187. *Hemiſphæria multipliciter accipiuntur.* Sed præcipuè modis diuidi poſſunt hemiſphæria, iuxta numerum maiorum circulorum, qui in cœlo ſunt; per æquinoctialem, per Zodiacum, per vtrumque colurum, qui quatuor circuli ſunt immutabiles; per meridianum, & horizontem, qui duo circuli ſunt mutabiles: omiſſis aliis diuiſionibus ſolùm agemus de illa diuiſione, quæ fit per horizontem; & quia hic eſt mutabilis, & multiplex, non agemus de horizonte ſphæræ rectæ, ſed de horizonte obliquæ ſphæræ. *Clauius de obliqua ſphæra in c. 1. ſph. §. illi verò, & ſequentib.* Deſcribamus igitur circulum horizōtem à noſtro Zenith, & Nadir æquè diſtantem, & quæramus, vtrum hemiſphærium, quod diuidit, ſit nobilius? Luſitaniam igitur pro Zenith noſtri hemiſphærij accipientes, & vt caput reliqui tractus telluris illam conſtituentes, deindéque in horizontem circumquaque excurrentes, pro certo ſtatuimus.

188. *Noſtri hemiſphærij dignitas.* Noſtrum hemiſphærium ſuperius, eſt multò nobilius, quàm inferius. Facilè probatur diſcurrendo per omnes partes, quas includit; enim verò Europam totam, Africam item totam, Americam etiam vniuerſam, dimidiúmque Peruanæ regionis, necnon magnam Aſiæ partem, illam ſcilicet, quæ à Goa per Gangis fontem, Scythiámque extra Imaum latè porrigitur, comprehendit. Probo iam infringendo rationes pro alio hemiſphærio allatas. Primò, quia illud hemiſphærium eſt nobilius, in quo elucet illuſtrior, maiórque ſyderum numerus, ac adeo clementior aſpirat cœli indulgentia; ſed in hemiſphærio noſtro ita ſe res habet; ergo, &c. Minor, de qua poterat eſſe dubitatio, patet, vel etiā illis, qui ſolùm à limine Aſtronomiam ſalutarunt. Etenim quis ignorat ſydera illa, quæ ad polum arcticum, ſupráque noſtrum horizontem & magnitudine, & pulchritudine excellunt? In altero autem hemiſphærio præter illa, quæ ſuprà numerauimus, omnia ſunt corporis adeò exigui, vt vix ab oculis diſcerni queant. Quanta verò eſt, & quàm amica cœli indulgentia in hoc hemiſphærio? ſiquidem vel ipſe Auſter nobis molliter, ac ſuauiter afflat. Si loci religionem attendas, in hoc hemiſphærio condita eſt Hieroſolyma, præſentia Chriſti Domini, & auguſtiſſimis ſalutis noſtræ myſteriis conſecrata. Itémque ſub eodem floret Roma ſanctitatis, fideique magiſtra; atque adeo continetur Europa, vbi Chriſtiana maieſtas primaria ſemper viguit dignitate. Nam præter Romanum imperium comprehendit Europa vltra viginti octo, ſi quatuordecim, quæ Damianus à Goës in ſola Hiſpania adnumerat, adiunxeris, in vniuerſum regna Chriſtiana religione imbuta, vnde huiuſce religionis dignitatem ampliſſimam petere, æſtimaréque debemus. *Dam. Goës.* Quid memorem ſanctitatis oracula, Martyrum decora & ornamenta? Quid tot, ac tanta ſanctiſſimorum hominum miracula, virtutéſque?

189. *Probatur ex mercium affluentia.* Secundò probo huius hemiſphærij nobilitatem ex ipſa mercium nobilitate. In primis tam varia, tam pretioſa, támque infinita illarum copia ex nouo duntaxat orbe, in Hiſpaniam quotannis conuehitur, vt antiquam illam, & ſacram hominum famem expleuiſſe omnino videatur. Omnes noui Orbis regiones prætermitto, tam auri, quàm argenti venis, ſeu potius fluminibus abundantes; miſſas facio à Septentrione nouas Hiſpanias, Mexicanas, floridáſque regiones; *Braſilia commendatur.* Braſiliam vtpote Luſitanæ ditioni ſtipēdiariam, breuiter tantùm attingo. Quid referam agros illos mendaces nunquam, & agricolarum votis reſpondentes? Enimverò credita ſibi ſemina multiplici fœnore reddunt. Feraces præſertim ſaccharo, quod cœleſte donum Attico melli multis partibus præferendum noſtra nauigia incredibili Luſitaniæ emolumento in Hiſpaniam, & in Europam ferè vniuerſam continenter exportant. Quid commemorem poma varia, & tam dulcia illo ſaccharo condita? Quid metalla, odoramenta, balſama, medicamina, & alia in omnes mortalium vſus, deliciáſque à natura largiter; & copioſè donata? Hæ ſunt merces præcipuæ, quæ ex illa prouincia in noſtras commutantur; vt reliquas taceam, quæ ab Europa vniuerſa in reliquas Orbis plagas conuehuntur. Iam verò quid referam onerarias illas naues, maris quidem reginas, quas mercibus pretioſis, gemmeiſque lapidibus onuſtas ex India Orientali Olyſipponem appulſas quotannis cernimus? *Naues Indiæ.* Fateor ego multa ex his, & ingenti digna pretio ab altero hemiſphærio, præſertim ab aurea Cherſoneſo, Sinarum, Iaponúmque regionibus eſſe mutuata; at verò pretioſiora ſemper à noſtro afferuntur. Hæc inter adamantes, pyropos, vniones, ſmaragdos, ſapphiros gemmáſq; alias numeramus. De quorum pretio & copia Barrius & Maffeus latè ſcripſerunt. *Barrius. Maffeus.* Quid dicam de mercibus, quæ ex illis partibus Aſiæ, quæ Ottomanorum proſapiæ, & Sophi Perſarum regi ſubiectæ ſunt? Conſule Venetum, Nauarcam, alióſque, qui de illis luculenter egerunt. *Vener. Nauar.* Nec erant omittendæ merces, quæ nobis ex magna Africæ parte adueniunt, ſi tempus ſuppeteret, præſertim ex illa, quam noſter Vaſcus de Gama ſtupenda nauigatione patefecit. *Vaſcus à Gama Indiā patefecit Luſitanis.* Quod attinet ad perfectiorem animalium copiam, ad nobiliorem ingeniorum præſtantiam, ad feraciorem telluris vbertatem, ad maiorem regnorum, vrbiúmque commendationem, opus non eſt, vt diſputemus, ne in veritatis trutinam reuocare adhuc videamur, quod Deus Opt. Max. noſtro hemiſphærio extra omnem litis ſuſpicionem largiori manu munificus dedit, & benignus indulſit.

***

PRO

PROBLEMA XXXVIII.

Vtrùm intelligentiæ per ſe immediatè, an medio impulſu cœlum moueant.

191. HAnc quæſtionem agitant Doctores Theologi ad primam partem D. Thomæ, dum generatim inquirunt, vtrùm Angeli ſe, vel alia per ſuam potentiam motiuam immediatè moueant, an media qualitate impulſus? Soar. in Metaph. d. 35. ſect. 6. n. 25. prædictam difficultatem ſub diſtinctione decidit; nam vel mobile eſt coniunctum, & indiſtans à potentia motiua Angeli, vel diſtans: ſi indiſtans, aſſerit non eſſe neceſſarium medium impulſum, ſed immediatè per motum mobile ex vna parte in aliam transferre. Probat primam partem ſuæ ſententiæ primò, quia impulſus ſolùm ponitur, vt ſit inſtrumentum agentis, quod mouet, & ſuppleat illius virtutem, cùm mobile ſeparatur ab agente; ergo quando mouens mobili immediatè adeſt, & in ſe habet virtutem motiuam ſufficientem ad motum, tali inſtrumento non indigebit, & conſequenter illo non vtitur; nam naturalis potẽtia, qualis eſt motiua, ſuperfluum inſtrumentum non admittit. Nec dici poteſt talem impulſum eſſe de neceſſitate motus localis, aliàs nec Deus efficere poſſet motum ſine illo, quod videtur liberè dictum. Si verò impulſus nõ eſt neceſſarius ex parte mobilis, nec etiam ex parte mouentis, quia mouens ex ſe habet ſufficientem virtutem ad agendum, & eſt immediatum mobili, ergo nulla eſt neceſſitas imprimẽdi talem impulſum. Ex quo infert Soar. Angelum, cùm ſe mouet, impulſu non indigere, quia in illius potentia eſt virtus ſufficiens ad motum, & mobile ſibi ipſi maximè indiſtans. Et idem aſſerit de quocunque mobili corporeo, ſiue ſpirituali, à quo indiſtans eſt. Imò addit, cùm mobile ſic adeſt potentiæ, non poſſe motum per impulſum efficere, ſed neceſſariò fore eliciendum immediatè à potentia motiua.

Soar. tom. de Angelis. c. 5.

Soarij opinio probatur primò.

192. *Probatur ſecundò.* Probat deinde ſecundò, quia ſubſtantiæ ſeparatæ, vt eſt communis Theologorum ſententia, nullam formam ſubſtantialem, vel accidentalem ſpiritualem, vel corpoream efficere poſſunt, exceptis formis vitalibus, & habitibus, ac denique motu locali; ſed impulſus in nulla ex his formis numeratur; ergo per ſe immediatè ab Angelo fieri non poteſt. Hæc de prima parte ſententiæ. In ſecunda ſtatuit, cùm Angelus non immediatè, ſed mediante alio corpore mouet, tunc per impulſum mouere. Quomodo intelligentia mouens primum mobile per ſe immediatè, inferiores ſphæras circumagit medio impulſu, quem imprimit mediante prima ſphæra, tunc enim vnum corpus ad aliud comparatum proportionem habet naturalem ad imprimendum impulſum corporeum, quem ſubſtantia ſpiritualis per ſe efficere non poteſt, ob rationem ſuprà traditam. Ex quibus colligitur Angelum in tantum dici motum efficere, in quantum applicat corpus cœleſte ad illum producendum. Hæc ſententia probabilis eſt, præſertim propter tanti Doctoris auctoritatem, quam poſtea in tomo de Angelis, & tomo de Opere ſex dierum ſæpiùs ſtabiliuit.

Secunda pars ſententiæ ſtatuitur.

193. *Sententia probabilior aſtruitur.* Verùm oppoſita eſt cõmunior, & probabilior mihi videtur. Eam verò duplici aſſertione ſic explico. Sit prima, Angelus neceſſariò imprimit impulſum ad detinendum ſpiritum, vel corpus graue, ne deſcendat. Ita Vaſq. 1. p. d. 218. cap. 3. n. 9. *Vaſq.* Probatur aſſertio vnica ratione; nam vnus Angelus poteſt detinere alium, ne moueatur, vel corpus graue in aëre, ne vltra deorſum feratur: ſed hoc facere non poteſt, niſi per impulſum; ergo ſaltem ad hunc effectum illum poteſt Angelus efficere. Maior videtur manifeſta, eſſet enim Angeli potentia valde limitata, ſi corpus aliquod, vel ſpiritum detinere non poſſit. Minor probatur, quia hæc detentio non fit per obſtaculum, nec per reſiſtentiam negatiuam, qua corpora adinuicem ſe excludunt, & detinentur, ne vnum ingrediatur locum alterius, quia ſubſtantia Angeli, vel illius præſentia, talem incompatibilitatem cum corpore, vel ſpiritu non habet; vnde ſimul cum illis naturaliter in eodem loco eſſe poteſt. Nec item fit per ſuſpenſionem concurſus ad deſcẽſum, vel motum, quia quamuis Deus hoc modo lapidem, vel Angelum detinere poſſit, quia confert concurſum neceſſarium ad motum, non ita tamen Angelus, qui talem concurſum non præbet. Reſtat ergo, vt hæc detentio fiat per aliquam qualitatem, quæ per ſe formaliter impediat motum contrarium, quæ qualitas à Theologis, ac Philoſophis *impetus*, ſeu *impulſus* nuncupatur. Hæc aſſertio certa mihi videtur.

Sit ſecunda, etſi non ita certum, probabilius tamen iudico intelligentiam mouere cœlum, & alia corpora medio impulſu, non ſolùm quando mouet mediante alio, ſed etiam quando mobile ſibi immediatum impellit. Hæc traditur à Molin. 1. p. q. 54 art. 5. & à Conimb. 7. phyſ. c. 2. q. 1. art. 8. §. contraria. Fuſiùs tamen ab ipſis tract. de anima ſeparata. d. 6. art. 2. & in hanc magis inclinat noſter Becanus tract. 5. de Angelis c. 2. q. 15. concl. 5. Probatur aſſertio vnica ratione, quia vel Angelus non moueret medio impulſu, ſed immediatè per motum, quia non habet virtutem ad hanc qualitatem producendam, vel quia illa eſt ſuperflua, dum mouens per ſe eſt præſens; non propter primum, quia, vt in prima concluſione oſtendimus, Angelus poteſt producere, & imprimere impulſum ſpiritualem ad detinendum alium ſpiritum, & corporeum ad detinendum corpus graue ne deſcendat; ergo non deſinet mouere per impulſum ex eo, quòd virtute careat ad illum producendum. Præterea, quia non videtur denegandum Angelum poſſe mouere alium ſpiritum proiiciendo illum à ſe, vel aliquod corpus per vacuum; ſed hoc efficere non poſſet, ſi impulſum per ſe imprimere non valeret; ergo, &c.

194. Secunda quæſtionis aſſertio.

Molin. Conimbr.

Becan. Probatur ratione.

Confirmatur magis.

195. Non etiam propter ſecundum, quia impulſus non ſolùm requiritur in abſentia agentis, ſed etiam in præſentia, quod patet primò in impulſu ad detinendum. nam potentia motiua etiam cùm eſt præſens, medio impulſu detinet, vt oſtenſum eſt. Præterea lapis, quò magis accedit ad centrum, eò velociori motu mouetur, quæ velocitas, vt eſt communis ſententia Philoſophorum, procedit à maiori impulſu, quem grauitas ipſi lapidi imprimit; ergo impulſus non ſolùm in abſentia agentis eſt neceſſarius, ſed etiam cùm adeſt. Vltimò confirmatur, quia ſi impulſus eſt ſuperfluus, quando Angelus per ſe præſentialiter mouet, etiam ſuperfluus erit, quando mediante alio corpore; ſed hoc negatur ab aduerſariis; ergo, &c. Sequela oſtenditur, quia non minus eſt indiſtans prima ſphæra à ſecunda penes extimas ſuper

Confirmatur vltimò.

ſuperficies,quàm ſit Angelus à prima ſphæra; ergo ſi ex præſentia huius ad primam ſphæram exiſtimatur impulſus ſuperfluus, ſimiliter exiſtimabitur in primo mobili, vt moueat proximam ſphæram.

PROBLEMA XXXIX.

Vtrùm Luna creata ſit in plenilunio, an in nouilunio.

196. NOn quæro,an quoad ſubſtantiam creata ſit luna imperfecta,quia lõgè probabilius exiſtimo corpora cœleſtia in primo creationis die condita fuiſſe completè quoad omnes partes eſſentiales & integrantes,quamuis non deſint, qui oppoſitum perperam iudicarint,&D.Dionyſium in ſuam ſententiam immeritò attulerint; ſed inquiro,an luna quoad lumen creata fuerit in plenilunio, an nouilunio? In quo ſenſu quæſtio ita controuerſa eſt, vt à ſapientiſſimis Patribus & Theologis fuerit propoſita, & indiſcuſſa relicta.nam D.Auguſtinus lib.2 Gen.ad litter.cap.5. licèt in vtramque partem rationes dubitandi attigerit, à reſolutione abſtinuit, *neutrum*, inquit, *audeo definire*. Quem poſtea imitatus eſt D.Thomas 1.part.quæſt.70.artic.2.ad 5.&c. noſter Pereira lib.1.Gen.cap.1.num.20. & nouiſſimè Soarius in opere ſex dierum lib.2.c.9. num.10. Auctores tamen, qui eam deciderunt, in tres abiêre ſententias, quarum prima & magis communis,aſſerit lunam in plenilunio fuiſſe creatam.Ita D.Damaſcenus lib. 1. de fide orthodox. cap.7. cuius hæc ſunt verba: *Minimè ignorandum eſt plenam atque perfectam lunam à ſummo illo rerum parente procreatam eſſe,hoc eſt,talem, qualis eſt decima quinta die.* Eandem tuetur ibidem Clitoueus eius interpres. Beda in Exaëmer. & lib.1. de ſupputatione temporum. Abulenſ. Geneſ.1. quæſt.25. Dionyſius Carthuſianus, & Procopius ibi. Probatur hæc ſententia primò ab auctoritate ſacræ paginæ Geneſ.1. Nam vbi nos legimus creaſſe Deum quarta die *luminare maius*, id eſt,ſolem,*vt præeſſet diei,& luminare minus*,id eſt, lunam, *vt præeſſet nocti*, altera tranſlatio habet: *luminare maius in inchoatione diei,& luminare minus in inchoatione noctis*,id eſt,vt principium præberet noctibus. Ex quibus verbis argutè colligit Carthuſianus,lunam plenam incepiſſe.quia luna non oritur in principio noctis, niſi quòd eſt plena; ergo ſi luna à Deo condita eſt in ea diſpoſitione,vt ſua luce inchoaret noctem,in plenilunio oportuit condi.

Sensus quæſtionis. — August. — D.Thom. Perer. Soar. — Damaſc. *Rationes pro plenilunio.* — Clitou. Beda. Abulenſ. Carthuſ. *Probatur primò ex Gen 1.* — Carthuſ.

197. Secundò probo ratione ex D.Thom.quia productio creaturarum à principio fuit in ſtatu perfecto; ſed luna ſuam integram perfectionem accidentalem non habet,niſi in plenilunio;ergo in eo condita eſt. Maior conſtat, quia ita decebat perfectiſſimum artificem, atque diuinum ſuum opus omnibus numeris abſolutum reddere,illúdque omni ex parte ſpectãdum, in hoc orbis theatrum exhibere. Vnde meritò Soar. proximè citatus illorum damnat ſententias, qui ſolem in ſua prima creatione ea luce, quam modo habet, carentem conſiderarunt. Tertiò, quia Deus creauit hos duos planetas in ea diſpoſitione, in qua poſſint diſtingui,& videri: at luna in nouilunio, nec viſitur,nec ſpectari poteſt; ergo in ea diſpoſitione non eſt condita. Quartò confirmari poteſt eadem pars ex Theodoret.in Gen. & D.Ambroſ.in Exaëmer.lib.1. cap.4.hic enim aſſerit eo tempore mundum fuiſſe conditum,quo Iudæi ab Ægypto exierunt,& quo poſtea Paſcha celebrabant; ſed Paſcha ſemper eſt celebratum in plenilunio; ergo in plenilunio mundus eſt inchoatus. *In principio*,inquit,*menſium,quo Paſcha,iuſſu Dei,Iudæi celebrabant,cœlum & terram fecit Deus. Et hac de cauſa dicunt multi, quòd ſol in Ariete creatus fuerit in equinoctio,nimirum verno, in quo etiam Paſcha à Iudæis, Deo imperante, celebrabatur.* Hæc ſunt potiora fundamenta huius ſententiæ.

Probatur ſecundò. D.Thom. — *Probatur tertiò.* — Theodor. Ambroſ.

198. Secunda ſententia, quæ ſtatuit lunam prope nouilunium fuiſſe creatam,ſuos etiam habet patronos, & rationes non contemnendas; pro ea enim ſtant nonnulli antiqui ab Auguſtin. relati, Eandem probabilem credit D. Thom. 1. part. quæſt.70.artic.2.ad 5. Et probari poteſt primò, quia ſol, & luna fuerunt creata non ſolùm, vt præeſſent diei,& nocti,ſed etiam in ſigna temporum,vt ſacra pagina atteſtatur,id eſt, vt per curſus horum planetarum anni, & menſes metirentur; ſed non poterat luna eſſe menſura menſis in ſuo curſu, ſi inciperet à plenilunio; nam ex eo puncto,in quo eſt plena, vſque ad alterum nouilunium,quindecim tantùm dies elabuntur; ergo vt ſic non poterat eſſe menſura integri menſis. Secundò, quia cæteræ creaturæ quæ ſunt capaces augmenti,conditæ ſunt in ea diſpoſitione, in qua illud poſſint ſortiri, vt ita formam præberent cæteris generationibus ſubſequentibus; ſegetes enim,& arborum fructus non maturi; ſed in flore,& primo germine, & in vere,non in æſtate ſunt procreati;ſic enim Ambroſius in Exaëmer,citato, *Decebat*, inquit,*principium anni eſſe principium generationis, & ipſam generationem mollioribus auris foueri; neque enim poſſent tenera rerum exordia, aut aſperioris laborem tolerare frigoris, aut torrentis æſtus iniurias ſuſtinere.* Ergo idem dicendum eſt de luna, præcipuè cùm ad illius ortum multa generentur, quæ cum illa ſimiliter accipiunt incrementa.

Rationes pro nouilunio. — D.Thom. — Ambroſ.

199. Tertia ſententia eſt aliquorum, quos memorat Soarius citatus num.10. qui mediam ſequentes viam, dicunt lunam factam fuiſſe in quarta parte ſui augmenti,id eſt,in ea diſpoſitione,quam in ſeptimo die habere ſolet; illam enim tunc ſupra noſtrum horizontem ſuſpicimus permeantem, quando nimirum ſol occumbit, & ſic optimè poterat totam noctem illuminare; vnde pro hac ſententia ſic conflo argumentum. Luna fuit condita, vt nocti præeſſet: ſed hoc munus obire non poterat,ſi in prima luna, vel plena creata fuiſſet: ergo, &c. Maior conſtat ex ſacra pagina. Probatur minor quoad primam partem,quia tunc non poterat per totam noctem illuminare, ſiquidem à ſole vel paruam, vel nullam mutuaretur lucem. Quoad ſecundam partem etiam probatur, quia ſi plena fuiſſet creata, poſt illud initium ſtatim decreſceret, vt conſtat, quod inconueniens videtur, conueniens verò quòd per aliquot dies continenter augeretur. Hæc ſunt ferè omnia ſanctorum Patrum,Theologorum,&Philoſophorum placita circa lunæ conditionem, quam quæſtionem Mathematici non attigerunt. In illa ſanè certum non audio iudicare, quia ex Scriptura nihil certum colligitur, vt ait Soarius; nihilominus prima ſententia vt magis à Patribus inſinuata,mihi præ cæteris arridet.

Rationes pro quarta parte augmenti lunaris. — Soar. *Auctoris placitum.*

Digitized by Google

Problema XL.

Vtrùm Luna totam ſuam lucem à Sole mutuetur.

Lunæ obſeruationes valde difficiles. Thyco. *Status quæſtionis.*

200\. LVnæ obſeruationes non parum difficiles, vt tradit Tycho Brahe lib.1.cap.2.§.alterum de quo,& ſequentibus.Enimuerò à lunæ inconſtantia, & varietate inconſtantes pariter, ac varias ſortiuntur Mathematici opiniones.Cæterùm Tycho omnium,quos legerim,recentiſſimus & certiſſimus; ſi dãda fides foret eius experientiæ,quã ille admirandorum inſtrumentorum artificio per ſummas auri, argentique expenſas,comparauit; lubricas illas rationes reddidiſſe videtur ſtabiles, atque æternas. Quod autem ille, & alij multò antiquiores circa præfixam quæſtionem iudicarint,paucis abſoluam, & rectiùs ſentientium pedarius ero ſenator;ſed priùs aduerto me non excitare quæſtionem, vtrùm à ſole lucem luna mutuetur? quia de hoc nullus ſanæ mentis dubitat; ſed vtrùm aliquem ex ſe habeat luna lucem, quàm à ſole non hauriat;& quæ à ſua ſubſtantiali forma dimanet.

Tychonis opinio. Ananomãd. Cleom. Plutarc. Auicenna. Macrob. Plin. Apul. Beda. M.Albert. Vgo. Clauius

201\. Partem negantem Armillarum ſuarum fultus inſtrumento, vt certam demonſtrare exiſtimat Tycho de Aſtronomia inſtaurata lib.1. cap. 10. §.occaſionem;aſſeritque nec perexiguum lumen proprium habere, ſed id, quod habet, nobiſque reflectit, à ſole tantummodo mutuari. Quam ſententiam, vt ab omnibus tam Philoſophiæ, quàm Mathematicæ profeſſoribus acceptam, & indubitatam credit,& aſtruit. Qua in re ſecutus eſt Ananomandrum, Cleomedem,& alios quos refert Plutarchus lib.2.de placitis, cap.17. Quos Auicenna, Macrobius, Plinius, Apuleius, & ſi qui ſunt alij,laudarunt, & approbarunt. Acceſſerunt non pauci ex ſacrarum literarum interpretibus, vt Beda, Albertus Magnus, Vgo, & alij. Pro quibus ſic argumentor. Si luna natiuo ac genuino gauderet lumine, vtique cum in vmbra eſſet telluris, illud non amitteret,imò latiùs ac clariùs effunderet; ſed hoc eſt falſum: ergo; &c.Maior probatur, quia omne lumen plus ſplẽdet in tenebris,iuxta vulgare pronuntiatum, oppoſita iuxta oppoſita magis elucеſcunt, quod verum eſt, quando alio maiori lumine non obruuntur. Et confirmatur, quia telluris vmbra non eſt aliquid corporeum, denſum, craſſúmve, quod lunæ lumen valeat obſcurare, noſtróque ſubtrahere aſpectui: ergo ſi luna ex ſe habet lumen, tunc temporis clariùs illud effundet. Minor verò patet, quia luna in ſua eclipſi amittit lumen, quia ſi illud, quod in eclipſi diffundere videtur,innatum ei eſſet, & non aduentitium,dubio procul, ſeu in nouiluinio,ſeu dum eſt corniculata, illud diffunderet, videlicet ſecundùm illam partem, quam à ſole auerſam habet, & nobis aduerſam oſtendit; & hoc ferè argumento vtitur Clauius,qui in hanc ſententiam magis inclinat in cap. 1. ſphæræ, §. his rationibus.

Conimbricenſium opinio. Peter.

202\. Partem autem affirmantem ſequuntur Conimbr. de cœlo lib.2.cap.7.quæſt.4.art. 1. 2.& 3. Pereira in Geneſ c.1.& alij, qui dicunt aliquam ex ſe lucem habere lunam, quam à ſole non hauriat, & emendicet. Nec deſunt multi ex Aſtronomis, qui hanc partem ſuſtineant; vnde iam illud,quod Tycho aſſerebat, non eſt verum; pro quibus ſic argumentor. Primò, quia ſi luna totam ſuam lucem à ſole accipere videretur, foret in eclipſi;ſed tunc ſuam propriam lucem adhuc retinet, & conſeruat: ergo, &c. Maior eſt aduerſariorum,præſertim Tychonis. Probo minorem,quia luna eclipſi rubicunda apparet, lucida & colorata, ſed non poterat ita apparere, niſi haberet lucem, cùm obiectum viſus ſit ſolùm lucidum, & coloratum: ergo, &c. Quòd autem tunc temporis natiuam lucem ſibi vendicet,probatur,quia illa lux non eſt à ſole accepta, ſiquidem interponitur tellus:ergo illam ex ſe habet. Secundò,quia omnes ſtellæ, necnon cæteri planetæ propter lumen, quod à ſole mutuantur, proprium habent: ergo & luna. Antecedens quoad ſtellas eſt in confeſſo apud omnes, quoad planetas autem æmulis conceditur. Et quòd ita deceat, probat Pereira citatus. Tertiò, quia,vt probat Soarius allegatus, Dominus creauit res omnes modo magis conueniente, & ad vſus hominum magis accommodato; ſed conuenientius,accommodatiúſque foret ad humanum genus,ſi luna propriam lucem haberet:ergo, &c. Hæc tamen opinio licèt conuenientior videatur, prima nihilominus Mathematicæ legibus conſona iudicatur.

Tychonis dictum improbatur. Pererius. Soarius. *Authoris iudicium.*

Problema XLI.

Vtrùm Luna inter duo luminaria magna à Deo condita rectè numeretur.

HÆc quæſtio fortaſſis videbitur aliquibus extra controuerſiam, cùm Moyſes teſtetur 1.Geneſ. *Fecitq; Deus duo luminaria magna: luminare maius,vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti*,&c.Vnde conſtat inter vnum ex illis magnis luminaribus à Deo conditis eſſe lunam. Cæterùm quamuis de hoc nullum ſit dubium, non mediocre inſurgit ex ipſa rei certitudine. Enimverò ſi luna minor eſt omnibus ſtellis, quas inerrantes appellamus, quippe quæ octies ac decies terræ molem excedunt,cùm verò terra tricies nouies lunam ſuperet magnitudine: deinde Planetæ, ſi vnum excipias Mercurium, cùm multò maiores luna ſint, vt veteres Mathematici, quos ſequitur Maurolycus in Appendice Dialogorum de Coſmographia,obſeruarunt, & nouiſſimè noſter Clauius approbauit in ſphæra Ioann.de ſacro Boſco,cap. 1. Cur igitur luna luminare magnum à Moyſe dicitur? Equidem, authore Plinio lib.2.cap.9. *Multiformi luna ambage illa ſua multorum torſit ingenia contemplantium, & proximum ignorari maximè ſydus indignãtium, creſcens ſemper, ac ſeneſcens, & modò curuata in cornua, modò æqua portione diuiſa, modò ſinuata in orbem, maculata, eadémque ſubitò prænitens, immẽſa orbe pleno, ac repente nulla, aliàs pernox, aliàs ſera, & parte diei Solis lucem adiuuans, deficiens, & in defectu tamen conſpicua.* Hinc eſt quod D.Baſilius in hunc locum, & D Auguſtinus lib.2. de Gen.ad litteram cap.16.exiſtiment poſt Ariſtotelem maximum cœli aſtrum eſſe lunam;quamuis à Soar.de opere ſex dierum lib. 2. cap.9. num.9. aliter intelligatur Auguſtinus. Sed cùm longè contrarium germana, ac vera doceat Mathema 203.

Tycho Braby lib.1. c. 7. de Aſtronomia inſtaurata. Maurol. Clauius. Plin. Baſil. Auguſt. Ariſtot. Soar.

thematica, locus Scripturæ à nobis eſt expo-
nendus.

204. An dicitur luminare magnum, quia reliquis
maior, oculorum iudicio, & vulgi æſtimatione
cenſetur? Sanè non vulgi tantùm, ſed quoq; Dei
iudicio illa virtus pluris habetur, quæ maiorem
apud homines conſequitur æſtimationem, viden-
tes enim opera bona noſtra glorificant Patrem
noſtrum, qui in cœlis eſt. Omnis quidē eius glo-
ria ab intus; ſed in exterius effulgeat opus eſt.
Hieron. Nam ſi vera eſt Hieronymi ſentētia epiſt. 9. *Spe-
culum mentis eſt facies, & taciti oculi cordis fatētur*
Ambroſ. *arcana. Clamant opera*, ait Ambroſius, *& optimus*
Alex. *ſermo*, teſte Clemente Alex. 2. Pædag. c. 9. *cogita-*
Ambr. *tionis eſt fructus.* Rurſus Ambroſ. lib. 2. de Virg.
*Species corporis ſimulachrum eſt mētis, figuraq; pro-
bitatis.* Hoc eſt illud vitæ ſpiraculum, quod Deus
in faciem Adami inſpirauit, Gen. 2. 7. non in inti-
mo cordis arcano, ſed in externo frontis domici-
lio hominis vitam diuinus Artifex collocauit.
Ariſtot. Itaque non in corde, vt Ariſtoteles, ſed in ore.
Quod myſterium, Magne Deus? Nónne in corde
magis tuta ac ſecurior vita tui hominis ſeruare-
tur? cor enim oris quædam manus, in gladij ſpe-
ciem quaſi armatus miles vigilanter cuſtodit at-
Cor vitæ the- que defendit. Nimirū ſeruat natura pretioſum il-
ſaurus. lum vitæ theſaurum. Plin. lib. 11. nat. hiſt. c. 37.
Plin. pulcherrimo verborū ambitu muniuit hoc pre-
tium. *Cor intra prænolli, firmóq; opertū mēbrana in-
uolucro, munitū coſtarū, & pectoris muro, vt pareat
præcipuam vitæ cauſam, & originē*, &c. Nihilomi-
nus non in illo cordis receſſu, ſed in oris aſpectu
vitam poſuit Dominus, quia adeò puram poſtulat
vitam hominis, vt quod abſcondi debeat, nō ha-
Ambroſ. beat. En myſterium, ſi credimus Ambroſio, cur
luna luminare magnum nuncupetur, æquum
enim erat, vt magna diceretur, quæ magnam ho-
minum oculis lucem ſuffundere videbatur.

205. An luminare magnum appellatur luna, quia
Alia ratio. vires & effectus eius erga elementa, metalla, ſtir-
pes, animantes, humanúmque corpus præ cete-
ris aſtris (ſi vnū excipias ſolem) eſt fœcundior &
beneficentior? Sanè poſt Solem iure principatum
meruit obtinere, quæ præ cæteris planetis tanta
indulgentia humanum genus proſequitur. Nón-
Horat. ne ob beneficentiam micat inter omnes Iulium
ſydus, velut inter ignes luna minores? Magnum
Plutarch. quidem, teſte Plutarcho, Cæſarem reddidit vio-
lentia in hoſtes, ſed maiorem beneficētia in ami-
cos. Magnos illos, qui Bethleemicum Regem
adorarunt, Reges appellamus cū matre Eccleſia.
Cæterùm vbi ſceptrum, vbi corona, vbi regia
ſunt inſignia? Non inuenio expreſſum regiæ di-
gnitatis teſtimonium in ſacris monumentis, niſi
Maldonatus illud quod ingenioſè Maldonatus inuenit, quan-
in Matth. do ſcilicet apertis theſauris obtulerunt ei mune-
ra. Quod maius regalis magnificentiæ teſtimo-
nium? *aperiendo*, nimirum, *theſauros ſuos ſe Reges
oſtendunt.* Innatum eſt Regibus benefacere; ina-
ne ſceptrum ſine lucis beneficentia. Laudo in
Syneſius. meam ſententiam B. Syneſium lib. de Reg. vbi
Rex cum So- ita Reges alloquitur. *Princeps cùm in bonis confe-*
le confertur. *rendis liberalitate ſit præditus, tum nihilo magis ea
de re defatigandus eſt, quàm ſol ſuos in ſtirpes, atque
animantia radios effundens, neque enim lucere labo-
rioſum eſt ei, vtpote cuius in natura ſplendor, & fons
ipſe luminis continetur*, &c. 4. Reg. 20. Ezechiæ
Regis vita in ampliores annos extendenda in ſo-
Auguſt. le retroducente auguratur. Cur ita? Auguſt. lib. 2.
de mirab. cap. 28. *conuenienter tale ſignum Regi in
mortis expectatione poſito aptiſſimum euenit, quod
Dominus per ſolem fieri taliter diſpoſuit*, &c. Vita
Regis ſolarem, ſeu lunarem curſum debet imi-
tari, illuminando, benefaciendo. Nam vt ſol, &
Regis vita ſibi inuicem correſpondeant, Deus ſi-
mul, authore Nazianzeno orat. in funere Patris, Nazianz.
Regem gratia, & miraculo ornat, & diei augmē-
to, dierum augmentum confirmat. Beneficentia
magnum Regem fecit Chriſtum Dominum, be-
neficum quidem ſolem vel in ſuo occaſu erga
hoſtes etiam ſuos. Quid aliud clamat ille latro?
Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuū.
Regnum ei parturit beneficentia, & magnum
Regem ipſum demōſtrauit, ſi placet arguta Leo- Leo.
nis ſententia ſerm. 10. de paſſ. Meritò igitur lu-
na à Moyſe luminare magnū nominatur, quam-
uis enim magnitudine ſit minor cæteris aſtris, ſi
excipias Mercurium, eſt tamen beneficentia om-
nibus longè maior, præter ſolem, vt optimè ex-
poſuit D. Thom. Par enim erat, vt hominibus D. Thom.
prodeſſet; quæ à Deo nocti præeſſe iubebatur. 1. p. q. 70.
Sic verum eſt elegans Bernardi iudicium ad Vel- art. 1.
lemum Abbatem epiſt. 85. *Stude prodeſſe, quibus* Bernard.
*praes, nec praeſſe refuge, dum prodeſſe potes, quia væ
tibi quidem ſi praes, & non prodes; ſed væ grauius, ſi
quia praeſſe metuis, prodeſſe refugis.*

An luna luminare magnum nuncupatur, quia 206.
in hoc quod eſt eſſe in tempora, ſigna, dies, men- *Altera ratio*
ſes & annos, poſt ſolem præ cæteris aſtris exce- *Hebræorum*
dit? Hæc eſt multorum ſententia. Et quidem *mos in ſup-*
Hebræi homines diſtinctionem temporum, non *putandis tē-*
menſium modò, ſed annorum etiam, ac ratio- *poribus.*
nem feſtorum dierum à luna petebant, vt patet
ex lib. Eccleſiaſtici cap. 43. Qui mos apud alias
nationes increbuit, & hodie ſeruatur apud Sinas
& Iaponas. Medici etiam vel augmenta, vel de-
crementa lunæ diligenter contemplantur, ante-
quam ægrotis curandis medicinas adhibeant. Ac-
cedunt agricolæ, qui ad excolendos, vel repaſti- *Ex lunæ tē-*
nandos agros, ad committenda telluri ſemina, ad *pora & au-*
ſegetes metendas, ſeu amputandas, ſcædendáſ- *ſpicia cap. a.*
que arbores lunæ viciſſitudines continenter ob-
ſeruant. Iam verò nautæ quàm ſedulò curant au-
ctiones, diminutionéſque lunæ, ex quibus de-
pendent & acceſſus, & maris receſſus; ex quibus
ventorum flatus, temporum curſus, ac mutatio-
nes expectant; etenim ſine lunæ auſpicio, nec è
portu ſoluunt, nec ſe credunt mari. Quid plura?
Meritò igitur luminare magnum appellatur il-
lud aſtrum, quod præ cæteris hominibus inſer-
uit. Hæc interim de luna ſatis, ne *lunæ laboranti* Iuuen.
ſuccurrere videamur.

Problema XLII.

Quæ ratio ineundi naturalis diei ſit re-rum naturæ conformior.

SIcut in capiendis anni exordiis non ſatis gen- 207.
tes conſenſerunt, vt referunt Plinius lib. 7. Plin.
naturalis hiſtor. Simplic. 5. phyſ. Aliacenſ. in Simplic.
concordia vet. 6. Vielm. de oper. lect. 12. pag. Aliacenſ.
153. & alij: ita in auſpicando naturalis diei prin- Vielm.
cipio maxima fuit in populis varietas, quæ non-
dum eſt ad vnitatem redacta. Aſſyrij à Solis ortu
ſubducebant naturales dies, quod faciunt Balea- *Varius mos*
tes, teſte Clauio in 2. cap. ſphær. Iudæi & Athe- *in variis na-*
nienſes à veſpere, quos, eodem Clauio teſte, ſe- *tionibus.*
quuntur Itali. Priſci Romani à nocte media, vt Clau

Patauin. præter alios aduertit Paulus Patauinus celebris Iureconſult. lib. 2. ff. tit. 12. de feriis; retinent hanc conſuetudinẽ Hiſpani, Arabes cum Aſtrologis à meridie auſpicantur dierum exordia, quã exordiendi rationem notat Accurſius tit. citato, & nimis abſurdam vocat. *Accurſ. Quatuor naturalis diei principia.* Cùm igitur quatuor potiſſimum reperiamus naturalis diei exordiendi rationes, nimirum ab ortu Solis, à meridie, à veſpere, à nocte media, inueſtigandum eſt breuiter, quænam ex iis ſit naturæ rerum conformior, quæ verò minus conformis.

208. *Oſtenditur ratio pro ortu lucis.* Rectiùs ab ortu initium ſumi oſtenditur primò, quia lux natura ſua præcedit tenebras, & ortus lucis eiuſdem conſiſtentiam ac declinationem: at naturalis dies lucem complectitur & tenebras; inchoandus igitur eſt ad rei naturam conformiter ab ortu lucis. Confirmatur, quia labor natura ſua prior eſt quiete, manè verò ad opera egrediuntur homines, iuxta illud Pſalm. 103.22.23. *Ortus eſt ſol*, &c. *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam, vſque ad veſperum*; nocte appetente cubitum pergunt, vt vires operando diſperditas reſtaurent. *Plato.* Vnde Plato 7. de republ. *Ordo*, inquit, *temporis liberis hominibus ab ortu Solis perpetuus ad alterum Solis ortum eſt habendus; quod autem generatim ab omnibus fit, à natura proficiſci videtur*; & ob hanc cauſam graues auctores Heliogabali imprudentiam & impudẽtiam accuſant, quòd præpoſtero temporis ordine die feriaretur, noctu ſe negotiis dederet. *Heliogabalus diẽ prænoctabat in noctẽ.* Quam conſuetudinem aliqui adhuc homines ſeruant, vel in hoc à recta viuendi ratione adeò alieni, vt ipſum naturæ ordinem præuertere non vereantur. Deinde in prima mundi conditione primus Orbis dies ab ortu Solis incepit, cùm cœlum ab oriente moueri cœptum ſit, & 24. horarum ſpatio integram confecerit circulationem, quod docet Baſilius, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, Hugo, & alij, quos citant & ſequuntur Soar. de opere ſex dierum lib. 2 c. 3. num. 12 Cornelius & Pererius in Gen. cap. 1. Sed in principio mundi quid naturæ rerum conſonet factum eſt: ergo, &c. Denique Patrum mos fuit ad Oriẽtem aſpicere orantes, & eò vergebant templorum oſtia; qui etiam apud Ethnicos viguit, auctore Volaterreno lib 29. Porrò quid hæc conſuetudo indicabat, niſi oriente naturali die, ad veriſſimum diẽ lucis fontem conuertendos mortalium animos? vt pulchrè adnotauit Theodoretus in Exod. vbi Deus templi portam verſùs Orientem ſpectare iubet. Sunt pro hac parte Magiſter in 2. d. 13. & Quintil. lib. 9. inſtit. Orator. cap. 4. & alij.

Baſil. Chryſoſt. Ambroſ. Auguſt. Hugo. Soar. Cornel. Perer. Theodoret. Magiſt. Quintil.

109. *Oſtẽditur ratio pro meridiano tẽpore.* Pro Arabibus & Aſtrologis hoc eſt fundamentum, quòd ſol in meridiano conſtitutus ſplendidior eſt, & ad agendum efficacior; videtur autem rei natura poſtulare, vt inde naturalis diei ſit exordium, vbi Aſtri curſu ſuo diem efficientis maior eſt virtus. *Fiſcin.* Confirmatur ex Marſ. Fiſcino lib. de ſole & lumine cap. 10. qui ait ſolem à Deo creatum in meridie habitabilis horizontis; & hanc eſſe cauſam, cur Moſes antea veſperum recenſeat, quàm manè, quia ſcilicet prius ſol veſperum quàm diluculum effecerit. Hanc opinionem probabilem ſentit D. Bonauent. & illam tribuit Bedæ in 2. d. 13. art. 1. quæſt. 2. Ægid. 1. p. ſui exaẽm. cap. 16. eam apertè tuetur. Accedit ex Clauio pag. 279. & 281. quòd ſol & aſtra in omnibus regionibus reſpectu meridiani eodem ſemper modo ſe habent, non autem reſpectu horizontis.

Bonauent. Beda. Ægid. Clauius.

Pro Iudæorum, Athenienſium, & Italorum conſuetudine primò ſe offert Moſes, qui ad initium Geneſ. naturalem diem ex partibus colligens reperit ſæpiùs factum fuiſſe, *veſpere & mane diem vnum*. Secundò Hebræi Exod. 12. Deuter. 16. & aliis Scripturæ locis iubentur ſuas feſtiuitates veſpere, in principio nimirũ naturalis diei, inchoare. Et Leuit. 23. 32. *A veſpera*, inquit, Dominus, *vſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra*; quod & Chriſtiani facimus; locum notauit D. Thom. in 4. d. 41. & ſuper Ioann. cap. 13. dicens id fieri, quia Iudæi lunam obſeruant, quæ noua ante veſperum non conſpicitur. Hanc opinionem tuentur Abulenſ. in Gen. Molina d. 7. imò & Hieronymus in cap. 2. Ionæ. Nec contra hoc facit, quod Caietanus q. 10. & 11. aliquantulum audax congerit, dum hanc ſententiam abſurdam falſam contra Scripturam, tanquam ex tripode pronuntiat, quia nullum videtur abſurdum, conflari vnum tempus à diuerſis durationibus, partim ſub quiete corporum, partim ſub motu lucis; nónne ex luce & tenebris, ſiue ex nocte & die, quæ non minus inter ſe repugnant, conflatur vnum tempus, vnáque naturalis dies? 210. *Oſtenditur ratio pro veſpere.*

D. Thom. Abul. Molina. Hieron. Caiet.

A media nocte duci naturalis diei principium, naturæ rerum eſſe congruentius alij opinantur. 211. *Oſtenditur ratio pro media nocte.* Primò, quia à media nocte incipit ſol ad nos accedere, à quocunque alio puncto non incipit; ſed apparere, vt in ortu; aut recedere, vt in meridie; aut occultari, vt in occaſu. Hanc reddit cauſam Plutarch. in problem. cur à media nocte diem Romani veteres incohatint, vbi & aliam addit. *Plutarc.* Secundò naturalis dies ſolari anno confertur, quia ſicut annus eſt integra Solis ſub Zodiaco conuerſio, ita dies integra eius circa terrã, cum primo mobili circulatio: vt annus quatuor habet partes, ita & dies: anni partes à quatuor vtriuſque æquinoctij & vtriuſque ſolſtitij punctis partes diei à quatuor cœli punctis accipiuntur: mitto in pluribus aliis analogiam, ſed anni initium ab hyeme ſumitur, quæ mediæ nocti comparatur; ergo initium naturalis diei à nocte media: ſumi verò anni initium ab hyeme rectius, quàm à Martio, vt apud Aſtrologos, aut ab autumno, vt apud priſcos Iudæos, oſtendit Clauius pag. 243. quia punctum illud ſolſtitij, quod eſt initium Capricorni, eſt finis deſcendentis, & principium aſcendentis ſemicirculi, atque adeò finis receſſus Solis, & principium acceſſus eiuſdem reſpectu partis ſeptentrionalis, quæ dignior auſtrali eſt, & quam anni inſtitutores incoluerunt. *Clauius.* Eadem redditur cauſa ab Ouid. 1. Faſtor.

——*Dic age frigoribus*, &c. *Ouid.*

Deinde Chriſtus Dominus nocte naſcens media, gratiæ diem inchoauit, naturaliſque diei exordium liquidiſſimo natalis ſui auſpicio feliciter conſecrauit, quod doctiſſimè de more ſuo probat Soar. in 3. p. tom. 2. d. 12. ſect. 3. vbi etiam hanc opinionem de diei naturalis initio confirmat. *Chriſtus Dominus naturalis diei initium conſecrauit. Soar.* Hoc auſpicium præpetis omine pennæ ſecutus eſt Iuſtinianus Imperator, & ſanctionibus ſuis ſtabiliuit; vide leg. 8. *ff. de feriis & dilationibus*, quæ diem naturalem à media nocte vſque ad aliam mediam noctem, inchoat, clauditque. *Iuſtinian. Imp.*

Vt optimè legem accipiunt Bartol. Vlpianus, & alij. Hæc opinio mihi probabilior. *Bart. Vlpian.*

* *
*

Pro

Problema XLIII.

Sit ne aſtris ad agendum potentius organum, lux, an motus.

SVpponio id, quod verum eſt, & communis Philoſophorum ſchola recipit, Aſtra agere in corpora ſublunaria luce & motu: num etiam occultis vtantur influentiis, nihil ad præſens inſtitutum. Cùm igitur lux & motus duo ſint potiſſima agendi veluti inſtrumenta, in controuerſiam adducimus, vtrùm ſit efficacius & potentius ex his duobus? Quòd primæ ſint motui defendendæ, habeti videtur ex D. Thom. 1. 2. q. 109. art. 1. in 2. d. 2. q. 2. art. 3. 2. de cœlo art. 4. ad fin. & alibi; & ex Simplicio eodem lib. de cœlo, & pleriſque D. Thom. ſectatoribus, quatenus cum ſuo præceptore docent quieto cœlo nil infra ipſum moueri omnino poſſe. Defendunt hanc partem ex inſtituto Iulius Sirenius lib. 3. de fato cap. 50. & Hieronymus Vielm. in ſuo exaëmero lect. 17. & alij.

Argumenta pro motu. D. Thom. Simplic. Sirenius. Vielm.

212\. *Aſſignantur varia rationes.* Præcipuum huius partis fundamentum eſt, quia tota cœli vis, & efficacia ad operandum ab eiuſdem motore oritur, ad eum modum, quo ſerra, aut quoduis aliud inſtrumentum ex motione agentis principalis efficax ſit & actuoſum. Addi poſſunt hæ rationes. Prima, quia inferiores motus à cœli motu non à luce tanquam à ſua cauſa & menſura dependent. Secunda, quia lux præter lucem & calorem nihil amplius videtur producere, cœlum autem multis aliis agit virtutibus, quæ non niſi motus miniſterio videntur produci. Tertia; quia Ariſtoteles 1. Meteor. primas videtur motui conceſſiſſe, cùm dixit, *oportere hunc mundum inferiorem ſupernis ſtationibus eſſe contiguum*, quo loco perpendo non dixiſſe, *oportere vt hic mundus ſit contiguus cœlo, ſed cœli motibus*; quod apertiùs tradidit 8. Phyſic. vbi ait cœleſtem motum eſſe rerum ſublunarium, quaſi vitam. Quin & in problematis ſect. 7. problem. 4. quærens cur morbi contagione ſerpant, & appropinquantes inficiant; ſanitas verò ab animali ſano deriuari nequeat in alios; ait *ægritudines eſſe veluti motiones quaſdam, ideo agere, ſanitatem vero quietis habere rationem, quæ vero quieſcunt inepta eſſe ad actionem.* Fauere huic parti videtur locus ille Geneſ. 1. *& ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, vbi grauiſſimi auctores ſpiritus nomine validum ventum intelligunt, quo agitata & commota mundanæ molis materia in formas abibat varias. Nec eſt aliena ab hac de motu ſententia Caietani ad eundem Geneſ. locum; cùm enim per aquas primum mobile intelligat, per ſpiritum motorem Angelum, docet cœlum, à quo inferiora pendent, in motu fuiſſe creatum; & poſt aliqua. Si autem, inquit, legitur *cubans*, vita ipſius cœleſtis motus inſinuatur, ex hoc, quòd fouetur à ſpiritu; eſt enim primus motus, velut vita omnium corporalium, & hoc habet à ſpirituali ſubſtantia.

Ariſtot. Caietan.

213\. *Pugnatur verius pro luce.* Soncin. Peret. Nihilominus principatum in actionibus Aſtrorum luci tribuo, ſi conferatur cum motu. Ita ſentiunt auctores plurimi etiam de numero Thomiſtarum, inter quos eſt Soncin. 12. Met. q. 13. & alij nobiliores ad 2. ſentent. d. 15. qui localem motum non aliâ ratione putant neceſſarium, niſi vt aſtra ferat ad nos, ac referat, vt temporum viciſſitudo generationum & corruptionum ſemem efficiat. Eſt in hac ſententia Bened. Pereit lib. 2. in Geneſ. quæſt. 10. & lib. 1. ad ea verba, *Dixit Deus: Fiat lux*, &c. Vbi cùm duplex commendet cœli ornamentum, motum ſcilicet, & lumen, *principalius*, inquit, *lumen, nam motus eſt propter lumen.* Exiſtimaſſe idem videntur Ptolom. & Albumazar, qui à luna & ſole vitam hominibus infundi aſſeruerunt; eadem ratione Proclus in Timæum Platonis ſolem appellauit rerum patrem: apertiùs tamen Iamblicus omnia bona à ſole nobis lucis miniſterio cenſuit deriuari.

Ptolom. Albumaz. Iamblic.

214\. *Lucis encomia.* Peret. Ratione hanc partem ita ſuadeo. Lux influentiarum vehiculum dicitur, idque, niſi quia cùm lux ſit prima qualitas actiua primi corporis, vt præter Bened. loco proximè citato docent communiter reliqui, lucis interuentu efficiunt aſtra in his inferioribus quidquid à cœlo fit. Et confirmatur, quia lux eſt verum organum, quo ſol & aſtra immediatè attingunt paſſa; quod motus non habet; neque enim is potentia eſt, per quam cœlum, veluti per formalem agendi rationem operatur, nec eſt ipſa formalis effectuum productio, nec aliud ſimile; ſed tantùm, vt eſt probabilius, conditio quædam requiſita ad efficiendam temporum, rerúmque viciſſitudinem; quæ cœlo quieto eſſe nequaquam poteſt. Adde lucem, vt minimum productiuam eſſe per ſe caloris illius vitalis, quo gignuntur omnia, vegetantur, fouentur, reficiuntur; cuius cauſa dictum eſt ab Ariſtotele 1. de cœlo text. 100. omnia à cœlo vitam accipere, & in ea conſeruari.

Ariſtot.

Problema XLIV.

Vtrùm zonæ, torridæ, & extremæ frigidæ habitabiles olim fuerint.

215\. *Pars negatiua oſtenditur.* Bozius. *Probatur primo.* PArtem negantem tuetur acerrimè Bozius tom. 2. lib. 23. cap. 15. & ſermo eſt ante Chriſti aduentum. Pro hac parte ſic argumentor primò ex Ægypti Regibus, qui Thebis habitabant, in quibus regia ſedes *Dioſpolis*, ſiue *ciuitas Solis* dicebatur. Diſtant autem Thebæ ab initio zonæ torridæ gradibus duobus, qui leucas quadraginta non efficiunt. Qui fieri igitur poteſt, vt non modò hi Reges, harum rerum non parum ſtudioſi, ſed etiam eorum ſacerdotes penes quos rerum omnium notitia conſediſſe olim prædicabatur, id ignorarint, quod ſcitu quidem facillimum illis erat? Et tamen huiuſce loca inhabitabilia eſſe, imò & figendis ſedibus omninò inepta prodidere. Rurſus nonnulli ex his Regibus totum fermè orbem peragrarunt, atque adeò zonæ torridæ loca obierunt, vt Oſyris, anno circiter centeſimo, antequam Iacob Ægyptum appulerit. Nechao etiam, ſiue Necho, vt vocat Herodotus; qui poſtquam inſtructa claſſe Torridam perluſtrauit, è mari rubro ſoluens, Africámque circumlegens, poſt biennium peruenit ad Herculis columnas, inde reuerſus eſt in Ægyptum, frumento ſecum aſportato, cuius caritate laborabat Ægyptus. Ex qua nauigatione confirmatur illorum opinio, quæ citato Bozio non diſplicet, qui tenent claſſem Salomonis, quæ ſoluebat è mari rubro, & nauigabat in Tharſis, triennium conſumens ſolitam circumradere Africæ littora, Hiſpaniam contendere, & Tarteſſum eius vrbem, quam *Tharſis* nominare volunt ab ſcriptura,

Reges Ægypti diligentes rerum indagatores.

Quæ olim fuerit Tharſis.

vulgò *Tariffa*, quæ ſanè, vt ex Regum Luſitanorum annalibus conſtat, fuit vrbs olim auro ſuper omnes abundantiſſima, opulentiſſimáque. Quod Strabo etiam affirmat lib. 3. & cecinit Poëta lib. 1. in Rufin.

Claudian.

Non Tarteſſiacis illum ſatiaret arenis
Tempeſtas pretioſa Tagi, &c.

216. *Probatur ſecundò.*

Perſarum Reges in Orbe patefaciendo ſtudioſi.

Argumentor ſecundò ex teſtimoniis quæ doctè affert idem Bozius ex Ægyptiis, Tyriis, & Hebræis. Iam verò Perſæ deſpectui habuerunt Ægyptios, quia exiſtimabant poſſe incoli illas zonæ torridæ plagas. Vnde Cambyſes Rex dum loca illa apparatiſſimo exercitu circumnauigare niteretur, nihílque præter vaſtiſſimas ſolitudines occurreret, tandem plurimis ſuorum amiſſis, aliiſque (ita ſterilitate regionis compellente) occiſis, vt eorum carnibus veſcerentur, expertus locorum intemperiem rediit. In qua etiam expeditione Meroënı ſororem amiſit, cuius de nomine dicta eſt inſula *Meroë*, quæ Nilo circumdata media eſt inter Æquinoctialem, & Tropicum Cancri. Huius rei meminit Herodotus lib. 2. & 3. Strabo lib. 10. & Lucanus mox citandus. Idem accidit Xerxi, vt refert Herodotus lib. 4. Idem Hannoni Carthaginenſi, teſte Plinio lib. 5. cap. 1. & Pomponio Mel. in Africæ deſcriptione. Idem etiam contigit Herodoto hiſtoriæ parenti, vt vocat Cicero lib. 1. de legibus, qui diligentiſſimus fuit huiuſce rei indagator, qui propterea ait Nili fontes nemini vnquam fuiſſe exploratos, quia tota Africa qua iter eſſet agendum deſerta, & inculta iacet. Idem euenit Alexandro Magno; qui in eam curam maximè incubuit, & qui non curaret orbem vniuerſum explorare, ſuóque imperio adiungere, qui cùm plures eſſe mundos audiuiſſet, eos à ſe omnes vinci non poſſe ægrè admodum ferebat, & tamen nullos ſub zona torrida eſſe mortales reperit, quæ cauſa fuit, vt Ariſtoteles eius præceptor diceret inhabitabiles eſſe eas mundi plagas.

Herodot. Strabo. Lucan. Plinius. Pompon. Tullius.

Alex. Magn.

Ariſtotelis ſententia circa plures mundos.

217. *Probatur tertiò.*

Argumentor tertiò ex cura quam olim Romani huic parti adhibuerunt, poſtquam Ægyptum Imperio adiecerunt, è quibus Cæſar de Nili fontibus Ægyptios ſacerdotes percunctatus hoc reſponſum accepit, teſte Lucano lib. 10. vbi ſuprà dicta ferè omnia continentur,

Lucan.

Quæ tibi noſcendi Nilum, Romane, cupido eſt:
Hæc Phariis, Perſiſq; fuit, Macedûmq; tyrãnis:
Nullâque non ætas voluit conferre futuris
Notitiam, ſed vincit adhuc natura latendi.
Summus Alexander Regũm, quẽ Nilus adorat,
Inuidit Nilo; miſitque per vltima terræ
Æthiopum lectos: illos rubicunda peruſti
Zona poli tenuit. Nilum vidêre calentem.
Venit ad occaſum, mundique extrema Seſoſtris,
Et Pharios currus Regum ceruicibus egit.
Antè tamen veſtros omnes Rhodanúmque Padúmque,
Quàm Nilum de fonte bibit. Veſanus in ortus
Cambyſes longè populos peruenit ad æui,
Defectúſque epulis, & paſtus cæde ſuorum
Ignoto te, Nile, redit, &c.

Huius Seſoſtris fit mentio in ſacris litteris, quem nominat Seſac.

Conſtat ex hoc oraculo omnia loca quæ Nilus alluit, fuiſſe quondam inhabitata, modò autem habitata ſunt omnia, vt patet ex multorum ſcriptis, quibus præſertim adde ex noſtris Ioannem Barrium, Damianum de Goës. Strabo autem, imperantibus Octauio, & Claudio, qui diligentiſſimè de Geographia ſcripſit, etiam tunc adhuc nõ eſſe habitata Torridæ loca, teſtatur lib. 17. quãuis lib. 2. aſſerat dimidium zonæ torridæ, quod nos reſpicit, ex aliqua parte habitari. Et quidem meritò habitatur, cùm hæc pars, quæ ad Septemtrionem declinat, viuendi rationi ſit commodior, vt bene notauit Barocius harum rerum haud mediocriter peritus, in lib. 2. Coſmographiæ cap. 2. Sequentes verò Romani apertiùs zonas torridas explorarunt, & cognouerunt, & nihilominus omnes antiqui Romanorum ſcriptores conſentiunt deſertas fuiſſe regiones. Sic namque Horatius, qui Auguſti memoria floruit, lib. 1. Od. 22.

Ioann. Barr. Damian. de Goës. Strabo.

Baroc.

Horat.

Pone me pigris vbi nulla campis
Arbor æſtiua recreatur aura,
Quod latus mundi nebulæ, malúſque
Iuppiter vrget.
Pone ſub curru nimium propinqui
Solis in terra domibus negata, &c.

218. *Pars affirmatiua eſt vera.*

Nihilominus pars affirmatiua certa eſt, multò enim ante Chriſti aduentum fuerunt zonæ torridæ habitatæ, ſiue de maxima zonæ torridæ parte, quæ Erythræo mari, Oceanóque, qui à columnis Herculeis ad Erythræum vſque Africam circumfluit, clauditur, ſermo ſit; ſiue de minori parte, præſertim de Arabiæ felicis regionibus, quæ tropico Cancri continentur, quas nemo habitatas fuiſſe negat: ſiue etiam ſub zona torrida comprehendamus multas noui Orbis prouincias, & plagas Orientalis Indiæ ferè vniuerſas, vt verè comprehendere debemus; omnes enim hæ etiam ante Chriſti ortum cultæ fuerunt, & habitatæ, vt recentiores Coſmographi bene oſtendunt; quorum rationes ſic confirmo. D. Thomas Apoſtolus præcipuas zonæ torridæ partes ab hominibus habitatas inuenit, quas ille pedibus luſtrauit. Enimverò non ſolùm Orientales obiuit, vt Barrius Luſitaniæ alter Liuius optimè tradit decad. 3. lib. 7. cap. 11. ſed etiam Occidentales aliquas, vt Braſiliam, vt accepimus ex incorruptiſſimis annalium noſtrorum monumentis; ſcripſit enim P. Emanuel de Nobrega è noſtra Societate, qui in Braſilia Prouincialem geſſit, multa inueniſſe apud illos barbaros D. Thomæ teſtimonia, & calentia adhuc eius ſanctimoniæ veſtigia. Quod verò Bozius ait, nimirum omnes has regiones poſt Chriſti ortum, in eiúſque cultum, & reuerentiam habitari cœptas fuiſſe, quamuis pium, ac religioſum videatur, nihilominus à veritate prorſus eſt alienum. Nam in primis quis non ſtupeat, quòd tam breui tantæ, ac tam variæ regiones hominibus repleantur? Deindè liquidò conſtat ex Sinarum annalibus, vt à noſtris, qui illos legerunt, accepimus, regionem illam maximam quæ vulgo dicitur *Conchenchina*, & regnum magnum Sionis, duo mille annos ante Chriſti aduentum, à Sinis fuiſſe poſſeſſum, & habitatum; in cuius rei teſtimonium Rex adhuc Sionis Sinarum Regi vectigal ſoluit quotannis. Denique hac in re apertè concludo contra Bozium, & ab eodem peto: Latiſſima Æthiopum, & Abaſsynorum imperio fuerunt ne ante Chriſti ortum patefacta, & habitata? Fuerunt planè, ita paſſim atteſtatur ſacræ paginæ veritas; imò regalibus donis orto infanti ſtipendiaria ſeſe fecerunt. Peto vlteriùs: Iacéntne ſub zona torrida? Rectè quidem, nec à Mathematicis alienus dubitabit: ergo grauiter lapſus eſt Bozius hac in re; nec fortaſſis minus in ſequenti.

Met. in vita D. Thom. Oſorius l. 5. in ſide. reb. Eman. Regis epiſt. an. Dom. 1551.

Maius

219. *Dubium de extremis frigidis.* Bozius. Plin. Strabo. Macrob. Solin. Mela. Olaius. Zinus. *Batavi secuti sunt Luſitanos.*

Maius dubium eſt, vtrùm extremæ frigidæ olim fuerint habitatæ? Bozius palàm negat ante Chriſti aduentum; in qua ſententia fuerunt multi quos citat. Et Plinius lib. 4. c. 12. ſcribit hanc mundi partem damnatam à natura, & denſâ merſam caligine, neque in alio, quã rigoris opere, gelidiſque Aquilonis conceptaculis. Rurſúſque idem cum Strabone irridet Macrobiorum gentem, fabuloſis inquiens celebratam miraculis, quæ tandiu felici æuo ſub ipſo axe degeret. Herodotus autem ſeptentrionalẽ fuiſſe habitatã affirmat, quando ait deferri ab ea vſque ad Græciam Virgines ad ſacrificiũ. Ita exiſtimauit Macrobius, Solinus, Pomp. Mela, & alij ex antiquis. Poſt Chriſti tamẽ aduentũ aſſerit Bozius vtramque frigidam cultam fuiſſe, & ſequitur Olaium magnum Archiepiſcopum Iſpalenſem, Zinum, & alios iuniores. Certum tamen eſt, in primis extremas frigidas quæ accedunt ad vtrumque polũ viginti quinque gradibus vltra dimidium eſſe habitabiles, quidquid dicant Poëtarum deliria, quia vtraque in partibus anni vel habet ſolem, vel lunam continenter, nec exinde aliquod ſequitur incommodum quod viuendi auferat rationem. Meridionalis verò nondum cognita, vt ſcribit Abrahamus Ortelius in ſuo Theatro, & paſſim Coſmographi in ſuis tabulis. De ſeptentrionali tota eſt controuerſia. Batavi homines nauigationibus ſuis hac memoria celebres ſecuti Luſitanos ad has plagas patefaciendas omnes curas impenderunt, ſed quidem non cognouerunt. Nam gelu, & glacie impediti retro vela dederunt, & curſus relictos iterarunt, vt patet ex duobus illis voluminibus ſuarum nauigationum, & ex illis quæ ſcribit Ioannes Boterus. Itaque ad ſeptentrionalem ſolùm de noua Zemla fit mentio, neque aliud ad hanc diem pro certo conſtat.

Boter.

Problema XLV.

Vtrùm tota terra motu trepidationis naturaliter moueri queat.

220. *Opinio Pythagorica de circulari telluris motu.* Copernic. Calcagnin. Stunica.

IN primis omitto Pythagoricos exiſtimantes terram circulariter moueri: quibus aliqui recentiores, Copernicus, Cælius Calcagninus, Stunica, & ſi qui ſunt alij, adhæſerunt. Hi enim auctores, maiori rationis vertigine, quàm ſit ea, quam terræ tribuunt, agitantur. Loquor igitur de motu trepidationis, non quidem iugi, ac perẽni, ſed aliquando propter aliquas cauſas contingenti, quo terra tremere, ac ſubſilire videatur. Et in hoc ſenſu non deeſt aliquis ex recentioribus Theologis, qui partem affirmatiuam acriter tueatur, Vaſq. 1. 2. diſp. 81. c. 2. num. 8. Cuius fundamentum duplex eſſe poteſt. Primum, quia terra naturaliter mutare poteſt centrum grauitatis, ergò naturaliter moueri poteſt. Patet conſequentia, quia centrum grauitatis terræ debet coincidere cum centro totius mundi, alioqui terra non eſſet in infimo loco; ergo ſi centrum grauitatis terræ mutetur versùs ſuperiorem partem, neceſſe erit, vt ſuperior pars terræ fluat & labatur ad centrum mundi, inferior verò à centro proportionaliter recedat, quouſque centrum grauitatis terræ cum centro mundi coincidat, illíque indiuiſibiliter commenſuretur, & ſic tota terra moueatur. Antecedens probatur, quia centrum grauitatis terræ eſt illud punctum, quod diuidit terram in partes æqualiter graues; ſed ſi aliquid ponderis ex vna parte terræ accedat, etiamſi ſit minima quædam ſtipula, vel illi tantillus impulſus imprimatur, iam illa pars reddetur grauior, quàm oppoſita: ergo neceſſe erit ſumere aliud pũctum diſtinctum à priori, quod terram in partes æqualiter graues partiatur, ac proinde mutato priori centro grauitatis aliud conſtituere.

Quæſtio procedit de motu trepidationis. Vaſq.

Pars affirmatiua probatur primò.

Secundum fundamentum eſt, quia ſi lapis magno impulſu ad terram allidatur, ille impulſus tandem euaneſcet, vt patet ex eo, quòd ſi paulo pòſt terra ſubtrahatur, lapis deſcendet ſola grauitate naturali, lentius, quàm antea: non corrumpetur autem defectu ſubiecti, ſiquidem illud illæſum permanet; neque defectu motoris, ſiquidem non dependet ab illo in conſeruari, alioqui ſublato motore ne breuiſſimo quidem tempore perſeuerare poſſet; cùm tamen manifeſta experientia aliud oſtendat. ergo corrumpetur ab aliquo impulſu contrario; cùm à partium enumeratione nõ appareat aliud principium à quo corrumpatur. Hic autem impulſus ita contingit. Superior pars terræ facta grauior propter pondus additum, vel adhibitum impulſum, tota ad centrum ruit: deinde pars oppoſita terræ, quæ à centro receſſit, rurſus per impetum ſuæ natiuæ grauitatis redire nititur ad centrum, contra illam grauitatem impulſus, eámque tandem ſuperat, & corrumpit; & per nouum motum aliud centrum grauitatis terræ cum centro mundi commenſuratur. Vnde hic motus meritò vocatur motus trepidationis, quia conſtat ex acceſſu & receſſu terræ ad centrum; per quos terra partim ſubſidit, partim ſubſultat ſimilis trepidanti. 221. *Probatur ſecundò.*

Hæc opinio ingenioſa eſt, ſed nequaquam vera. Primò, quia videtur parum conſona Scripturæ, quæ nihil frequentiùs prædicat, quàm terræ ſubtilitatem & immobilitatem, Pſalm. 23. 74. 92. 103. Eccleſ. 1. Iob. 38. 1. Paral. 6. 2. Petri 3. & paſſim alibi, & hac de cauſa Copernicana opinio fuit damnata in Cardinalium Congregatione. Secundò, quia loquitur contra ſenſum, nemo enim talem motum experitur: nec ſatis eſt dicere eum motum eſſe imperceptibilem, quia ad idem aſylum confugerent, qui terræ circularem motum attribuunt, præterquàm quòd tantum poterit pondus ſuperimponi, vel tantus impulſus adhiberi, vt motus imperceptibilis non euadat, ſed ſatis manifeſtus appareat. Tertiò, quia debilibus nititur fundamentis. Primum ſic demolior. Et in primis ſupponit tanquam indubitatum centrum grauitatis, ad quod grauia tendunt, neceſſariò eſſe vnum cum centro vniuerſi. Quod certè adeò non eſt indubitatum, vt contrarium defendi non videatur, vt ſequenti quæſtione oſtendam. Primò, quia ſi terra impulſu vnius formicæ à centro mundi aliquantulum recedit, impulſu vnius hominis longiùs recedit, impulſu multorum hominum longiſſimè, & ſi magis ac magis hominum & Angelorum impulſus multiplicentur, tota à ſuo loco naturali conuelletur; quod Philoſophiæ repugnat. Secundò, quia ſi terra propter aliquem impulſum à centro recedit, neque ſolares, neque lunares eclipſes infallibiliter apparebunt: non ſolares, quia poterit terra ita à luna Soli ſuppoſita remoueri, vt non incidat in illius vmbram, proindéque totus ſol 222. *Oſtenditur primò falſitas prædictæ ſententiæ.*

Copernicana opinio damnata.

Oſtenditur ſecundò eadẽ falſitas.

Impugnatur primum fundamentum primò.

Impugnatur ſecundò.

Google

conſpicuus appareat. Non lunares, quia poterit terra ita ad ſolem accedere, vt ſuam vmbram in lunam è regione poſitam non extendat; atque adeò tota luna pleno nitens orbe appareat.

223. *Impugnatur tertiò.* Tertiò, quia ridiculum videtur, quòd ſub paleæ, formicæve pondere immanis hæc telluris machina gemat, moueatúrque. Et ſic demonſtro ſi in bilance æqualiter ſuſtentante multos tritici modios addatur ex vna parte vnum tritici granum, illico ad terram ruet altera pars examinis; abſit quidem, nec mouebitur, nec trepidabit. *Impugnatur quartò.* Quartò, quia eſto ex vna parte aliquid ponderis terræ adiungatur, non propterea terra mutabit centrum grauitatis, quia ſtatim in partem oppoſitam æquale onus confluet, quod priori præponderet, procurante id natura, terráque ſe ipſam ex omnibus partibus librante, & coæquante. Et quamuis mutetur centrum grauitatis, non propterea terra ſtatim mouebitur; quia partes quæ ſunt in centro tam pertinaciter illi adhæreſcant, propter naturalem ſympathiam, cum ſuo loco naturali, vt neque moli deſuper incumbenti cedant, neque à ſuo centro recedant, quouſque natura ſuapte vi exteriores partes terræ coæquet, & commenſuret, quemadmodum quando datur periculum vacui, duo corpora tam tenaciter inter ſe cohærent & concreſcunt, vt nullis viribus creatis diuellantur.

224. *Impugnatur vlteriùs.* Accedit, quòd in corpore vniformiter graui & non perfectè ac rigoroſè ſphærico, non poteſt aſſignari centrum indiuiſibile grauitatis. ergo falsò aſſumitur mutari centrum grauitatis, & cõſequenter falsò concluditur ex mutatione centri motus totius terræ. Probo antecedens, quia in corpore, quod non eſt perfectè ſphæricum, non poteſt aſſignari centrum indiuiſibile magnitudinis: alioqui iam omnes lineæ à centro ad circumferentiam eſſent æquales, & proinde eſſet perfectè ſphæricum; ergo neque centrum grauitatis: nam in corpore vniformiter graui, ſeu cuius omnes partes ſunt eiuſdem grauitatis, centrum grauitatis & magnitudinis coincidunt: & proinde ſi non habet centrum indiuiſibile magnitudinis, neque grauitatis habere poterit.

225. *Impugnatur ſecundũ fundamentum primò.* Poſterius fundamentum, quòd ſcilicet impulſus ex vna parte terræ impreſſus debeat euaneſcere per contrarium impulſum terræ ex altera parte ſurſum renitentis, impugnatur, quia impulſus non ab alio cõtrario interimitur, ſed de ipſo euaneſcit quod ſic oſtendo. Primò, quia omnes impulſus ſunt eiuſdem ſpeciei in ſua naturali entitate, quemadmodum & motus locales, eorúmque termini intrinſeci; ergo vnus non poteſt agere in alium, actio enim ſemper eſt à contrario, propria autem contrarietas non reperitur in iis, *Impugnatur ſecundò.* quæ ſpecificè conueniunt. Secundò, quia licèt impulſus, quo terra ad centrum renititur, & quo priorem dicitur interimere, ſemper in terra perſeuerat, vel ab alio corrumpitur: ex hoc ſecundo ſequitur proceſſus in infinitum, ex illo primo ſequitur elementa in ſuis locis grauitare: ergo potiùs talis impulſus fictitius eſt, & chimæricus. *Impugnatur tertiò.* Tertiò, quia ſi Angelus impellat ſurſum partem ignis proximam concauo lunæ, & deinde ceſſet; ille impulſus ſenſim extabeſcet, non ab alio contrario. nam cœlum non reſiſtit actiuè, ſed ſolum negatiuè; ergo ſe ipſo perit. Vltimò, quia impulſus, quo Angelus mouet primum mobile, *Obiectio.* niſi continuè reſarciatur, perit; non è contrario, cùm non appareat. ergo. Dicet aliquis. Senſim interimi ab alio impulſu, quo alius Angelus mouet cœlum inferius in contrariam partem. Sed contrà, quia eſto non moueretur cœlum inferius, *Solutio.* adhuc impulſus primi mobilis ſenſim euaneſceret, alioqui ſemel impreſſus ſemper duraret, ſempérque cœlum in orbem ageret; neque ampliùs neceſſaria foret præſentia, & actiuitas Angeli, quod per ſe videtur abſurdum. Ex his ſoluta ſatis manent argumenta contraria, ſed aliter ex ſequenti quæſtione diſſoluentur, & quidem nouo, & fortaſſis faciliori modo.

PROBLEMA XLVI.

Vtrùm centrum grauitatis ſit vnum cum centro vniuerſi.

SVppono cum communi Mathematicorum, & Philoſophorum placito, centrum vniuerſaliter acceptum in tria diuidi. Nimirum in cẽtrum vniuerſi, magnitudinis, & grauitatis, vt apud Conimb. inuenies lib. 2. de cœlo cap. 14. q. 3. & Clauium in c. 1. ſphæræ, & paſſim alios. Deinde ego grauitatis centrum dupliciter accipio, vel circa quod, vel ad quod. Primum eſt, rigoroſè loquendo, punctum in corpore circa quod omnes partes ſunt æquè ponderantes, quod non poteſt reperiri niſi in corpore perfectè ſphærico, & æqualiter graui. Vnde in huiuſmodi globo duo centra grauitatis & magnitudinis in vnum, idémque centrum coincidunt, non ita tamen in globo inæqualem habẽte grauitatem; vt eſt ſphæra partim plumbea, partim linea. Latè autem loquendo, eſt punctum intra corpus poſitum, circa quod partes oppoſitæ ſunt æquè graues, & hoc in omni corpore quanto reperitur. Secundum autem centrum grauitatis, nimirum ad quod, eſt vnum punctum in mundo, ad quod omnia grauia confluunt. Neque hoc duplex centrum grauitatis circa quod, & ad quod ſunt neceſſariò vnum, cùm enim omnes partes terræ æqualiter appetant illud centrum; non datur maior ratio cur vna pars debeat magis illuc confluere, quàm alia. Vnde fit vt illa pars terræ poſſideat centrum grauitatis ad quod, quæ prima illud occupauit in principio creationis; tunc deinde reliquæ partes eam ſecutæ circa ipſam remanſerunt; ex quibus omnibus ſic conglobatis, & ſic naturaliter æqualitérque tendentib. ad vnum centrum fuit conſtitutus terræ globus. His prælibatis, 226. *Triplex centri acceptio.* Conimb. Clauius. *Auctoris acceptio.*

Quærimus, vtrùm centrum grauitatis, ad quod omnia grauia tendunt, ſit neceſſariò vnum cum centro vniuerſi? Partem affirmantem tuetur cõmunis ſententia Philoſophorum, & Aſtronomorum, vt videri poteſt apud Conimbr. & Clauium in prædictis locis. Pro quibus ſic argumentor. Primò. quia id, quod eſt ſummè graue, naturaliter tendit ad infima; ſed terra eſt ſummè grauis; ergo eius grauitatis centrum eſt centrum vniuerſi, atque adeò vnum, idémque ſunt centrum grauitatis terræ, ac centrum vniuerſi, quia aliter mutaretur rerum natura, & eſſentialis illarum proprietas. Secundò, quia ſi centrum grauitatis terræ non eſſet idem cum centro vniuerſi, eſſet ex aliquo impedimento, nimirum impediret aqua, ne poſſent in vnum conglutinari; ſed aqua nullo modo obſtat; non naturaliter, quia aqua naturaliter quærit locum ſublimiorem, expetitque 227. *Pars affirmatiua quæſtionis.* Conimbr. Clauius. *Primum argumentum.* *Secundum argumentũ.*

Digitized by Google

que ſupra terram collocari; non per vim, quia alioquin non foret perpetua illa vis, cùm nihil violentum ſit perpetuum: ergo centrum ad quod res graues tendunt, & conſequenter ipſius terræ eſt centrum vniuerſi à Deo deſignatum, tanquam ſedes & locus naturalis globi terræ, & aquæ. Hæ autem rationes, & aliæ apud Clauium, præſertim procedunt contra eos, qui valde notabiliter remouerunt terræ centrum à centro vniuerſi, minus tamen efficaciùs contra eos, qui non multum illud remouerunt. *Clauius.*

228. *Pars negatiua aſtruitur.* Partem verò negantem eſſe neceſſariò vnum, idémque centrum grauitatis terræ, & centrum vniuerſi, aliqui defendunt recentiores Mathematici non ignobiles. Pro quibus ſic argumentor. Experientia, quia cernimus omne graue ad infimum tendere ſuopte ingenio, non magis docet eſſe huiuſmodi tendentiam ad imum, & centrum totius vniuerſi, quàm ad imum, & centrum ipſius terræ, vbicumque illud ſit à Deo collatum. Qui enim aſſereret, ideo grauia deſcendunt, vt ad centrum terræ vſque penetrent, vt partes ad locum totius, quem locum Deus illis aſſignauit ab initio creationis, is omnem omnino experientiam deſcenſus grauium æquè bene ſaluaret, ac qui aſſereret deſcendere ad imum totius vniuerſi. Dices: Terra ex eo quòd ſit ſumme grauis, debet omnem infirmum locum obtinere, vt eſt centrum vniuerſi. Reſpondebunt, partes quidem terræ, vt lapis, vel quodcumque graue, licèt ſit mixtum, ratione tamen elementi prædominantis tendere ad infimum locum rebus grauibus deſtinatum, qui erit centrum ipſius terræ, vel hoc exiſtat in medio mundi, vel non exiſtat, & cùm terra tunc ſit in ſuo loco naturali, non appeteret centrum vniuerſi, atque adeò nequaquam trepidaret. *Obiectio. Solutio.*

229. *Confirmatio ex Soario.* Et poſſunt hoc confirmare ex Soarij, aliorúmque ſententia, de aquis, quas ſupra cælos collocarunt, quia illæ aquæ quamuis ſint in eo loco, atque adeò extra ſitum elementarem, non appetunt deſcendere, ſed naturaliter quieſcunt in illo loco, quem Deus illis aſſignauit. Ita Soar. de opere ſex dierum lib. 2. cap. 4. num. 13. Et ſic ſimiliter in illorum opinione, qui nullas ſtellas fixas admittunt, ac proinde nec cælos ſolidos, ſed in illis ſtellas, tanquam piſces in mari permeare dicunt, quorum meminit Soarius & Conimbr. de cælo lib. 2. cap. 5. quæſt. 1. art. 1. conſequenter poterunt reſpondere percontanti, cur non deſinant in ſuo illo cælo, & quomodo ſuſtineantur, grauiténtque Deum deſignaſſe cuicumque globo ſiue cæleſti, ſiue terreſtri vnum centrum, in quo omnes partes quieſcerent, & extra illud omnes grauitarent versùs ſui globi centrum. Et declaratur exemplo, quia ſi ex luna aliquis huc aſportaret partem aliquam exciſam, illa pars eſſet violentata, ac adeò niteretur, vt ad centrum ſui totius tenderet, ſcilicet ad globi lunaris centrum, quemadmodum modò dicimus partes terræ grauitare ad centrum ipſius terræ. *Soarius. Conimbr. Declaratur exemplo.*

230. *Copernicus.* Hæ ſunt pro vtraque parte rationes; verùm quia nulla nos cogit ad ponendam terram extra centrum mundi, vbi eam collocauit Copernicus, non eſt recedendum à communi doctiſſimorum placito aſſerentium, idem eſſe centrum, ad quod grauitatis terræ, ac centrum vniuerſi. Et ſic nullo modo negandum totum terræ globum naturaliter quieſcere, vbi nunc eſt ſimul cum ſuis partibus, & multò minus admittendum partes ſuperiores, licèt nimium graues, poſſe expellere à centro vllam, quæ iam illud occupat, & contra naturam efficere, vt aſcendat ſurſum. Minus enim abſurdum eſt mutari centrum grauitatis ad quod, quàm illam partem contra naturam aſcendere, & cum ea totam terræ molem mutari, imò & magnam terræ partem ita aſcendere; præſertim ſi pondus, quod ſupponeretur, fuerit nullius momenti reſpectu huius immanis terræ machinæ; ac proinde concludimus quieſcere terram ſupra hoc centrum, ab illóque ſuſtentari, ſicut videmus aliquem globum in plano ſuſtentari, ſupráque illud naturaliter quieſcere. Ex quibus corruit inane illius fundamentum, qui terram ſemper trepidare ad quamcunque corporis mutationem localem in telluris ſuperficie aſſeuerabat, quamuis enim demus mutari centrum, non ſequitur, quòd tellus mutetur, nec quòd trepidet. Et declaratur magis exemplo. Nam ſi quis frangat vltimam partem alicuius tabulæ, mutabitur quidem eius centrum, non tamen mouebitur. Ita ſimiliter ſe res habet in argumento allato, mutatur ſanè centrum circa quod, non tamen mouetur. *Declaratur magis.*

Problema XLVII.

Vtrùm aër parte aliqua ſit nauigabilis.

PRopoſitum problema eius generis eſt, vt vel ipſi pueri inconſulto magiſtro audeant ſine hæſitatione illud decidere. Et quidem fieri non poſſe, vt nauis vlla aut agitata vento, aut impulſa remis, aut vtroque ſimul adiuta beneficio aërem non aliter, quàm aquam ſcindat, certius eſſe videtur, quàm vt in controuerſiam vocari debeat. 231.

Primò igitur, ſi vel per naturam effici, vel per artem poſſet, vt accommodus ſit nauigationibus aër, foret abſque dubio ea res iam diu deprehenſa, vt quo tempore procelloſa hyems mare tempeſtatibus intercludit, nihilo ſecius nauigare homines ſine metu poſſent. Secundò omne graue non impeditum non modò ſeorſum fertur, ſed natura etiam ſua infra minus graue locum appetit: quæ ex cauſa, cur lib. 2. de cælo dixerit Ariſtoteles, non quodlibet corpus altero in aëre ponderoſius, eidem pondere in aqua antecellere: ac quæcumque materies ex qua fabricari poteſt nauis (niſi fortè ignea ſit, aut cæleſtis) eſt aëre ipſo natura ſua grauior: ergo ex ea conſtructa nauis conſiſtere in aëre nequaquam poterit. Tandem experientia demonſtrat non poſſe nauim in aëre ſuſtentari, niſi aliquo fulcimento retineatur. Quis enim non videt leuiſſimas ac minutiſſimas paleas perſiſtere in aëre nec momento poſſe, móxque ad terram, ni vehementior flatus agitando detineat, delabi? *Pars negatiua oſtenditur primò. Oſtenditur ſecundò. Oſtenditur tertiò.*

Problema quamuis nullius venerit in mentem, illud tamen pro affirmatiua parte obiter tetigit Albertus de Sax. lib. 3. phyſic. quæſt. 6. art. 2. concluſione 3. Cùm enim oſtendiſſet ignem eſſe aëre ſubtiliorem, rariorem, ac leuiorem, vt conſectarium colligit, aërem, vbi igni contiguus eſt, nauigabilem eſſe, vti aqua, vbi eſt aëri contigua. Atque hoc ex ſcientia de ponderibus poſſe demonſtrari concludit. In illius gratiam hanc partem probo, dicóque, ſi qua nauis ſupra conuexam aëris ſuperficiem poneretur, ſuſtinendam in ipſo aëre, & impelli remis, niſi aliud obſtaret, poſſe. 232. *Alb. de Sax. Pars affirmatiua oſtenditur.*

Vt

Vt hoc perſuadeam cogit experientia, qua videmus res natura ſua grauiores aqua, aëre tamen plenas aquæ innatare; quæ alioqui non repletæ aëre facilè demerguntur. Patet hoc in pelui, & quocumque alio aheneo, aut ferreo vaſe, quod dum aëre repletur, extat in ſumma aqua, nec demergitur, cùm ſit aqua natura ſua grauius; quod

Buccafer. in oſſibus & lignis docet Buccafert. 4. Meteor. text. 30. pag 148. num. 35. Ex hac igitur experientia huiuſmodi argumentum conficio. Vas æreum, plenum aëre, aliter demergendum, in ſumma aqua ſuſtentatur, cùm ea ſit naturaliter multò grauius: ergo nauis lignea, aut cuiuſcumque alterius materiæ in ſumma aëris ſuperficie conſtituta, & elementari igne repleta, ſupra aërem ſuſtinebitur, nec prius in ipſo aëre ſubmergetur, quàm nauigij grauitas ſuperet leuitatem

Occurritur obiectioni. ignis, quo plenum eſt. Quod eſt in cauſa, vt aliquando onuſtæ naues pondere ſuo in aqua demergantur. Nec obſtat vehemens ignis natura, quæ ligna poſſit conſumere, quia ille ignis ob ſuam raritatem non habet efficaciam ad comburendum, vt ingenuè fatentur Philoſophi, qui cum communi placito in concauo lunæ ignem collocant.

Quòd ſi quis dicat ærea vaſa, quæ ſumma ex- 233.
tant aqua, propterea non demergi, quia inepta *Soluitur inſtantia.*
ſunt ad diuidendum medium, quod aliquantulum compactum eſt, & fortiter diuiſioni reſiſtit, is facilè ex eo refelletur, quia ingens ferri lamina perfectè plana in aquam coniecta, ea tamen, licèt cum aliqua difficultate diuidit, & in fundum tendit, vt experimento ſæpiùs eſt comprobatum.

Confirmatur experientia. Peto denique quæ ſit cauſa, cur ligna pleraque innatent aquæ, qua tamen, vt boni auctores ſentiunt, grauiora ſunt, niſi quia poros habent, quibus aër recipitur, & ita leuitate ſua lignorum grauitatem ſuperat, vt ea non ſinat demergi: quos poros quia non habent ligna quædam compacta, vt ebenum & ſimilia, aqua non ſuſtinentur. Imò vidiſſe me lapides memini ſcabra exeſos rubigine aquæ, palearum inſtar innatare, propter multam aëris copiam intra eorum poros receptam. Sed iſta ſufficiant.

PROLVSIO
PRO SEQVENTIBVS.

Quis credat? Latuit cælum per tot annos à prima editione; quin marceſceret florum amœnitas. Benigno planè ſydere hos poſtea inueni, quos operis Author radio ſuo ſcripſerat: ſparſos collegit in faſciculos, & cæleſtibus quaſi zonis annexit florum Collector

FRANCISCVS MACHADO.

PROBLEMA XLVIII.

Qui triſtior aſpectus, Cometæ rubentis, an Lunæ deficientis?

1. Plato. Anaxagor. CELEBRE illud Platonis placitum, qui ad cæli duntaxat contemplationem homini oculos præſtitos fuiſſe exiſtimabat. Anaxagoras etiam opinabatur hoc vnum cæli theatrum ſpectaturos naſci mortales. Etenim in ſola illa cæli pulchritudine oculus, & animus conquieſcit, præſertim ſi ſerena & tranquilla nocte, ſudo aëre, liberóque cælo in vigiles illos, ac collucentes aſtrorum oculos aſpectum conuertas.

Pulchra ſyderum deſcriptio. Quem non alliciant illi ſyderum ad eadem loca redeuntium curſus, illa tot ſphærarum incredibili celeritate conuerſio, illa ſtellarum multitudo, quas inerrantes vocamus, cum errent nullæ minus, illud Solis iubar ſuo acceſſu, & receſſu annuas viciſſitudines inducens, illa Lunæ fax luminis varietate tum creſcentis tum ſeneſcentis gratior, illæ denique omnes cæli partes ita inter ſe conſtitutæ, vt neque ad vſum meliores potuerint eſſe, neque ad ſpeciem pulchriores. Sed & ſuas etiam patitur vmbras lux ipſa, & venuſtiſſima in facie aliquando ſuus næuus apparet. Cernimus enim nonnunquam, & timemus in cælo Cometas, quorum lux nobis noctem inducit, & quorum forma alioquin cæleſtis nobis honorem incutit, & mœrorem. Aſpicimus in Luna ipſa ſæpe defectus, deliquia, & labores, vt cum ipſa ſimul deficere, & labores pati videamur. Vtrùm verò magis Cometa rubente, an Luna deficiente? nobis modò diſputandum.

Pro Cometis facit commune hominum ſtu- 2.
dium, quia nemo non ſcire quid ſint, deſiderat. Et
teſte Seneca lib. 7. natural. quæſt. c. 1. ***aliorum obli-*** *Seneca.*
tus de aduentitio quærit, ignarus vtrùm mirari debeat, an timere. Et quidem quis non contremiſcet portentoſæ nonnunquam figuræ aſpiciens Cometas: nunc illos in cælo cernes horrentes crine ſanguineo, & comato vertice hiſpidos, nunc quaſi prolixa, impexaque barba formidandos: iam rubicundo, igneóque aſpectu in mucronem faſtigiatos, iam intorta, toruáque ac ferali facie perhorrendos: alios verò in trabes immaniſſimas, & orbi ruinam minitantes ſuperelatos. Regibus autẽ & principibus viris adeò lugubres, & formidabiles ſunt Cometæ, vt illis caſus triſtes, funebres euentus, & infauſtas mortes ſemper portendere exiſtimetur. Vulgatum ſemper fuit Cometas ad Principes ſpectare. Sibyllinorum oraculum teſtor lib. 3.

Sole

Digitized by Google

Sole ſub occiduo vero, vocitata Cometa,
Stella relucebit, gladij mortalibus index,
Et famis, & mortis, præclarorumque virorum,
Atque ducum interitus magnorum, nobiliumque.

3. Ptolomæus. Ptolomæus exiſtimauit Cometas matutinas Regum interitus indicare, cùm fuerint in ſigno, quod in natiuitate alicuius Regis, ac Principis viri aſcendit. Has tamen, & ſimiles Genethliacas Aſtrologorum prædictiones, & commentitias diuinationes vti fraudibus & mendaciis ſcatentes reiicimus. Superſtitioſa enim eſt in obſeruando Aſtrologorum vanitas, in pronunciando inconſulta temeritas. Quippe qui in his rebus non tam multa metiuntur, quàm mentiuntur, neque tam ex cæleſti, quàm ex propria capitis vertigine loquuntur. Illud autem aduertimus, quod D. Damaſcenus indicauit lib. 2. Fidei cap. 27. nonnunquam Cometas Regum mortes præmonſtrare, tanquam ſigna ad id diuinitus inſtituta. Quod noſtræ memoriæ exemplis ſic confirmo. In primis Regis Sebaſtiani infauſtum, & peracerbum fatum metuendus prædixit Cometa, cùm enim per integrum annum antea apparuerit, Rege interempto ſtatim euanuit. Cometæ ſuperioris anni multorum Regum mortes pronunciarunt, videmus in Europa, ſeu non videmus, ſed lugemus auguſtiſſimam Imperatoris Rodolphi maieſtatem amiſſam; ſummi etiam Pontificis Pauli V. præſentiam nobis ablatam deploramus, & ſuperis inuidemus. Si ad Aſiam excurras, in Sinarum, Iaponumque Reges incides eodem ferè tempore peremptos. Mitto alios, enimvero maximus hic Cometa qui ſub finem anni 1618. ad initium anni 1619. in cælo fulſit, omnes orbis regiones obiuit, atque adeo in Æquatore circumlatus vniuerſis hominibus horrendum præbuit ſpectaculum. Ex his argumentum conficio. Nulla maior poteſt triſtitia reperiri quàm illa, quæ mortem ſecum importat, ſed, vt vidimus, Cometarum aſpectus mortes portendunt, ergo triſtitior eſt aſpectus Cometæ rubentis, quàm Lunæ deficientis.

4. Plato. Pro Luna verò deficiente non leuia confici poſſent argumenta. Lunam appellauit Plato in conuiuio cælum terreſtre, & terram cæleſtem. *Luna cælum terreſtre, & terra cæleſtis.* Cùm enim Luna inferioribus corporibus ſit adeo vicina, cum ipſis pariter ſuas ſubit mutationes, & corpora Lunæ labores, & deliquia ſimul ſentiunt, gemúntque. Hinc illi antiquorum ſtrepitus inconditi, fragores diſſoni, clamores horrendi. Quoties enim Luna deficiebat, toties terribilis æris crepitu perſonabant, quaſi verò exiſtimarent poſſe Lunam ſono illo ad priſtinum ſplendorem reuocari. quod præ metu faciebant. Nam auctore Seneca ſupra citato. Senec. *Nemo obſeruat Lunam, niſi laborantem tunc vrbes conclamant, tunc pro ſe quiſque ſuperſtitione vana trepidat.* Præſtantes doctrina viri, teſte Plinio lib. 2. cap. 11. Plinius. quales fuerunt Steſichorus, & Pindarus, hanc etiam mentem induerunt, & lunam excantationibus defectum pati crediderunt. Ambroſ. Increbuit mos vſque ad Ambroſij memoriam, cuius illa ſunt verba ad populum. *Ipſa die circa veſperum tanta vociferatio populi extitit, vt irreligioſitas eius penetraret ad cælum, quod cum requirerem, quid ſibi clamor hic velit, dixerunt mihi, quod laboranti lunæ veſtra vociferatio ſubueniret, & defectum eius ſuis clamoribus adiuuarent. Riſi equidem, & miratus ſum vanitatem, quod quaſi deuoti Chriſtiani Deo ferebatis auxilium, clamabitis enim, ne tacentibus nobis, perderet elementum.* *Vide lib. 9. vbi fuſius hac de re.* Hæc ille. Sed de hac conſuetudine alibi latius agendum. Ex his ſatis compertum ſit quantam animis incutiat formidinem, ac adeo quantam pariat triſtitiam feralis deficientis lunæ aſpectus.

PROBLEMA XLIX.

A quo magis pendeat hominis temperamentum, à victu ne, an ab aſtris?

Capiunt præ manibus Genethliaci homines ſua aſtrolobia, huc illuc vertunt, ſpectant ſydera, rimantur occultas aſtrorum qualitates, obſeruant ſtellarum figuras, ſyderales cauſas ſpeculantur, metiuntur tempora, ſupputant annos, numerant dies, inuigilant, laborant, inſudant toti aſtrorum curſibus, & recurſibus, vt ex illis vel aſcendentibus, vel deſcendentibus poſſint prænunciare corporum vires, & qualitates. 5. Nam temperamentum nihil aliud eſt, quàm certa quædam qualitas, humorumque ſymmetria, & proportio, quæ ſi integra ſit, ſanitas exiſtit; ſin minus, febres, & mors ipſa. *Quid ſit temperamentum.* Imò ipſa ſanitas nihil eſt aliud, quàm huiuſmodi temperamentum, ſi Galeno credimus lib. 1. de differentiis morborum. quod omnes medici approbarunt, & omnes Philoſophi ſubſcripſerunt. Approbauit Hippocrates lib. 1. de diæta, & ſect. 2. Aphor. 51. Auicena can. 1. fen. 1. doct. 3. c. 1. poſt prooemium. Speculator eodem loco. Conſiliator differentiarum 65. & 77. & medieæ artis profeſſores alij, quos allegat Conſiliator. Subſcripſit Diocles apud Stobæum c. 98. dicens morbos ab inæqualitate prouenire. Alcmæon, vt tradit Plutarchus lib. vlt. de placitis. Plato in Timæo, vt refert Galen. lib. de elem. Ariſtoteles lib. de ſanitate & morbo, & lib. 4. Meteor. ſubſcripſerunt omnes Philoſophi. Galen. Hippocrat. Auicen. Conſiliator. Speculator. Strob. Plutarch. Plato. Ariſtot. Vnde fit, vt quod ad ſanitatem, vel ad morbum, & quod ad vitam, vel ad mortem momentum habemus, id etiam habeamus ad temperamentum, vel augendum, vel minuendum.

6. Hippoc. Nihil tamen eſt, quod magis humanum foueat, vel ſoluat temperamentum, quàm victus. Teſtem appello Hippocratem libris de diæta, vbi etiam apprimè diſputat de ſingulorum eduliorum vi, ac natura. Teſtem etiam laudo hac in re locupletiſſimum Cornelium Celſum lib. 2. cap. 18. & ſequentibus His addo Galenum lib. 1. de facultatibus alimentorum, vbi magnopere commendat medicos, qui diligenti, magnoque ſtudio inueſtigarunt alimenta, quæ vtilia, vel nociua corporibus eſſe poſſunt. Celſus. Galen. Rurſus eundem accipe in lib. de cibis boni, & mali ſucci, vbi cereales aliquot victus, quos legumina, & chedrópa appellant, deteſtatur, vtpote vitioſos humores viſceribus, & imis corporis partibus gignentes, & affigentes. Ægineta. Ne omittas Paulum Æginetam, qui lib. 1. cap. 23. diligenter præſcribit homini cibos, alios medicos miſſos facio; teſtes laudo poëtas ipſos qui victus potentiam erga optimum corporis temperamentum agnouerunt, & decantarunt. Horatius lib. 2. Satyra 2. Horatius.

Accipe nunc victus tenues, quæ quantaque ſecum
Afferat. Imprimis valeas bene. Nam variæ res
Vt noceant homini credas: memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit, at ſimul aſſis
Miſcueris

Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita, vides vt pallidus omnis
Cœna reſurgat dubia.

Iuuenales, Martiales hac in re non parum de-
7. licatos prætermitto. Pro aſtris enim iam inſurgit auguralis, & ſuperſtitioſa Aſtrologorum turba. Ex natalitio horoſcopo hominum eliciunt temperamentum. Ex Martis aſpectu bellicoſos, ac feruidos augurantur. Ex Saturni ſydere Melancholicos, & tetricos pronunciant. Et ſic de cæteris, de
Firmicus. quibus latè agit Iulius Firmicus per integros li-
Prolem. bros, & Cardanus, aliique quamplures. Claudium
Cardanus. Ptolemæum Aſtrologiæ ſuæ principem iactant, & ſequuntur, nimirum in obſeruatione ſtellarum, in metiendis earum motibus, in tabularum diſpoſitione, in locorum conſtitutione, aliiſque partibus, & rerum qualitatibus menſurandis, ex quibus experimenta deducunt, præſenſiones eliciunt, diuinationes proferunt, oracula pronunciant, genituras, mores, vitas, ac mortes hominum audacter protendunt, & prædicunt, quorum audaciam nobiliores huius memoriæ Mathematici grauiſſimis rationum momentis inſectantur, quos inter
Tycho. cauſæ huius arbitros velim Tychonem lib. de no-
Clauius. ua ſtella, & Clauium in Sphæram Ioannis de Sa-
Cardan. cro Boſco. Horoſcopantes autem hoſce omnes,
Scaliger. ſex potius delirantes Scaligeri cenſuræ in Cardanum interim ſubmitto, quatenus tamen totale hominis temperamentum ex ſolo aſtrorum influxu pendere autumant. Nam parcius iſta viris, præſertim grauiſſimis, dum magnam ſanitatis partem beneuolis planetarum influxibus attribuunt, pro quibus ſtatim pugnandum.

Problema L.

A quónam magis pendeat humanum temperamentum, ab aſtrorum ne influxu, an à locorum ſitu?

8. MVlta quidem ſunt, quæ ad humanum concurrunt temperamentum. Faciunt ad id
Plato. non parum parentes ipſi, vt docet Plato in ora-
Ariſtot. tione funebri. Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 4. & 1. Rhet c. 9. Plerunque enim hæreditario quaſi iure à parentibus proſperam, vel aduerſam valetudinem, necnon etiam bonam, vel malam ad mores propenſionem accipimus. Faciunt & cibi, & po-
Galen. tus conditiones, vt tenet Galen. in lib. de cibis
Plato. boni, & mali ſucci Plato de legibus 2. & 5. Auer-
Auerroes. roes lib. 5. collect. cap. 32. Plinius lib. 11. nat. hiſt.
Plinius. c. 37. Cœlius lib. 3. c. 13. & lib. 27. c. 22. & lib. 10.
Cœlius. cap. 20. & alij, quos ſupra citauimus, quibus adde
Hier. D Hieronymum diſerte de hac re lib. 2. aduerſus
Plutarch. Iouinian. & Plutarchum orat. de vſu carnium. Faciunt regionum, ac locorum ſitus; faciunt & aſtrorum influxus. De his vltimis duobus nobis agendum.

9. Pro regionum, ac locorum ſitu pugnant acri-
Hippoc. ter medicæ facultatis profeſſores. Hippocrates
Galen. lib. de aëre, aquis & locis, Galenus, Auicena, Cel-
Auicen. ſus, & alij, qui magnopere commendant ſaluber-
Celſus. rimum regionum, locorumve ſitum ad optimum
Ariſt. temperamentum, vel conſeruandum, vel reſar-
Tullius. ciendum, Ariſtoteles etiam lib. 7. Polit. cap. 11. & plures alij, quibus adnecte Tullium lib. de fato, vbi ita. *Inter locorum naturas quantum interſit videmus, alios eſſe ſalubres, alios peſtilentes, in aliis eſſe pituitoſas, & quaſi redundantes, in aliis exſiccatos, atque aridos: multaque ſunt alia, quæ inter locum, & locum plurimum differunt. Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici, craſſum Thebis, itaque pingues Thebani, & valentes.* Hæc ille.

Deinde probatur exemplis, quia auctore Plu- 10. Plutarch.
tarcho in Apophthegmatis, & Herodoto in Cal- Herodotus.
liope, Cyrus non permiſit Perſis planam, mollemque regionem occupare, ex eo quod dicerent, vt plantarum ſemina, ſic hominum vitas regionibus ſimiles fieri. Itaque ex loci natura naſcitur *Ex diuerſis*
hominibus diuerſitas non ſolum ingeniorum, ſed *regionibus*
etiam morum. Græci aſſentatores leues, atque in- *diuerſa acci-*
fideles ex patria habentur. Cappadoces, Cilices, & *piunt homines ingenia.*
Cretenſes fraudulenti, & mendaces. Afri ſubdoli. Numidæ inconſtantis fidei, Chij petulantiſſimi, Galatæ minaces. Cyri cupidi, & auari. Alexandrini deriſores, & dicaces. Indi, & Perſæ otioſi. Lydæ & Phryges negotioſi. Emporitani imbelles & barbari. Ætoli & Locrenſes fœdifragi. Druidæ malefici. Corci diri, & immanes. Cythæ rapidi & feroces. Aſiani, Iones, Abydani, Medi, Arabes, & Tarentini effeminati. Siculi vafri. Cumani inſulſi. Syracuſani multiplices. Lyguri duri, & aggreſtes. Luſitani robuſti, fideles, & audaces, & ſic de cæteris nationibus, qui pro diuerſa regionum natura, cæli climate, & aëris temperie diuerſa ſortiuntur temperamenta, à quibus diſſimiles etiam dimanant propenſiones, mores, genia, & ingenia,
vt latè prodit Alexander ab Alexandro lib. 4. Alexand. ab
Genial. dierum c. 13. quem Andr. Tiraquel. anno- Alex.
tationibus ſuis diligenter, ac doctè amplificauit. Tiraq.
Quod quidem verum eſt, generaliter loquendo, non quòd climatum natura aliquas imprimat qualitates hominum animis, quibus ad honeſtos, vel vitioſos mores moueantur, ſed quia poteſt externa cauſa, vt eſt loci natura aliquas corporibus infigere qualitates, quæ natiuam habeant vim ad hos, vel illos mores, vtcumque homines inclinandos, atque adeo ipſis correſpondens conſti-
tuant temperamentum, quod ſolùm videtur in- Firmius.
tendere Ptolemæus de iudiciis lib. 2. cap. 1. 2. & 3. M. Tullius.
Firmius lib. 1. c. 1. M. Tullius lib. 2. de diuinatione, & in hunc ſenſum accipi debet celebre illud axioma. *Animi mores ſequuntur corporis temperamentum.* Hæc pro hac parte.

Pro ſyderum influxu omnium Aſtrologorum 11.
aſtrum incredibili modo conſentit, quippe qui omnes natalitiis ſyderibus magna ex parte bo-
num vel malum attribuunt temperamentum. Im- Ptolem.
primis Ptolemæus in Centiloquio, in cuius do-
ctrinam vnanimiter conſpirant ſequentes Aſtro- Cardan.
logi Cardanus, Bellantius, Fernelius, Firmicus, Bellant.
Copernicus, & ſi qui ſunt alij. Quod autem pluri- Fernel.
mùm conferant ad temperamentum genitalium Firmicus.
ſyderum afflatus, & planetarum congreſſus, an- Copernicus.
notat D. Thom. 3. contra Gentes cap. 84. & 1. p. q. 115. a. 3. & 4. quem Theologi penè ſequuntur.
Idem ſentit Ariſtoteles cum Philoſophis omni- Ariſtot.
bus; idem Hippocrates cum omnibus medicæ fa- Hippocrat.
cultatis profeſſoribus, approbat Sanctiſſimorum Auguſtinus.
Patrum auctoritas. Ita D. Auguſtinus, D Baſilius, D. Baſilius.
& alij cum D. Dionyſio c. 4. de diuinis nomini- Dionyſius.
bus. Enim verò, etſi aſtrorum virtus in animos directè non agat, nihilominus magnopere influit in ſenſus tam internos, quàm externos, atque adeo in

Digitized by Google

in omnes corporis partes. Neq; aliud videtur intē-
Ptolem. dere Ptolem. vt indicat in lib. 1. de iudiciis aſtro-
nomicis c. 4 & 8. dum aſtrorum efficientiam erga
quatuor qualitates, ex quibus humanum coag-
mentatur temperamentum, magnopere commen-
dat; & probatur ab experientia.

12. Primò, quia videmus aliqua ſydera in ſuo or-
tu, vel occaſu in quodam aſpectu & congreſſu
ſterilitatem aut vbertatem terræ, tranquillitatem,
aut procellas mari inuehere, ventos excitare, mo-
uere turbines, miſcere omnia. Alia etiam peſtilen-
tiam, morbos, contagia inferre; alia autem ſanita-
tem, ſalubres auras, benignam cæli temperiem in-
Galen. ducere, & fouere Teſtor Galenum in 3. de diebus
criticis, vbi iubet contemplari diligenter con-
greſſiones aſtrorum, planetarum aſpectus, & af-
Hippocrat. flatus, præſertim Lunæ, quando adhibenda ſunt
corporibus ægris medicamenta, ſed prius Hip-
pocrates lib. de aëre, aquis, & locis. Vbi ita. *Opor-
tet autem, & aſtrorum ortus conſiderare, præcipuè.
canis, deinde, Arcturi, & Pleiadum occaſum, morbi
enim in his maximè diebus indicantur*, &c. Luna
verò, quò nobis vicinior, eò efficacior: illa acceſ-
ſus, & maris receſſus continenter agit: illa oſtreis,
conchiliis, & conchis incrementa pariter, ac de-
Ariſt. crementa adhibet, vt expertus tradit Ariſtoteles
Plin. lib. 4. de part. anim. cap. 5. Plinius lib. 2. nat. hiſt.
Tullius. c. 41. & c. 99. & Tullius 2. de diuin. illa ſuo inter-
lunio quieſcere facit formicam, ſuo autem pleni-
lunio diu, noctúque laborare, vt Plinius citatus
ſcribit; illa lapidi ſeleniti imaginem ſuam creſ-
centem pariter, ac pariter decreſcentem mirabi-
Plinius. liter imprimit, vt prodit Plinius lib. 37. cap. 10.
Auguſtinus. D. Auguſtinus lib. 21. de ciuit. Dei cap. 5. & Geor-
Georgius. Agric. gius Agric. lib. 5. de natura foſſilium. Illa tempe-
M. Tullius. ſtiuum arboribus præbet tempus, vt cædi poſ-
ſint, quando nimirum cum ipſa ſimul ſeneſcunt,
vt citatus Tullius notat. Illa in hominibus capi-
tis vertigines, & deliramenta aliquando mouet:
illa ipſis pro varia ſuæ lucis viciſſitudine in ſto-
macho, pedibus, & aliis corporis partibus humo-
res excitat: illa dies criticos, quorum mira vis eſt
Francaſtor. in morbis, facit, ſiue aliud aſtrum, quidquid di-
Mirandul. cant Francaſtorius lib. de Critibus cap. 4. & Mi-
randulanus lib. 3. contra Aſtrolog. c. 16. Illa deni-
que inſitæ virtutis ſuæ arcano mille alia edit mi-
racula; cùm igitur humanum corpus cum reliquis
ſublunaribus mutationes ab aſtris ſortiatur, cum
eiſdem pariter temperamenti ſui qualitates ven-
dicabit.

13. Secundò probatur ab eâdem experientia. Nam
Plinius. polus Arcticus trahit ad ſe magnetem, & magnes
Plato. ad ſe ferrum, vt ſæpe experti ſumus, & tradit Pli-
Theoph. nius lib. 26. cap. 16. & 26. & lib. 2. c. 7. Plato in dia-
Lucret. logo, qui dicitur Io. Theophraſtus de lapidibus.
Solin. Tullius c. de diuinatione. Lucret. lib. 6. Solin. c. 56.
Conſiliat. Conſiliator different. 51. Scaliger exercit. 102.
M. Albert. Scaliger. Aërtius lib. 2. cap. 25. Ambroſius Nolanus in pro-
Aërtius. Tholanus. blematis. D. Auguſtinus de ciuitate Dei, & multi
Auguſt. Patres, & Albertus Magnus lib. 2. Met. tract. 3.
cap. 6. & communiter Auctores. Quod verò ma-
gnetis occulta virtus ab aſtris fluat, credunt Aſtro-
logi, & illa, qua adamas electrum, pilos, & ſurcu-
culos ad ſe rapit, illa qua echines nauim ſiſtit, aut
certè remoratur, illa qua hirci ſanguis emollit
adamantem, & ſic de aliis ſecretiſſimis rerum
qualitatibus opinantur. Quid referam Solis vir-
tutem prope diuinam? Ad illius ortum, & occa-
ſum Heliotropij, & Scorpiuri flores vertuntur,
& reuertuntur. Similiter ad illius curſum apud
Mendoçæ Viridarium.
apud Braſiliam flores quidam ſuauiſſimè varios
induunt colores. Enim verò candidi in ortu, pur-
purei in meridie, pallidi in occaſu Solis fiunt. Ad
illius denique curſus, atque recurſus gallus ſonos
ſuos edit, vt multi autumant apud Scalig. exercit. Scalig.
239. in Cardanum Cœlium lib. 16. antiq. lect. cap. Cœlius.
13. & præſertim poſtquam ad nos redeuntem, &
appetentem iam præſentit planetam; tunc enim
experge tactus plauſu laterum, & cantu illo ſuo
diem prænunciat, quaſi verò ſolaris auis domino
ſuo congratulari, & mortales ad labores diuinos
reuocare videatur. Miſſa facio metallorum gene-
ra, quæ in imis terræ viſceribus effectrice Solis, &
aliorum aſtrorum virtute gigni creduntur, vt
Aſtrologi ſcribunt, & refert Scotus in 2. d. 14. ad Scot.
finem: ergo eandem habebunt afficientiam, &
influentiam erga humanum temperamentum,
cum non minus illorum aſpectibus, & afflatibus
ſubiici videatur.

Tertiò probatur. Temperamenti ſimilitudo, 14.
vel diſſimilitudo, ſeu illa hominum ſympathia, &
antipathia prouenit ab aſtrorum congreſſioni-
bus: ergo, & antecedens conſtanter tuentur Aſtro- Firmicus.
logi, præſertim Firmius, & Fernelius lib. 2. de ab- Fernel.
ditis rerum cauſis c. 2. Fuit hæc indubitata apud Horat.
veteres opinio, in quam ipſi etiam poëtæ conſpi-
rant, vt ille alius. *Vtrumque noſtrum incredibili
modo conſentit aſtrum*, &c. Et ſuadetur rationibus.
Nam in primis ſympathia illa non oritur ex Cli-
matis natura, & ex eadem loci ſimilitudine: ergo
ex aſtrorum coniunctione. Probo antecedens ex Plutarch.
Plutarcho in parallelis, vbi refert multa paria ho-
minum, qui cum diuerſiſſimas plagas incolerent,
nec alter alterius facta imitaretur, tamen ſimilli-
mas operationes ediderunt: quales fuerunt Ageſi-
laus Athenienſis, & Mutius Romanus, quorum
vterque volens Regem occidere occidit ſtipato-
rem, & accuſatus apud Regem, manum in focum
accenſum immiſit intrepidus, & abire iuſſus, te-
ſtatus eſt, æquæ, vel etiam maioris virtutis ſuos
eſſe conciues. Vide alia ibi exemplorum paria;
confirmari poſſunt ex illo Tob. 3. quia cum ſcri- Tob. 3.
ptura commemoret afflictionem Tobiæ ob im-
properia familiarium ſuarum, ſtatim commemo-
rauit afflictionem Saræ ob improperium ancillæ
ſuæ, & nihilominus erant in diuerſis vrbibus. Et
planè videtur voluiſſe ſcripturam aliquam inter
illos ſympathiam interfuiſſe, alioquin non erat
is locus transferendi ſermonem ad Saram, ſed
proſequendi hiſtoriam de Tobia. Deinde hæc
ſympathia non prouenit ex ſanguinis, & generis
ſimilitudine, vt patet ex illis quæ ſcribit Plinius
lib. 7. nat. hiſt. cap. 12. vbi affert multa hominum
paria longè diuerſorum natalium admodum in-
ter ſe ſimilia; & vice verſa multa eiuſdem natalis
ſunt inter ſe diſſimilia, vt conſtat ex illis quæ Plin.
prodit D. Auguſt. de Ciuit. lib. 5 c. 2. Et confirma- Auguſt.
tur ex Eſau, & Iacobi partu, qui quidem eo plus
ingenio diſſimiles, quo plus ortu ſimiles extite-
runt; ergo cum nulla alia cauſa aſſignetur, ex qua
ſympathia, vel antipathia oriatur, dicendum
eſt oriri ex ſimili, vel diſſimili aſtro-
rum poſitu, & congreſſu, à quo
etiam pendeat idem, vel
diuerſum hominum
temperamen-
tum.

PROBLEMA LI.

Qui pulchrior aſpectus, Solis orientis, an occidentis?

15\. Plutarch. Macrob. S. Nazianz. Ambroſ. Auguſt.

DE ſolari pulchritudine multa apud auctotes tam ſactos, quàm profanos; Plutarchus in lib. de doctr. Principum, Dei ſimulachrum, inter alia encomia, ſolem appellat. Macrobius 1. Satur. à cap. 17. vſque ad 23. in eius laudes ſatis diffuſus mundi oculum dicit. Nazianzenus autem lib. de noua Dominica, diei oculum fulgentiſſimum nũcupauit, & aliàs ab eodem canitur iucunditas diei cæli pulchritudo, naturæ gratia. Omitto Ambroſios, Auguſtinos, & alia Eccleſiæ lumina, qui Solis lucem ſuis laudibus illuſtrarunt. Ad quæſtionem accedo, in qua multi ſunt poëtæ, & pro qua multa faciunt argumenta. Vtramque verò partem vna, vel altera ſtabilio ratione.

16\. *Solis Orientis auſpiciũ.*

Pro ſole otiente facit quod homines ab illo feliciſſimum cuiuſcumque rei euentum ſoleant auſpicari; quemadmodum enim per Solis occaſum, noctiſque aduentantis caliginem omina infelicia, ac triſtes euentus præſagiuntur, ſic per Solis exortum omina felicia augurantur. Fatale illud, atque ſupremum ruentis Troiæ excidium, & incendium nocte intempeſta, & caliginoſa à Marone deſcribitur ſecundo Æneidos. *Vertitur interea cælum; & ruit Oceano nox*, &c.

Virgil.

Contrà autem eiuſdem Solis redeuntis aſpectus proſperam, æquabilémque fortunam prædicit apud eundem 8. Æneid. vbi inducitur Rex Euandrus matutinus, & ad primam Solis lucem excitatus, cum de rebus maximi ponderis agendum eſt. Priſcis enim illis, ac heroicis temporibus magnanimi mortales in antelucanis obſeruandis magnopere erant ſtudioſi, vt tunc maximarum rerum initia auſpicatò aggrederentur.

Muretus. Virgil.

Muretus lib. 13. c. 2. variarum lectionum putat Virgilianum illud in 6. de infantibus, *quos dulces vitæ exortes abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo*, eſſe intelligendum de pueris ante Solis ortum immatura morte præreptos, ne ſcilicet Sol tantæ calamitatis adeſſet ſpectator, vtpore qui ſolùm felicitatem auguretur, atque diuinet. Omitto hilaritatem, quam homines, imò omnia ex Sole Oriente concipiunt. Superſedeo poëtarum teſtimoniis, quibus pulcher admodum Sol depingitur in ſuo exortu.

17\. *Solis Occidẽtis encomiũ.*

Pro Sole autem Occidente facit quod ad eius lucem, vt minus intenſam tunc temporis, non adeo cæcutiant, & caligent oculi, & ideo pulchrior ſplendeat, quia liberiùs à nobis ſpectatur? Vnde Aſtronomi ſuas obſeruationes in Solis occaſu facere conſueſcunt. De vtraque verò ſolari viciſſitudine & Principis planetæ encomiis conſule præter citatos Eugubinum in ſua Coſm. cap. 4. in Gen. Plinium lib. 2. cap. 6. & in primis Tertullian. lib. de Reſur. carn. Ego autem claudo hanc partem eleganti Senecæ teſtimonio in Troiad.

Eugub. Plin. Tertull. Senec.

Vt eſſe Phœbi dulcius lumen ſolet
Iam iam cadentis, aſtra cum repetunt vices,
Premiturque dubius nocte vicina dies
Stupet omne vulgus, & ferè cuncti magis
Peritura laudant, &c.

PROBLEMA LII.

An dentur homines ſuopte ingenio bene fortunati ob aliquod aſtrum.

18\. *D. Aug. aduerſus Aſtrologos horoſcopantes.*

IMmortale bellum ſemper ſuſceperunt Doctores ſacri aduerſus Aſtrologos horoſcopantes, impiéque, ac ſacrilegè homines aſtris mancipantes. D. Auguſt. eorum artem, vt vanam & ſuperſtitioſam vbique inſequitur, nuncupatim lib. 5. de ciu. lib. 2. de Gen. ad lit. c. 17. & 2. de doctrina Chriſtiana deducens argumentum ex Patriarcha Iacob, & fratre Eſau, qui eodem partu editi ita continenter nati ſunt, vt vnus tantum infans duplo longius naſci videretur, cum manu tenuerit pedem alterius: & tamen vitæ ſtudia, caſúſque atque infortunia vtriuſque valde diſſimilia fuerunt. Quare idem D. Auguſt. Mathematicum quendam ad Eccleſiæ communionem recipere noluit, niſi artis ſuæ libris combuſtis: vt patet ex iis, quæ ſcribit ad finem Pſal. 61. Nec mirum, cum ſcribat D. Epiph. in lib. de ponderibus, & menſuris, Aquilam primum diuinæ Scripturæ interpretem non alia de cauſa fuiſſe à Patribus ab Eccleſia pulſum, niſi quod geniturarum inſpectionibus, & natiuitatum diuinationibus vacaret.

D. Epiph.

Aristot. D. Thom. Ferrarien. Henriq. Richard. Scot. Ægid. D. Thom.

Quòd autem dentur homines ſuopte ingenio bene fortunati, affirmat Ariſtoteles 7. Ethic. & lib. de bona fortuna, quem præcipui Theologorum ſequuntur, D. Thom. contra Gent. c 92. Fer. ibid. Henr. de Gand. quodl. 6. q. 10. Rich. quodl. 3. quæſt. 7. Scot. eodem opere q. vlt. Ægid. Rom. in comment. ſupra lib. de bona fortuna. Declaratur autem, & confirmatur ſimul hæc ſententia ratione D. Thom. Vt homo ſecundum corpus, habitudinémque ac diſpoſitionem corporalem ſub cæleſtibus corporibus conſtituitur, eidémque ſubiicitur, ita quoad intellectum collocatur ſub Angelis, quoad voluntatem verò ſub Deo, à quo ſolo voluntas noſtra directè & immediatè, moueri, & impelli poteſt. Quando igitur aliquis ex impreſſione corporum cæleſtium, & ſuperiorum cauſarum quantum eſt ex parte corporis diſponitur ad aliquid ſibi vtile operandum, cuius tilitatem tunc ignorat, vel angelica illuſtratione irradiatur ipſius intellectus ad ſimilem rem intelligendam, aut denique ex diuina motione impellente voluntatem mouetur ad quid tale eligendum, dicitur bene fortunatus: & è contrario malè fortunatus.

19\. Et quidem quod nonnullis hominibus id Deus ſoleat præſtare patet, ex Ierem. 22. vbi de quodam dicitur, *Scribe virum iſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur.* Quod verò Angeli interius illuminando id quoque efficere valeant, perſpicuum eſt ex doctrina D. Dionyſij, quam proponit D. Thom. 1. parte quæſt. 111. art. 1. quare quemadmodum miniſterio Angelorum factum eſt, vt beſtiæ omnes ad Adamum adducerentur, non quidem vt duci ſolent à paſtore, vel adigi à venatore, vt ait D. Auguſtin. lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 24. Sed per internam repræſentationem, qua eis oſtendebatur bonum eſſe in talem locum conuenire, quamuis ſui itineris vtilitatem ignorarent,

D. Dionyſ. D. Thom. Auguſt.

ita

ita angelico miniſterio ſæpe fieri ſolet, vt interius homini bonum repræſentetur, hoc, vel illud aggredi, quamuis quæ ſit ea bonitas ignoretur. Quod autem ad hoc etiam conferat virtus corporum cœleſtium, ſecundum quam homo ex parte corporis aptè, vel ineptè diſponitur ad ſuſcipiendum impulſum cauſarum ſuperiorum, ſuadet D.Thom. quia in herbis & lapidibus variæ inſunt virtutes, ex impreſſione corporum cæleſtium, qualis eſt vis illa, qua magnes ad ſe ferrum attrahit; ergo negari non poteſt ex cœleſti influxu, & aſpectu varias in hominum corpore oriri poſſe diſpoſitiones. Et confirmatur, quia in lapidibus ſæpè humana effigies, vel etiam aliorum animalium reperitur, vt nobiles tradunt Scriptores, & authore Plinio lib. 7. Rex Pyrrhus habuit gemmam ingentis pretij, in qua IX. Muſæ, & Apollo citharam tenens mirabiliter emicabat, hoc autem, vt Magn. Albert. philoſophatur, prouenire non poteſt, niſi ex tacitis cælorum virtutibus, fauentibus humanæ generationi, quædam lapis ille generabatur, concurrerunt, & humanam effigiem formarunt.

Aſtrorum influxus. — D. Thom. — Plin. — Pyrrhi gemma. — M.Albert.

72. Et quidem multi ſunt homines adeò bene ominati, vt baculum aureum, virguláque diuinam ſecum ſemper geſtare videantur. Qualis ille Samiorum tyrannus Polycrates, qui tanta vſus eſt felicitate, vt nulla mœroris argumenta tota vita habuerit. Et cùm ad excitandum ſibi dolorem annulum immenſi ponderis conieciſſet in mare, eundem poſtea reperit in piſce ſibi oblato. Nihilominus hic nimia felicitate inflatus laqueo vitam finiuit, quia nulla in hac vita ſecura felicitas. De hac verò re alibi floridius & loculentius. Interim vide hiſtoriam apud Nazianz. orat. de ſuo in Quadrag. ſilentio, & Plinium lib. 37. cap. 1.

Polycratis mira felicitas — Nazianz. — Plin.

PROBLEMA LIII.

Quæ certior opinio, quæ cœlos conſtituit ſolidos, an quæ tenues & fluidos?

73. HAnc quæſtionem nimis arduam reddiderunt Aſtronomorum huius memoriæ obſeruationes. Quippe qui cometam illum, qui apparuit Sebaſtiani Regis tempore in regione planetarum dubio procul apparuiſſe, & curſus ſuos ſurſum atque deorſum feciſſe obſeruarunt, teſtatique ſunt. Iam verò has & ſimiles obſeruationes non ſolùm in Cometis, ſed etiam in aliquibus planetis, præſertim Marte demonſtrare exiſtimant, quorum ſententiam Tycho Brahe, huius temporis celebris Aſtronomus confirmauit, & Quadrante illo ſuo veram eſſe demonſtrare videtur. Poſita igitur hac demonſtratione permeationis cometarum, & planetarum, nimis ardua ac difficilis redditur hæc quæſtio de globorum cœleſtium ſiue ſoliditate, ſiue tenuitate, nam ſi tales obſeruationes veræ omnino ſunt, planum fit nullam prorſus in eis poſſe dari ſoliditatem: ſi autem, hanc negamus, & tenuitatem concedimus contra communem, & antiquam, & ad hanc diem ab omnibus receptam opinionem conſpiramus. His tamen non obſtantibus, quod magis experientiæ conſentaneum videbitur, explicabimus.

Cometa qui Sebaſtiani Regis tempore apparuit. — Tycho.

Cæleſtes ſphæras ſolidas eſſe clamat communis opinio, Scripturæ authoritas, & rationum pondus. Probatur igitur primò ex communi opinione. Ita omnes antiqui, qui ſecuti ſunt Ptolemæum, & Ariſtotelem tam apud ægyptios, quàm Chaldæos, Græcos etiam, & Latinos, quos citant, & ſequuntur Conimbr. de cælo lib. 1. c. 3. q. 1. quibus accedit Aphrodiſæus in 1. Meteor. Clauius in 1. cap. Sph. Maurolycus, Paulinus, Pridianus, Thadæus, Ageſſius, & omnes ſuperioris memoriæ Mathematici: ſubſcribunt omnes illi, qui cælorum incorruptibilitatem defendunt, quos inter ſunt D. Hieronymus, D. Gregorius, Proclus, Methodius, Oecumenius, & alij paſſim apud recentiores. Secundò probatur ex auctoritate ſacræ Paginæ. Nam Iob cap. 37. num. 18. dicuntur cæli ſolidiſſimi, & quaſi *ex ære fuſi*; vbi palam cæleſtium globorum ſoliditas, & durities demonſtratur. Et ita accipiunt hunc locum multi ex Hebræis poſt Rab. Gerſonitem, feréque Latini omnes Gregorius, Philippus, D.Thom. & poſteriores; ex hebraizantibus Vatablus. Ex Græcis autem Symmachus, Nicetas, & alij quamplures. 74.

Argumenta pro cælorum ſoliditate. — *Suadetur* 1. — Conimbr. — Aphrodiſ. — Clauius. — Maurol. — Paulin. — Pridian. — Thadæus. — Ageſſius — *Suadetur* 2. — D. Hier. — D.Greg. — Proclus. — Method. — Oecum. — Iob 37. — D. Thom.

Tertiò probatur ratione, quia niſi admittatur hæc ſoliditas cœlorum, non poſſunt ſaluari phænomena, nec illi planetarum motus ab Oriente in Occidentem, vt patet, quia repugnat, quod idem corpus habeat duplicem ſimpliciter motum ſibi contrarium, quod ſanè contingeret, ſi eodem prorſus tempore ab Oriente in Occidentem, & ab Occidente in Orientem planetæ permeaſſent: ergo neceſſariò admittenda ſphærarum ſoliditas, tunc enim optimè ſaluantur phænomena, quia cum aſtra ſint corporibus illis cœleſtibus infixa, tanquam nodi in tabula bene moueri poſſunt ad motum ipſorum corporum, quibus infiguntur. Vnde mouentur duplici quidem motu, ſed vno naturali, & ſibi proprio, altero ſecundùm quid, & alieno. Et declaratur exemplo naucleri, qui perambulat nauim progredientem à prora in puppim, & exemplo formicæ, quæ lento gradu contra motum rapidiſſimum alicuius rotæ incedit. Sic primo mobili erit motus velociſſimus, ab ortu ſcilicet in occaſum, ſingulis autem & inferioribus orbibus erit tarditas ab occaſu in ortum. Et in hac Hypotheſi non repugnat philoſophiæ, quod idem corpus moueatur duplici motu contrariò ſecundùm quid, vt probat latiùs noſter Clauius. Et confirmatur hæc ſoliditas ex antiqua & indiſſolubili conſtantia, qua cæleſtes ſphæræ continenter rotantur; quam conſtantiam non ſeruarent ſi tenue, ac fluidum haberent corpus, quod ſuapte quidem natura citò diſſolueretur. 75.

Suadetur 3. — *Declaratur exemplu.* — Clau.

Nihilominus cæleſtes ſphæras eſſe tenues, & fluidas, clamat recens Mathematicorum obſeruatio; nec refragari videtur Scripturæ veritas, & authoritas. Ita omnes Philoſophi, & Mathematici ante Ariſtotelem, & ita defendere tenentur illi omnes (qui ſunt verè nobiliores Mathematici huius ſæculi) qui cum Thycone Brahe aſſerunt cometas penetraſſe cæleſte corpus, & ſurſum, atque deorſum permeaſſe; illi etiam omnes, qui Longeſpicij, ſiue Canoculi artificio eaſdem obſeruant mutationes & apparentias. Noſter Clauius Ptolomaicæ doctrinæ ſectator acerrimus in hanc ſententiam inclinat, impulſus nimirum his obſeruationibus, quas Belgæ homines iam tunc 76.

Pugnatur pro tenuitate cælorum. — Thyco Br. — Clauius.

Canoculo faciebant, vt patet ex illis, quæ ſcribit ad cap. 1. ſphæræ, & incipiunt. *Nolo tamen hoc loco, &c.* quibus ſanè fatetur non poſſe huiuſmodi apparentias, & obſeruationes ſaluari cum illa duritie & ſoliditate cælorum, quam vſque ad hoc æuum omnes vnanimiter defenderunt. Hanc opinionem videntur etiam concepiſſe illi omnes, qui cælos corruptibiles poſuerunt, vt ex antiquis Plato, Empedocles, Anaxagoras, Democritus, & Epicuræi omnes. Ex Patribus Baſilius, Theodoretus, Damaſcenus, Chryſoſtomus, Iuſtinus, Ambroſius, Gennadius, & alij. Ex Theologis Molina cum multis d. 3. de opere ſex dierum. Salmer. in cap. vltimum epiſt. 2. D. Petr. d. 3. qui planè videndus ob ſummam eruditionem qua illuſtrauit hanc partem. Nec refragatur Scripturæ authoritas, quia illa ſententia de cælorum ſoliditate in primis non eſt ſanctiſſimi Iobi, ſed refertur ex Eliu illius amico, alioqui homine imperito. Deinde dicuntur ſolidi ob fortitudinem, ſeu violentiam, quæ interpretatio eſt germana, & ſecundùm lectionem Hebraicam, & LXX. dixerunt, *validæ ſunt aſpectus effuſionis.* Qui ſenſus germanior eſt in illorum iudicio, qui in hoc loco cælos pro aëre accipiunt, & licet aër tanquam aqua fluere ac fundi videatur, eius tamen impetus prævalidus eſt, & admodum violentus. Probatur rationibus hæc ſententia.

Plato. Empedocl. Anaxag. Democrit. Baſil. Theodor. Damaſc. Chryſoſt. Iuſtin. Ambr. Gennad. Molina.

78. Suadetur 1. Primò quia Cometæ non poſſunt tot corpora cœleſtia adeò dura & ſolida aſcendere, & penetrare, quin illa ſcindant, laceréntque. Suadetur 2. Secundò quia luna non poteſt reuolui intra ſuum Epycyclum motu illo, quem Ptholemaica ſchola appellat vertiginis, vt nobis oſtendat, vti luna eandem ſemper faciem ad nos vertat, quin mentium faſtigia, quæ intra ſe continet, & quibus aſperatur, non ſcindant ipſum Epicyclum, in quo lunam quaſi gemmam in annuli pala incluſam conſiderat. Suadetur 3. Tertiò quia non datur corpus, quod ſpatium illud inter montem, & montem interiacens poſſit implere, ne detur vacuum. *Inſtantia. Solutio.* Nec dicas, quod ſufficit aliud corpus durum, & ſolidum, quamuis minus denſum, & compactum, quàm reliquum lunæ corpus, à quo concauitates illæ occupentur, tunc enim nullum aſſignabitur diſcrimen maculas inter & nodos, qui ex montibus illis, ac lunæ vallibus oriri videntur, cum tam inter vtrunque magnum ineſſe doceat experientia. Suadetur 4. *Mercurij, & Veneris obſeruatio.* Quartò quia nec Mercurius, nec Venus, (quos Mathematica omnis fatetur modo infrà, modo ſupra ſolem ferri) aut deſcendere ad terras propius, aut à terris aſcendere altiùs potuiſſent per corpora ſuapte natura concreta & dura, ſine eorundem corporum violatione, fractionéque. Idem facit argumentum pro ſtellis, quæ Iouem & Saturnum circumeunt. Idem facit pro globis, quos Aſtronomi Solis maculas, nodóſque dicunt, qui profectò ab vna in alteram partem permeare minimè poſſent, nec ſimiles motus, quaſi in choream motu proprio exercere, niſi vel cælum tenue ac fluidum omnino illis cederet, quod conſonum videtur: niſi vel durum, ac ſolidum illud Saturni, Iouis, & Solis corpus, in quo mouentur, prærumperent, & diſſecarent, quod abſonum iudicatur.

79. Suadetur 5. Quintò & vltimò argumentor pro hac ſententia afferendo præ cæteris Martis obſeruationem, quia etſi Cometæ cælos tranſcendant, quoniam tamen rarius apparent, & citiùs euaneſcunt, illorum obſeruatio minus frequens nobis eſt. Item lunares, ſimiléſque aliæ, de quibus diximus, quamuis veræ profectò ſint, à Canoculo tamen dependent; at Martis aſtrum ſingulis annis per inſtrumenti ad id accommodati auxilium à Mathematicis diligenter obſeruatur. *Martis obſeruatio.* Enim verò quamuis Martis domicilium ſupra ſolem collocatum ſit, nihilominus cum Tychone communiter reperitur, quòd quoties Mars Soli manet oppoſitus, toties infrà eundem ſolem, ac adeò terræ vicinior appareat. Non poteſt igitur ſtare cæli durities cum hac Martis eleuatione, atque depreſſione. Nec hoc latuit veteres Mathematicos, ſed cum alioquin cælorum firmitatem ſaluare non poſſent, de hac obſeruatione nullam mentionem facere certius iudicarunt. Et confirmatur hæc opinio efficaci admodum ratione à Cometarum obſeruatione deducta, quia ideo antiqua opinio conſtituit cælos ſolidos, vt ſaluentur motus illi duo, ſi enim eſſent tenues, nullo pacto ſaluari poſſent; & eadem opinio collocat Cometas in aëris regione, quæ eſt tenuis, ac liquida, ergo cælorum corpora non ſunt ſolida. Conſequentia rectè infertur, quia Cometæ duos etiam habent motus, vnum ſcilicet diurnum, quemadmodum planetæ ab oriente in occidentem, & alterum ſibi connaturalem ab occidente in orientem, & tamen ſunt in corpore tenui: ergo, &c. Hæc ratio videtur eſſe ad hominem, & ſuam habet difficultatem. Quòd verò Cometa proprium habeat motum, oſtenditur apertè, quia videmus illum hodie iuxta hanc ſtellam fixam, & cras iuxta aliam, quòd quidem non contingeret, niſi haberet motum connaturalem.

En pugna inter veteres, & iuniores Mathematicos ſatis cruenta. 80. Ego autem illorum partes ſequi non erubeſcam, quibus potius faueat ratio, & experientia. Veritas enim opinionum, non ab antiquitate, ſed à ratione eſt deſumenda, & ſi hæc per euidentem doctiſſimorum hominum experientiam fuerit explorata, & approbata, cedendum ſanè eſt. Nam aduerſus experientiam nulla vnquam fortis ratio militabit.

PROBLEMA XLIX.

Vtrùm Planetæ per intelligentias, an ad motum cælorum moueantur?

PLanetæ, vt habetur Gen. 1. conditi ſunt à 81. Deo, vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Gen. 1. Sed grauis pugna inter Aſtronomos recentiores inſurgit, à quonam ferantur hæ cæli, mundíque faces: Imprimis explodo illorum ſententiam valdè antiquatam, qui planetas in cæleſtibus corporibus, tanquam piſces in mari natantes ſomniarunt, quorum meminerunt Conimbr. de cælo lib. 2. cap. 5. q. 1. art. 1. humilis Conimbr. planè ac terreſtris ſimilitudo ad res tam ſublimes, atque cæleſtes explicandas. Præſertim, quod repugnat rationis lumini, quod corpora vitalibus carentia operationibus, tanquam animas & ſpiritus habentia, per ſe ad libitum moueantur. Ex ſuperiori quæſtione ſatis inſinuatum manet quid ſit decidendum in præſenti. Nam qui cum *Quæſtionis deciſio.* communi ſententia dixerint ſtellas, atque planetas eſſe in cælo, tanquam nodos in tabula, ac proinde cælos ſolidos & duros conſtituerint, neceſſariò & conſequenter dicent, moueri planetas ad motum cæleſtium ſphærarum, cum illiſque ſimul

ſimul rapi, atque rotari. Qui autem cum aliquibus dixerint cælos non eſſe ſolidos & duros, ſed tenues, ac fluidos non à ſe ipſis, nec ad cælorum motum, ſed ab intelligentiis moueri opus eſt, vt cohærenter dicant.

Et pro his ſic argumentor afferendo rationes, quibus Philoſophi, & Theologi omnes vtuntur ad probandum cæleſtia corpora ab intelligentiis deferri. Enim verò nulla datur ratio inæqualitatis. Equidem ſi intelligentiæ mouent cælos cum planetis, ſeu planetas ſimul cum cælis, cur non poterunt mouere planetas ſingillatim ſumptos abſque cælis.

82. *Suadetur 1. moueri ab intelligentiis cæleſtes ſphæras.* Plato. Ariſt. D. Thom. Bonau. D. Dionyſ. Auguſt. Gregorius. Orig. Conimbr. Soarius. Iob 1. Scot. Durand. Ægid. M. Albert. Capreol. Ferrarien. Sot. Tolet.

Argumentor igitur primò ab authoritate. Ita Plato de legibus, ita Ariſtoteles lib. 8. phyſ. c. 6. & Metaph. c. 8. quos ſequuntur potior Philoſophorum pars. Ita D. Thom. Opuſc. 10. a. 3. & Opuſc. 11. a. 2. & lib. de potent. q. 6. a. 3. de fide hanc eſſe ſententiam autumat. Ita D. Bonau. in 2. d. 14. a. 3. q. 2 & ſanè acceperunt hanc doctrinam à D. Dionyſio, à D. Auguſtino, à D. Gregorio, Origene & aliis PP. quos referunt & ſequuntur Conimbr. de cælo lib. 2. c. 5. q. 5. a. 3. Soar. tom. de Angel. lib. 4. cap. 29. & in Met. t. 1. d. 18. ſect. 3. n. 36. & in aliis operibus hanc ſententiam vt indubitatam ſupponit, & paſſim alij, quod etiam patet ex multis Scripturæ teſtimoniis Iob 9. *ſub quo curuantur qui portant orbem*, id eſt Angeli, qui ſuo motu cæleſtem mundum circumferunt, vt multorum eſt iudicium. Præter citatos conſule Scotum in 2. diſt. 14. a. 3. q. 1. Durand. q. 1. Ægid. q. 5. Albert. M. a. 6. & 12. Met. tract. 2. c. 10. Capr. in 2. diſp. 9. q. 1. a. 3. Ferrarienſ. 3. contra Gent. c. 46. Sot. 2. phyſ. q. 11. Tolet. ibidem. & alios.

Argumentor ſecundò ratione, quia rectus regiminis ordo poſtulat, vt inferiora per ſuperiora gubernentur, vt videtur in homine, cuius pars inferior per ſuperiorem adminiſtratur: ergo quod in homine, qui paruus mundus dicitur, contingit, ſimili modo in maiori mundo continget. Confirmatur, quia corpora cæleſtia motu circulari perpetuo euoluuntur, ſed non mouentur à principio intrinſeco, vt latè oſtendit Soar. citatus: ergo mouetur à principio extrinſeco, quia nullum eſt medium: ſed nullum poteſt eſſe congruentius, quàm Angelus, ergo, &c. Probo hanc vltimam minorem, quia hoc principium non poteſt eſſe corporeum, cum nullum huiuſmodi poſſit eſſe ſupra cælum naturaliter, neque in ipſo cælo ſine penetratione viribus naturæ repugnante, ſiquidem vtrumque foret quantitatiuum. Quod verò à corpore ſublunari moueretur, nullus ſanæ mentis dicet: ergo ab aliqua ſubſtantia corporis experte circumagitur; hæc autem non eſt Deus ſe ſolo, quia quod poteſt facere per cauſas ſecundas, non ſolet facere ſe ſolo: ergo eſt intelligentia, cum nulla alia ſubſtantia ſpiritualis completa ſuperſit ad hoc munus exequendum; quod verò Angelus habeat virtutem ſufficientem ad illud, probat Soar. allegatus, & eſt in confeſſo apud omnes.

Suadetur 2.

Soarius.

83. *Probatur moueri planetas ab intelligentiis.*

His ita conſtitutis facilè probatur moueri planetas ab intelligentiis. Nam ideo à Philoſophis, Aſtronomis, & Theologis dantur Angeli orbibus mouendis, quia corpora illa ſenſus expertia moueri non poſſunt, niſi à vi aliqua extrinſeca, ſed eadem ratio militat in planetis. vt patet: ergo planetæ ab intelligentiis mouentur, & illis mediantibus ſuos agunt & conficiunt curſus. Iam verò occultam illam virtutem, quam Ioannes Chepletus lib. de ſtella martis, in ſolari corpore conſtituit, quæ veluti magnes attraheret, & poſt ſe raperet reliquos planetas, non approbo; quia illa virtus ſufficiens planè eſt ad ſaluandos reliquos motus, præſertim lunares, vt Aſtronomo illos contemplanti patebit; vnde ſi præter illam virtutem indiget Sol aliqua intelligentia, vt moueatur, cur ſingulos ſingulis planetis Angelos denegabimus?

Chepletus.

Neque obſtat, quod poſſit Deus planetas per ſeipſum immediatè mouere ſine virtute Angelica, quia vt ex dictis conſtat, conuenientius Deus hoc munus committit cauſis ſecundis, vt ſic detur maior rerum connexio inter ſe, maiórque dependentia creaturarum. Neque obſtat, quod poſſit Angelus vno ſtans loco totum orbem & planetam in ipſo contentum vertere, quia Angelo non minor eſt virtus, ſeu facilitas ad planetam ſuſtentandum, atque portandum, quàm ad orbem rotandum, atque in perpetuum gyrum verſandum, ac proinde nullum Angelicæ maieſtati hinc dedecus oboritur. Quod exemplis ſic demonſtro. Angelus Eliam in aërem librauit, Angelus Abachu capillo apprehenſum detulit. Angelus columnam igneam ante Hebræos homines portauit, aliíque alia ſimilia munia obierunt; ergo Angelus abſque ſuo dedecore poterit planetam deferre; imo in hoc ſuam agere prouinciam videtur. Hæc pro hac parte mihi viſa ſunt afferre, quæ vt magis noua, & minus ad hanc diem trita fuit ſtabilienda. Cæterùm cum in hac, & ſuperiori quæſtione vetus, & noua quædam mundi Hypotheſis ſupponatur, ſequenti de vtraque agemus, breuiter tamen, ne Aſtronomię regnũ data opera inuadere videamur.

Reg.

Exod.

PROBLEMA LV.

Quæ mundi Hypotheſis præſtantior ſit habenda.

84. *Phænomena, ſeu apparentia veteres.*

PRæmitto ad quæſtionis reſolutionem omnes mundi Hypotheſes excogitatas fuiſſe ab Aſtronomis ad cæleſtes apparentias rectè ſaluandas, quas quidem apparentias breuiter rango: prima, qua ratione, quo ordine Sol, Luna, & Stellæ, ac planetæ omnes quotidie moueantur ab Ortu ſcilicet in Occaſum, & iterum ab Occaſu in Ortum: ſecunda vnde proueniat variatio, quæ cernitur in planetis circa ſecundum illum motum velociſſimum, itaut videantur recedere ab Occidente in Orientem motu quodam tardiori, & obliquo: tertia, quomodo ſaluetur Solem, Lunam, & reliquos planetas non habere terram pro centro ſuarum circumuolutionum: quarta, vnde proueniat Martem, Iouem, & Saturnum, necnon Mercurium, & Venerem nunc in Zodiaco progredi à partibus Occidentalibus Orientales verſus, nunc autem retrocedere à partibus Orientalibus verſus Occidentales: quinta, vnde habeat Luna, præter varietates reliquis planetis communes, aliam peculiarem, ſcilicet motum illum interſecationis Eclipticæ Solis cum circulo viæ Lunæ, quam vocant Aſtronomi caput, & caudam draconis. Sexta vnde promanet Stellis finis variare motum illum diurnum, ac velociſſimum, & contra niti illi, regrediendo ſcilicet ab Occidente in Orientem, motu tamen tardiſſimo. Septima, vnde oriatur, & quo pacto ſaluetur motus ille trepidationis in ipſiſmet Stellis inerrantibus.

85. *Quorundam opiniones de ſtellarum motu.*

Illa igitur Hypotheſis præſtantior dicenda erit, quæ præſtantiori modo omnes iſtas apparentias ſaluauerit. Quidam omnes ſaluare putabunt dicendo ſtellas liberè per ſe ſe moueri hinc inde, ſicut aues in aëre, vel vt piſces in mari. Alij autem aſſerebant ſtellas nequaquam moueri, ſed fixas eſſe, terram verò moueri ab Occidente in Orien-

Digitized by Google

tem. Alij denique alio tramite incedere. Sed cum horum Hypotheſes improbabiles omnino ſint, & à Recentioribus Mathematicis prorſus exploſæ, ad alias, de quibus grauis excitatur controuerſia, feſtinus accedo.

Copernicana Hypotheſis.

Et in primis obuiam fit Copernicanica Hypotheſis, quam ita expono. Prima, & ſuprema ſphæra eſt ſtellarum fixarum, & ipſa immobilis: ſecunda, Saturni: tertia, Iouis: quarta, Martis: quinta, eſt cælum quoddam magnum (ita ipſe illud appellat) in cuius craſſitate ineſt orbis Lunæ, in cuius centro conſtituitur terra, mouetúrque totum hoc cælum ſecum deferendo orbem illum Lunæ ſimul cum terra complendo ſuum circuitum annua reuolutione ſecundùm ſignorum ſucceſſionem: ſexta eſt Veneris: ſeptima, Mercurij. In medio autem reſidet Sol, tanquam centrum vniuerſi, quo poſito aſſerit Copernicus ſaluari omnia phænomena, ſeu illas apparentias. Quod quidem aſtronomicè loquendo verum videtur, vt Clauius fatetur, philoſophicè autem, etſi ſeruetur rectus Scripturæ ſenſus, minimè, & in primis repugnat Philoſophiæ, quia iſta Hypotheſis fundatur in triplici motu terræ, ſed vni corpori repugnant motus contrarij: ergo, &c. Deinde repugnat Scripturæ aſſerenti pluribus in locis terram eſſe immobilem, fixam, & ſtabilem, vt ſuprà oſtendimus: ergo, &c.

Clauius.

86. *Ptolemaica Hypoth. à Mathematicis approbatur.*

Tota igitur difficultas, & valde grauis verſatur circa Ptolomaicã, & Tychonis Hypotheſim: illa antiquitate, & auctoritate præſertim pugnat: hæc autem ratione & demonſtratione fulcitur. Ptolomaicam dicimus eam Hypotheſim, quam Ptolemæus Alexandrinus Aſtronomorum facilè princeps excogitauit, qui fuit ſecundo ſæculo à Chriſti Domini natiuitate, cuius hypotheſim omnes Mathematici, Philoſophi, ac Theologi ad hoc vſque tempus cõmuniter ſuſceperunt, & ſuis Theoricis auxerunt, vt fecit Ioannes de Monte regio, Petrus Appianus, Antonius Maginus & alij quãplurimi, & in primis laudandus noſter Clauus in ſphæram Ioannis de Sacro Boſco, qui mira ingenij claritate huius Hypotheſis machinam explicauit. Iam verò illa non eſt contenta octo, vel nouem orbibus cæleſtibus, qui ante Ptolemæum ponebantur, ſed tot orbes duros, ac ſolidos multiplicat, quot motus diuerſos obſeruat; cùm igitur motuum differentiæ ab Aſtronomis obſeruentur viginti ſex, ita etiam viginti ſex orbes terram ambientes hæc Hypotheſis amplectitur, præter alios ſeptem, qui voluuntur extra terram, quos Epicyclos dicunt. Et quamuis Ptolemaici in ſchemate mundi vndecim tantummodo cælos, ſimplices, mobiles, ac duros deſcribant, ne confundantur tyrones; reuera tamen ponunt ſupradictos viginti ſex, qui cum Empyreo, & ſeptem Epicyclis, & duobus aliis inſuper Eccentricis, quos extra ordinem cæterorum planetarum tribuunt Mercurio, conflant numerum triginta ſex orbium.

Ioan. de Monte Reg. Pet. Appian. Ant. Mag. Clauius.

87. *Ptolemaica Hypotheſis cõmendatur*

Ordo verò ſphærarum tibi videndus per otium, quod nobis non eſt, apud Clauium optimè expoſitus, qui vſque adhuc, vt diximus, & Mathematicis, & Theologis admodum placuit. Mathematicis, quia per eum videntur ſaluari omnia phænomena, ſeu omnes illas apparentias, quas in limine quæſtionis cõſtituimus. Prima enim de motu diurno ab Oriente in Occidentem ſaluatur per primum mobile, quod ſecum rapit omnes ſphæras inferiores, cuius motus ideo dicitur raptus. Secunda ſaluatur per motus proprios cuiuſcunq; planetæ in ſuo Eccentrico ab Occidente in Orientem, reluctando contra illum motum raptum, & hac de cauſa appellarunt hunc motum proprium, & naturalem, conſentaneúmque cuique planetæ; illum verò, quo rapiuntur à primo mobili violentum dixerunt. Tertia de inæqualitate diſtantiæ planetarum à terra, ſicut de inæqualitate motus Solis ex vno æquinoctio ad aliud, ſaluatur per Eccentricos, vt videre eſt apud Clauium c. 4. ſphæræ. Quarta de retrograditionibus, &c. ſaluatur per Epicyclos: eſt autem Epicyclus circulus paruus, per cuius circumferentiam defertur corpus planetæ in Eccentrico; cùm igitur planetarum Epicycli (Luna excepta) moueantur in parte ſuperiori ſecundùm ſucceſſionem ſignorum, in inferiori autem contra ſignorum ſeriem, ſequitur verè planetam, dum verſatur in ſuperiori parte Epicycli moueri velociſſimè ab Occaſu in Ortum, quia duplicatur motus Epicycli, & Eccentrici verſùs eandẽ partem, ac adeo dicitur directus, quia directè progreditur: è conuerſo autem retrograditur in inferiori parte Epicycli, ac proinde ratione Epicycli ſtare videtur, vnde ſtatuarius dicitur. Adde per Epicyclos ſaluari inſuper aliam inæqualitatem diſtantiæ à terra, vt patet planetam contemplanti, quando in auge Epicycli, & quando in oppoſito augis verſatur. Quinta de motu ſcilicet capitis, & caudæ draconis in orbe lunari ſaluatur per quartum cælum Lunæ ambiens terram concentricè, & ſecum rapiens omnes inferiores motu illo 19. annorum. Quomodo autem ſemper eadem nobis facies Lunæ, & eædem maculæ appareant, ſaluatur per motum quendam vertiginis. Sexta, ſaluatur per motum proprium cæli ſtellati, quod firmamentum dicitur, mouetur enim reluctando contra motum raptus motu illo tardiſſimo ſuper polos Zodiaci. Septima, denique acceſſus, & receſſus, vel titubationis ſaluatur per motum quendam trepidationis, qui tribuitur cælo cryſtallino, ſiue firmamento. Sed cùm Ptolemaici inuenerint, non bene hanc apparentiam ſaluari poſſe per hũc motum, illum reiecerunt, & nouum cælum inuenerunt, quod noſtris temporibus cæteris addiderunt. Atque ita id, quod prius ſaluari dicebant per vnicum cælum cryſtallinum motu illo parùm intelligibili trepidationis hac noſtra memoria voluerunt per duos cryſtallinos ſaluari, quòd ſcilicet vnum ex illis moueret orbes inferiores ab Auſtro in Septentrionem, & vice verſa: aliud autem eos moueret ab Ortu in Occaſum, & è contra. Quod nouum cælum prius inuenit Antonius Maginus, ni fallor, illúdque Clauius cum cæteris Ptolemaicis laudauit, & approbauit, & conſequenter in hanc Hypotheſim vtpote omnia phænomena ritè ſaluantem cum reliquis conſpirauit.

Epicyclus quid ſit.

Anton. Mag. Clauius.

88. *Ptolemaica Hypoth. à Philoſophis approbatur.*

Placuit deinde Philoſophis, quia cum conſiderent aſtra corpori alicui duro, tanquam nodos infixa, optimè ad motum orbium, quibus ſunt infixa, moueri poſſunt. Deinde, quia non poteſt moueri idem corpus ſimul duobus motibus contrariis ſecundùm quid, vno ſcilicet ſibi proprio, & connaturali, altero ad motum alterius, quod patet exemplo naucleri, qui perambulat nauim à prora in puppim, & exemplo formicæ, quæ lento gradu contra motum velociſſimum alicuius rotæ incedit. Idem applicatur cælis, ſcilicet primo mobili tribuitur ille motus ab Ortu in Occaſum, tarditas autẽ ſingulis inferioribus orbibus ab Occaſu in Ortum. Et ſic tot orbes ſunt multiplicandi, quot ſunt motus diuerſi, ne vna, eadémque res moueatur ſimul duobus motibus ſimpliciter contrariis, quod maximè repugnat; non repugnat verò moueri duobus motibus contrariis ſecundùm quid. Et præterea hanc Hypotheſim à Mathematicis acceptam Philoſophi omnes ſunt amplexati, quo citant,

Conimbr. citant,& ſequuntur Conimbr.de cælo, quos ſæpiùs allegauimus.

89. *Ptolemaica Hipoth. à Theologis approbata.*

Placuit denique Theologis, quia per illam rectè exponitur prima mundi conſtitutio,& admirabilis illa firmamenti molitio; & quomodo diuidantur aquæ,quæ ſunt ſub firmamento,ab aquis quæ ſunt ſupra firmamentum, ſcilicet cælum ſtellatum.Deinde per illam ſaluatur multitudo cælorum ab Scriptura toties repetita, præſertim apud Regium Vatem.Cum igitur hæc Hypotheſis plures cęlos multiplicet,& ſit conformior Scripturę, illa eſt omnino tenenda. Verùm,quamuis huiuſce Hypotheſis adhuc placuit, & vt indubitata ab omnibus vnanimi conſenſu fuit recepta, non eſt omnino explodenda recens quædam,per longam & diuturnam Mathematicorum iuniorum obſeruationem inuenta, & inuecta ad hanc vſque noſtram Luſitaniæ partem,quibus maximam auctoritatem conciliauit Tycho ille inſignis Aſtronomus,qui ſuis fultus inſtrumentis nouas experientias fecit, & nouas docuit obſeruationes. Ita igitur ſe habet nouum mundi ſyſtema.

90. *Tychonis, & aliorum Hypotheſis.*

In medio Vniuerſi terra ſita eſt craſſo,& vaporoſo aëre circumfuſa, quã immediatè circuit Luna:deinde ſtatim ſuperius Sol,itaut terra ſit veluti centrum circumuolutionum Lunæ,ac Solis. Dixi veluti centrum, quia rigorosè non eſt ibi centrum,ſed aliquantulum ſuperius, & obliquè poſitum,vt ſaluētur Eccentrici.Sequitur deinde Mercurius,Venus,Mars,Iupiter,& Saturnus,qui omnes planetæ,imò & cometæ,excipe lunam,ſolem habent pro centro ſuarum retardationum. Cælũ autem ſtellarũ,quod ſuperius collocatur,pro centro terram ſibi vendicat. Supra planetas ſtellæ inerrantes ſuo etiam motu quoddam ſpirali quotidiè terram circundant,à qua aliquæ minus, aliquæ magis diſtant, ſupra has verò ſuſpenduntur aquæ ad modum nebulæ.Supremum locum obtinet Empyreum quadratæ figuræ non ſolùm ex parte ſuperiori,verùm etiam inferiori.En Tychonis Hypotheſis, quam ille morte intempeſtiua præoccupatus imperfectam aliqua ex parte reliquit,eam verò ſequentes Mathematici omnibus numeris abſoluerunt.Quæ quidem ſupponit tanquam certum nullos dari cælos ſolidos,ac duros, ſed à terra vſque ad ſydera,auram quãdam tenuiſſimam eſſe, per quam planetæ ab intelligentiis deferantur,motu tamen ſpirali,& obliquo,& non perfectè circulari. At verò hic motus non eſt ille raptus, & omnibus communis, vt ad hanc diem omnes Aſtronomi cogitarunt,ſed eſt proprius cuiuſque planetæ. Vnde ille,qui dicebatur etiã proprius planetarum ab Occidente in Orientem, in Hypotheſi excluditur; ſiquidem ſaluari videntur per retardationes huiuſce motus ſpiralis,in tali tamē proportione,vt qui terrę proximiores sũt, cæteris tardiùs moueātur,hic autem motus nec Zodiacũ,nec reliquos totius ſphæræ motus excludit.

91. *Probatur hæc Hypotheſis.*

Præſtantia verò huius Hypotheſis probatur primò. Illa eſt præſtantior Hypotheſis, quæ melius ſaluat phænomena, ſed in hac melius ſaluantur:ergo,&c.Probo minorem,in qua ſolùm ineſt difficultas. A Tychone, & aliis peritioribus Mathematicis beneficio inſtrumentorũ obſeruatũ eſt Martē aliquando eſſe ſupra Solē, aliquando autē infra ipſũ Solem, ſed ſtare nequit in Hypotheſi Ptolemaica,ſiquidē cælos ſolidos, & impenetrabiles admittit:ergo,&c.Probatur ſecũdò,quia cognitũ à Tychone,& ab aliis non ſemel fuit,cometas fieri in planetarũ regione, ſed hoc ſaluari nequit cum ſoliditate cælorum:ergo,&c. Probatur tertiò philoſophicè,fruſtrà fit per plura quod poteſt fieri per pauciora;ſed per motũ hunc ſpiralē, retardationéſque poſſunt omnes motus contrarij ſaluari:ergo multiplicatio cælorũ non eſt neceſſaria. Probatur quartò, quia videtur, quod textus ſacræ paginæ non poſſint rectè explicari, niſi admittatur cælos eſſe liquidos,ac fluidos. Siquidem 1.Gen.dicitur, *Fecit Deus firmamentũ*;quod idem valet atq;expanſio,& attenuatio, vt paſſim textũ accipiunt ſacri Interpretes;ergo ſolùm per cælorũ tenuitatē,ac adeo per iſtã ſolam Hypotheſim ſaluari videtur Scripturæ veritas.Nec obſtat illa cælorũ pluralitas toties repetita in ſacra pagina,quia illam non excludit hæc Hypotheſis,cum tres cælos admittat cum D. Paulo clamante,& atteſtãte. *Raptus vſq; ad tertiũ cælũ*;nempe Empyreum, vbi vidit arcana Dei. quę cælorum numerũ innumeri Patres approbarunt,quos inter palam nomino Ambroſ.Chryſoſt.Baſil.& alios,quos citant recētiores,quibus adde Genebrard.in Pſal.67. Vbi ex mente veterũ Hebræorum ternarium cælorũ numerum approbat. Et nouiſſimè adſtipulatur modernus quidam Theologiæ profeſſor. Cæterùm hic parum cohærenter procedit, quia cum ternariam cælorum ſupputationem mente induiſſet, cælos eſſe ſolidos affirmat, & nihilominus in eis canales quoſdam conſtituit, & aquæductus, tubóſque fluidos;quaſi verò cælorum machina aliquod eſſet viridarium, quod irridandum fabuloſis illis canalibus indigeret.

Gen. 1.

Occurritur obiectioni.

2 Cor 2.

Cælorum numerus ſuppu-tatur.

Ambroſ.

Chryſoſt.

Baſil.

Geneb.

92. *Ternarius cælorum numerus.*

Itaq; tres cælos hæc Hypotheſis duntaxat conſtituit.Primum eſt aëreum,ſpatium ſcilicet, quod eſt à terra vſque ad regionem, ad quã perueniunt exhalationes,& vapores.Et nomine cæli hoc ſpatium fuit inſignitum,*Et volucres cæli*. Secundum autem eſt ſydereum, quod eſt ab aëreo continens ſyderea omnia,ſiue erratica,ſiue inerratica,& hoc eſt firmamentum, quod cælũ etiam vocatur. *Vocauitq; firmamentum cælum*.Tertium eſt Empyreũ, quod eſt ſedes Beatorum, & Regia Magni Regis, & ad quod D.Paulus fuit raptus.En habes mundi Hypotheſes, præſtantiorē relinquo Mathematicis fuſiùs defendendam.Ex dictis tamen non malignam adduximus lucem multis quæſtionibus, de quibus hodie inter recentiores Mathematicos, & Philoſophos cruentum bellum excitatur.

Gen. 1

PROBLEMA LVI.

Vtrùm Cometæ, qui communiter apparent, ſublunares ſint,an cæleſtes?

93. Senec.

COmetæ viſi per hoſce annos in tantam homines admirationem rapuerunt, vt de illis præſertim verum ſit, quod Seneca ſcriptum reliquit lib 7.nat.q.c.1.ſcilicet, quod ſit homo,*ignarus,vtrùm mirari debeat,an timere?* Quod autem ad rem præſentem attinet,hi,qui ſuperioribus annis apparuerunt, & alij antiquiores crudele inter Mathematicos, & Philoſophos bellum excitarũt. Philoſophi enim Ariſtotelem ſecuti elementares; Mathematici verò ſuas obſeruationes dixerũt eſſe cæleſtes. Quid hac in re dicendum ſit paucis abſoluã. Et in primis pro illorum opinione,qui Cometas faciunt ſublunares, atque adeo dicunt fulgere in ſuprema aëris regione, & auctoritate, & ratione argumentor.

94. *Argumenta pro parte quæ Cometas facit ſublunares.*

Argumentor igitur primò auctoritate Ariſtotelis,quem eius ſchola ſecuta ad hanc diem ferè eſt 1.Met.c.6.& in aliis locis. Acceſſerunt cũ multis in lib.Meteor.tract.3.c.4.ex Mathematicis citari poſſunt fere omnes ſuperioris memoriæ, quos apud

Ariſtot.

Digitized by Google

Conimbricenſes inuenies,& paſſim alios. Argumentor ſecundò ratione. Materia cometarum eſt ſub lunaris,atq; adeò eſt quædã exhalatio pinguis, & craſſa,conſtans partibus bene coagmentatis,vt idem docet Ariſtoteles 1. lib.cap.7.quam ſententiam tuetur Ptolomæus, Albumzar lib.de coniunctionibus.Albertus lib.1. tract.3.cap.5. Auicenna, Algazelus, Alexander, Philoponus, Auerroes, & quamplures ex Peripateticis. Et probatur,quia inprimis ſi cometarum materia non eſſet pinguis ac craſſa, diu durare non poſſit: conſtat autem per annos integros Cometas nonnunquam duraſſe. Deinde,quia cùm Cometæ apparent, turbulentiſſimi ventorum flatus excitantur, nimiáq; ſiccitas agros exurit,eo quòd ingens copia terreæ exhalationis aëra occupauit: ergo Cometarum materia nõ eſt cæleſtis,ſed ſublunaris.Et confirmatur,quia Mathematici inſtrumẽtis aſtronomicis lunæ altitudinẽ dimenſi deprehendunt Cometas eſſe Luna inferiores, vt videre eſt apud Regium Montanum tract.de Cometa.apud Ioãnem Vogelium Opuſc. de Cometa,qui anno Domini 1527.apparuit:apud Petrum Nonium lib.de Crepuſc.& apud Vitelliũ lib.10.propoſ.60.alióſq; nõ vulgares Mathematicos:ergo Cometæ ſunt ſublunares,& nõ cæleſtes.

Ariſtot. Ptolem. Album. Albert. Auicenna. Algaz. Alexand. Philopon. Auerroës. Regi. Mont. Ioan. Vogel. Vitelius.

95. *Probatur Cometas eſſe cæleſtes* Hyparchus. Plinius. Albumaz. Cardanus. Artimidor. Anaxag. Democrit. Hippocrat. Æſchilus. Apollon. Myndius. Tycho.

Nihilominus,quod Cometæ ſint cæleſtes,atque adeo quod appareant in æetherea, ſeu planetarum regione,probatur primò auctoritate antiquorum, & recentiorũ Mathematicorũ. Ita Hyparchus,qui ſtellam nouam,ſeu Cometam ſine cauda,vel inter illas,vel illis proximè fulgentem;& hoc centum & viginti annos ante Chriſti natiuitatem obſeruauit. Plinius etiam exiſtimauit cælo nouas oriri ſtellas lib.2.nat.hiſt.c.24. Albumazar aliam nouam ſtellam aliquando ſupra ſphæram Veneris viſam fuiſſe prodit. Et inter omnes Cardanus lib.4. de ſubtilitate, defendit gigni Cometas in planetarum regione. Ante Ariſtotelẽ numera pro hac opinione Artimidorum, Anaxagorã, Democritum,Hippocratem,Chium, Æſchylum,Apollonium,Myndiũ, qui addit Chaldæos,à quibus didicit, ponere Cometas inter planetas. Veteribus adnecte Tychonem per totos integros libros, nec non in ſuis Epiſtolis hoc paſſim demonſtrat. quem ſequuntur Mathematici huius memoriæ.

95. *Probatur ratione & demonſtratione.*

Probatur ſecundò ratione, ſeu demonſtratione Mathematica, cuius fundamentum eſt ille motus diurnus viginti quatuor horarum, quo Cometæ terram circumeunt,& ſtellarũ motibus ſe accommodant,& quibus æquali ſtatione reſpondent. Si Cometæ in hac aëris regione fulgerent,vbi cætera meteora collocamus,& ita in gyrum terræ mouerentur,neceſſariò ſequeretur,quod adeo nobis velociores in ſuo motu viderentur,vt potius dicendi forent fulmina rapidiſſima in volando,quàm Cometæ in progrediendo.Quod ſic demonſtro. Poſitus homo in montis vertice ſpatium decem leucarum poteſt(volgariter loquendo)ſolum proſpicere ad Orizontis diametrum, cui aliud ſpatium aëris aliquantulum maius reſpondet.Minimè hic videbit adeo lente moueri Cometam,vt terat ſpatium duodecim horarum in tam exiguo itinere faciendo;& reliquum ei ſit alterum duntaxat duodecim horarum ſpatium, in quo telluris, & aëris circuitũ omnino debet abſoluere. Bene igitur ſequitur, quod ſi in aëria regione ille Cometa micaret,illas leucas velocitate pluſquam fulminea dubio procul percurreret,ad hoc vt reſtans ſtadiũ itineris poſſit abſoluere. Etenim ſi tellus habet millia leucarum ſex in ſuo ambitu,quæ neceſſario debent permeari ſpatio 24.horarum,rectè colligitur quanta velocitate,& quàm breui nouem illæ leucæ ſint percurrendæ, vt poſtea ſuperari queant fere millia leucarum ſex. Et vice verſa, ſi ad ſex millia vincenda requiruntur 24. horæ, quàm exiguum ſupereſt temporis ſpatium ad decem ſolummodo dimetiẽdas? Planè tam velociter permeabit Cometa illud ſpatium,vt vix diſcerni queat,quod tamen eſt falſum,cùm illum videamus diſtinctè,& per multum tempus. Et quod de telluris circuitu dicitur,idem cum proportione de aëris circunferẽtia dicendum eſt. Vnde euidenter concluditur, quod cùm tam breue aëris ſpatium ad Orizontem diſcernamus, non poteſt tam lento gradu, & ad ſtellarum motum Cometam maiori, tunc enim non poſſet tam breui longiſſimum adeo ſtadium currendo obire. Atque Cometæ non in aërea,ſed in ſyderea regione communiter apparent, cum à nobis continenter videantur, quod quidem minimè foret ſi in aërea fulgerent.

Concluſio demonſtrationis.

Et confirmatur infringendo fundamentum ſuperioris ſententiæ,quia ſi Cometæ in aëris regione viderentur, ex terreis exhalationibus coaleſcerent,vt dicunt aduerſarij;ſed hoc eſt falſum, quia cum Cometæ corpus ſit nonnunquam multò terra maius, qui vapores, quæ exhalationes tam immanem machinam poſſent coagmentare? Deinde ideo dicebant aliqui Philoſophi Cometas in tertia aëris regione oriri, quia ſi ſupra illam orirentur,vel exiguæ, vel prorſus nullæ ibi prouenirent exhalationes, ex quibus Cometa coaleſceret:ergo ſi Cometa fulget in cœlo,quomodo illuc exhalatio penetrabit, quæ productura eſt illud corpus inuſitatæ magnitudinis, & aliquando amplius tota terra,vt Tycho,& iuniores obſeruant:ergo Cometa non ex ſublunari,ſed cæleſti materia componitur,atque adeo non in aere, ſed in cœlo apparet. Dices ex hac doctrina colligi cœlos eſſe corruptibiles, ſiquidem illorum materia, qualis Cometarum,eſt corruptibilis, ſed hoc eſt falſum:ergo,&c. Audacter negant minorem, & ex ipſo Ariſtotelis fundamento ad incorruptibilitatem cælorum colligunt ipſorum corruptibilitatem. Nam ideo Ariſtoteles dicebat cœlos eſſe incorruptibiles, quia in eis nulla vnquam per tot annos viſa eſt mutatio; ſed hæc ratio non ſubſiſtit, quia ſi homo poſitus in Lunæ concauo, & vſque ad terram dimittat oculos, & continenter per multos annos eos in ea habeat fixos,nullam in ea notabit mutationem propter loci diſtantiam; & nihilominus annuæ viciſſitudines ſuas efficient mutationes; ſit ergo has cæli mutationes non experimur, quia ſumus adeo diſiuncti.Vnde qui Canoculo,vel alio inſtrumento, cœlo propius acceſſerunt,multas in eo varietate obſeruarunt,quas nullus antea Aſtronomus notauit:ergo hæc ratio non ſubſiſtit.

97. *Superioris ſententiæ fundamentum infringitur.*

Tycho.

Soluitur obiectio quædam.

98. *Reſoluitur dubium.*

Si autem ab his quæras,quænam ſit peculiaris materia horum Cometarum? dicent præter communes planetas, & particulares circa Iouem, & Saturnum dari plures alios ſemiplanetas per totam auram æthercam, diſſeminatos, qui non ſunt ita diſpoſiti, vt poſſint ſolares radios recipere, & ad nos reuerberare; hi verò quando inter nos,& Solem interponuntur, ita eiuſdem partes videntur eclipſare, vt quandam ſpeciem macularum ſolarium præſeferant. Ex hiſque ſemiplaneras dicent fieri materiam Cometarum, ſeu conglobationem ſolaribus radiis, vel alterius aſtri luminibus affectam. Hæc opinio fuit inſinuata ab antiquis, vt habes apud Conimb.allegatos. Quod autem Cometa aliquando vel ſupra ipſum ſolem fulgeat, docuit experientia certis obſeruationibus comprobata.

Conimb.

LIBER

LIBER QVINTVS

DE FLORIBVS VARIIS.

PROLVSIO.

SACRIS *poſtibus affigo de hoſtibus trophæa, vel apud Olyſiponenſes, vel Conimbricenſes Academicos olim erecta. Semel atque iterum Rhetoricæ theſes fixit, ſeu potius extulit belli teſſeras: victus nunquam ceſſit, ſemper triumphauit: certè non ſine nominis ſplendore, mirus enim eſt Rhetorici pulueris ſplendor. Inter rubentes galearum criſtas paſſim vernat roſarum gratia, inter haſtas hoſtili ſanguine rorantes emicant lilia, grata ſurgit florum varietas. Credas Bellonam abire in Floram. Nouus hic Mars inter armorum rigorem, & florum virorem ſancit amicum fœdus,*

Inſolitíſque docet galeam miteſcere ſertis, Claud. lib. 1. de raptu Proſ.
Ferratus floreſcit apex, horrórque receſſit
Martius, & criſtæ placato fulgure vernant.

Itaque horror armorum nullus, qui deterreat; qui verò alliciat, plurimus. Ego autem felix ſi omnia, quibus ille vſus eſt armis, poſſim tibi induere. Pauca iſta (heu dolor! & aliquando trunca poſt multum ſudoris in incudem redigo. Nocuit ſacra hominum cupiditas, priuatam lucem amans, publicam exoſa. Verùm Troianos iſtos Græco habitu indutos boni Vlyſſes incurſant, quia

—— clypeos mentitáque tela Virg. 2. Æneid.
Agnoſcunt, atque ora ſono diſcordia ſignant.

PROBLEMA I.

Quid illuſtrius, Patrem appellari, an Dominum.

1. Patris nomen dignitatis argumentū.

PRINCIPES viros appellari quondam *patres* nemo dubitat, qui vel prima humanitatis tyronicia poſuerit. Quod ex Virgilio in primis palàm eſt. Apud quem in 2. Æneid. de Ænead locutum,

Virgil.

Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto.

& in 8.

At pater in ripa, gelidíque ſub atheris axe.

Ibidem paulo inferiùs,

Tum pater Æneas puppi ſic fatur ab alta.

In 7. de Rege Latino,

Quem pater inuentam primas cùm conderet arces,
Ipſe ferebatur Phœbo ſacraſſe Latinus.

Et ſtatim,

Hic & tum pater ipſe ferens reſponſa Latinus.

Ruſus in 12.

Et nos tela pater, ferrúmq; haudi ignobile dextra
Spargimus.

Tandem de Euandro in 8.

Tum pater Euandrus dextrā complexus euntis.

Patris nomen diuinitatis argumentum.

Ex quibus teſtimoniis planum eſt *Patris* nomen magnum fuiſſe dignitatis argumentum; aliquando etiam diuinitatis, vt ex eodem Poëta facilè probo

Æneid. 10. de Ioue ſic habet: Virgil.

O pater, ò hominum, diuúmque æterna poteſtas.

In 3. de Apolline ſic:

Da pater augurium, atq; animis illabere noſtris.

In 2. Georg. de Baccho,

Huc pater, ò Lenæe veni.

In 8. de Vulcano,

Tum pater æterno fatur deuinctus amore.

Et quidem dignitatem, & diuinitatem huius nominis oſtendit Ouidius, cùm illud primariis viris cum Diis commune eſſe dixit. Sic enim habet 2. de triſtibus; de Auguſto,

Tu quoque cùm Patriæ Rector dicare, patérque, Ouidius.
Vtere more Dei nomen habentis idem.

Neque ſolùm profanis, ſed etiam in ſacris literis hoc nomen *patris* tribuitur viris dignitate præcedentibus. Sic ab auaro diuite Luc. 16. honoris cauſa nuncupatur, *Pater Abraham, mitte*

Laza

Lazarum, &c. Imò potius in Deo, vt egregiè inquit Cyrillus, *Maius eſt patrem eſſe, quàm dominum, cùm ſit plus in Deo filium generare, quàm mundum creare.* Sed vt ad humanas literas recurramus, ſicuti pater ſignificat primarios viros, ita
Matris nomē palmarium. mater primarias fœminas; ruſus ſicuti pater Deos, ita mater Deas, vtriuſque rei teſtimonia ſunt in promptu. Pro fœminis primariis vſurpantur matres apud Virgilium 8. Æneid.

Virgil. *—— Caſtæ ducebant ſacra per vrbem*
Pilentis matres in mollibus.

Item apud Ouid. 1. Faſtorum.

Ouid. *Nam prius Auſonias matres carpēta vehebant.*

Deam Cybelem ſignificat nomen matris 7. Æneidos.

Virgil. *Idæúmque Iouem, Phrygiámque ex ordine matrē.*

Idem nomen in 3. Venerem ſignificat.

Sacra Dioneæ matri, diuiſque ferebam.

Tandem Nereidum Regina 4. Georgicon eodem nomine effertur.

Mater Cyrene, mater quæ gurgitis huius
Ima tenes, &c.

Patris nomen apud Perſas Herodot. Iam verò apud Perſas tanti ſemper parentes fuerunt, vt quoties Rex Perſidem obibat, ſingulis parentibus binos aureos dono daret. refert Herod. lib. 1. Herod. lib. 15. Lacedæmonij autem, auctore Ariſtotele 2. Polit. 7. parentes ab omni onere Reipub. ſolutos, & immunes volebant, vnde neque ad excubias, neque ad alia laborio-
Apud Lacedæmones. Ariſtot. ſa munia cogebantur. Imò Lycurgi legibus cælibes à ludorum ſpectaculis prohibebantur. Vnde cùm Imperator Dercillida in theatrum deſcenderet, iuniorum nemo ei aduenienti ſede ceſſit, cùm pro ſe quiſque diceret, *Ne tu quidem,*
Plutarc. *Apud Roman.* *qui mihi ceſſurus ſit, genuiſti.* Ita Plutarc. in apoph. Lycurgi. At verò Romani nunquam magiſtratus niſi parentibus deferebant, vnde Senatores patres dicebant, cæteróſque optimates patricios,
Liuius. Florus. vt Liuius & Florus narrant. Quare ſæpenumero alicuius honoris candidati, cùm in comitia deſcendendum erat, fictis adoptionibus liberos mentiebantur, tradit Tacitus lib. 15. qui etiam lib. 2. annal. *Plerique*, inquit, *nitebantur, vt muneris liberorum in candidatis præpolleret, quod lex in-*
Lipſ. *bebat.* Vide Lipſium pag. 63. vbi ait lege Papinia in magiſtratu, & ſorte prouinciarum præferri in prolibus eos, quibus proles erat. Denique tantus fuit habitus honor parentibus, vt eis poteſtas concederetur animaduertendi etiam capi-
Bud. Alex. Tiraq. taliter in filio, vt Bud. tradit in Pand. p. 2. fol. 73. & Alexand. ab Alex. lib. 4. c. 8. quem conſule, & Tiraquellum ibidem. Hæc pro Patrum, aliàs pro dominorum dignitate.

PROLEMA II.

Qui ad bellum aptiores, barbati, & comati, an imberbes, & obraſi.

3. NEſcio ſanè, quo errore, vel furore percitus in comatos, alioquin honeſtos mortales, & decenti barbarum cultu venerabiles crudeliter adeò excandeſcis, & bilem vomis, dum omnem illis prorſus fortitudinis gloriam per ſummum adimis dedecus, & iniuriam, illámque effœminatis imberbium gregibus, quaſi hæreditariam iactabundus palàm addicis.

Age igitur, & imberbes tuas, ſeu imbelles turmas inſtrue, infirmas diſpone acies, dotonſas adhortare cohortes. In fronte verò tanti exercitus *Comati bello apti.* Alexandrum Macedonem minimè opponas mihi ſuis militibus obradi barbam imperantem, quando ille luxu Perſico fractus, atque eneruatus Macedonicam aſperitatem prorſus exuit, & fragilem, mollémque induit naturam, cùm ſcilicet ſuorum militum robore diffideret, barbam radi iuſſit, ne hoſtibus prædæ anſam præberent. *Alexander iuſſit radi barbam militibus.* Teſtatur Plutarchus in Apophthegmatis ipſius Alexand. Chryſippus lib. 4. ex eo Athenæus lib. 13. cap. 6. Alexander ab Alexandro genialium dierum lib. 5. c. 28. poſt medium. Tiraquellus ibidem. Plutarc. Chryſoſt. Athen. Alex. Tiraquell.

Deinde ne obiicias Arabes, Abantes, Nyſios, Curetas, nec Ætolos tonſos pariter, & obraſos, capillos enim anteriores imbecillitatis potius, quàm fortitudinis ergò raſitabant, ne ſcilicet ab hoſtibus per crines raperentur; quaſi iam formidoloſam illorum comam fortitudinis indicem perhorreſcerent. Ita ſcribit Alexander ab Alexandro loco proximè citato. Nec patientiſſimus Iob pro te pugnat, dum caput totondit. *Et tonſo capite*, &c. cap. 1. 20. Hoc namque fecit non fortitudinis, ſed religionis diuinæ cauſa; vt gratiſſimum videlicet Deo offerret ſacrificium; ſolebant enim veteres in ſacrificiis ſumma pecudum capita abradere. Teſtatur Mantuanus 12. Æneid. *Barba in ſacrificium oblata.*

Dant fruges manibus ſalſas & tempora ferro Virgil.
Summa notant pecudū, paterîſque altaria libant.

Imò Gentiles cæſaries ſuas offerre ſolebant venerationis ergò; Suetonius in Nerone. Nero inter Buthyſiæ apparatum barbam primam poſuit, conditam in auream pyxidem, & pretioſiſſimis margaritis adornatam, Capitolio conſecrauit. Martialis de alio quodam, Sueton. Martial.

Conſilium formæ ſpeculum, dulceſque capillos
Pergameo poſuit dona ſacrata Deo.

Potiſſimùm verò cùm quis pubertatis annos 4.
incipiens pubeſceret, & primò barbam tonderet, illam primam barbam abſciſam Diis conſecrabat. Ita Theſeus apud Plutarchum; Achilles apud Homerum: tradit Cælius lib. 4. c. 22. vbi etiam dicit, fluminibus & Apollini ſolitas eſſe dicari barbas, id eſt, aquæ & Soli; eo argumento, quòd ex humecta feruidáque natura conſtant animantium incrementa. Martialis illo Domitiani liberto, qui Æſculapio in aurea pyxide reconditos crines obtulit. Plutarc. Homer. Cælius.

Accipe laudatos iuuenis Phœbeie crines, Martial.
Quos tibi Cæſareus donat habere puer.

Eius etiam conſuetudinis meminit Iuuenalis Satyra 3.

Ille metit barbam, crinem hic deponit amati Iuuen.
Plena domus libis venalibus, &c.

Hoc fuit in cauſa, quòd præſcripto etiam tempore Nazaræus raderetur ex vi legis Num. 6. ſcilicet propter periculum immolandi dæmoniis capillos enulſos. Sancitum erat lege, vt ipſa cæſaries & capilli, qui creuerant toto illo Nazaræatus tempore, Domino conſecrarentur, ignéque diuinorum ſacrificiorum comburerentur. Denique ne opponas fortiſſimas mulieres virili planè robore præditas, quæ crines ſuos totonderunt: laudas Carthaginenſes matronas, quæ, teſte Floro lib. 2. c. 15. crines ſuos *in tormentorum vincula* aduersùs Romanos *obtulerunt*. Laudas item Romanas, quando Galli primùm in Vrbem impetum fecerunt, quia, vt refert Plutarchus *Mulieres quæ crines raſitarunt.* Florus. Plutarc.

&

Capitol. & Capitolinus, raſitarunt comas, vt ex eis viri militares machinas conflarent. Hinc natum, *Venus unde calua.* quòd Romani Venerē caluam coluerint. Laudas Aquilienſes tantam erga ſuos ciues fidem ſeruantes, vt deficientibus neruis capillos reſecuerint, quibus funes necterentur in arcus flectendos, & ſagittas emittendas. Laudas denique præ omni-Barrius. nibus Luſitanas apud Dienſem obſidionem, quæ maſculo robore præſtantes, auctore Barrio, ſuppetias militibus crinibus ſuis attulerunt, vel eis cæſorum vulnera alligantes, vel bellicos funes *Capilli fortitudinis argumentum.* in barbarorum perniciem conficientes. Magna ſunt hæc omnia, & quidem miracula fortitudinis, verùm ſi attendas in meam ſententiam; nam omnia teſtantur capillorum fortitudinem maximam. Omiſſis igitur aliis, quæ pro hac parte conici poſſunt argumentorum telis; iam meas inſtruo turmas, in fronte totius exercitus Samſonem colloco crinali tantùm virtute obarmatum, efferatos leones dilacerantem, vincula iniecta diſrumpentem, hoſtiles copias profligantem, co-*Samſonis coma.* lumnas altiſſimas conſternentem, & alia glorioſa facinora portentoſis viribus, & inuicto ſemper animo perpetrantem. Quo tamen clypeo pro-Iudic. 16. tectus, quo gladio accinctus, quo telo fulminans, quo æneo thorace impenetrabilis? Vno dumtaxat capitis crine armatus. O miram capillorum fortitudinem! Iam igitur haſtam abiice, & ceſpitem porrige, & te victum fateri incipias, &c.

5. *Capilli fortitudinis indices.* Quòd ſi ad diuinam virtutem confugias, iam cœleſtes ſuppetias quæris, iam ad diuinum confugis aſylum, ſi tempus ſuppeteret, mille duces nominarem, qui abſque miraculo decenti comarum ornatu erant hoſtibus formidoloſi. Innumeris profectò fortiſſimorum virorum monumentis te obruerem, & exemplis ſuperarem. Ex Ambroſ. ſacris Diuorum Scriptorum fontibus vnum haurio. D. Ambroſius lib. 1. Hexaëmeron appellat *comam in ſenibus venerandam, in ſacerdotibus ſacram, in bellatoribus terribilem, in adoleſcentibus decoram, in mulieribus comptam, in pueris dul-*Cœlius. *cem.* Lycurgus apud Cœlium lib.8. lect. antiq c.26. Aſſuefaciebat iuuenes, vt comam nutrirent, vt terribiliores eſſent. Spartanorum Rex Leonides fortitudinis cauſa comam geſtabat; apud Ti-Tiraq. raquellum in genialibus diebus ſuprà citatis fortiſſimus dux Ariſtomenes, qui trecentos ſolus Plin. Plutarch. occidit Lacædemonios, poſt mortem repertus eſt habere cor piloſum, & hirſutum, Plin. lib. 11. cap.37. Idem affirmat Plutarchus in Parellelis de Leonide Rege fortiſſimo. De Hermogene idem Cœl. Ouid. Silius. tradit Cœlius lib. 11. cap.40. Ergo teſte Polyphemo apud Ouid. lib.13.

Virgil. *Barba viros hirtaque decent in corpore ſeta.*

Ouid. &, vt cecinit Virgilianus Paſtor.

Virg. in Buc. ——*Hirtúmque ſupercilium, prolixaque barba.*

Iam verò Hector prolixam barbam, & capillitium habuit, Mantuanus 2. Æneid. Scipio Africanus non aſpernatus eſt hunc morem. Silius Italicus lib. 8. Punicorum.

Martia frons faciléſq; coma, nec ponè, retróque Cæſaries breuior.

Hieron. Vnde è contrario validiſſimum contorqueo te-*Radere comā ſignum mollitudinis.* lum. Radere comam, eſt ſignum mollitudinis. Teſtatur D. Hieronymus lib. 13. ſuper Ezech. cap.44. & lib.4. ſuper Iſai. cap. 15. & lib. 5. cap. 3. Sueton. Conſentit Epiphan. lib. 3. Panarij, vbi adducit *Iulius Cæſ. & Otho Imperatores abraſi.* Apoſtolicam conſtitutionem contra eos, qui pilos barbæ ſecant. Vnde Iulius Cæſar, & Otho Imperatores apud Sueton. malè audierūt, quorū ille ea moroſitate, ac diligentia dicitur raſiſſe barbam, vt pilos etiam pertenues velleret. Hic verò delicatiùs quotidie ſibi faciem raſitabat, ac panno madido leniebat, idque fecit à tempore pubertatis, ne barbatus vnquam eſſet. De quibus Sixtus Senenſis lib.5. Biblioth. annot. 244. Hos Senenſ. acriter mordet Tertull. lib. de cultu fœm. cap. 8. Tertul. *Barbam acrius cædere, interuellere, circumdare capillum, diſponere, & colorare canitiem, primam quamque ſubducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri diſtinguere omnia iſta, vt otioſa, vt hoſtilia pudicitia recuſātur.* Hęc ille. Qui igitur capillos, prolixámque barbā geſtabāt, fortitudinis ſuæ argumentum præbebant, quod exēplis demonſtro. Talis ille Lucianus Princeps. *Et præterquā quòd ſuapte natura multa maieſtas inerat, adornabat promiſſa cæſaries habitúſque corporis non cultus mūditiis, ſed virilis verè, ac militaris.* Ita Liuius decad. 3. lib.8. poſt duas libri partes. Talis ille Luſitanus Indiæ prorex Ioannes Ca-*Ioan. Caſtrin Indiæ prorex.* ſtrius inuictæ fortitudinis vir, qui cùm prolixam, venerabilémque haberet barbam, crinem dumtaxat auulſit, eúmque oppignauerit pro ingenti pecunia ſoluenda, quam à Goanis ciuibus mutuatus fuit pro ſuſtinenda Dienſi obſidione, & cùm aduersùs hoſtes Luſitani nominis apparatiſſimam claſſem vellet exædificare, & aliunde Ælian. regales redditus non ſufficerent. Inde Ælianus lib 8. de varia hiſtoria, refert Alexandrum Magnum abſque cura capillos promiſſos, & deiectos geſtare. Catonem laudat Lucanus.

Ille nec horificam ſancto dimouit ab ore Lucan.
Cæſariem.

Concinit de eodem Lyricus lib.2. Od.15.

—— *& intonſi Catonis,* &c. Horat.

Similem laudem præſtitit Curio.

Hunc & incomptis Curium capillis.

6. Albuquer. Magnus ille Albuquerius, redeo ad Luſitanos, noſtri nominis ingens gloria, & ornamentum, totius Orientis terror, ac dominator, belli fulmen inſuperabile, Albuquerius, inquam, vt narrat Ioannes Barrius decad. 3. adeò metuendus, formidoloſus, & venerabilis hoſtibus erat de-*Barrius ſcriptor Luſitanus.* centi barbarum, & capillorum cultu, vt illis aliquando pro armis quodammodo vteretur. Illos tamen minimè laudo, qui in enutriendis capillis nimis diligentiores ſunt, & in hoc dies conſumunt. Iam verò illos, qui arguti pectinis benefi-*In capillis nutriēdis nimis diligētes damnantur.* cio crines comunt, & in annulos torquent, ſeu, vt loquitur Apul. lib.1. & 2. de Aſino, qui non Apul. erubeſcunt geſtare crines & antependulos, & retropendulos, molliter emiſſos, ac defluentes: nunc eoſdem oſtentant criſpatos, & temerè vndantes; nunc per colla diſpoſitos, ſenſímque ſinuato patagio reſidentes, & pauliſper ad finem conglobatos; aliàs verò, quod turpius eſt, odoribus affluentes, cinnama fragrantes, balſamáque rorantes. Hos igitur, veluti Reipublicæ peſtes damnamus, ac totius imbecillitatis, mollitieique officinas magnopere deteſtamur. In hoc Cle-Clem. Alex. mens Alexandrinus lib.3. cap.3. quo teſte, *hi virtis non ſecus, ac fœmina comas alligantes, laſciuiēte iniquitate, in alium degenerāt ſexum. Atque leones, inquit ille, quidem de hirtis ſuis pilis ſe iactāt, ſed in pugna eis armātur. Apri quoque ipſi gloriātur de ſuis criſtis, ſed eos pilis inhorreſcentes pertimeſcunt venatores.* Quaſi verò hominibus nimius *Mediocritas in capillis nutriendis laudatur.* capillorum cultus potius ſit ignauiæ, quam fortitudinis ſignum. Nutrire nihilominus comam abſque luxu virile quidem eſt. Galli enim, eodem Clemente, auctore & Scythæ comam nutriunt,

ſed

ſed non ſe immodicè colunt, & terribile præ ſe fert denſum barbari capillitium. Placet mediocritas hæc in te. Vnde eſt illud Martialis lib. 2. ad Pannicum,

Mart.

Pectere te nolim, ſed ne turbare capillos;
Splendida ſit nolo, ſordida nolo cutis.
Nec tibi mitrarum, nec ſit tibi barba reorum.
Nolo virum nimium, Pannice, nolo parum.

PROBLEMA III.

Quod magis Principem deceat, venationis exercitium, an lectionis ſtudium.

7. *Saluſtius carpitur.*

PErperam à Saluſtio factum, ac temerè dictum, proœmio de coniuratione Catilinæ, cùm venandi ſtudium inter ſeruilia officia recenſuit: Nobilium enim, Heroum, Principum, Regúmque proprium eſt venationis ſtudium. Idque frequentiſſimum erat apud antiquos, vt principes viros canes vbique comitarentur. Hinc adeò Homerus in concionem Achiuorum Telemachum centum duobus canibus circumſeptum induxit. Quò reſpexiſſe videtur Virgilium Æneid. 8. cùm Euandrum regem clariſſimum ſequenti canum comitatu incedentem canit,

Venationis cura Reges decet. Homer.

——Greſſúmque canes comitantur herilem.

Virgil. ſeru.

Quem locum interpretatus Seruius Saluſtianum illud in Romana hiſtoria affert: vbi Syphax inter duos canes ſtans Scipionem appellauit. Idem verò Virgilius æneid. 9. Numanum cognomento Romulum hæc gloriabundum de Italis iactantem finxit,

Venatu inuigilant pueri, ſyluáſque fatigant.

Virgil.

Quaſi regiam Italorum educationem, liberalémque morum diſciplinam, & inſtitutionem commendaret. Eodémque laudis genere Helymum & Panopem regis Aceſtæ comites affecit Æneid. 5.

Tum duo Trinacrij iuuenes, Helymus, Panopéſq;
Aſſueti ſyluis comites ſenioris Aceſtæ.

Quin etiam de Lauſo Principe adoleſcente Mezentij munificentiſſimi ac ſuperbiſſimi Regis filio, idem ornamenti laudíſque genus prædicauit, lib. 5.

Principes venationi dediti.

Lauſus equûm domitor, debellatórque ferarum.

De amico verò,

-----Inde ferarum
Vaſtorem Amycum, quo non felicior alter
Vngere tela manu, ferrúmque armare veneno.

Ipſique Æneæ turbulentiſſimæ tempeſtatis periculum euadenti, nihil antiquius, priúſque fuiſſe dixit Poëta, quàm venationem; cùm rupem aſcendens ceruos deſpexerit.

Conſtitit hîc, arcúmque manu celeréſq; ſagittas, &c.

8. Adde, ſi lubet, Iuli filij cum parente ænea, ducente vtrumque Regina Didone venatum. Neque verò id ſine more, ſine exemplo, ſine auctoritate ab ænea factum. Cùm id multò antè clariſſimi quique Regum & Imperatorum, poſteris quoque documento futuri præſtitiſſent. Non ſolùm enim Achilles, vt Statius Achil. 2. tradit, venationem exercuit, ſed Deorum etiam inuentum fuiſſe, Xenophon iudicauit, quod Apollini ac Dianæ tribuit. Venatui deinde ſtuduere herôes, Chiron, Cephalus, Æſculapius, Neſtor, Theſeus, Hippolytus, Palamedes, Vlyſſes, Mneſteus, Diomedes, Caſtor, Pollux, & pleríque alij, omnium verò maximè Alexander, cui bellicæ virtutes, réſque præclarè bello, & glorioſè geſtæ magni cognomen pepererunt. Is ergo omnis ætatis ac memoriæ clariſſimus Imperator poſt prandium ſæpe diei reliquum venatu conſumebat, vt Plutarchus memoriæ prodidit; inter alias tamen illius venationes ea eſt magnopere celebris, quam deſcribit eleganter Curtius lib. 8. pag. 2. Cæterùm Tiraquellus de nobilitate, cap. 37. num. 138. & ſequentibus, de viris inſignibus venationi deditis mentionem facit, atque adeò venationis ſcriptores recenſet, multáque congerit in venatoriæ artis laudem. At verò de ſuo Cyro pulchrè Xenophon lib. 1. de venat. cap. 2. *In adoleſcentiæ flore venandi maximo deſiderio tenebatur; & in pugnando aduerſùs belluas pericula nulla fugiebat*, &c. Qui poſtea Cyrus venationis ludum aperuit, in quo regni primates, veluti quadam belli prælusione ad pugnas exercebat. Quin etiam Thebanus Pelopidas vir, & animi & corporis robore præcellens, primam militiæ ſuæ inſtitutionem à venationis meditatione accepit. Sic Plutarchus in eius vita. Philopœmones item Achæorum dux, quidquid ab armis otij nactus erat, venationi totum impendebat, vt qui opinaretur eam rei militaris comitem ac ſimulacrum eſſe, vt idem auctor eſt. Pompeius Magnus cum Numidiam victor peragraret, venationibus leonum, & elephantorum aliquot dies conſumpſit.

Statius. Plutarch. Curt. Tiraq. Xenoph. Plutarch.

9. Vnde à veteribus, quaſi belli ſimulachrum venatio habita fuit, vt teſtatur idem Xenophon cap. 2. In eáque Principes veluti in quadam ſchola filios ſuos educabant, vt poſtea robuſtiores, & validiores euaderent. Quam conſuetudinem optimè ſeruauit Mithridates Rex Ponti. Iam verò de noſtro Viriato narrat Plinius de vir. illuſtr. & Florus lib. 2. cap. 17. Ex venatu in Luſitanorum veniſſe Imperatorem, vnáque Hiſpaniæ totius defenſorem, alterúmque Romulum. Qui mos in Hiſpaniæ Reges fluxit continenter, præſertim in Luſitanos, quos ferè omnes venationi deditos comperimus. Illud de Dionyſio Rege admirandum, & venerandum, qui inter venandum à fera immani impetitus, & ab equo ad terram vſque exturbatus, arrepto tamen pugione Ludouici Præſulis ſanctiſſimi implorata ope, feram transfixit. Narrat Petrus Ribaden. ex aliis, quos citat in vita eiuſdem D. Ludouici. Inter omnes Rex Sebaſtianus, qui corpus venatu continenter exercebat, & cùm & animi & corporis viribus polleret ingentibus, apros ſylueſtres, & horridos, vel machæra trucidauit, vel iaculo ſæpiùs interemit, vt à teſtibus oculatis accepimus. Reges verò Galliæ venatui haud minus dediti. Pro quibus vnus fuit Carolus VI. qui in venatu optimum regni auſpicium, & cæleſte ſuæ gentis ſtemma inuenit. Quippe cui ceruus canum latratibus excitatus fuit obuius, & ad retia impulſus tandem captus. Cæterùm è collo ſuſpenſum æneum torquem geſtabat, in quo Latinis literis inſcriptum erat, *Hoc me Cæſar donauit.* Ex quo tempore Carolus pro inſigni habuit ceruum alatum auream coronam collo geſtantem. Hinc regiis Gallorum inſignibus, quæ ſunt tria lilia, duo cerui additi ſunt. Gaguinus in vita eiuſdem Caroli.

Venatio belli ſimulachrum. Plin. Flor. Ribaden. *Rex Sebaſtianus venationi deditus.* *Carolus VI. Rex Galliæ.* Gaguin.

10. Quòd autem venationis cura Principem non deceat

deceat

Digitized by Google

deceat, multa probant teſtimonia rationibus ſtabilita ſuis. Nam venatio reddit Principes, viros crudeles, & ab ipſis feris eis ferinam ingenerat naturam, & humanam procul expellit, vti dicebat nutrix illa apud Senecam in Hyp.

Truculentus, & ſylueſter, & vitæ inſcius
Triſtem iuuentam Venere deſerta colis.

Principes decet clementia. Principes verò nihil magis, quàm clementia decet, vt alibi fuſiùs docui. Deinde venatio Reges à regnorum ſuorum ſtudio prorſus ſeuocat, & alienat. Vt aliquando viſum eſt in Luſitania. Nam *Principes decet regnorum cura maxima.* Rex Alfonſus huius nominis IV. ita ſe venationi emancipauit, vt regnum in peſſum daret, ni Conſiliariorum admonitio eum ab hoc ſtudio auerteret. Enim verò Regem adeunt, & palàm illum monent, ne graue regnandi negotium in leue venandi otium conuertat, aliter quæſituros Regem, qui vigili cura ad regni clauum ſedeat. Omitto Morauiorum Regem Eſuacatapum, & Domitianum Romanorum Imperatorem, quorum hic muſcas etiam ſedulò venabatur, & ambo regnorum obliti in vltimam perniciem ea detulerunt. Neſcio qua dulcedine animos alliciat venandi ſtudium, vt eis aliarum rerum obliuionem inducat, imò diu noctúque hæc ſola cura, ac ſollicitudo illos teneat, vt bellè Claudianus cecinit lib. 3. in præfat.

Venator defeſſa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad ſyluas, & ſua luſtra redit.

11. *Vigilantia decet Principes.* Claud. Seneca. Perer. Principem autem quàm deceat vigil regnandi cura, palàm eſt omnibus; oculatum enim eum finxit antiquitas. *Illius vigilantia*, inquit Seneca, *omnium ſomnos defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio.* Præterea Reges debent ſuos præire exemplo; *in Scripturis vero ſanctis*, inquit D. Hieronymus, *non inuenimus ſanctum aliquem venatorem.* Hieron. Tullius. Vnde Lamech, Nemrod, Iſmael, & Eſau, quos ſacra oracula appellant *venatores robuſtos*, ſcelerati homines reputantur. Eandem notam Thebani meruerunt, qui venationem continenter exercebant. Vnde nata apud Græcos parœmia, *Solùm mali venantur.* Quòd verò populi, & Dynaſtæ etiam ad Regis exemplum conformentur, alibi oſtendi, & modò obuia fit Ciceronis epiſtola, *Quales in Republ. Principes ſunt, tales reliqui ſolent eſſe ciues.* Occurrit Plinius in Paneg. *Non tam imperio nobis opus, quàm exemplo.* Plin. Offendo Quintil. declam. 6. *Hac conditio Principum, vt quidquid faciant, præcipere videantur.* Quintil. Non fugit Seneca in Thyeſte act. 2. *Rex velit honeſta, nemo non eadem volet.* Seneca. Premo calamum, litem ſoluo. Honeſta venatio, & decens eſt Principem; fiat tamen ſiue in publicum, ſiue in peculiare commodum, quod ad honeſtatem conducat, conueniensque ſit rationali naturæ. Arbiter eſt D.Thom. D.Thom. 1 par. q. 96. art. 1. & 2.2. q. 64. art. 1. Accedit Benedictus Pereira cap. 25. in Gen. num. 60. Scias igitur ſtudium, & venandi exercitium malum non eſſe, neque ob id aliquam contraxiſſe culpam Eſau cùm illius venationibus valdè delectatus fuerit ſanctiſſimus Pater Iſaacus, & ob hanc vnam cauſam eum præcipuè dilexerit. Habes tuos Reges liberatos, quibus haud minus conuenit lectionis ſtudium, quàm venationis exercitium, ſed de primo illo munere ſatis dictum eſt problem. 11.

***

Mendoça Viridarium.

PROBLEMA IV.

An errent qui ſolùm ebrios in conuiuiis coronari ſolitos aiunt.

AD alios veterum mores hic etiam admiſſus erat, vt in feſtis, & maximè ſolemnibus cōpotationibus conuiuæ coronarentur. Cuius rei 12. authores habemus, non Seruium modò, ſed Ouid. etiam Faſt. 5. Ouidius.

Tempora ſubtilibus pinguntur tecta coronis,
Et latet iniecta ſplendida menſa roſa.

Atteſtatúrque idem Latinus Poëta Æn. 8.

Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris. Virgil.

Huius verò rei cauſam ex Ariſtotele, & Ariſtone peripateticis hominibus acceptam ſingularis eruditionis vir Athenæus inculcauit. Athen. *Nam cùm veteres liberaliùs in ſuis ſympoſiis vino ſe inuitarent, ac profuſiùs biberent, vt capitis doloribus, qui ex vino largius hauſto fiunt, occurrerent; faſciis caput, aliiſque ligamentis circumligabant. Poſtea tamen progredientibus ætatibus hominum, vt aſſolet, ad explenda, ornandáque antiquitatis inuenta ingenioſum ſemper genus, neceſſitati, & vtilitati huic, ornamentum etiā & elegantiam ineſſe voluit, inuentúmque addidit decorem. Corolla igitur in ſympoſiorum licentia introducta ſunt, quæ & vſum priorem facilè præſtarent, & ſpectantium oculis nitidam etiam cultus elegantiam decenter afferrent.* *Corona decorem affert, & ornamentum.* Hæc Athenæus. Cæterùm, vt id quoque addamus, coronas ad valetudinem hominis compoſitas fuiſſe, Plinius eſt author lib. Plin. 21. c. 3. quibus aliquam ineſſe ſcribit valetudinis portionem, in potu atque hilaritate præcipuè, odorum vi ſubrepente fallaciter. Idémque lib. 24. c. 10. vbi de ſmilace. *Coronam*, inquit, *ex eo, ſmilace nimirum, factam, impari foliorum numero, aiunt capitis dolori mederi.* *Capitis dolori medetur, vt veteres ducebant.*

13. *Corona in conuiuiis honor maximus.* Ego verò huic rei enucleandæ, & inculcandæ paulò fuſius ſtudere, quàm vino in conuiuiis priſci mortales indulgerent, operæ pretium duxi, non tam vt laurea donet Appollinari, quàm vt errorem illum doctiſſimis quoque viris, & reconditiſſima planè eruditione præditis iniectum vos monerem, quo putant, non peruicaci, credo, aliqua libidine obſtinati, at opinione ſua falſi, coronam ſumere in conuiuio ebriorum tantùm fuiſſe homunculorum. Quibus ſanè non pauca ex antiquitatis monumentis petita teſtimonia fauere magnopere videantur, in quibus reſtim ducit Plautus, Plaut. qui in Amphitrione Mercurium ſic alloquentem induxit; *Capiam coronam mi in caput, aſſimilabo me eſſe ebrium.* Affine eſt illud eiuſdem in Pſeudolo; *Quid te ego video cum corona ebrium Pſeudolum tuum.* Huic compar eſt Senecæ Seneca. locus in Medea.

Huc incede gradu marcidus ebrio,
Præcingens roſeo tempora vinculo.

Cui proximum adde ex Ouid. Faſt. 5. Ouid.

Ebrius incinctis Philippa conuiua capillis
Saltat & imprudens vtitur arte meri.

Neque hic abludit Virgilius de Sileno ebrio ſene locutus Eclog. 6.

Serta procul tantum capiti delapſa iacebant, Virgil.
Et grauis attrita, &c.

Quæ quidem omnia tragulam nobis à latere iniicere videri poſſunt; quod ego ſpiculum à veſtris animis leui niſu ſic auulſum velim, vt non vniuersè hæc accipienda exiſtimetis. Neq; enim, vt reliqua mittam, tam nefariam iniuriam in

Æneam ſuum Virgilium ſæpe conieciſſe credendum eſt, cùm eum coronatum conuiuari fingit, vt Æn.8. ſic deinde effatus.

——frondenti tempora myrto
Implicat,&c

Sed ſatis de his, ne nauſeantes vos videam.

PROBLEMA V.

Qui locus honoratior ſit.

14. VArij fuêre apud varias orbis gentes tributi locis honores. Primum aliæ, aliæ verò ſecundum, plurimæ quoque vltimum præſtantiſſimum eſſe arbitrantur. Verùm plerique etiam mortalium locum medium præ cæteris honoratiſſimum eſſe duxerunt. Homerus enim Iliad. lib. vltimo, ſenem Priamum medium inter liberos collocauit. Quin & à Virgilio ſolertiſſimo Homeri imitatore dictum memini Æneidos 1.

Homer. *Locus medius olim in conuiuiis præſtantiſſimus.*

Virgil.
——aulæis iam ſe Regina ſuperbis,
Aurea compoſuit ſponda, mediámque locauit.

Donat. Seruius. In quo loco illuſtrando Donatus, atque Seruius interpretes citant illud Salluſtij ex hiſtoria Romana, quæ temporis diuturnitate contabuit, ac penitus aboleuit. *Igitur diſcubuêre*, ait, *Sertorius inferior, in medio ſuper eum, T. Fabius Hiſpanienſis Senator. Ex proſcriptis in ſummo Antonius*. Hactenus Salluſtius, qui conuiuium apparatiſſimum, quo Sertorius Fabium excepit, ita deſcripſit, vt Sertorium ipſum, tanquam conuiuij exhibitorem in loco infimo, hoſpitem autem nobiliſſimum Fabium in potiſſimo, medio ſcilicet collocarit. Infrà verò idem Salluſtius ſic: *Scriba*, inquit, *Sertorij, Verſius, & alter ſcriba Mecænas, medius inter Tarquinium, & Deacium, Perpenna*. Huic rurſus germanum eſt Virgilianum illud Æneid. 5. de Ænea.

Salluſt.

Virgil.
Ille è concilio multis cum millibus ibat,
Ad tumulum, magna medius comitante caterua.

Quò item ſpectat illud ex eodem libro;

——Quò ſe multis cum millibus heros
Conſeſſu medium tulit.

Vtrique verò concinnè concinunt illi ex 6. Æneid.

Muſæum ante omnes medium, nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris extantem ſuſpicit altis.

Atque huc etiam alluſiſſe crediderim Ouidium Faſtorum 5. de loco ſenioribus debito loquutum.

Ouid.
Et medius iuuenum non indignantibus ipſis
Ibat, & interior, ſi comes vnus erat.

Sueton. Germanum mihi videri ſolet illud ex Tiberio Suetonij; *Medius*, ait, *inter duos conſules, cum Auguſto ſimul ſedit*. Idem rurſus de Claudio c. 24. *De maiore negotio acturus in curia medius inter cõſulum ſellas tribunitio ſubſellio ſedebat*. Vt tamen ad Virgilium redeamus, ipſe decimo quoque libro Æneid. de Ioue loquutus,

Virgil.
——Solio tum Iupiter aureo
Surgit, cælicola medium quem ad limina ducunt.

15. Salluſt. Neque tamen hac in re pulcherrimus Salluſtij locus omittendus, idcirco enim, in Iugurtha Hiempſalem, Adherbali ad dextrã aſſediſſe ſcribit, ne medius ex tribus, quod apud Numidas honori ducebatur, Iugurta foret. Extat apud Spartianum locus ſcitu ſanè perquam digniſſimus. Cùm enim Adrianus Imperator ſeruum ſuum infimæ ſortis homuncionem inter Senatores obambulantem fortè conſpicaretur, niſi qui colaphos improbo, ac procaci ſeruo infligeret, & cum malo atque contumelia ex Senatorum conſocietate, medióque loco, id eſt, potiſſimo, diſturbaret. Illud item ex media antiquitate petitum huc pertinere videtur; quod de Syro Xenophon memoriæ proditum reliquit, quem Regem medium inter amicos, & conuiuas diſcumbere ſolitum atteſtatur. Neque alius planè fuit Poëtæ animus cùm lib. 11. dixit,

Spart. Xenoph. Virgil.

——Sedet in mediis Rex maximus æuo,

cùm ſcilicet de Latino rege ſermo incidiſſet.

PROLEMA VI.

Vter vir loco, an locus viro ornamento ſit.

NOn ſolùm hominem locus, ſed vir ſæpe locum nobilitat, & exornat. Nam Dionyſius Tyrannus in Ariſtippum indignatus, cùm illum extremum omnium feciſſet accumbere; ille ſic: *Illuſtrem*, inquit, *hunc locum fieri, & apparere voluiſti*, autor Laërtius. At verò magnus ille Ageſilaus adhuc puer in gymnicorum ludorum celebratione, in loco parum honeſto à ludimagiſtro collocatus, quamuis per id temporis Rex quidem iam creatus eſſet, paruit tamen, dixitque; *Bene ſanè eſt; oſtendam enim non loca viris, ſed viros locis dignitatem meconciliare*, ex Plutarcho in apophthegmatis. Apud quem non diſſimile eſt illud Damonidæ, qui cùm à chori magiſtro in infimam chori partem deiiceretur; *Rectè*, *profectò*, ait, *ô chori auctor excogitaſti, quo pacto humillimus quoq; locus honeſtus fieret ac decorus.* loco igitur vir dignitatem affert, vt egregiè oſtendit Epaminondas, cui cum Thebani per ſummam contumeliam magiſtratum quempiam ſordidum, & contemptum mandaſſent, non contempſit, ſed ea cura geſſit, vt muneri priùs deſpicatiſſimo dignitas & authoritas accederet. Quapropter æquè verum eſt adagium, quod fertur, *Magiſtratus virum indicat*; atque illud aliud, *Vir magiſtratum ornat.*

16. *Viri locos nobilitant, ac officia.* Laërt. Plutarch.

PROBLEMA VII.

Inſuetum ne, an perantiquum malum perpeſſu facilius ſit.

NOtiſſimum quoque malum, & vetuſtiſſimũ, maximè tolerabile eſſe, non ſolùm Liuius, ſed plerique veterum affirmarunt. Publius Syrus inquit, *Grauius nocet, quandocunque inexpertum accidit.* Conſuetudo enim mollit labores, & quæ difficillima videbantur, diuturnitate temporis facillima redduntur. Vnde egregiè Seneca de Tranquillitate animæ. c. 10. *Nullo melius nomine de nobis natura meruit, quàm quod cùm ſciret, quibus ærumnis naſceremur, calamitatum molimentum conſuetudinem inuenit, citò in familiaritatem grauiſſima adducent*, &c. Eò etiam pertinet illud apud Virgilium Æneid. 1.

17. *Malum inexpertum ægrius toleratur.* Liuius. Syr. Seneca. Virg.

O ſocij, neque enim ignari ſumus antè laborum,
O paſſi grauiora!

Nam

Nam cùm aduersùs labores longo iam vſu, & diuturna aſſuetudine Troiani occalluerint, non intempeſtiuè hac etiam ex re eorum triſtitiam leuare ſtudebat Æneas, à laborum experientia, notionéque Troianis animum addens, & quidem meritò quando vel peſſima quæque res, ſi nota
Plaut. ſit, optima fit. Vnde adeò Plautinum illud in Trinummo prouerbiali ſchemate dictum puto, *Nota res mala, optima eſt.* Tantùm enim valet aſſuetudo, vt mala etiam, quibus aſſueuerimus, optima iudicemus; contra verò, quæ ſint optima propter inſolentiam nobis peſſima videantur. Huc item alluſiſſe videtur Ouidianum illud:

Quod male fers, aſſueſce, feres bene; multa vetuſtas
Ouid. *Leniſt.*

Neque hinc abluſiſſe crediderim, illum alium mimum, neſcio quem: *Conſueta vitia ferimus, non reprehendimus.* Etenim nihil eſt, quod ærumnas, & labores magis leniat, & imminuat, quàm vſus, cùm præſertim in omnibus potentiſſima planè conſuetudo cenſeatur, quam naturæ adeò ſimilem antiqui iudicarunt, vt vſum, alteram prorſus naturam iactitarint. Qui verò ferendis calamitatibus aſſuerint, ac multa tulerint, commodius,
Tullius. quodcumque inciderit infortunium, patientur. Cùm ſæpiculè apud Tullium legamus; *Callum animum obduxiſſe, cùm aſſuetudo ſenſum mali ademit.*
Liuius. Veriſſimè igitur à Liuio dictum, *Notiſſimum quódque malum maximè tolerabile eſſe*, &c.

Problema VIII.

Auribus ne perceptæ, an oculis hauſtæ calamitates animum grauiùs affligant.

18. *Mala oculis hauſta grauius affligũt.* ALtius in animum deſcendunt, ac vehementius commouent ad dolorem mala oculis hauſta, quàm quæ auditione percipiuntur. Cùm ergo ex eo maximè Torquatus angeretur, quòd à dulciſſimo ſuorum conſpectu, complexúque diſiunctus, chariſſimam ſibi patriam, atque homines amantiſſimos ſui familiariſſimos, coniunctiſſimos officiis, vſu, conſuetudine, demittere cogeretur; id M. Tullius ſolatij loco accipiendum eſſe monet, cum vel ob idipſum ea, quæ omnibus horis atrociter Romæ fiebant, oculis Torquatus non vſurparet. *Oculi enim*, inquit, *augent*
Cicero. *dolorem.* Quantum verò oculi dolorem augeant, vel ex eo æſtimare licet, quòd ea, quæ cernuntur, certiora ſunt, quàm quæ audiuntur. Idque adeò verum eſt, vt in prouerbium apud Græcos abierit, oculis credendum potius quam auribus. Hinc Horatius,

Nec retinent patula commiſſa fidelius aures.

Horat. Et in arte poëtica,

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

Propiùs verò ad rem pertinet, quòd Plautus
19. Plaut. lenæ manus oculatas vocat, non auritas, vt quæ id demum crederent, quod viderent. Græcum
Eraſm. verò prouerbium refertur in epiſtola Iuliani ad Leontium, quod Latinis ſic interpretatur Eraſmus. Sermo quidam Thurius dixit, aures hominibus minus eſſe fideles, quàm oculos. Quamobrem oculi augent dolorem. Quod ipſum ſignificatum voluêre veteres illi Romani, quorum magno ritu oculos morientibus aperire, rurſúſque in rogo patefacere, ſacrum fuiſſe legimus apud Plinium. Ita more condito, ne maior ex Plinius. iis, quæ relinquebantur viſis, dolor perciperetur. Vnde ſapienter Virgilius 4. Æneid. de morte Didonis,

Ter ſe attollens, cubitóque innixa leuauit, Virgil.
Ter reuoluta toro eſt oculiſque errantibus alto,
Quæſiuit cælo lucem, ingemuítque reperta.

Enimuerò, *pœnituit fœminam*, inquit Lambertus, *ſibi necem conciniſſe, qua illata lucem relinquere co-* 20. Lambert. *gebatur*; quapropter eam rem, quam diligebat vnicè, vitam ſcilicet, oculis requiſiuit, ingemuítque reperta, quia nimirum chariſſimam ſibi lucem fugientem oculis vſurpauerat, neque enim ante, ſed poſt repertam ingemuit lucem. Oculi *Aperti oculi vitam olim mortem clauſi ſignificabant.* enim augent dolorem. Per adapertum autem oculum vita olim hieroglyphicè, veluti per eum clauſum mors ſignificabatur. Hinc illa toties apud Græcos pariter, & Latinos; ſolem intueri, & lumina claudere, pro, viuere, moríque ponuntur, quò ſpectat Virgilianum illud,

----*In æternam clauduntur lumina noctem.* Virgil.

Nimirum, quantum mortuo præſtat viuus, tantum inter dolorem, profectum ex calamitate hauſta viſu, perceptave auditu intercedit. Cæterùm non prætermittam ſuperſtitioſam illam veterum credulitatem ſomnis adhibitam, qua putabant, ſi quis compeditus eſſet, aut alia quapiam calamitate circumſeptus, bene illis euenturum, qui obcæcati per ſomnia ſibi viderentur. Securitatis enim id eſſe indicium iudicabant, propterea quòd mala, quæ circumſtarent, ſic vrgerent, vt minimè tamen inſpicerentur. Bene igitur Cicero, *Oculi*, inquit, *augent dolorem.*

Problema IX.

Qui meliores, & parentibus chariores, maioréſne, an minores natu filij.

A Communi rerum parente natura inditum 21. Herodot.
ferè, inſitúmque eſt omnibus filiorum progenitoribus, vt primos quoſque fœtus ſingulari beneuolentia proſequantur. Idque verum eſſe vno, vel altero verbo confirmabimus. Ac primò quidem illud occurrit exemplum, in ea re ſanè pulcherrimum, cuius auctor eſt Herodotus in Erato. Etenim cùm oraculo aliquando accepiſſent Lacedæmonij, vt geminos Ariſtodemi, & Agiuæ filios Reges crearent, magis tamen natu maiorem, & in lucem priùs editum colerent. Igitur ignari Lacedæmonij, vter eorum prior na- *Maiores natu geniti, genitoribus chariores* tus fuerit, id quoque de induſtria matre ac nutrice diſſimulantibus. Miſſeni prudentiſſimi viri monitu Lacedæmones obſeruarunt, vtrùm puerorum priorem mater, nutríxque leuarent, atque cibarent. Qua vna ratione, ipſa ſe prodente natura, quod conſultò vtraque fœminarum occultabat, & naturæ arcanum, & callidum earum ingenium palàm ruit.

Neque enim matris affectus non prælibatos à 22. maiore natu filio honores patiebatur, quominus *Aqua aurea apud Perſas.* id, quod fallax ingenium diſſimulare ſtudebat, fido amore, & veluti inſita, immutabilíque naturæ lege pateſieret. Huc etiam pertinere arbitror, quod apud Perſas in more poſitum legitur de

Digitized by Google

aqua, quam auream vocant, eam Regi tantùm, eiúſque maximo natu filio ita bibere licet, vt à reliquis Regis filiis eiuſdem aquæ potus, hauſtúſque tenuiſſimus acerbiſſima morte perluatur; id videlicet vni ex tota regia proſapia naturæ maieſtate concedente. Ab hoc ergo parentum in maiores natu filios amore commiſerationem ex optimi adoleſcentis clade commouere apud omnes Virgilius conabatur, non tam, quòd Thyrrei filius, quàm quod natu maximus eſſet.

Virgil. *Gnatorum Thyries fuerat, qui maximus Almo.*

Quem Poëtæ locum imitatus videtur Catullus in Argonauticis,

Catullus. *Optauit genitor primæui funera nati,*

Homerus. *Liber, vt innupta potiretur flore nouerca.*

Addidit enim, primæui, vt atrocitatem generis adaugeret, ex amore nimirum erga maiores natu liberos. Quē etiā finxit Homerus Iliad. 17. in cauſa Menelao fuiſſe, vt per medios armatorum hoſtium cuneos furenti ſimilis irrumperet, pro incolumitate Patrocli dimicaturus. Quemadmodum quoque fecit querulam matrem pro vitula, quam primum enixa fuerat. Neque enim hominum tantùm animis, ſed expertium etiam rationis animantium ſenſibus ea veluti communis naturæ lex adhæret. Nam vel inertiſſima quadrupedum ſus primo cuique fœtui, primam etiam

Plinius. Ariſtot. Ælian. mammam illibatam deſtinauit, Plinio, & Ariſtotele referentibus; præſertim verò in canibus auctor eſt Ælianus, & ſi permultos ex ſe ſe pariant catulos, horum tamen primum in lucem productum parentis omnino ſimilitudinem, & ſpeciem gerere, cæteros deinde vt caſus fert eſſe natos. Pli-

Plin. nius item ait optimum ex canibus in fœtu eſſe, quem primùm fœta mater in cubile defert. Atque

Parentes ſuū filiis primis nomen indūt. ex hoc naturæ arcano ſenſu profectum arbitror, vt primis filiis inditum ſibi nomen parentes impertiantur.

23\. *Filij nouiſſimi deteriores.* Cæterùm inexplicabili quoque naturæ miraculo ſtatutum eſt, vt nouiſſimus quiſque fœtus in lucem editus deterrimus ſit, vt verò primus, ſic optimus exiſtimetur. Id, quod pleraque etiam poëtarum teſtimonia obfirmant. Ac primùm quidem nouiſſimos quoſque partus deteriores eſſe interpretatur Seruius illud Æneid. 4.

Seruius. enarrans,

Virgil. *Extremā, vt perhibent, Cœo, Enceladóque ſororem*
Progenuit, &c.

Vbi de fama ſermo eſt, & pro extrema, peſſimam interpretatur Seruius, nimirum ex Medicorum ſententia, qui vltimos viliſſimos eſſe dicunt. Ideircóque occiſus dicitur Vlyſſes, à Thelegono iuniore Circe filio, qui vt vltimus, ita peſſimus erat; de quo Horatius 3. carm. Od. 29.

Horatius. *Thelegoni iuga parricidæ.*

Homer. At enim optimos eſſe natu maximos conſtare quidem facilè poteſt ex multis Homeri locis: nam in Catalogo de Proteſilao, & Philacide eius fratre loquutus, vtrumque laudauit, illum tamen, vt maiorem natu, meliorem fecit. Idémq; in Odiſſ.

Filij natu maximi, optimi. 18. de Idumenæo rege, eiuſque iuniore fratre Æthone. Iam verò Iliad. 4. apud eundem. Iuno Dea magnopere gloriatur Saturni ſe filiam natu maximam extitiſſe. Eandem verò Iunonem ita loquentem, & iactabundam fecit Ouid. Faſt. 6.

Ouid. *Eſt aliquid nupſiſſe Iouis eſſe ſororem.*
Fratre magis dubito glorier, an ne viro?
Sic genus aſpicitur Saturnum prima parentem
Feci; Saturni ſors ego prima fui.

Sic enim Homerus Iunonem Saturni filiam natu maximam vocat, Iliad. 14. Atque, vt etiam 24. Homerus.
ſacris profana mixtis comprobentur, paululum à prima mundi molitione repetendum eſt, quod cùm de primogenitis animantium ſanctiſſimus Abel ſacrificium ritè fecerit, non ſolùm ad Abelem, hoc eſt, illius vitæ integritatem, morúmque ſanctimoniam, ſed ad ipſius quoque munera Deus Opt. Max. animaduertit. Vnde adeò primos partus ab ipſo etiam naturæ, mundique conditore adamatos, parentibus quoque gratiores eſſe oportebat. Et quemadmodum flores primi gratiores, ita parentibus priores filij, *liberi enim,* *Filij matrimonij flores.* Clem. Alex.
auctore Clemente Alexandrino Pædagog. lib. 2. c. 6. *Matrimonij flores ſunt, quos quidem carnalium pratorum diuinus colligit agricola*, &c.

Problema X.

An Poëtæ inſani.

PLato in Phædro duas conſtituit ſpecies inſa- 25.
niæ, alteram à morbis humanis; ad quam Plato.
etiam pertinet, quæ ex acribus, & immoderatis animi appetitionibus oritur. nam *omnes amantes*, vt inquit idem Plato, *ſunt amentes.* Item *ira furor breuis eſt*; vt inquit Horatius lib. 1. epiſt. ad Lob. Alteram verò ex diuina mutatione: quam inſaniam præſtantiorem, inquit, eſſe, quàm ſapientiam; cùm hæc ex hominibus fit, illa ex Deo. Hæc rurſus inſania duplex: altera in vatibus; nam Prophetidas, Phæbadas, ſacerdotes futura diuinantes, inſanos, & furentes appellat: ita Virgil. in 3. Æneid.

Horat. *Amantes, amentes.* Virgil. *Poëtæ inſani.*

Inſanam vatem aſpicies, &c.

& paſſim alibi. Sed hac inſania correptos vates, multa, inquit, bona in totam Græciam priuatim & publicè contuliſſe. Altera in poëtis: nam, vt Cicero paſſim affirmat, *nemo ſine inſtinctu, & afflatu diuino poëta magnus eſſe poteſt.* Et, vt ait Plato ibid. qui abſque inſania ad poëticas muſarum foros acceſſerit, is & poëtica ipſius euileſcet, præ ea, quæ eſt furioſorum. Sed eos furioſos intelligit, vt ſtatim explicat, qui diuinitus immiſſa inſania corripiuntur, ac proinde, qui cum ratione inſaniunt. Scripſit deinde Ariſtoteles lib. 7. problemat. *citra furorem non fieri magnum virum*. ergo neque poëtam magnum, quò pertinet illud Ouid. Faſt. 6.

Cicero. Plato. Ariſtot.

Ouid. *Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo;*
Spiritus hic ſacra ſemina mentis habet.

Qui diuino afflantur ſpiritu, eos meritò à poëtarum choro excludit Democritus. Horatius in Arte,

Poëta ſuperno ſpiritu afflantur. Horat.

——— *Excludit ſanos Helicone poëtas.*

Sed ibidem poëta illorum ridet inſaniam, qui vt ſe poëtas ſimulent inſaniunt.

——— *bona pars non vngues ponere curat,*
Non barbam; ſecreta petit loca, balnea vitat:
Nanciſcetur enim pretium, noménque poetæ,
Si tribus Anticyris caput inſanabile nunquam
Tonſori Lycino commiſerit, &c.

Cœlius. De hac re legendus Cœlius lib. 7. cap. 1. De eadem inſania ſano quidem iudicio arguitur Horatius à Damaſippo lib. 2. Satyr. ſat. 3. ad finem, qui cùm multa inſanientis Horatij congereret argumenta, maximè addit:

Horat.

Adde poëmata nunc, hoc eſt, oleum adde camino:
Quæ ſi quis ſanus fecit, ſanus facis & tu.

Hunc

Hunc poëtarum afflatum admiratus Ouidius, quo appellet nomine, ignorat. 1. Triſt. 10.

Ouid.

Seu ſtupor huic ſtudio, ſiue eſt inſania nomen;
Omnis ergo ab hac cura mens releuata mea.

27. Ergo quicunque ſanus poëtas vocat inſanos, de hoc poſteriori inſaniæ genere interpretandus eſt. Qui aliter ſentit, prorſus inſanit. Quod vnico confirmo exemplo è Catone Ciceronis deprompto. Sophocles poëta tragœdiographus à filiis accuſatur; obſecrantibus, vt eum iudices, non ſolùm vt Capularem, & Acherontium, verùm etiam vt inſanum, & elloboroſum à re familiari curanda remouerent. Quid conſilij capeſſeret bonus ſenex, tam ſanus, vt nec ex tanta iniuria ad inſaniam adigeretur? Ad cuius patrocinium exiſtimatis confugiſſe? Cuius ſuppetias imploraſſe? Cuius præſidiis viſum, ad calumniam tam atrocem repellendam? Vnam ad poëticam ſe confert plorabundus, quam nouerat omnium miſeriarum præſidium eſſe, & leuamentum ſingulare: tragœdiam illam promit, quam nuperrimè ſcripſerat OEpedium Coloneum: quærit an ſanæ mentis opus videatur? legunt iudices, admirantur grauitatem verborum, maieſtatem ſententiarum, ſuauitatem numerorum, cultum decorem, venuſtatem, artificium totius operis: negant poëma tam elaboratum, tam lucubratum, tam ad vnguem expolitum perfici & abſolui potuiſſe ab homine inſano: aiunt inſanire eos, quibus ille videretur inſanus: & quam in patrem filij machinabantur technam, eandem ſuo capiti conſuerunt. Videtis, vt non inſaniant poëtæ; ſed potius, qui hoc de illis ferunt iudicium digni ſint, qui Anticyras in exilium relegentur, vt ab inſaniæ morbo conualeſcant?

Poëtica, miſerarium præſidium.

Inſani, qui poëtas arguũt de inſania.

28. *Poëtarum inſania vnde orta.*

Sed vnde hæc fabula data eſt in vulgus, vt poëtæ inſani appellentur? Vel à vocabuli amphibolia, cùm enim cœleſtis afflatus, quo poëtæ indigent, vocetur inſania; imperitum vulgus pro ea inſania accepit, qua dementes homines agitantur. Vel quia, vt inquit Feſtus, creditum erat vulgò, Nymphas terrorem iniicere, & ad inſaniam adigere eos, quibus apparent; vnde lymphati dicti ſunt, quaſi nymphati; Nympharum autem in gratiam ſe poëtæ inſinuant, vnde neceſſe erat eos etiam inſanire.

Feſtus.

Problema XI.

Quódnam Reipub. vtilius, optimi Regis exemplum, an optimæ legis monumentum.

29. Rex eſt lex vnica, cui omnes obſequuntur. Vnde Seneca in Thyeſte,

Seneca.

Rex velit honeſta nemo non eandem volet.

Nam, vt cecinit Claud.

Claudianus

Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

Rex, lex eſt elientibus.

Einſdem oris, & cöloris illud eſt Iacobi Sannazarij epigr lib. 1. ad Federicum.

Publica nimirum tum rei ſibi conſtat, & æquum
Imperium eſt, cùm Rex, quod iubet, ipſe facit.

Sannazar.

Vnde à Virg. lib. 6. inducitur Aeneas,

Virgil.

—— Opera inter talia primus.

Claudianus. Claud. in Honor.

—— Componitur orbis
Regis ad exemplum; nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis
Mendoçæ Viridarium.

Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

Ouid. 6. Faſt. in eandem ſententiam.

Ouid.

Sic agitur cenſura, & tunc exempla parantur,
Cum iudex alios, quod monet, ipſe facit.

Iam verò, ſi Rex improbus eſt, quamuis ſint optimæ leges, omnes iacebunt; neque erit, qui ad earum obſeruantiam hortetur. Plautus in Trin. de republica, vbi mores improbi dominantur. *Mores* inquit, *leges perduxerunt in poteſtatem ſua. ea miſera etiã ad parietem ſunt fixa clauis ferreis, vbi malos mores affigi multo erat æquius.* Præterea improbi Reges non obſequuntur, ſed potiùs dominantur legibus; quod adeò pernicioſum eſt, vt dicat Plato 4. de legibus, *Interitum paratum eſſe illi vrbi in qua non lex magiſtratibus, ſed legi magiſtratus præſunt.* Idem in Theæteto ait, *puerorum eſſe hanc næniam pila ludentiũ: Qui non peccãdo ſuperior fuerit, Rex erit noſter, & quicquid volet, imperabit.* quo alluſit Horat. 1. epiſt. ad Mecænatem,

Plautus.

Regum mores in leges abierunt.

Plato.

—— At pueri ludentes, Rex eris, aiunt,
Sic rectè facies. Hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi nulla palleſcere culpa.
Roſcia, dic Sodes, melior lex, an puerorum
Nænia? quæ regnum rectè facientibus offert,
Et maribus Curiis, & decantata Camillis.

Horat.

Regnum atque regnorum conditio eſt vna. Vt enim monet Nazianzen. Apolog. 1. *Neque vel pannus tincturam ita facilè contrahit, vel i, qui fœtido odori propiùs ſeſe adiũgit, eius particeps fit, vel vapor morbidus, & noxius pari facilitate in aërem diffunditur, ac per aerem animantibus impertitur (quam nos peſtem diximus) ſubditi præfectorum vitio celerrimè imbui atque impleri ſolẽt,* &c. Hinc eſt, quod prudens Seneca Imperatorem ſuum, quaſi ſpeculum conſideret primo de Clement. In ſpeculo enim illico ſplendeſcit, quidquid in vultu cernitur intuentis, ſi labes in vultu ineſt, in ſpeculo ineſt; ſi lacrymatur, illud etiam lacrymatur; ſi ridet, illud etiam ridet; ſi iraſcitur, iraſcitur illud; non aliter Regum facta in toto regno exprimuntur. Si Rex pius eſt, totum regnum ad pietatem inclinat; ſi verò impius, ad impietatem ſtatim declinat. *Bonus Rex potior, quàm bona lex.* Vide infra lib. 6. n. 5. 30.

Nazianz.

Seneca.

Rex populi ſpeculum.

Problema XII.

Vtrùm prudentiùs egerint Romani, qui pœnam acerbiſſimam in parricidas, an Græci, qui nullam ſtatuerunt.

Pro Romanis pugnat M. Tullius oratione pro Roſcio Amer. vbi cùm Græcorum conſilium retuliſſet, ſubdit *Quanto maiores noſtri ſapientius? Qui cum intelligerent nihil eſſe tam ſanctũ, quod non aliquando violaret audacia; ſuppliciũ ſingulare in parricidas excogitarunt; vt quos natura ipſa retinere in officio non potuiſſet, ij magnitudine pœnæ, maleficio ſummouerentur: inſui voluerunt in culeum viuos, atque in flumen deiici.* Marcus Malcolus, matre interempta, Romanorum primus fuit, qui parricidij pœnam ſubiuit, vt tradit Alex. ab Alex. lib. 3. c. 5. vbi de parricidiis, eorumque pœnis doctiſſimè agit. Conſtat ex l. 1. & vlt. ff. de pœn. & l. 1. C. eodem tit. & §. alia, Inſtit. 31.

Cicero.

Parricidas damnauit vetuſtas.

Alexand. ab Alex.

ſtit de pub. iudic. Vide catalogum legum antiquarum fol. 118. pag. paruo rubeo, qui eſt in 16. de hac pœna. Ouid. lib. 8. Metam. loquens de Scylla, quæ Niſum patrem detracto illi capillo purpureo occidendum Minoi præbuerat,

Ouid.

DI te ſubmoueant ô noſtri infamia ſecli,
Orbe ſuo, telluſque tibi, pontuſque negetur.

Et hinc etiam illud Iuuen. Satyr. 6. de Nerone, qui per ſummam crudelitatem matrem occiderat ſuam,

Iuuenal.

Cuius ſupplicio non debuit vna parari
Simia, nec ſerpens vnus, nec culeus vnus.

Vide infra lib. 3.

Itaque hoc erat in parricidas ſupplicium, vt in culeum cum gallo gallinaceo, ſimia, & vipera inſuti in flumen, vel in mare detruderentur, &c.

32. Pro Græcis eſt illud eiuſdem Ciceronis, Solon cùm interrogaretur, cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum, qui parentem occidiſſet, reſpondit ſe id neminem facturum putaſſe. Sapienter feciſſe dicitur, cùm de eo nihil ſanxerit, quod antea commiſſum non erat; ne non tam prohibere, quàm admonere videretur. Ita enim fit, vt in vetita auidiùs feramur. Ouid. 1. de amore.

Auidiùs ferimur in vetita.

Ouid.

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata.

Quò pertinet illud Pauli Rom. 7. *Peccatum non cognoui, niſi per legem. nam concupiſcentiã nõ ſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces: occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatũ eſt in me omnẽ concupiſcentiã.* Quem in locum Chryſologus, *Quàm fragilis, inquit, eſt humana cõditio, quæ mandatis non prohibetur, ſed armatur ad crimina.* Itẽ ad Rom. 5. *Lex ſubintrauit, vt abundaret delictũ.* Auguſt. de ſpirit. & lit. cap. 4. *Lex quamuis bona, auget prohibendo deſiderium malũ: ſicut aquæ impetus vehementior fit obice oppoſito. Neſcio enim quomodo hoc ipſum, quod concupiſcitur, fit iucũdius, cùm vetatur.*

Chryſol. Auguſt.

PROBLEMA XIII.

An ſint mediocres Poetæ.

Ariſtot. *Poëtica optima, non mediocris.*

ARiſtoteles negat eſſe mediocres poëtas. Ratio eſt, quia poëtica inuenta eſt non ad vtilitatem, ſed ad voluptatem. Vtilitatis autem gratia ſuſtineri poſſunt ea, quæ ſunt mediocria: at verò voluptatis gratia, nonniſi quæ optima, laudantur. Vnde Tacitus, mediocres poëtas nemo nouit, bonos pauci; addere poſſumus, malos plurimi. & certè M. Tullius, quamuis in Oratore mediocres poëtas admittat; tamen primo de Oratore eos vſquam eſſe negat. Vbi ait, in poëticis rebus omnia exquiſita eſſe debere. Item in 3. de Oratore. *Vulgus, inquit, in verſu ſi quid peccatum eſt, videt; idem in noſtra oratione, ſi quid claudicat, ſentit: ſed poetæ non ignoſcit, nobis concedit.* Sed huius ſententiæ locupletiſſimus auctor Horatius, in arte

Tacitus. Cicero. Horat.

——— *Mediocribus eſſe poetis*
Non DI, non homines, non conceſsẽre columnæ.
Vt gratas inter menſas ſymphonia diſcors,
Et craſſum vnguentũ, & Sardo cũ melle papauer
Offendunt: poterat duci, quia cœna ſine iſtis:
Sic animis natum, inuentũmque poema iuuandis,
Si paulum ſummo diſceſſit, vergit ad imum.

Sunt etiam exempla, quibus idem confirmetur. nam melopepones vulgò dicuntur non eſſe, niſi aut optimi, aut peſſimi: idem de coniugio, prouerbiali felicitate dicebatur. Certè illud eſt in ſymmetria longè clariſſimum exemplum. Nam angulus ex prauis, ſeu curuis lineis, ſeu circularibus confectus amplior eſſe poteſt, aut anguſtior, quàm rectus, nunquam tamen æqualis.

PROBLEMA XIV.

An ſcribere ad mortuos ſit abſurdum.

QVid indignius? Quid amentius? Quid magis à ratione alienum, quàm ad mortuos 33
ſcribere? Si cum laruis ſolùm laruæ luctantur, quod erit monſtrum ad eaſdem ſcribere, maneſque tanquam viuos alloqui? Tace, non eſt abſurdum: alloqui demortuos, paſſim reperies ſæpe apud Virgil. & poëtas omnes: ſcribere etiam reperies. nam, inter epiſtolas Pontificum decretales, quædam reperitur, quam Clemens, qui Petro ſucceſſit, teſte Hieronymo, D. Petri iuſſu ſcripſit ad Iacobum fratrem Domini, octo iam annis vita functum. Imperator etiam Theodoſius epiſtolam ſcripſit ad Ioannem Chryſoſtomum annis iam quinque & triginta antè mortuum. Nam cùm illius corpus ab exilio, vbi obierat, reuocare in vrbem vellet: neque qui ad reportandum miſſi fuerant, illud ſua ſede dimouere poſſent; Imperator epiſtolam dedit ad Ioannem valde officioſam, qua eum multis precibus obſecrat, vt reduci in vrbem patiatur. Epiſtolam deſcribit Nicephorus Caliſtus lib. 14. cap. 43. & Turrianus noſter lib. 2. pro epiſtol. Pontif. cap. 13. Sed in hac re infame illud & impudentiſſimum eſt inauditæ temeritatis exemplum, quod præſtitit Henricus VIII. Anglorum Rex; cùm B. Thomam Canthuarienſem Archiepiſcopum, & totius Angliæ primatem, per publicum edictum ſigillo regio firmatum citauit: quo vir ſanctiſſimus vltra quadringentos annos iam occiſus ante Regis tribunal tanquam perduellionis reus adeſſe cogebatur: præfixumque eſt audaciſſimum decretum in tumulo, in quo ſacroſanctæ corporis exuuiæ quieſcebant: cuius libelli exemplar affert Hieronym. Pollinus in hiſtoria Angliæ, & Fr. Bernard. de Britto in hiſtoria Ciſterc. libr. 6. cap. 19.

Hieron. *Scribere ad mortuos, non eſt abſurdum.* Nicephor. Caliſtus. Turrian. *Mortuos extumulare, barbara ferocitas.* Hieron. Pollinus. Bernad. de Britto.

Præterea librum de mundo ad Alexandrum, 34.
quid vulgò Ariſtoteli tribuitur, credit Victorius, opus fuiſſe cuiuſdam Nicolai Damaſceni, quo Alexander multò fuit antiquior. Victorium hoc ipſo ex capite refellit Muretus lib. 2. var. lect. cap. 8. Sed non rectè, cùm hoc ſolenne fuerit antiquorum, nec non iuniorum, qui vita iam functis libros nuncupant ſuos. Cicero, & Plato in ſuis Dialogis perſonas demortuas inducunt interloquentes. & Iuſtinus Martyr, vt reliquos taceam, in Apologet. 2. ad Anton. hanc conſuetudinem in ſacra pagina obſeruauit, dum mortuos loquentes, quaſi viuos introducit.

Ex quibus collige nullum eſſe abſurdum ad mortuos ſcribere.

***

Victorius. Muretus. Cicero Plato Iuſtinus. Martyr. *Mortuos, quaſi viuos vt loquentes inducere, æquũ.*

PRO

Digitized by Google

Problema XV.

Quid glorioſius, honores adipiſci, an promereri.

35. *Glorioſius honores promereri.* Plutarch. Plaut. ſilius.

CAto cùm in foro inſignium virorum ſtatuas ſpectaret, rogaretúrque, cur ibi ſuam quoque non haberet; *Malo,* inquit, *percontari homines, cur mihi ſtatua poſita non ſit, quam cur ſit.* Plutarch. Plautus verò in Amphitr. *Virtus præmium eſt optimum. Omnia adſunt bona, quem penes eſt virtus.* Silius lib. 13.

Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces.

Ariſtoteles, teſte Stobæo, præcipuam dignitatem eſſe dicebat non frui honoribus, ſed ab aliis honoribus dignum iudicari. Alexander Seuerus Imperator creatus, non paſſus eſt Magnum, & Patrem patriæ appellari, oportere enim aiebat, vt res geſtæ magis acclamarent; & Claud. in conſ. Manl.

Claud. *Ipſa virtus ſibi præmium.*

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque latè
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus vllis
Erigitur, plauſúve petit clareſcere vulgi,
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis
Diuitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

36. Seneca.

Eleganter quidem Claud. Sed rem illuſtrauit prudens Seneca 1. de Clement. vbi ait rectè factorum fructus veros eſſe feciſſe, nec vllum virtutum pretium dignum illis extra ipſas eſſe affirmat. Idem & clariùs de vita Beata cap. 9. vbi inuehitur aduersùs hominem, qui extra virtutem pretium ſuorum factorum quærebat. *Itaque erras cùm interrogas, quid ſit illum, propter quod virtutem petam? Quæris enim aliquid ſupra ſummum. Interrogas, quid petam ex virtute? ipſam. Nihil enim eſt melius, ipſa pretium ſui eſt,* &c. Hoc virtutis pretium optimè agnoſcebat Henriquus ille Menezius, qui dum totius Indiæ clauum moderatus eſt, ſibi debitum dominationis titulum contempſit. Imò frequenter iactitabat, apud homines præclaros, & pulcherrimis facinoribus inſignes, maioris eſſe pretij merita, quàm honoris vocabula. Narrat Ioannes Barrius decad. 3. lib. 9. c. 3. in fine. Ioann. Barr.

Problema XVI.

An Cicero poëtica gloria floruerit.

37. *Cicero poëtica floruit.* *Multa deliteſcunt carēt quia vate ſacro.*

NEgant nonnulli peruicaciter: eo ducti argumento, quòd nullum videant poëma à Cicerone conſcriptum; ſed mea quidem ſententia, debili, imò potiùs inepto nituntur argumento. Cui ſi mordicus adhæreſcant, negare etiam debent poëticæ artis expertes fuiſſe Orphæum, Muſæum, Linum, Amphionem, Epimenidem; quorum nulla hodie carmina exiſtunt: quod tamen à vero tam abeſt, quàm quod longiſſimè. Præterea nónne multi veterum libri hodie in tenebris ſepulti deliteſcunt? Vbi maior pars operis Liuiani? Vbi ſex libri faſtorum ab Ouidio editi? Vbi illi de republica à Cicerone compoſiti? Vbi denique plurimorum ſcriptorum monumenta, quæ nobis aut edax tempus, inuidioſaque vetuſtas abſtulit; aut barbarorum Italiam depopulantium furor deperdidit? Sicut igitur hos temporis calamitas abſumpſit, ita etiam poëticas lucubrationes M. Tullij eadem tēporis iniuria delere potuit. Alij idcirco negant Ciceronem in poëtica facultate excelluiſſe, qui vident aliquot carmina, quæ ſub eius nomine circumferuntur, aſpera, hiulca, diſtorta, ac prorſus incondita; quale eſt illud,

O fortunatam natam me conſule Romam.

38. *Cicero Græcis litteris ſtuduit.*

Quibus ita mihi videor pro mea ſententia ſatis reſpondere. Multa ex his carminibus Tullius ex Græco tranſcripſit, verbum ex verbo eliciendo, atque adeò ſatis, ſupérque feciſſe credendus eſt, ſi metri leges ſeruauit; vt iam neque grauitatem, neque artificium in his verſibus admodum requiras. Deinde huiuſmodi carmina magna ex parte elegantiam non exigebant, cùm ad rem philoſophicam pertinerēt; quare nihil Cicero in eis condendis inſudauit. Quis porrò negabit Horatium poëtam fuiſſe præſtantiſſimum, cuius tamen carmina in Satyris horrida ſunt, & inculta, nempe Satyricum argumentum floridius carminis genus non requirit. Ita planè argumentum philoſophicum, de quo agunt Ciceronis carmina, quæ modò extant, meliorem ornatum ſibi non vendicant. Iam verò illud, *Carmina ſecundùm materiam elaboranda.*

O fortunatam natam me conſule Romam.

Eſto inelegans: ergo ex vno omnia quàm primum improbanda? Minimè expedit. Nónne apud poëtarum principem Virgilium legis 2. Æneid. illud in Sileno.

Quantum omnis mundus gaudet cantante Sileno. Virgil.

Illud in 3. Æneid.

Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat.

Illud in 4. Æneid.

Laomedonteæ ſentis periuria gentis.

Hæc ſatis, vt omittam illud in 3. Æneid.

Cornua velatarum obuertimus antennarum,

& alia; neque tamen quiſpiam adeò erit amuſus, vt Virgilium amuſum cenſeat appellandum, quamuis hæc, & ſimilia ſimiles exitus ſortiantur. Poſtremò nonnulla adhuc Ciceronis carmina inuenies, ex quibus, tanquam ex vnguibus, vt aiunt, leonem agnoſces: ſunt enim Latina, plana, grauia, terſa, aptè, numeroſéque cadentia. Tale eſt illud,

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Illa etiam à Plinio citata lib. 18. nat. hiſt. cap. 25. planè Georgica de Lentiſco, Plin.

Lentiſcus ſolita eſt triplici grandeſcere fœtu.
Ter fruges fundens, tria tēpora monſtrat arādi.

39. *Fides auctoribus adhibenda.*

& multa alia, quæ breuitatis cauſa prudens, ſciénſque omitto. His igitur rationibus contendunt nonnulli Ciceronem à poëtarum numero ablegare: ſed fruſtrà omnino; cùm illæ omnes facilè diſſoluantur. Nos verò locupletiſſimo Plutarchi teſtimonio innixi Ciceronem poëtam fuiſſe præſtantiſſimum affirmamus: Plutarcho autem maiorem fidem in hac re credimus habēdam, quia ille ex inſtituto Ciceronis vitam ſcripſit; ideóque falſa à veris prudentiùs ſegregauit: alij verò, ſi qui ſunt, qui aduerſari videantur, obiter tantùm, & per tranſennam loquuntur: neque tam negant Ciceronis ingenium ad poëſim aptum fuiſſe, quàm illa carmina, quæ legunt parum eſſe numeroſa. *Ciceronis poëtica.* Quod aliqua ex parte verum eſt. Sed nihil ad rem, vt ex iis, quæ diximus, conſtare poteſt. Plutarchus verò in vita Ciceronis ita habet: *Ad omnes,* inquit, *natus artes complectendas, nec ad vllum doctrinæ, aut eruditionis genus prætereundum: ad poëſim ſanè fuit procliuior.* Plutarch.

Ciceronis ad omnes artes ſubtile ingenium.

Extat poema quoddam paruũ, quod puer etiã tunc edidit Pontius Glaucus verſibus tetrametris compoſitum. Progreſſu temporis cùm magis ac magis hoc ſtudium excoleret, non modò orator habitus eſt, ſed & poeta inter Romanos præſtantiſſimus. Hæc ille. Quibus, quid clarius optari poterat?

40. Cicero.

Deinde ipſe Tullius in epiſt. lib. 1. famil. epiſt. 10. & penult. ad Lentulum, teſtatur ſe ſcripſiſſe quædam carmina, ac ab orationibus disiunxiſſe, ſéque ad manſuetiores muſas retuliſſe, quæ maximè illum, ſicut à prima adoleſcentia delectarunt. Tandem Catanæus in lib. 3. epiſt. Plinij iunioris, epiſt. ad Proculum, ita ait: *Fuit Cicero puer ad carmẽ non mediocriter inclinatus, vt libellis quibuſdam verſibus editis ingenium eius primum eluxerit. Poſtmodo in ſeceſſu hæc ſtudia exercuit, & in vrbe interdum non pauciores quingentis verſibus per ſingulas noctes componere ſolitũ tradiderunt. Multa tranſtulit ex Demetrio, & Aratum Latinũ fecit. Halcyonas, Vxorium, Nilum metro panxit.* Et quidem Muret. lib. 1. var. lect. c. 10. verba illa Ciceronis epiſt. 1. lib. 2. ad Atticum, *Prognoſtica mea cum oratiunculis propediem expecta*, interpretatur libellum, quo M. Tullius Arati prognoſtica ex Græco in Latinum carmen tranſtulit.

Catan.

Quingenta carmina ſingulis noctibus pangebat. Muret.

Problema XVII.

Quæ Orbis imperia præcipuè floruerunt.

41. *Quatuor Orbis imperia. Aſſyriorum imperium, ætas aurea.*

OMiſſis aliis minoribus regnis, qualia fuerunt Sicyoniorum, Athenienſium, Lacedæmoniorum; quatuor præcipuè imperia toto in orbe floruerunt: quæ auro, argento, ære, ac ferro, ex quibus ſtatua illa apud Danielem conflata erat, ſignificantur. Et quidem Aſſyriorum imperium auro comparatur, propter maximam huius imperij opulentiam; non quòd reliqua imperia pòſt futura diuitiis ſuperaret, ſed quòd nullum antea opulentiùs extiterat; atque adeò ſicut aurum inter metalla, ita hoc imperium inter cætera primum locum antiquitatis obtinebat. Durauit autem Aſſyriorum imperium à primo eius conditore Nino vſque ad Sardanapalum, penes quem extinctum eſt, mille ac trecentos annos, quod affirmat Iuſtinus lib. 1. paulo poſt initium: ſi tamen cùm Aſſyrio Chaldaicum includatur, quod fuit quædam veluti illius propago, ad milleſimum quingenteſimum annum ſtetit, quod Benedictus Pererius in Daniel. lib 2. c 2. optimè colligit. Conſtat verò, nec Europam ſaltem totam, nec Indiam, vt alias complures prouincias taceam, huius imperio ſubiectas eſſe Vnde ſi qua ſunt in ſacra pagina teſtimonia, quæ affirment vniuerſum orbem intra huius regni terminos contineri; tanquam per hyperbolem, aut quouis alio modo dicta fuiſſe, ſunt interpretanda, vt egregiè expendit idem Benedictus. Sed vt meliùs intelligatur huius imperij finis, ita accipe. Aſſyrij primùm Medis, ac Babylonicis, ſeu Chaldæis imperabant, vſque ad Sardanapalum vltimum Regem Aſſyriorum, à quo defecit Arbactus Medorum præfectus; mortuóque Sardanapalo imperium ad Medos tranſmouit: nunquam tamen Babylonicos, ſeu Chaldæos ſubegit, neque Arbactus, neque eius in regnum ſucceſſores: quamuis multis inter ſe præliis diſſiderent. Itaque tam extremus Rex Medorum, qui fuit Aſtyages; quam extremus Chaldæorum, qui fuit Balthaſar, à Cyro primo Perſarum Imperatore euerſi omnino ſunt. Bellũ inter Medos, & Babylonicos, in quo nunquam Babylonici victi fuerunt, refert Herodotus apud Benedictum citatũ.

Quandiu durauerit.

Iuſtin.

Ben. Pereir. *Quot gentes ſubegerit.*

Eius finis.

Herodor.

42. *Perſarũ imperium, ætas argentea.*

Perſicum imperium argento comparatur, propter immenſam huius imperij opulentiam. Cuius multa extant argumenta: nam Cyrus primus eorum conditor, non ſolùm Medorum, & Chaldæorum Reges ſuperauit, ſed etiam Crœſum Lydorum Regem totius Aſiæ ditiſſimum, adeò vt prouerbij loco diceretur, *ditior Crœſo.* Itaque ex victoria Aſiatica, vt ſcribit Plinius lib. 33. cap. 3. argenti quingenta millia talentorum reportauit: hoc eſt Luſitanè, *treſentos contos douzo.* Iam verò illud conuiuium Aſſueri Perſarum Regis quantas huius imperij opes ac diuitias declarat? de quo ſacra pagina Eſther cap. 1. Quid porrò innumerabilis ille exercitus Xerxis? Nonne infinitam propè opulentiam oſtendit? De quo ita Iuſtinus lib. 2. *Non immeritò, inquit, proditũ eſt, flumina ab exercitu eius ſiccata, Græciámque omnẽ vix capere multitudinem potuiſſe: diuitiarum autem in regno eius tanta copia fuit, vt cùm flumina multitudine conſumerentur, opes tamen regiæ ſupereſſent.* Accedit, quod ſcribit Athenæus lib. 12. ad eum luxum Perſarum Reges eſſe prolapſos, vt ad caput cubilis regij, conclaue eſſet, quod ipſius Regis ceruical dicebatur, in quo ſemper condita eſſent talenta auri quinque millia. E regione verò huius, aliud, ſuppedaneum ſcamnum Regis appellari ſolitum: in quo talenta argenti tria millia conderentur. Sed in ipſo cubili regio vitis erat aurea, gemmis incluſis locupletata; quæ velut pergula obtendebatur: ex qua racemi penſiles ex lapillis pretioſiſſimis compacti dependebant: vt auctor eſt Amyntas. Tandem huius imperij opulentiam ſatis indicat Perſica illa præda, qua potitus eſt Alexander, Dario Perſarum Rege ſuperato: quæ, vt ex Curtio, & Strabone colligitur, abſque Babylonica pecunia centum & octoginta millia talentorum æquauit, id eſt, Luſitanè, *cento & oitho mitheens.* Stetit autem Perſarum imperium annos circiter ducentos triginta.

Plin.

Iuſtin.

Athen. *Perſarũ Regum diuitiæ eximiæ.*

Amynt.

Q. Curt. Strabo. *Imperium Perſicum quandiu durauerit.*

43. *Græcorum imperium ætas ærea.*

Græcum Imperium, ſeu Macedonicum comparatur æri. Cuius rei cauſa egregia à D. Hieronymo aſſignatur; *Eſt*, inquit, *æs vocaliſſimum, & ſonantiſſimum, edit ſonum magnum, & clarum; cúmque longè, latéque diffundit. Qua re denotatur magna imperij Græcorum fama, & gloria: nõ ſolùm ob potentiam, ſed etiã ob ſapientiam, & eloquentiã, quæ apud Græcos maximè floruit.* Præcipuè verò ſignificatur, famam Alexandri Magni omni æuo fore clariſſimam, ac celebrariſſimam. Poſt primas enim illius victorias, tantus pauor eius hominum animos occupauit, vt omnes ſe illi certatim dederint. nam ad eum Legati miſſi fuerant, non tantùm ex iis, quas vicerat, regionibus: ſed etiam ex Africa, Carthagine, Hiſpania, Gallia. Italia, Sicilia, Sardinia, &c. Quin etiam, vt Plinius lib. 3. cap 5. refert ex Clitarcho, Romani quoque ad Alexandrum ſuos miſerunt Legatos. Acceſſit ad famam, noménque immortale Alexandri, quòd rerum ſuarum Scriptores multitudine plurimos, auctoritate grauiſſimos, in dicendo diſertiſſimos habuerit: Stolomæum Regem Ægypti, Hecatæum, Ariſtobulum, Calliſthenem, Durin, Oneſicratum, Diodorum Siculum, Trogum Pompeium, Iuſtinum, Q. Curtium, Plutarchum, Arrianum, alióſque innumeros. Quòd autem Alexander Achilli inuidit, quòd ſuarum rerum præconem Homerum habuiſſet: Achilles potiùs

Hieron.

Æs maxime vocaliſſima, Alexandri famã immortalem dinotabat.

Plin.

Scriptores de Magno Alexandro. Ptolom. Hecath. Ariſtob. Calliſthen. Durin. Oneſicrat. Diod. Sicul. Trogus. Pompeius. Iuſtin. Curt. Plutarch.

Digitized by Google

potiùs, ſi ſuperſtes eſſet, Alexandro inuideret: qui tot ſuarum laudum buccinatores habuerit. Ipſa etiam ſacra pagina eius famam teſtatur 1. Machab.1. dum ait, *ſiluiſſe in conſpectu eius vniuerſam terram; veluti ad fragorem ruentis mundi.*

Tertull. Magni Alexandri fama, minor ipſo.

Quamuis Tertullian. lib. de Pallio dicat de eius fama, *ſola ipſum ſua fama fuiſſe minorem*, quaſi in eius laudibus prædicandis nimis parca, ac inuida extitiſſet, cùm alioqui aliorum res geſtas ſoleat augere. Itaque ſola vni Alexandro auara, cæteris prodiga.

Lyſipp.

Amplitudinem eius imperij ad viuum inſculpſit Lyſippus in illa ærea ſtatua ſupina facie cœlum ſuſpiciente, his verſibus additis.

Aereus in cœlum ſuſpectans fare quid aiat
Iuppiter? aſſeruit terram mihi, tu aſſere cœlũ.

44. Hoc autem ſimulachro adeò delectatus eſt Macedo, vt ſolùm à Lyſippo fingi pateretur. Cæterùm Lyſippus, pluſquam æquum erat, aſſentatus fuit, ſiquidem Alexandro multum ſuperfuit ad debellandum.

Alexandri mira in gloria cupiditas.

Quod ingenuè ipſe faſſus aliquando, cum Democrito de infinitate mundorum diſputante, ingemuit, eo quòd, ne vnum quidem à ſe adhuc debellatum aſpiceret. Cæterùm hac de re, Alexandrique laudibus mox fuſiùs agendum nobis eſt.

Quandiu durauerit Græcorum imperium.

Durauit autem imperium Græcorum per ſex duntaxat annos ſub Alexandro: quamuis tredecim annorum ſpatium in eo comparando impenderit; ſuſcepit enim regnum defuncto patre Philippo annum agens vigeſimum; & anno ætatis ſuæ trigeſimo tertio extinctus eſt.

45. *Romanorum imperium ferro comparatum.*

Romanum imperium comparatur ferro. Nam, vt ſacra hiſtoria refert eo loco, quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, ſic comminuet, & conteret omnia hæc. Et quidẽ Romani domuerunt omnes gentes, vel corporis robore, & viribus præualidas, vt Germanos, Gallos, Hiſpanos: vel imperio tunc potentes, vt Carthaginenſes: vel maiorum gloria, ſapientia, & prudentia præſtantes, vt Græcos; vel diuitiis, & militum copiis abundantes, vt Aſiaticos:

Nationes domitæ à Romanis.

vel terrarum longinquitate remotas, vt Cappadoces, Ponticos, Armenios, Iberos, Albanos, Scythas: vel interfuſo Oceano à noſtro orbe disiunctas, vt Britannos: vel patrum ſuorum ſanctitate, & ſuæ legis religione confiſas, vt Iudæos.

Quãdiu durauerit Romanorum imperium.

Durauit autem Romanorum imperium ab vrbe condita, victoriarum incrementis florentiſſimum, annos mille centum ſexaginta quatuor, quo tempore Roma à Gothis capta eſt, Rege Gothorum Alarico, Romanorum Imperatore Honorio, ſummóque Pōtifice Innocentio primo.

Varro. Cenſor. Romæ principium.

Hoc aut Vectius Augur, vt ſcribit Varro lib. 18. antiquitatum, referente Cenſorino in lib. de die natali Romanorum, ex illis duodecim vulturibus, quorum auſpicio Romulus vrbem condidit, auguratus eſt: ſinguli enim vultures ſecũdùm antiquam, & reconditam augurandi diſciplinam, centenos annos ſignificabant.

Augurio fides non adhibenda.

Et quamuis augurio fides non ſit habenda: certè vel temerè, vel quouis alio modo res ita euenit. Verùm ſi de Imperio Romano loquamur, prout alia atque alia fortunæ damna, ac detrimenta expertum eſt;

Tertull. Lactant.

refert Tertullianus in lib. ad Scapulam, & in lib. de reſurrectione carnis, & in Apologetico: item Lactantius lib.7. diuin inſtitut. cap. 25. fuiſſe antiquiſſimam, & Apoſtolicam traditionem, Romanum imperium pariter cum ipſo mundo ſtaturum, & caſurum. Eundémque futurum vtriuſque finem, & interitum, vt bene tradit Benedictus lib. 14. in præfatione.

Benedict. Peter.

Sed quanta fuerit huius imperij potentia, indicat D. Hieronymus, qui cùm animaduerteret apud Danielem Chaldæorum Imperium leænæ comparari: Perſarum, vrſo; Græcorum, pardo; Romanorum verò nulli certæ belluæ conferri; propterea id factum exiſtimat, vt huius imperij incomparabilis potentia ſignificaretur.

Hieron. Romani imperij potentia incomparabilis.

Quanta verò fuerit Romanæ ditionis amplitudo, deſcribit Strabo lib.7. ad finem, & lib. 17. atque apud Ioſephum lib. 2. de bello Iudaico Rex Agrippa. 46.

Strabo. Ioſeph. Appian.

Appianus in proœmio hiſtoriæ Libycæ non dubitat affirmare omnes priores monarchias Aſſyriorum, Perſarum, & Græcorum, vix dimidiatam Romani imperij partem poſſediſſe. Hoc ipſum in exordio ſuæ hiſtoriæ confirmat Polybius.

Polyb.

Igitur Occidẽtalis terminus Romani imperij, fuit extremitas Hiſpaniæ: Oriẽtalis, Euphrates, Taurus, & Armenia: Septentrionalis, Rhenus, & Danubius: Auſtralis, Æthiopes.

Eius amplitudo & termini.

Dominabantur vniuerſo mari mediterraneo, & omnibus, quæ in eo ſunt, inſulis; prætetea in Boreali Oceano ipſi Britanniæ.

Bellica potentia.

Bellica verò potentia Romanorum pedeſtris, talis fuit, teſte Appiano in proœmio hiſtoriæ Libycæ: Ducenta millia peditum, quadraginta millia equitum, trecenti elephanti bellicoſi, tria millia curruum, armorum verò in ſupplementum, trecenta millia. Nec minor erat naualis potentia: habebant enim Romani duo millia nauium, mille & quingentas triremes; magnas verò naues, proris, puppibúſque aureis, ad oſtentationem Romanæ maieſtatis, & vſus Imperatorum, octoginta. Ad hæc parata erant inſtrumenta naualia eo numero, vt armandæ duplo maiori, quàm quæ dicta eſt, claſſi ſufficere poſſent.

Romanorum æraria.

Iam verò huius imperij tanta fuit pecunia, vt teſte Appiano, in variis ærariis ſeruarentur ad ſeptuaginta quinque millia talentorum Ægyptiorum; qui numerus, vt Luſitanè loquamur, continet, *ſeis centos milhoens douzo.*

Ad hæc poëtarum teſtimonia de Romanorum imperio accedunt. Ouid. 2. Faſt. ita canit,

Ouid.

Gentibus eſt aliis tellus data limite certo;
Romanæ ſpatium eſt vrbis, & orbis idem.

Quaſi nullum haberet terminum Romanorum imperium, niſi ipſum orbem. 47.

Imperij amplitudo.

Vnde Iureconſultus *l. in orbe. ff. de ſtat. hominum*, orbem dixit Romanorum imperium. Ita etiam appellauit D. Auguſtinus 18. de ciuitat. Dei. D. Chryſoſt. in cap.1. Iſai.

Auguſt. Chryſoſt. Appian.

Quare qui Romanum imperium metari velet, metetur orbem vniuerſum. Vnde Appianus in proœm. hiſtor. Libycæ, non dubitat affirmare priores monarchias vix dimidiatam Romani imperij poſſediſſe. Lucanus lib.7. Romanorum amplitudinem contemplatus non potuit, quin exclamaret.

Lucan.

Summos hominum quorum fortuna per orbem.
Signa dedit, quorum fatis cœlum omne vacauit.

Vnde Plutarchus ait, fortunam fuiſſe Romanorum contubernalem, ita benefico afflatu eorum imperium toto orbe propagauit.

Plutarch. Fortuna Romanorũ contubernalis.

Hanc amplitudinem paſſim poëtæ decantant. Virg. 6. æneid.

Virgil.

Nec verò Alcides tantum telluris obiuit, &c.

48. Enimverò, vt Hercules inter veteres Heroas virtute præſtitit; ita Romani inter omnes gentes robore viguerunt; vt ille totius orbis monſtra ferro, flammâque compreſſit, ita hi totius mundi nationes armata manu ſuperarunt. Hac de re plura obſeruauimus apud Virgilium locis allegandis. Ex quibus ſufficienter colliges Romanam amplitudinem, quam præfigurauit Danielis oraculum, vt communis eſt ſacrorum Docto-

cto

Statua Nabuchodonoſoris, figura Rom. Imper. ctorum opinio, ſuper ſomnium, quod habuit Nabuchodonoſor Rex. Quando nimirum vidit illam proceram, & immanem ſtatuam, vbi per tibias ferreas Romana potentia haud obſcurè ſignificata eſt; vti etiam in illa quarta quadriga, quæ equos & varios, & fortes ferebat, per quos bellica Romanorum virtus demonſtratur, apud Zachar. cap. 6. Romani enim viribus aucti vniuerſum terrarum orbem feliciter peragrarunt, vt D. Hieronymus ad hunc locum interpretatur. Cyrill. Alexand. & Theodor. ibidem. Acceſſit Lyran. Hugo Cardin. Dionyſ. Carthuſ. & Vatabl. in quorum ſententiam iuniores paſſim conſpirant. Iam verò Mart. vt ad noſtros iterum recurramus, quid non cecinit?

Hieron. Cyrill. Alex. Theodor. Lyra. Hug. Card. Dionyſ. Carthuſ. Varabl. Martial.

Terrarum Dea, gentiúmque Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

Virgil. Virg. 1. Æneid. de Romanis loquens.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono;
Imperium ſine fine dedi.

Et rurſus 6. Æneid.

Naſcetur pulchra Troianus origine Cæſar
Imperium Oceano, famam, qui terminet aſtris.
En huius nate auſpiciis, illa inclyta Roma
Imperium terris animos æquabit Olympo.

Problema XVIII.

Vter præſtiterit rei militaris gloriá, Cæſar ne, an Alexander.

49. *Alexandri ætas ad regni curam.* Mvlta ſunt, quæ Alexādri in re militari virtutem illuſtrarunt. Nam annum viceſimum natus patri in regnum ſucceſſit: indéque vſque ad trigeſimum tertium terrarum orbem ſubegit. Quare Iulius Cæſar, vt refert Sueton. cap. 7. Gadibus cùm in templo Herculis ſimulacrum Alexandri aſpexiſſet, quaſi ignauiam ſuam pertæſus ingemuit, quod qua ætate Alexander orbem ſubegerat, nihil ipſe memorabile geſſiſſet. Deinde Alexander quàm minimo exercitu, quàm maximas Darij copias ſuperauit. Hic enim decies centena millia militum habebat; adeò vt iactaret ſe pro vno milite Alexandri denos poſſe obiicere, Alexander verò minus quadraginta millia militum in aciem eduxit: meritò vt dicat Iuſtinus, tanta apparatus exiguitate incertum eſſe, *vtrū ſit admirabilius, Alexandrum viciſſe orbem, an vincere aggreſſum eſſe.* Præterea Alexandri fortuna ſemper fuit ſecundiſſima; quæ illum multis è periculis ſaluum, & incolumem eripuerit. Vnde nuntiata eius morte, deuictæ ab eo gentes vix fidem nuntio habuère, vt narrat Iuſtinus lib. 13. quòd, vt inuictum Regem, ſic immortalem crediderunt. Certè Qu. Curtius lib. 10. ait fatendum eſſe, Alexandrum, cùm plurimum virtuti debuerit; plus tamen debuiſſe fortunæ: quam ſolus omnium mortalium in poteſtate habuit. Quamuis Plutarchus affirmet virtutem Alexandri fortunæ ſuperiorem fuiſſe. Item Alexander magnam orbis partem ſibi ſubiecit: nempe nobiliorem, & clariorem Europæ portionem, Aſiam, vniuerſam, Indiam vſque ad Gangem, &c. qua de re Plinius lib. 4. cap. 10. Quod Lyſippus vt exprimeret, finxit ex ære Alexandrum ſupina facie in cœlum ſuſpicientem, ſubiectis his verſibus.

Sueton. *Cæſaris lacryma ad ſtatuam Alexandri.* *Alexandri exercitus, & victoria.* Iuſtin. *Secūda Alexandri fortuna.* Iuſtin. Q. Curt. Plutarch. Plin. Lyſipp.

Æreus in cœlum ſuſpectans, fare quid aiat?
Iuppiter aſſerui terram mihi, tu aſſere cœlum.

Quo inuento adeò oblectatus eſt Rex (vt paulò antè diximus) vt ſe ab alio fingi ampliùs interdixerit. Ruſus breuiſſimo temporis ſpatio tantum imperium occupauit. Vnde Apelles eum pinxit fulminiferum, adeò indiſcreta veriſimilitudine, vt vulgò diceretur, duos eſſe Alexandros, vnum Philippi filium nullis viribus ſuperabilem: alterum Apellis opus nulla arte imitabilem. Mira fuit Alexandri pietas, & clementia in captiuos; quam ſatis exhibuit in parentem, vxorem, filióſque Darij. Adeò, vt ipſe Darius tanta hoſtis pietate commotus ſuperos precaretur, vt quando imperio ſe deturbare ſtatuiſſent; *non niſi Alexandro tam iuſto hoſti, tam pio victori imperium deferrent.* Hæc Curtius lib. 4. Eius liberalitas exceſſit modum: integras ciuitates dono dedit: nouem hominum millia ad conuiuium inuitauit; ſingulis auream pateram ad libandum largitus, &c. Denique, vt inquit Plutarchus 2. oratione de virtute Alexandri, in eo ſimul illæ virtutes floruerunt, quarum ſingulæ multos quondam illuſtrarunt: Achillis fortitudo, caſtimonia Agamemnonis, pietas Diomedis, magnanimitas Cyri, ſolertia Themiſtoclis, Braſidæ audacia, Philippi patris prudentia. 50.

Alexander ab Apelle mirè delineatus. Eius pietas in captiuos. Curt. *Liberalitas.* Plutarch. *In Alexāder virtutes ſimul floruerunt.*

Hæc aliáque plura in Alexandri gloriam paſſim ab auctoribus referuntur. Verùm nonnulla apud eoſdem inuenies, quæ nonnihil eius luminibus obſtruere videantur. In eo namque ea vitia reperiuntur, quorum ſingula multos quondam infecerant, & commaculârant. Xerxis arrogantia, crudelitas Neronis, impietas Ptolomæi, temeritas Annibalis, bibacitas Protarchi, Amilcaris iracundia, denique dira Tyrannorum dominatio. Xerxis quidem arrogantia; quia non ſolùm ſe victorem atque triumphatorem appellari iuſſit, vt ille: ſed etiam vt Iouis filius nominaretur, decreuit. Hanc inſolentiam eleganter carpit Clemens Alexand. in Exhort. quem vide. Crudelitas Neronis; quia vt Nero Romam inflammauit: ita hic Perſopolim clariſſimam Orientis vrbem incendit. Impietas Ptolomæi, quia ſicuti ille immitem ſe præbuit in filium, quem occidit: ita hic non ſolùm Clytum ſibi antea amiciſſimū haſta transfodit, quòd res geſtas Philippi patris rebus ab ipſo geſtis anteponeret; verùm etiam ſuos in cognatos omnes, qui apti illi videbantur ad regnum, acriter deſæuit. Temeritas Annibalis, quia, vt ille turbulentiſſimis tempeſtatibus abſque nauis gubernatore ſe committere auſus eſt: ita hic primus omnium militum, Tigris vadum pedes traiecit: tantò cum vitæ diſcrimine, vt ſumma vnda collum eius æquaret. Bibacitas Protarchi, quia, vt ille quatuor congios vini ebiberat, ſic vt ex ebrietate intra triduum extinctus eſſet: ita hic ſæpiſſimè totas noctes comeſſabatur; quin nonnunquam tantum vini hauſit, vt totum triduum mero, ſomnóque ſepultus iaceret, donec vinum edormiſceret. Amilcaris iracundia, quia vt ille perpetuis facibus iracundiæ excandeſcebat: ita hic maxima ſeueritudine ſæpenumero in amicos inter conuiuandum incendebatur. Denique dira tyrannorum dominatio, quia, vt illorum vox eſt, *oderint, dum metuant*; ita hic magis ſe timeri, quàm amari à ſuis cupiebat, teſte Iuſtino lib. 9. ſub finem. Quin etiam nonnihil perfidiæ in Alexandro inuentum eſt, ſiquidem inducias fecit aliquando cum Indis; quos tamen recipientes ſeſe in itinere mox oppreſſit, vt refert Plutarch. in eius vita; quæ quidem labes illius rebus præclarè geſtis adhæſit. 51.

Vitiorum in Alexandro comparatio. *Xerxis cum Alexand. arrogantia.* *Crudelitas Neronis.* *Ptolomæi impietas apud Iuſt. lib. 11.* *Annibalis temeritas.* *Bibacitas Protarchi. apud Plut. in vita Alex.* *Amilcaris iracundia.* *Tyrannorum ſæua dominatio.* Iuſtin. *Alexandri perfidia.* Plutarch.

Iam

Digitized by Google

52. [*Alexandri pericula.*] Iam verò Alexander apud Mallos Indiæ populos pugnaciſſimos penè conciſus eſt, auctore Plutarcho vbi ſuprà. Multis confixus vulneribus, tandem ictus piſtilo in collo, à ſuis abreptus, ſemianimiſque in tabernaculum eſt relatus, vulgata fama Regem in caſtris expiraſſe. Deinde ad vrbem Gazam parum abfuit ab interitu; ſi quidem duo luculenta vulnera accepit, ex quibus animo linqui cœpit, & penè exanimatus corruit: adeò vt extinctum crederent hoſtes. Iam verò apud Tyrum inſulam non ita grandem, ac munitam, quanta fortunæ in commoda perpeſſus eſt, cùm illius omnes inſultus mari, terráque facili negotio Tyrij eluderent: quod eleganter [Curtius.] Curtius ſcribit lib. 4. adeò vt Rex fatigatus nō ſemel ſtatuerit ſoluta obſidione aliò abire pudibundus, quod circa vnius vrbis muros tandiu in caſſum hæreret. Eodem loco affirmat Curtius Alexandrum plura quidem fama, quæ de eo diſſeminata erat, quàm armis ſubegiſſe. Et in eodem libro, ait eundem ſacerdotem, qui apud oraculum Iouis Ammonis Alexandro prædixerat, illum fore inuictum; turpiter fuiſſe adulatum, ac regis gratiam mendacio ſibi colligere ſtuduiſſe.

53 [Vell. Paterc. *Cæſar Alexandro præferendus.*] Sed iam vt cum illo Iulium Cæſarem comparemus; quæ hujus fuerint facinora, omnino explorandum. Et quidem Velleius Paterculus lib. 2. ait, Iulium Cæſarem alterum fuiſſe Alexandrum, ſobrium tamen: qua in re planè Cæſar præferendus eſt Alexandro. Siquidem vel ipſum arrogantiæ vitium multò acrius refrænauit, quàm Alexander: nam, vt refert [Plutarch.] Plutarch. in eius vita, cùm fama vagaretur, proditum libris Sibyllinis, vinci parthos à Romanis poſſe, ſi Rege duce bellum eis mouiſſent; Cæſarque [*Cæſaris ſobrietas in honores.*] communi animorum conſpiratione Rex ſalutaretur: hac ille acclamatione offenſus *Cæſar*; inquit, *ſum, non Rex.* [*Clementia in hoſtes.*] Iam verò eius clementia tanta extitit, vt victis qui ſibi magis aduerſarentur, quamplurimos honores impertiret, vt Bruto & Caſſio. Pompeij verò ſtatuas deiectas erexit, & in priſtinum locum reduxit; quod cùm fecit, *ſuas*. vt inquit [Tull.] Cicero *ſtatuas ſtabiliuit.* Cùm verò Theodotus caput Pompeij Cæſaris offerret, hominem auerſatus eſt, ciúſque annullum accipiens illacrymauit. Nec maiorem iucunditatem capere ſe ex victoria dicebat, quàm quòd multos ciues, qui ſe oppugnarant, ſeruarat incolumes. Illud memorabile apud [Plin.] Plinium lib. 7. cap. 25. Interceptis M. Pompeij *epiſtolis, integras concremauit, optima quidem fide, neque eas legit.* Itaque, vt ibidem ait Plin. Cæſaris proprium ac peculiare fuit, præter cætera eius encomia, *inſigne clementiæ qua; vſque ad pœnitentiam omnes ſuperauit.* [*Cæſaris audacia.*] At verò dirus ac ſuperbus dominatus tantum ab eo abfuit, vt monentibus eum amicis, vt ſe ſtipatoribus cingeret multiſque ad id ſe offerentibus, non ſuſtinuit dicens *præſtare, ſemel mori, quàm ſemper timere.*

54. [Plutarch. *Cæſaris eloquentia.*] Certè eius virtus bellica à Plutarcho multis locis explicatur. Nam cum de illius eloquentia ageret in eius vita: *ſecundas*, inquit, *in eloquentia Cæſar obtinuit; primas verò aliis permiſit, vt ſolus in re militari primus eſſet* Et alibi eū Lucullo an[*Militaris gloria.*]teponit: Lucullus autem, vt refert [Tull.] M. Tullius, vel [*Luculli encomium.*] iudicio ipſius hoſtis Mithridatis, aduersùs quem bellum gerebat, omnium quorumcumque ſeculorum Impetatoribus virtute præcurrit. Deinde in Gallia tam præclara edidit facinora, vt eodem [Plutarch.] teſte Plutarch. nullo vel laudatiſſimorum, atque ſummorum Impetatorum inferior bellator exiſteret. *Omnes enim*, inquit, *præliorum atque hoſtium à ſe interfectorum immēſo numero ſuperauit.* [*Cæſaris res geſta.*] Quippe annis non totis decem geſto in Gallia bello oppida plus octoginta vi cepit; gerentes ſubegit trecentas; ſigna diuerſis temporibus contulit cum tricies centenis millibus; ex quibus decies centena millia in acie interfecit: totidem cepit. Quin etiam in Gallia dum aduersùs Neruios depugnat, tot interfecit, vt paludes, & alta flumina ob cadauerum vim obturata permearent Romani. [*Celeritas in agendo bello.*] Eius verò in bellis conficiendis celeritas mira prorſus fuit: ſi quidem Pharnacem Mithridatis filium Aſiæ vniuerſæ inſultantem, Bithyniámque, & Cappadociam occupantem cum tribus legionibus circūuenit: eiúſque omnem exercitum ad internecionem deleuit. Qua de re ipſe gloriabundus Romam ſcripſit ad amicum, tria tantùm verba, *Veni vidi, vici.* [*Cæſaris fortuna ſecundiſſima.*] Cæſaris fortuna planè incredibilis; in Africa namq; cum Iuba congreſſus momento penè temporis, tribus caſtris potitus eſt, Iubæ Scipionis, & Afranij, cæſis hoſtium millibus quinquaginta: ne quinquaginta quidem deſiderauit de ſuis. Quid de eius in Britanniam expeditione? Primus claſſem Oceano occidentali induxit; eamque inſulam, quam nemo antea aggreſſus cùm ſuperaret, promouit extra orbem terræ Romanum imperium. Quòd ſi aliquando aliquot perpeſſus eſt fortunæ detrimenta, ea quidem pluribus victoriis compenſauit. [*Tranquillitas animi in anguſtiis.*] A Pompeio aliquando eius exercitus fuſus, non tamen Cæſar victus: vnde ille hoſtem illudens, *Hodie*, inquit, *penes hoſtes victoria erat, ſi haberent vincentem.* Se igitur in ea calamitate vincentem appellauit, cuius nunquam animus infrigebatur.

[*Ipſum nomen terrificum.* Plut.] At verò Cæſaris nomen adeò erat hoſtibus metuendum, vt non ſineret Reges Indorum, & Parthorum ſomnum capere, teſte Plutarcho, non tamen ſolùm nomine, vt aliquando Alexander, ſuperabat, vt optimè Lucanus lib. 1. alluſit;

——Sed non in Cæſare tantum
Nomen erat, nec fama ducis. ſed neſcia virtus
Stare loco, ſolúſque pudor non vincere bello.

55. [*Cæſaris fortuna memoranda.* Sueton. & Plut. *Audacia inter exanimes*] Eius fortuna tam memoratu digna, vt cùm aliquando ipſe ignoto, ac prorſus famulari habitu nauem onerariam conſcenderet, eáque increbreſcente paulatim vento iamiam eſſet fluctibus haurienda, & gubernator ſalutem omnium deploraret, Cæſar id intelligens, qui ſit aperit gubernatori, apprehensáque manu eius ad aſpectum obſtupefacti, *Perge, age*, inquit, *audacter, Cæſarem vehis, vnáque Cæſaris fortunam*; qua voce confirmatus tempeſtatis obliuiſci, remis incumbere, mari inſiſtere, fluctus vrgere cœpit. Accedit ad Cæſaris fortunam exaggerandam, eiuſque nomen prædicandum, quòd cùm poſt bellum Pharſalicum præmiſſis in Aſiam copiis per anguſtias Helleſponti victor nauicula traiiceret, obuium habuit Caſſium partis contrariæ fautorem, cum triremium claſſe: qui cùm Cæſarem debellare poſſet, tamen felicitate illius conterritus ſupplexque naues omnes illi tradidit. [Sueton. *Proſpera felicitas.*] Narrat Sueton. in Cæſ. c. 63. quod Appianus Cæſaris felicitati exiſtimat adſcribendum Ancipiti prælios equos dimitttebat & in primis ſuum; quo maior permanendi neceſſitas imponeretur, auxilio fuga erepto. Denique ne qua in re inferior Alexandro videretur; ſicuti ille Bucephalum habuit haudquaquam ſeſſoris patientem; qui, vt auguratus eſt Philippus, orbis imperium eidem portēdit.

Cæſaris equum Bucephalo ſimilis. Plin. Plutarch. Solin. Sueton. *Cæſar fulmini cõparatus, ob alacritatẽ in rebus gerendis.* Lucan.

dit. Ita Cæſar æquo inſigni vtebatur, pedibus propè humanis,& in modum digitorum vngulis fiſſis:qui dorſo neminem alium excipiebat, quique, vt haruſpices interpretati ſunt, terrarum imperium Cæſari ſubiiciendum ſignificauit, de quo plinius, Plutarchus, Solinus, ac Suetonius. Rurſus ſicuti Alexander fulmini comparatur, vt ſuprà retulimus, propter eius in bellis gerendis celeritatem; ita quoque Cæſar fulmini confertur. Lucanus 1. Pharſ.

Qualiter expreſſum ventis per nubila fulmen
Ætheris impulſi ſonitu, mundique fragore.

Rectè verò Lucanus lib. 2. de eadem Cæſaris alacritate locutus, ita canit,

——Sed Cæſar in omnia præceps,
Nil actum credens, cùm quid ſupereſſet agendũ.

60. Plinius. De hac celeritate & ingenio vigo re, Plinius prædicto lib. 7. c. 25. *Nec virtutem, conſtantiámque nunc commemoro, nec ſublimitatem omnium capacem quæ cælo continetur, ſed propriũ vigorem, celeritatémque quodammodo volucrẽ.* Accedit vltimò, quia Cæſarem pluribus aduerſantibus, domeſticis videlicet, & externis, ad imperij dignitatem euaſit; quod non contigit Alexandro: præterea Cæſar longè maius imperium occupauit quàm Alexander: vnde planum eſt & virtute, & fortuna vſum fuiſſe aliqua ex parte maiori.

Cæſar Alexandro præfertur.

PROBLEMA XIX.

Hiſtoriæ regnum cui deferes Cæſarine, Liuióne, an Salluſtio.

61. Hotoman. *Cæſar reliquis hiſtoricis anteponitur.*

ECquis vnquam, poſt hominum genus natum, inquit Hotomanus, qui Cæſarem commentatur, *ad ſcribendam hiſtoriam animum appulit, qui cum hoc noſtro conferendus videatur In eo nihil à propoſito alienum, nihil non ordine, ac loco, nihil nõ magnopere neceſſarium admiſcet.* Cõtrà verò Plutarch. fecit, in cuius parallelis multa reperiuntur ad Philoſophiam potius, quàm ad hiſtoriam pertinentia. At verò Liuius, qui huius laudis admodum cupidus videtur; ſuæ tamen hiſtotiæ orationes inſeruit planè fictas, & commentitias, quod figmenti genus in hiſtoriographo Polybius grauiter inſectatur. Eius verò grauitas magna fuit, quòd leuia quæque prætermittens, *ſumma dumtaxat* (vt ipſe ait) *faſtigia rerũ perſequitur.* Qua in re Curtius peccauit, qui ad minutiſſima quæque explicanda ſeſe abiicit, ac demittit: vt cùm ait, *Lycum amnem fabuloſis Græcorũ carminibus inclytum fuiſſe; Nymphas in eius rupe conſidere,* &c. quæ nihil attinent ad hiſtoriæ ſeriem: *Corycio in nemore prouenire crocum; ex circumiectis petrarum receſſibus editas voces duplicato ſono ad aures reuocari;* aliáque id genus plura. Iam verò tanta (vt inquit Quintilianus) in eo vis eſt, tantum acumen, ea concitatio, vt illum eodem animo dixiſſe, quo bellauit, appareat. Qua in re Salluſtium ſuperauit: cuius dicendi genus aliquantulum lenius eſt, ac remiſſius. Vnde rectè à Quintiliano Thucydidi opponitur; Thucydidis enim, vt inquit Cicero, *bellicum canere in hiſtoria videbatur.*

Polyp. Quintil

Quòd ſi Martialis eum vocat primum Romana in hiſtoria, ea fortaſſe mente id affirmat, quia quicquid Salluſtius egit, propius Romanam hiſtoriam attingebat, cùm Cæſar bellum Gallicum latius perſequeretur.

Hic erit, vt perhibent doctorum corda virorum, Martial.
Criſpus Romana primus in hiſtoria.

Vel etiam quia breuiſſimo genere dicendi dominatur vt inquit Macrobius, de cuius ſententiis nec vnus quidem apex ſine detrimento demi poſſe affirmatur.

Idem etiam Salluſtius à Pollione, & Valerio Probo Grammatico apud Agellium lib. 1. c. 15. taxatur tanquam nimis antiquarius, verborúmque nouator; cuius hæc eſt ſententia *ſatis loquentiæ, ſapientiæ parum.* In qua vides verbum illud *loquentiam*, eſſe prorſus inuſitatum, & à Grammaticorum vſu aboleuiſſe, plura verba huiuſmodi apud Salluſtium reperiri refert Agellius, vt *die*, pro *diei decima parte die reliqua*, &c. Præterea, vt legenti perſpicuum erit, admodum longis vtitur orationibus: quod eius breuitati in rebus aliis aduerſatur. Nihil eorum vitiorum in Cæſare: de quo acerrimum eſt illud Ciceronis teſtimonium. *Commentarios*, inquit *ſcripſit rerum ſuarum valde quidem probandos: nudi enim ſunt, recti, & venuſti, omni ornatu orationis, tanquam veſte detracta.* Lege Sueton. in eius vita cap. 5. 62. Agellius.

Ciceronis teſtimonium egregium, de Cæſaris commentariis. Sueton.

PROBLEMA XX.

De primis Romæ conditoribus quæ verior opinio.

63 Plutarch. *De Romæ cõditoribus vera ſententia* Aſcenſ. Salluſt.

QVi primi Vrbis cõditores fuerint, diſſitæ sũt ac diſcrepantes auctorum ſententiæ, vt videre eſt apud Plutarch. in Romulo, prope initiũ. Certè quantiplurimi auctores huius. Vrbis condendæ gloriam Romulo ac Remo detrahunt vt ex citato loco Plutarchi, & ex commentariis Aſcenſij in Salluſtium perſpicuum eſt, quales ſunt Cephalon vetuſtiſſimus ſcriptor, Demagoras, Agatillius, Ariſtoteles, Xenagoras, Solinus. Hi omnes apud Aſcenſium. Fr. Bernard. de Britto in ſua monarchia Luſitana citat C. Sempronium Senatorem Romanum, qui eos quoq; reprehendit, qui Romulum Vrbis conditorem arbitrantur. Cùm igitur tam multi Romæ conditionem Romulo non exiſtiment tribuendam, neutiquam mihi videtur abs re iudicauiſſe, poſſe huius operis gloriam Luſitanis deferri.

Bernard. de Britto. 1. P. lib. 1. cap. 13

Conſtat enim ex variis auctorbus Atlantem Italum Hiſpaniæ atque maioris partis Italiæ Regem coacto ex Bethicis, atque Luſitanis exercitu, in Italiam ex Hiſpania profectum, vt fratrem Heſperum inibi tumultuantem refrænaret: tandem fœdere cum eo inito, filiam minorem natu *Romam*, nomine Luſitanis tradidiſſe, in quos præcipuo quodam ſtudio affectus erat propter incomparabilem animi vigorem, & inuictum corporis robur, quod in Luſitanis ipſis fuerat expertus. Roma verò in Capitolino colle oppidum conſtituit, quod à ſuo nomine *Romam* appellauit. Hoc autem ita prorſus accidiſſe refert Plutarch. ex aliis auctoribus citato loco, Dionyſ. Halicarn. M. Portiùs Cato, Fabius Pictor, pluréſque alij, quos refert Fr. Bernard. ſua in monarchia Luſitana, vir planè eruditus, & antiquitatis indagator acerrimus, cuius ego ſententiã lubentiùs amplecterer tot grauiſſimorum hominum firmatam teſtimoniis, ni cõmune ferè omnium placitũ per tot ſecula diriuatum, & quaſi fide ſancitum Romanæ fundationis gloriã Romulo detuliſſet; & certè verior hęc opinio haberetur à me, niſi fabuloſo 64

Luſitani ad Romæ originem conducti. Plutarch. Dion. Halic. M. Port. Cato. Fab. Pictor. Fr. Bernard.

Romulus Romæ fundator ſecũdũ communem ſententiam.

loſo illos Martis, & Syluiæ partu vitiaretur, & poſtea commentitia lupæ educatione aleretur, ac tandem falſa Numinis conſecratione Deus vaniſſimè coleretur.

PROBLEMA XXI.

An Domitianus procliuior fuerit ad eruditionem, quàm Nero.

65. MVlti quidem Domitiano adulantur, qui eum ad literas procliuem affirmarunt. Fabius Quintilianus; *Te*, inquit, *Auguſte, terrarum cura ab inſtituto poetica artis ſtudio deflexit: parum quippe erat te in eloquentia omnibus præſtare, omnibus in poetica anteire: illud tamen Virgilianum non immeritò vſurpauerim,*

Inter victrices hederam tibi ſerpere lauros.

Quint. Virgil.

Silius Italicus lib. 3. in fine de Domitiano loquutus.

Sil. Ital.

Quin & Romuleos ſuperabis voce nepotes,
Queis erit eloquio partum decus: huic ſua Muſæ
Sacra ferent: meliòrque lyra, cui ſubſtitit Hebrus,
Et venit Rhodope, Phœbo miranda loquetur.

Eidem Martialis paſſim adulatur. Verùm Suetonius, cuius tanta eſt in hiſtoria veritas, vt inquit Politianus, vt Neruæ, Traiani, Adrianíque ſuæ ætatis Imperatorum vitas tacere præoptauerit, quam aut periculosè viuentibus detrahere, aut extollendo potentiores, parum videri liber. Suetonius, inquam, in vita Domitiani c. 29. ait Domitianum nullam aut hiſtoriæ, aut carminibus cognoſcendis operam dediſſe, imò etiam adeò auuſum fuiſſe, vt vel in epiſtolis ſcribendis alienà facundia indigeret. Neque immeritò, oportebat enim, expers eſſet humanitatis, hoc eſt, eruditionis, qui plenus erat crudelitatis; nihilominus quamuis Neroni cedat literarum odio, non cedit crudelitate, vt ſtatim probo.

Polit. Sueton. *Domitianus minimè ad eruditionem idoneus.* *Domitiani crudelitas expers eruditionis.*

PROBLEMA XXII.

Vter crudelior, Nero, an Domitianus.

66. DOmitianus, vt inquit Beroaldus in Suetonium, inter peſſimos Imperatores cenſeri debet, qui ſeſe vt Deum vocari, ſcribi & coli iuſſerit. Seorſim tamen præ cæteris crudelitate fuit inſignis, ad quam eius ingenium fuit maximè procliue: nam vel in ipſas muſcas deſæuire, illi erat voluptati. Seſe enim intra domum recipiebat, vbi nihil aliud operabatur, quàm muſcas captabat, & ſtylo fine acuto configebat, vt cuidam interroganti, eſſet ne quis intus cum Cæſare, non abſurde reſponſum ſit à Vibio Criſpo. *Ne muſca quidem.* Ex hoc autem licet coniicere, quantæ crudelitatis eius natura fuerit: ſicuti enim Areopagitæ capite damnarunt eum puerum, qui coturnicum oculos eruere ſolitus erat, iudicantes id ſignum eſſe pernicioſiſſimæ mẽtis, multis malo futuræ, ſi adoleuiſſet. Ita etiam hæc Domitiani exercitatio eiuſdem ſæuitiam ſatis declarat. Porrò ex his latebris, ac ſolitudine, vbi muſcis captandis laborem impendebat, nunquam prodibat, vt inquit Plinius in panegyrico Traiani, niſi vt ſolitudinem faceret, hoc eſt, è medio tolleret.

Domitiani ſuperbia. *Domitiani crudelitas.* *Animalia ferire pernicioſa naturæ ſignum.* Plin.

Minuoça Viridarium.

Suetonius cap. 10. in eius vita refert multos à Domitiano interfectos, qui tamen extra omnem noxam erant: varia item cruciatuum genera ab eodem inuenta atrociſſima. In eos prætereà magis ſæuiebat, qui illi erant propinquiores. Vnde rectè Sidonius Apollinaris in primo epiſtolarum ait, *conſuetudinem malorum Principum naturæ flammarum bene comparari*; quæ ſicuti paulò ſe remota illuminant, ita ſatis ſibi admota comburunt.

Sueton. *Domitianus in propinquos plus ſæuiebat.* Sidon. Apollin. *Domit. flammæ comparatus.*

67. Duplicem igitur ob cauſam dici poteſt Domitianus crudelior fuiſſe, quàm Nero. In primis, quia non ſolùm cùm ira percitus erat, ſæuiebat in hoſtes: verùm etiam cùm maximè tranquillatus videbatur, inſurgebat in amicos, teſte Sueton. c. 11. vbi ſic. *Quò contemptiùs abuteretur patientia hominum, nunquam triſtiorem ſententiã ſine præfatione clementiæ pronuntiauit, vt non aliud iam certius atrocis exitus ſignum fuiſſet, quàm principij lenitas.* Quò pertinet illud Plinianum in panegyrico ad Traianum, cùm de Principibus ſæuis loquitur, inter quos Domitianum intelligit, *Quod mare*, inquit, *tam infidum, quàm blanditiæ Principũ illorum, quibus tanta lenitas, tanta fraus, vt faciliùs eſſet iratos, quàm propitios habere?* Altera cauſa eſt, quia Domitianus, vt inquit Cornelius Tacitus, crudelitatis ſpectaculis præcipuè delectabatur, *Nero enim* (inquit Cornelius) *minus erat ſanguinarius, qui iuſſit ſcelera, non ſpectauit: hic libenter ſpectabat cædes damnatorum, paſcebátque oculos ſanguine nobilitatis.* Quòd ſi Nero vrbem incendit voluptatis cauſa, eam tamen ſpecie honeſtatis obtexit; dicebat enim velle ſe de integro eius Vrbis vicos dirigere, ac deformitatem omnem tollere: nam, vt inquit Liuius, *Roma poſtquam à Gallis incenſa eſt, promiſcuè ac properanter iterum exædificata eſt*; quæ feſtinatio aliquam deformitatem Vrbi attulit.

Nerone crudelior. Sueton. Plin. Cornel. Tacit. Tit. Liuius.

PROBLEMA XXIII.

Vtrùm vſus pulueris tormentarij priſcis ſeculis incognitus, necne.

68. ANtiqua illa bellorum inſtrumenta, catapultæ, arietes, baliſtæ, & id genus alia, pumilionum, aut pygmæorum cum gruibus, aut potiùs murium cum ranis certantium tela eſſe dicentur, ſi cum noſtris conferantur, quæ in Vulcani officinis conformatæ videntur, & Gigantum Iouem cœlo deturbare conantium machinas non immeritò appelles.

Horum inſtrumentorum vſus veteribus incognitus fuit (quidquid Robertus Valturius affirmet.) bombardæ enim, id eſt, æneæ illius machinæ Iouis tonitrua imitantis, mentionem apud veteres nullam conſtat eſſe factam. Cuius vſus bello iuncto contra Genuenſes ad foſſam Clodiam circa annum Chriſti milleſimum trecenteſimum octogeſimum primum mundo innotuit, à Germano quodam nominis ignoti primùm repertus. Sunt, qui ſcribant Monachum Chymiſtam fuiſſe; cùm forte fortuna nitro, ſulfuri, carbonibus varia fomitum genera commiſcendo igne adhibito cognouiſſet, quanta vis eius materiæ eſſet.

Valtur. apud Iacob. Pomer orat. de antiq.

Digitized by Google

PROLEMA XXIV.

Quæ præmia militaria illuſtriora, quæ donabantur ob læſum hoſtem, an ob ciuem ſeruatum.

69. PRæmia duplici erant in genere, maiora, & minora. Illa ob ſeruatum ciuem; hæc ob læſum hoſtem donabãtur, de omnibus multa multus
Lipſ. Lipſius nuperrimè lib. 5. Dialog. nos multa paucis, ſed de minoribus interim agamus, ſtatim
Quæ præmia minora apud Romanos. de maioribus acturi. Qui hoſtem percuſſiſſet, nõ quidem in iuſta acie, ſed in ſingulari pugna, cùm
Polyb. nulla eſſet neceſſitas dimicandi, vt Polybius ob-
Roſin. ſeruauit (& optimè Roſinus lib. 10. cap. 26. ha-
Cato. ſtam accipiebat, quæ à Catone *donatica* appella-
Turneb. tur: à Turneb lib. 19 cap. 1. *graminea*: vulgò *pu-*
Sueton. *ra*. Suetonius in Claudio, *Quem Britannico triumpho inter militares viros haſta pura donauit.* Propertius lib. 4

Propert. *Sed tua ſic domitis Partha telluris alumnos*
Pura triumphales haſta ſequatur equos.

Virg. in 6. Æneid.

Virgil. *Ille, vides? pura iuuenis, qui nititur haſta.*

Haſta pura. Servius. Hæc autem *pura* dicebatur, quia ſine ferro erat, vt Seruius interpretatur; quemadmodum, *argentum purum*, cui nihil inſculptum eſt. *Veſtis pura*, cui nihil eſt purpuræ adtextum.

Qui hoſtes ſpoliabant, aut deiiciebant, quæ præmia. Si verò non modò percuteret, ſed etiam deiiceret ac ſpoliaret hoſtem, armillis donabatur, ſi pedes eſſet, ſi eques, phaleris. Ita quidem Poly-
Polyb. bius. Quamuis hic ordo nonnunquam ſolitus ſit
Liuius. inuerti. Nam apud Liuium lib. 10. inuenies, equites omnes ob inſignem pluribus locis operam, armillis argenteis donatos. Apud Dionyſium ve-
Dionyſ. rò, non modò armillas, ſed etiam phaleras præmio à Sicinio acceptas. Dicuntur autem *armillæ*,
Feſtus. vt inquit Feſtus, ab armis, antiqui enim humeros
Armilla, phaleræ. cum brachiis armos vocabant. Armillæ ſiniſtris gerebantur; vnde Tarpaia Sabinis Vrbem prodidit, ea lege, vt ab iis acciperet, quæcunque ſiniſtris manibus geſtabant; annulos ſignificabat, & armillas: illi præpoſterè eius votis reſpondentes coniectis clypeis fœminam obruerunt. Phaleræ non equorum modò erant ornamenta, vt pla-
Virg. num eſt ex Virg. 5. Æneid.

70. *Primus equum phaleris, inſignem victor habeto.*

Sed etiam virorum, vt conſtat ex Liuio lib. 9. *Tanta*, inquit, *fuit indignitas Comitiorum, vt plerique nobilium aureos annulos, & phaleras deponerent.* Silius de Scipione loquutus.

Ital. ------*phaleris hic pectore fulget,*
Hic collo aurato circundat bellica colla.

Iuuen. Et Iuuen. Sat. vlt.

Vt læti phaleris omnes, & torquibus omnes.

Diſcrimen inter phaleras, & torques. Vnde colliges inter phaleras & torques nonnihil cadere diſcriminis, quòd phaleræ demiſſæ ad pectus pendebant; torques ſtringebant magis, & ambibant ipſum collum. Frequens mentio eſt torquium in donis militaribus, vt videre eſt apud Lipſium loco proximè citato. Sæpe etiam milites
Suid. vexillis donabantur, vt apud Suidam, Salluſtium,
Salluſt. Suetonium, alióſque inuenies. Hæc de minori-
Sueton. bus præmiis, quę ob læſum hoſtem donabantur, & hac de cauſa minus illuſtria, quàm illa, quæ ob ſeruatum ciuem publicè victoribus magni duces impertiri ſolebant, & quemadmodum illuſtrius eſt ſeruare ciuem, quàm hoſtem lædere, ſic præmia ſuum pretium ſortiuntur.

PROBLEMA XXV.

Ex coronis militaribus, quæ nobilior.

LIpſius de militia Romana dialog. 17. coronas 71.
militares maiora dona iuxta Polybium ap- Lipſ.
pellat, quas multifarias fuiſſe A. Gellius ſcribit A. Gell.
lib. 5. cap. 6. præcipuas tamen eſſe triumphalem, *Maiora præmia, corona.*
obſidionalem, ciuicam, muralem, caſtrenſem, naualem. Triumphales coronæ ſunt aureæ, quæ *Triumphalis ex auro.*
Imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur, vulgus aurum vocat *coronarium*; quondam è lauro, poſtea ex auro fieri cœptæ ſunt. Obſidionales *Obſidionalis ex gramine.*
coronæ ſunt, quas ij, qui liberati ſunt obſidione, Plinius.
dant ei duci, qui liberauit: eóque, vt inquit Pli- Roſin.
nius apud Roſin. lib. 10. cap. 27. cæteris dignitate prælucent: fiebant ex gramine decerpto è loco intra quem obſidebantur; quia ſummum victoriæ indicium erat, herbam porrigere victos, quaſi Marte cederent. Mars enim gramine natus *Vnde Mars gradiuus.*
fuit; vnde *Gradiui* nomen inuenit. Ammianus Ammian.
verò apud Lipſ. obſidionali corona, pro *murali* vſurpat, A Gell. etiam. Ciuica corona eſt, quam A Gell.
ciuis ciui, à quo ſeruatus eſt in prælio, teſtem vi- *Ciuica è*
tæ, ſalutiſque perceptæ donat: fieri ſolebat è *quercu, vel ilice.*
quercu, vel ilice; vnde antiquiſſimus cibus, victuſque petebant, quoniam Ioui, in cuius tutela ſunt ciuitates, ſacra quercus eſt. Robertus Valtru. de re milit. lib. 12. cap. 7. Claud. de laud. Valtru.
Stilic. 3.

Mox erat in veterum caſtris, vt tempora quercu Claud.
Velaret, validis fuſo, qui viribus hoſte
Caſurum potuit morti ſubducere ciuem.

Muralis illi donatur, qui primus murum ſubiit, 72.
inque oppidum hoſtium per vim aſcendit. Ca- *Muralis ex auro.*
ſtrenſis illi, qui primus hoſtium caſtra pugnans *Caſtrenſis ex auro.*
introiuit. Naualis tandem illi, qui primus in ho- *Naualis ex auro.*
ſtium nauem vi armatus tranſiliuit. Omnes fiebant ex auro, teſte A. Gellio. Cum eo tamen diſ- A. Gell.
crimine, vt muralis quibuſdam veluti muri pin- Lucan.
nis decorata ſit. Lucan. lib. 2.

Turritáque premens frontem matrona corona.

Caſtrenſis valli præfert inſigne; vnde etiam *Val-* *Caſtrenſis, etiam vallaris, naualis, etiam roſtrata.*
laris dicitur. Naualis, quaſi nauium roſtris inſignita, quare à nonnullis *roſtrata* appellatur, ipſius naualem, & roſtratam diſtinguit; hanc præſtantiorem affirmat. Sed Virg. videtur coniungere in 8. Æneid.

Tempora nauali fulgent roſtrata corona. Virgil.

Ergo ſi facit naualis corona tempora roſtrata, 73.
videtur ipſa nõ differre à roſtrata. Oleaginas co- *Corona Oleagina.*
ronas dari ſolitas iis, qui triumphum ſolũ pro- A. Gell.
curant, neque in prælio fuerunt, ſcribit A. Gel- Lipſ.
lius: contra quem Lipſius virtutis etiam cauſa militibus donatas concedit. Illud non omitto ex eodem Lipſio, coronas aureas cõmunes fuiſſe, & propter quodlibet illuſtre facinus impertiri. De ouali corona agemus ſtatim in triumphis *Oualis.*
minoribus. Cæterùm ſcire reliquum eſt, cuinam ex his maior fuerit olim honor? Certè ciuicæ, vtpote cui, teſte Plinio, reliquæ cederent, vel Plin.
etiam aureæ, tanti erat ciuem ſeruare. Hinc colli- *Chriſtus Dominus ciuicam meruit.*
ge quæ deberetur Chriſto Domino ſalutis noſtræ aſſertori eximio, qui ſuæ vitæ non ſolùm diſcrimine, verùm etiam profuſione tot cœleſtis Hieroſolymæ ciues ſeruauit. Ingratum verò hominum genus ei ſpineam, pro ciuica contexuit coronam, & capiti per ſummum ſcelus impoſuit. Laudo Gothofredum ducem clariſſimum, qui

auream

aureàm coronam recuſauit, cùm Hieroſolymæ mænia aſcenderet triumphabundus, noluit enim in ea vrbe, in qua Chriſtus Dominus fuit ſpinea coronatus, aurea inſigniri. Similis ille miles de quo Tertullianus de corona militis. Quapropter maior gloria eſt ciuicæ deferenda, vt inferiùs oſtendam luculentiùs. Interim vide Gellium, & Plinium lib. 7. cap. 28. apud nos inuenies L. Sicinium Dentatum victorem fuiſſe in 120. bellis, & 45. cicatrices aduerſo corpore recepiſſe. 34. ſpolia reportaſſe, donatùmque fuiſſe 18. haſtis, 25. phaleris, 83. torquibus, 160. armillis, 26. coronis, 8. aureis, 3. muralibus, obſidionali vna, & 14. ciuicis: de his autem potiùs ille gloriabatur, eáſque in monumentum ſuæ virtutis ſempiternum paſſim oſtentabat. Mitilene capta C. Cæſari donata fuit ciuica à Termo prætore; Aurelianus etiam eandem comparauit bis; Auguſtus verò ſemel, quam præ reliquis æſtimauit. Mitto plura.

Gell. Plinius. *Dentati gloria.* Cæſar. Aurel. Auguſt.

Problema XXVI.

Qui illuſtriùs triumpharunt, triumphalibus quadrigis impoſiti, an ciuium brachiis delati.

75. *Triumphus maior, & minor* Plutarch. *Vnde dicta ouatio.* A.Gell.

TRiumphus duplex fuit, maior & minor: hic propriè ouatio dicebatur, ab oue, vt inquit Plutarchus in Marcello, quam qui hoc triumphi genere ornaretur, ſacrificabat. Huius triumphi cauſa, vt inquit A. Gellius lib. 5. c. 6. eſt, cùm aut bella non ritè indicta, neque cum iuſto hoſte geſta ſunt; aut cùm hoſtium nomen humile, & non idoneum eſt vt ſeruorum, piratarũque, aut deditione repentè facta incruenta victoria obuenit: cui facilitati aptam eſſe Veneris frondem crediderunt, quòd non Martius, ſed quaſi Veneris triumphus quidam foret. Itaque myrtea corona donabantur, qui hunc triumphum reportarent. Ouantes pedibus vrbem inibant, ſi Dionyſio Halicarnaſſæo, & Plutarcho credendum eſt; quorum ille pedeſtrem triumphum ouationem appellat: hic autem ſcribit ouantem, nec quadrigis inuectum, nec laurea coronatum, nec tubis, ſed pedibus, & myrtea redimitum, tibiis modulantibus vrbem iniiſſe. In eadem eſt ſententia Maſſurius apud A. Gellium. Aduerſatur tamen Dio, qui eoſdem equo vectos affirmat.

Oualis corona, Veneris fronde texta. Oualis, etiã myrtea. Halicarn. Plutarch. *Mores ouantium.* Maſſur. A.Gel.

Triumphus maior. Plutarch. *Triumphus vnde dictus*

Triumphus maior dictus eſt à Græco Bacchi cognomento triumphus; hic enim, vt inquit Plutarchus in Marcello, primus auctor triumphalis pompæ dicitur fuiſſe. Vnde ſunt acclamationes illæ apud Horat. Od. 2. lib. 4.

Horat.

Túque dum procedis, Io triumphe,
Non ſemel dicemus, Io triumphe.

75. Qui triumphũ peteret, abſens eſſet, oportebat: & plerunque non niſi Dictatori, Conſuli, aut Prætori decernebantur, qui minimũ quinque hoſtiũ millia vna acie cecidiſſet. Eſt præterea apud Valerium lib. 2. cap. 8. triumphum iis tantùm, qui Imperium Romanum auxiſſent non autem, qui amiſſa recuperaſſent, fuiſſe permiſſum. Triumphi pompa ita inſtruebatur. Præcedebant tubicines, &c. ducebantur boues in ſacrificiis mactandi. Succedebat ſpecioſa oſtentatio ſpoliorum, & manubiarum, &c. Ferebantur tituli victarum gentium, cum imaginibus deuictarum vrbium. Mixta item ſpoliis animalia antea non viſa, plantæque mirabiles ex locis captis aſportatæ. Deinde capti duces vincti catenis ſequebantur. Tum demum ipſe Imperator curru ſublimi vehebatur: fulgens veſte triumphali, id eſt, purpura auro texta; picta redimitus corona laurea, ramúmque lauri manu geſtans. Currus inſtar turris rotundæ conſtructus erat: quem vſitatè trahebant equi; quos cùm albos iunxiſſet in ſuo triumpho Camillus, vehementer populum offendit; propterea quòd albæ quadrigæ Deorum Regi, & Patri peculiariter dicatæ erant. Quidam tamen ceruos, nonnulli leones iunxerunt.

Valer. *Qui mores in triumphis.* *Ordo pompæ.* *Crusforma.* *Animalia currum trahentia.*

* *Mendoça Viridarium.*

76. Eo loco, quo Imperator ſedebat, ſuſpenſum fuit idolum Faſcini: de quo Plin. lib. 28. cap. 14. *Faſcinus*, inquit, *currus triumphantium defendit, medicus inuidiæ, iubétque eoſdem reſpicere.* Quò videtur ſpectare illud Tertulliani in Apologetico, *Hominem ſe eſſe etiam triumphans Imperator in illo ſublimi curru admonetur, ſuggeritur enim ei à tergo, Reſpice poſt te, hominem memento te.* Idem Zonaras affirmat: addit præterea, appenſum quoque fuiſſe currui tintinnabulũ & flagellum; quibus ſignificaretur, ipſũ in eam calamitatem incidere poſſe, vt & flagris cædatur, & capite damnetur. Nam qui ſupremo ſupplicio afficiebantur, tintinnabula geſtare ſolebant, ne quis in eundum contactu illorum piaculo ſe obſtringeret. Teſtis eſt Plinius lib. 33. cap. 7. triumphantium ora minio illini ſolita, & ſic Camillum triumphaſſe. Tandem in Capitolium aſcendebat, miſſis è foro captis militibus in carcerem trucidandis. In Capitolio verò ſelemni ritu ſuperos precabantur; epulum fiebat publicis ſumptibus, ſuſpendebantur ſpolia, præſertim opima, quæ dux hoſtium duci à ſe interfecto detraxerat.

Plin. *In honore nõ ſuperbiendũ.* Zonar. *Mos ad crucem damnatis.* Plin.

77. Cæterùm meo iudicio nullus illuſtriùs triumphauit, quàm Alexand. Seuerus, qui quidem, teſte Lampridio in eiuſdem Imper. vita, manibus Romanorum ciuium delatus Capitolium intrauit; quaſi verò de ipſo erga ſe omnium ciuium amore triumphaſſet; ſeu potiùs, quaſi nullus eſſet triumphus illo glorioſior, qui ob ciuium amorem celebratur; talis ille Luſitanorum Rex Ioannes huius nominis III. qui poſthabito ingentis pompæ apparatu, & comitatu, præcedentibus duntaxat viris duobus arundines ſuas de more geſtantibus, per plateas vrbium ſuarum ambulabat, & templa inuiſebat. Hinc ille poëta Luſitanus (liceat ſemel his vti) in epiſtola ad eundem Regem.

Que ſe pondeir mais auente
Com os olhos, nem conſentido
Con duas canas diante
Is amado, e is timido.

Similis ille Claudiani Princeps, qui faſtus renuebat, triumphales quadrigas parui faciebat, nullus ei triumphus glorioſior, quàm ſuorum charitas.

——Strepitus faſtidit inanes, Claud.
Inque animis hominũ pompa meliore triumphat.

Et quod hic Stiliconis triumphus cæteris præſtet optimè proſequitur idem poëta,

Non alium certè Romana clariùs arces
Suſcepere ducem, nec cum cedente rediret
Fabricius Pyrrho, nec cum capitolia curru
Pellææ domitor Paullus conſcenderet aulæ.

PROBLEMA XXVII.

Ruſtici ad bellum, quàm vrbani aptiores, néc ne.

78. Veget. VEgetius lib.1.de re militari, *Numquam*, inquit, *potuit dubitari aptiorem armis ruſticã plebem; quæ ſub diuo, & in labore nutritur, Solis patiens, vmbræ negligens, balnearum neſcia, deliciarum ignara, ſimplicis animi, paruo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris; cui geſtare ferrum, foſſam ducere, onus ferre, conſuetudo de rure eſt.* Nec inficiandum eſt poſt vrbem conditam, Romanos ex vrbe profectos ad bellum ſemper; ſed tunc nullis voluptatibus, nullis deliciis frangebantur. Sudorem curſu, & campeſtri exercitio collectum natans iuuentus abluebat in Tyberi. Idem bellator, idem agricola genera tantum mutabat armorum. Quod vſque adeò verum eſt, vt aranti Quintio Cincinnato viro optimo dictaturam conſtet oblatam. Ex agris ergo præcipuè ſupplendum robur præcipuè videtur exercitus. Neſcio enim, quomodo minus timet mortem qui minus deliciarum nouit in vita. Huc pertinet Horatianum illud lib.3.carmin. Od.6. vbi vrbanos carpit, ruſticos commendat.

Horat.
Non his iuuentus orta parentibus
Infecit æquor ſanguine punico,
Pyrrhúmque, & ingentem cecidit
Antiochum, Annibalémque dirum.
Sed ruſticorum maſcula militum
Proles, &c.

Et quidem Roma duo tribuum genera dicitur habuiſſe, alterum earum, quæ ruri, alterum earum, quæ in vrbibus habitarent. Refert autem Sigon. *Vita ruſtica vrbanæ præferenda.* Sigonius ruſticas vrbanis longè præferri, & ita optimum, & præſtantiſſimum quemque relictis vrbanis in ruſticis cenſeri velle. Ex ruſticis *Dentatus Dux Romanus.* enim ad Dictatoris dignitatem ſæpenumero euocabantur, vt contigit Dentato. Plinius. Idem traditur à Plinio lib.18.cap.3. *Ruſticæ*, inquit, *Tribus laudatiſſimæ; vrbanæ verò, in quas transferri, ignominiæ eſſet, deſidiæ, probro.*

PROBLEMA XXVIII.

Quis meliùs cenſebat, Cato delendam Carthaginem, an Scipio Naſica ſeruandam.

79. *Naſicæ opinio præfertur.* Rhodig. Tertull. RHodiginius lib. 27. cap. 1. Scipionis iudicium laudat, & approbat, & quidem meritò; eo enim ſecurior Roma imperabat, quominus ſecura videbatur, otium armorum eſt rubigo, & ſi credimus Tertulliano 5. de pallio, *plus togæ læſerunt Rempubl. quàm loricæ*, quia ſcilicet Vide auct. in lib. Reg. 1.c.1.n 28. ann.12.ſect. 3. & infrà lib.175. pacis tempore irruunt in Rempubl. deliciæ, belli tempore expelluntur. Præclarior Roma armata, quàm togata. Iuuenalis hæc fuit mens Satyr.6.

Iuuen.
Nunc patimur longæ pacis mala, ſæuior armis
Luxuria incubuit, victúmque vlciſcitur orbem.

Lacedæmones bellũ paci præferebãt. Hac via Lacedæmones gloriam ſibi compararunt. Vrbem quam Rex funditus euertere parabat, integram conſeruari poſtularunt, & cotem iuuentutis ſuæ appellarunt. Vnde cùm aliquando oppidum ſibi infenſiſſimum euerſum viderent, haudquaquam victoriam celebrarunt, imò vocem illam fortitudinis plenam emiſerunt, *Periit luctatio iuuentutis.* Occurrit Luſitani *Luſitani Regis placitum.* Regis illuſtre documentum, cùm aliquando Senatores aliquot Regij de euertendis Africæ propugnaculis proferrent ſententiam, cùm ex illorum conſeruatione nullum emergeret Luſitaniæ emolumentum, imò detrimentum ſequeretur diuitiarum; ille ſententiam improbauit, quia non curabat diuitiarum emolumentum, ſed virium augmentum, & illa Africæ oppida, quæ vſque adhuc ingenti Luſitani nominis fama conſeruantur, ſuæ iuuentutis ſcholam appellabat. Vnde Catonis placitum non placet, quod quidem tale fuit ob inteſtinum cum Carthaginenſibus odium, vt habes apud Plinium lib.15. Plin. Florus. cap.18. & Florum lib.2.cap.15.

PROBLEMA XXIX.

Quibuſnam deferes palmam magnitudinis, turritis olim Romanorum, & aliorum nauibus, an Indicis modò Luſitanorum.

SOlebant veteres nauibus turres imponere ad libram, quæ ob id dictæ turritæ à Virgilio in 80. *Naues turrita apud veteres.* 8.Æneid. Virgil.

— Pelago credas innare reuulſas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos;
Tanta mole viri turritis puppibus inſtant.

Appianus, *Turres*, inquit, *in nauibus habebant,* Appian. *& ad proram, & ad puppim.* Plinius lib.32. vbi Plin. de Echeneide, *Sed armata claſſes imponunt ſibi turrium propugnacula, vt in mari quoque pugne-* Cæſar. *tur, veluti è muris.* Cæſar 3. de bello ciuili. *In nauibus ad libram fecerat turres.* Sed in pugna illa Actiaca Cæſaris cum Antonio, de qua Virgilius Bayf. citato loco agit naues turritas extitiſſe, ex Dione Græco deprehenditur, Bayf. aduertit. fol. 61. Cæterum illa torquet hic multos difficultas, an Plut. turres iſtæ tantùm fuerint in Antonianis nauibus, an etiam in Ciceronianis. Plutarchus rem dubius reliquit indeciſam. Sed vtrique claſſi tur- Prud. res præſta. Ita accipe Virgilium, qui ait, *montes montibus concurrere.* Litem ſoluit Prud. lib.2. in Symm.

Inſtar erant tenuis cymbæ, fragiliſque phaſelli
Inter turritas Memphitica noſtra Liburnas: 81.

Vbi etiam inferiores facit naues Antonij nauibus Auguſti. Nam hic Luburnis pugnauit. Nec *Romani turrita nauis auctores.* hoc nauium genus nouum Romanis, imò Romani auctores illius. Crede Seruio in Virgil. Seru. Rhod. citatum. Subſcribit Rodigin. lib.29. cap.27. Iul. & Iulius lib.1.ciu. quem vide, vbi habes formam Appian. harum nauium. Confirmat Appian. allegatus lib.5.ciu. Quòd verò huiuſcemodi nauium ma- Maffeus. *Nauium Indicarũ apud Luſitanos magnitudo.* chinæ cedant noſtris, fatetur paſſim Maffæus, licèt Romanus homo, & quidem magnitudine fortitudine, & gloria victoriarum, vt infrà oſtendam.

* *

PRO

PROBLEMA XXX.

Quibúſnam nauigandi artem tribuis, Ægyptiis, Cretenſibúſne, an Argonautis.

82. Afer. Diod. Plin. DIonyſius Afer exiſtimat Ægyptios omniũ primos nauigaſſe: ex quibus Danaus, teſte Diodoro lib.5.& Plin.lib.7.cap.56. nauem longam adduxerat Diodorus Cretenſibus omnium primis nauigandi peritiam attribuit. Eoſdem nauigandi principatum tenuiſſe Strabo in primis demonſtrat. Vnde prouerbium, *Cretẽſis neſcit pelagus*, in eum, qui ea, quæ probè nouit, ſe ignorare diſſimulat, vt cum aliis refert Polyd. Virgil.lib.3.cap.15. Mella, & Tibullus hoc ipſum Phœnicibus aſſignat, quorum hic Eleg.7. (Strabo. Polyd. Mella. Tibul.)

Vtque maris vaſtum proſpectat turribus æquor,
Prima ratem ventis credere docta Tyros.

Argonautæ naualis peritiæ auctores. Pleríque tamen arbitrantur Argonautas omnium primos nauigandi peritia excelluiſſe. Manil.lib.

Manil. *----. Tum nobilis Argo*
In cælum ſubducta, mari, quod prima cucurrit
Seruanda Dea facta Deos.

Ouid. Ouid.de Argonautis,

Per mare non notum prima petiêre carina.

Et Seneca poëta choro 2.Medeæ de Argo loquutus.

Seneca. *Merces prima digna carina.*

Idem tradunt quotquot Argonautica ſcripſerunt. Græci quidem Orphæus Crotoniata, Epimenides, Cleon, Herodotus, Apollonius, Dionyſius Mileſius. Latini, Catullus, Varro Attacinus, & Valerius Flaccus. Sed de naui longa, quamuis repugnet Diodorus; qui illam Danao tribuit, vt diximus.

PROBLEMA XXXI.

Quæ magis arrident, nauiumpupes imaginibus tutelarium depictæ, an roſis recentibus coronatæ.

83. *Imagines Deorũ puppibus inſculptæ.* Niceph. VTrumque ſolemne apud veteres. Quòd verò tutelarium Deorum imagines fuerint puppibus inſculptæ, tradit Niceph. lib.2. hiſtor. cap.73. Vnde petenda poëtarum germana interpretatio, quando de picturis, vel cælaturis naualibus agunt. Horat.

Horat. *Nil pictis timidus nauita puppibus fidit;*

Præceſſerat enim,

Non tibi ſunt integra lintea
Non dij, quos iterum preſſa voces malo.

Ouid. Ouid.1.Triſt Eleg.9.

Eſt mihi, ſitque precor flauæ tutela Mineruæ
Nauis & à picta caſſide nomen habet.

In Epiſt.Paridis.

Accipit & pictos puppis adunca Deos,
Qua tamen ipſe vehor comitata cupidine paruo
Sponſor coniugij ſtat Dea picta ſui.

Silius. Silius lib.14.

Scuta virûm criſtæque & inerti ſpicula ferro,
Tutelæque Deûm fluctuabant, &c.

Mitto plura teſtimonia; hic mos ad noſtrates *Mendoça Viridarium.* fluxit, & quidem non falſa, vanáque mixtus ſuperſtitione, ſed vera, & ſacra conditus religione. Enim verò nobiliores nauium magiſtri ac domini ſuis nauibus ſacras diuorum effigies affigunt, eáſque ſumma colunt veneratione, ipſorúmque diuorum nomina nauibus ritè imponunt, & veluti tutelaria numina in tempeſtatibus implorant, multáque prece ambiunt. Itaque mitto reliqua teſtimonia, quibus poëtæ paſſim ſcatent. Accedo ad aliam conſuetudinem veterem. Virgilius in primis 4.Æneid. *Nautæ floribus puppes coronant.*

Puppibus & læti nautæ impoſuêre coronas. Virgi.

Propert.lib.4.Eleg.7.

Ecce coronato pars altera vecta phaſello, Propert.
Mulcet vbi Elyſeas aura beata roſas.

Ouid.

Torta coronatæ ſoluunt retinacula puppes. Ouid.

Huc pertinet illud Ambroſij in Exaëm. *Omnes puppes, quæ peruectæ fuerint, coronantur, &c.* Vterque mos laudabilis, ſecundus verò nautis gratior. Ambroſ.

PROBLEMA XXXII.

Poëmate Homeri vllúmne extet in Græcia vetuſtius.

HOmeri opus nullum vetuſtius extare in Græcia in confeſſo eſt; vt auctor eſt Ioſephus lib.1. contra Appionem, & Ariſtoteles; quos citant Genebrardus fol. 119. Ioſephum etiam Bened.Peret.præfatione in Geneſim. Vnde miratur Lucretius, nullam ſcriptionem extare, quæ de rebus ante Troianum excidium agat, ſic enim ait. 84. *Homeri poëmate nullum antiquius extat.* Ioſeph. Genebrar. Peret.

Cur ſupra bellum Thebanum, & funera Troiæ Lucret.
Nil alias alij quicquam cecinêre poëtæ?

Cuius rei ratio illa eſt, quia cæterorum poëtarum monumenta temporis iniuria abſumpſit, penitúſque deleuit. Vnde quamuis multi extitorint poëtæ Homero antiquiores, vt ſtatim ventilandum, nullum poëma Homeri poëmate antiquius extitiſſe creditur; quamuis Horatius lib.4. carm.Od.9.ſignificet nullos tunc poëtas extitiſſe, dum ait.

Vixêre fortes inter Agamemnona Horat.
Multi; ſed omnes illacrymabiles
Vrgentur, ignotique longa nocte
Carent quia vate ſacro.

PROBLEMA XXXIII.

Vtrùm quemadmodum Homerus poëtarum nemini cedit nobilitate, itáne antiquitate.

HOmerum, & Heſiodum cõiungit Herodotus lib.2.his verbis, *Heſiodus, & Homerus, quos quadringentis nõ amplius annis opinor ante me extitiſſe; fuêre, qui Muſarum inſtinctu in Helicone primi de Deorũ generatione ſcripſerunt, quã Theogoniam appellarunt. Varro non eſſe dubium*, inquit, *quin aliquo tẽpore eodem vixerint Heſiodus, & Homerus*; eóſque Synchronos fuiſſe teſtatur. Lege Beroald.in primam Tuſc.in initio, vbi plura hac de re. Contrà ſtat Porphyrius, qui ait, Heſiodum 85. Herod. Varro. Beroal. Porph. Genebr. Euſeb.

centum annis fuiſſe poſt Homer. Genebrard. fol. 126.

Homero antiquiores poëta. Certè vt inquit Euſebius citatus ab eodem Genebrardo, ante Homerum extiterunt in Græcia hi poëtæ, vt plures alios omittam. Linus, Philammon, Tamyras, Amphion, Orpheus, Bluſæus, Sibyllæ, Epimenides Cretenſis, &c. Alios item refert Pauſanias. Conſule Genebr. vbi ſuprà. Cæterùm quamuis cedat antiquitate artis, nemini cedit poëmatis nobilitate.

PROBLEMA XXXIV.

Xenophon, Thucydides, & Herodotus de primatu orationis certant, ſed quis victor.

86. *Xenophontis ſuauitas.* XEnophon mira ſermonis dulcedine ac ſuauitate vſus fuit: adeò, vt vulgò Attica Muſa diceretur. Multus eſt Cicero in eius laudibus: *Tullius.* aliàs enim ait, Xenophontis ore Muſas loquutas eſſe: aliàs Xenophontis ore melle dulciorem orationem effluxiſſe. Denique cùm ſuaue ſcribendi genus explicare vellet, Xenophonteium appellauit. *Ita enim*, inquit in Bruto, *Qu. Catulo ſumma erat orationis comitas, incorrupta quadam Latini ſermonis integritas, quæ perſpici cùm orationibus eius poteſt, tum facillimè ex eo libro, quem de conſulatu, & de rebus geſtis ſuis ſcriptum reliquit, molli, & Xenophonteio genere orationis.*

87. *Thucididis ſtylus.* *Tull.* In Thucydide quamuis etiam multis locis à Cicerone dignitas orationis commendatur; tamen rerum perturbatio atque confuſio à Dionyſio Halicarnaſſæo reprehenditur. Sic enim euentus belli Peloponneſiaci per initia & extrema Olympiadum digeſſit, vt exterorum geſtis vix commodè adaptari poſſint, apud quos longè diuerſa erat temporis computandi ratio. Nam Olympiacum certamen in menſem Iunium incidebat, & medium ferè annum diſpeſcebat, atque ex vno duos quodammodo faciebat, quorum alter ad præcedentia, alter ad ſequentia Olympia pertineret. Vnde non ſatis ex eo conſtare poteſt, quæ quo tempore geſta fuerint.

Herodoti ſtylus. *Tull.* *Herodotus*, inquit Cicero, *longiſſimè abfuit à delitiis, vel potius ineptiis orationis; qui ſine vllis ſalebris, quaſi ſedatus amnis fluit.* Tamen, eodem Tullio teſte in Oratore, numero caruit: priſcis enim ſeculis oratio nuda ac rudis ad ſolos animorum ſenſus exprimendos fuit reperta: poſtea numerorum ratio, cauſa delectationis aurium excogitata eſt.

PROBLEMA XXXV.

An ſint Beroſi illi libri, qui ſub Beroſi nomine circunferuntur.

88. *Suadetur nō eſſe Beroſi.* MVltis argumentis oſtendi poteſt, non eſſe hos libros Beroſo tribuendos. Quæ, vt res fiat luce clarior meridiana, dialectico planè more proponemus; primò, Beroſus, vt inquit *Ioſephus* Ioſephus, Chaldaicam hiſtoriam tantùm delibauit: id eſt, quæ ad illam tantùm pertinere videbantur, breuiſſimè perſtrinxi. Ergo non contexuit ſeriem eorum Regum, qui in Gallia, Hiſpania, Germania, Africa, Ægypto, Æthiopia, & Italia floruerunt, cùm ad inſtitutum minimè ſpectaret; quod tamen latè proſequitur hic ſuppoſititius. Confirmo hoc poſterius pronuntiatum, quia huiuſmodi Regum ſeries atque ordo minimè cognoſci poterat à Beroſo, nihil commercij Chaldæis erat cum Hiſpanis, Gallis, &c. Quo intercedente duntaxat hæc omnia percipiuntur: ergo vel nihil ea de re ſcripſit; vel ſi ſcripſit, multa peccaret, opus fuit. Quemadmodum etiam auctores Græci multa commentitia ſcripſerunt de Hiſpania, Gallia, Italia; quòd nullam haberent cum his regionibus commercij ſocietatem. Nam Æſchylus Eridanum Hiſpaniæ fluuium eſſe dixit: qui tamen *Æſchyl.* naſcitur in Italia. Euripides Rhodanum in Italia conſtituit; qui Galliam interfluit. Ariſtoteles ait Danubium à montibus Pyrenæis emergere; quod tamen ſecus accidit, cùm ex Arnobæ *Euripid.* *Ariſtot.* iugis in Germania oriatur. Hic tamen, qui Beroſi nomen ſibi vſurpat, hac de re id ſcribit, quod res eſt.

Præterea verus ille Beroſus, teſte D. Hieronymo in cap. 37. Iſai. ſcripſit bellum illud, quod à Sennacheribo Rege Aſſyriorum illatum fuit Ægyptiis: cùm ab Aſſyriis Peluſium obſeſſum fuit, & cùm in ea obſidione centum octoginta quinque millia exercitus Aſſyrij peſtilentia corruerunt. Imò potiùs Ioſephus non ſolùm ait hoc bellum à Beroſo deſcriptum fuiſſe; ſed etiam eiuſdem Beroſi verba tranſcribit. Atqui apud hunc, qui Beroſi nomine gloriatur, nihil hac de re vſquam reperitur; ergo planè ſuppoſititius eſt. Multa alia D. Hieronymus & Ioſephus ex antiquo illo Beroſo citant, quæ apud hunc nullibi reperiuntur. 89. *Hieron.* *Obſidio Peluſij admiranda.*

Deinde Beroſus citatus à Ioſepho negat Babylonem ædificatam eſſe à Semiramide, eóſque omnes, qui hoc ſcripſerant, reprehendit. At verò hic lib. 5. ait à Semiramide Babylonem, auctam, exornatámque fuiſſe eo murorum apparatu, ob quem in ſeptem orbis miraculis numeratur. Plinius quoque de naturali hiſtoria, & Agathius Græcus nonnihil afferunt ex Beroſo; cuius mentionem apud hunc inuenies nullam. Non deſunt etiam auctores non pœnitendi, qui affirment hunc Beroſum falſum omnino eſſe, & prorſus ſuppoſititium: quorum de numero eſt Volaterranus libro 2. Georg. Ludouicus Viues præfatione in D. Auguſtinum de ciuit. M. Antonius Sabellicus lib. 1. Ennead. 11. Qui contrariæ parti adhærent, hoc vno nituntur fundamento; quia nonnulla vident apud hunc Beroſum, quæ etiam ab illo antiquo ſcripta fuiſſe conſtat ex Ioſepho, & D. Hieronymo. Sed quis dubitat, potuiſſe illum quidem multa adulterari, & ementiri, vt verus Beroſus videretur? Conſule Barrerium. 90. *Babylon à quo fuerit ædificata.* *Plin.* *Volaterr.* *Viues.* *Sabellic.* *Fundamentum partis aduerſæ.* *Barrer.*

***

PROBLEMA XXXVI.

Vtrùm vindicta nobiles magis dedeceat, an ignobiles.

91. QVòd vindicta viros magis nobiles, quàm ignobiles dedeceat, indecens foret inficiari. Quod exemplis primò illuſtro, dictis confirmo; rationibus, ſi temporis breuitas patiatur, ſtabiliam.

Vindicta plenè dedecet animū nobilē.

Adrianus Cæſar creatus Imperator adeò inimicorum vindictam regium dedecere animum exiſtimauit, vt nihil ſibi potius duxerit, quàm eos, quos priuatus acerrimos fuerat expertus aduerſarios, ſecúmque grauiſſimas exercuerant inimicitias, amicabili proſequi beneuolentia. De quo illud præſertim celebratur. Adriano namque quidam fortè obuius, quem Romano priuſquam Imperio potiretur, capitalem erat expertus inimicum: Ecce tibi, miſer, ac miſellus homo Imperatoris in conſpectu, timere, expalleſcere, animo cadere, conſternari, & *totis*, vt aiunt, *artubus contremiſcere*, de ſe actum eſſe exiſtimare, & in malam iam abire crucem, debitas pœnas ſoluere. Cui Adrianus perhumaniter; *Bono*, inquit, *eſto animo, me Imperatore euaſiſti.* Significans profectò ab Imperatoris dignitate alienum eſſe, de eo pœnas ſumere, quem, ſi priuatus eſſet, probè vlciſci poſſet: nihilque tam liberale, tam regium, támquo magnificum, & Imperatore dignum, quàm illatas ſibi iniurias non vindicta proſequi, ſed libenti animo condonare.

Adriani Imper. exemplū.

92. Milites duo manipulares regio Antigoni tabernaculo incumbentes, *faciebant*, inquit Seneca Philoſophus, *quod homines & periculoſiſſimè, & libentiſſimè ſolent*, Regem ſuum maledictis onerabant. Audierat omnia Rex Antigonus, vtpote cùm maledicentes inter & Regem audientem ſola tabernaculi palla intereſſet, quam Antigonus leuiter, ac leniter commouens, *Longius*, inquit, *diſcedite, ne vos Rex audiat Antigonus.* Peraffine eſt illud, quod de Magno Alexandro, optimæ fidei ſcriptores prodidêre; cùm enim iuxta Alexandri tentorium duo aliquando milites, gregarij illi quidem, & humilis conditionis homines, quales maledici eſſe ſolent, indigna permulta de Alexandro maledicta obiicerent; mox, ſemoris, vt exiſtimabant, arbitris, non illiberaliter modò, ſed petulanter, ac procaciter illoris verbis multa adderent, omnia Alexander, quem abſentem exiſtimabat, in ſe indigniſſimè iactata, audiebat. Quid ergo Alexander, indignatíne, iraſci, ſtomachari, excandeſcere, vindictam meditari? Non ita quidem. Imò, vt auguſtiſſimo erat animo, *ſubmiſſiori*, inquit, *voce de Alexandro maledicite, vos ne audiat Alexander.*

Antigoni Regis.

M. Alexādri.

93. Quam animi celſitudinem & clementiam in hoſtes cum regno ſimul quaſi hæreditariam Alexander à Philippo accepit, qui tam erat in hoſtes etiam benignus, vt quibuſdam conſulentibus, vt aſperiùs ageret Athenienſibus cum hoſtibus, in eóſque ob illatas iniurias regio animaduerteret ſupplicio, regaliter reſpondit, illos perabſurdè facere, qui homini cuncta regium ad ſplendorem, & gloriam referenti, ſuaderent, vt gloriæ ſuæ theatrum abiiceret; ſignificans illud vnum principibus viris auguſtiſſimum eſſe regij ſplendoris theatrum, ſi illis ignoſcant libentiùs, quos vlciſci poſſent faciliùs. Vnde cùm Democrates lingua procaciſſimus inter alios Athenienſium Legatos ad eundem Philippum veniſſet, Rex vt mitiſſimo erat ingenio, *Dicite*, inquit, *quid poſſim facere, quod ſit Athenienſibus gratum?* Excepit Democrates, *Percontaris Rex, quod Athenienſibus gratum facere poſſis? Nihil æquè ac te ipſum ſuſpendere.* Indignantibus circumſtantibus grauem adeò Regi illatam contumeliam petulantiſſimi hominis vix anima delendam, eos omnes Rex Philippus iubet conticeſcant, Democratémque à quo indignam illam acceperat contumeliam, incolumem dimittit. *At vos cæteri Legati*, inquit, *nuntiate Athenienſibus, quas Philippus contumelias audit impunè.* Exiſtimans nihil tam regale ac munificum de Rege nuntiari poſſe, quàm illatas ſibi contumelias ignoſcere, vt Seneca refert Philoſophus lib. 3. de ira c. 23.

Philippi in hoſtes clementia.

Democratis linguæ procacitas.

Regius Philippi animus ad iniurias tolerandas.

Porſena ille Rex potentiſſimus, qui Romanam vrbem duriſſima premebat obſidione, egregium cùm admiraretur animum Scæuolæ Romani, qui ſibi ipſi iratus, quòd in diſtringendo gladio in ipſum Porſenam Regem errasset, errantem dexteram igni impoſuit, eámque ardere, & comburi immotam quaſi illius negligentiæ ream; Porſena autem hoſtilis etiam tam roboris diligens, quàm propriæ negligens iniuriæ, *Reuertere*, inquit, *ad tuos Scæuola, eiſque refer, te vitam meam cùm hoſtiliter petieris, à me beneuolè vita donatum.* Regium videlicet animum Porſenam Romanis ciuibus arbitrabatur oſtēdere infeſtiſſimo potius hoſti ignoſcendo, quàm, vt par erat, vlciſcendo; adeò vindicta nobilem dedecet animum. 94.

Porſena iniuriis ſibi illatis, exemplū. Seneca.

Quod Romanorum Imperatorum præſtantiſſimi haud ignorabant, quippe qui mitiſſimo in aduerſarios erant ingenio. Caius Cæſar ille, qui ciuili victoria clementiſſimè vſus eſt, cùm ſarcinam deprehendiſſet epiſtolarum, quæ ad Pompeium mittebantur ab ipſis, qui Pompeij partes cōtra Cæſarem ſecuti fuerant, epiſtolas illas omnes *optima fide*, vt ait Plinius, iuſſit comburi, nec eas aperuit, ne authores agnoſceret, & vindictam ſumere cogeretur; quaſi verò nec vindictæ cauſam ſcire voluiſſet. Illud tamen longè præſtantius. Cùm námque Rufus vir ordinis Senatorij in Cæſarem Auguſtinum non bene eſſet animatus, contumelioſa aliqua in Cæſarem iecit verba; hortatus poſtea à ſeruo, vt Cæſarem adiret, & occuparet, vſus conſilio, deſcendenti Cæſari occurrit, illatam iniuriam condonari ſibi precatur, ſecúmque in gratiam vt redeat, Cæſarem rogat. Cùm dixiſſet ſe Cæſar facete libentiſſimè, *Nemo*, inquit Rufus, *credet, ô Cæſar te grauiſſimam poſt acceptam iniuriam mecum in gratiam rediiſſe, niſi magnum aliquod mihi contuleris beneficium*; petítque à propitio etiam & familiariſſimo non facilè concedēdam pecuniæ ſummam, eámque facillimo negotio à Cæſare impetrauit. Regaliter Cæſar liberalitatem clementiæ adiecit; addidítque perurbaniter, *Mea cauſa Rufe, dabo operam, ne vnquam iraſcar tibi, cui non modò condonanda iniuria, ſed inſuper præſtandum eſt beneficium.*

Caij Cæſaris.

Illud planè egregium, quod de Imperatore Theodoſio ſcripſit Ambroſius in orat. de exitu ipſius Theodoſij, *Beneficium*, inquit, *ſe putabat accepiſſe auguſtæ memoriæ Theodoſius, cùm rogaretur ignoſcere.* additque, *Tunc propior Theodoſius erat veniæ, cùm fuiſſet cōmotio maior iracundiæ. Prærogatiua ignoſcendi erat indignatum fuiſſe, & optabatur in eo, quòd in aliis timebatur, vt iraſceretur.* Ex quibus ſatis liquidò conſtat, quàm vindicta nobilem 95.

Ambroſ. Theodoſij Imper. clementia.

Seneca.

& egregium animum dedeceat. Vnde Seneca Philoſophus lib. 3. de ira c. 34. *Irâ*, inquit, *nedum vindicta abſtinendum eſt. Nam cum pari contendere anceps eſt, cum inferiore ſordidum, cum ſuperiore furioſum, iuxta illud Pythagoricum, In cælum non expuēdum*, additque Seneca pergraphicè, & in rem noſtram peropportunè. *Puſilli hominis, & miſeri eſt, repetere mordentem: vt mures, & formicæ, ad quas, ſi manum admoueris, ora conuertunt. Imbecilla ſe lædi putant, ſi tanguntur.* Venuſtè quidem Elegiographus poëta triſt. lib. 3.

Ouid.

Quò quiſque eſt maior, eò eſt placabilis ira,
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnorum ſatis eſt proſtraſſe leonum,
Pugna ſuum finem, cùm iacet hoſtis, habet.
At lupus, & turpes inſtant morientibus vrſi,
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

Facit illud Claud. in conſulatu Manlij Theodori.

Claud.

Lenè fluit Nilus, ſed cunctis amnibus extat
Vtilior, nullas confeſſus murmure vires.
Acrior at rapidus tacitas prætermeat ingens
Danubius ripas: eadem clementia ſaui
Gurgitis immenſam deducit in oſtia Gangem,
Torrentes immanè fremant, lapiſque minentur
Pontibus, inuoluant ſpumoſo vertice ſyluas,
Pax maiora decet: peragit tranquilla poteſtas, — *Pax bello potentior.*
Quod violenta nequit; mandatáque fortius vrget
Imperioſa quies, &c.

96. *Inter animãtes, leo clementia princeps.*

Brutos inter animantes leonibus delatum principatum, nullus ambigit, in iiſdem plura, quàm in aliis benignitatis, & clementiæ ſigna naturalium rerum indagatores planè agnoſcunt. Solinus præſertim lib. 4. c. 8. *Clementia*, inquit, *ſunt multa indicia in leonibus, proſtratis parcunt, robuſtos potius in viros, quàm imbelles ſæuiunt in fœminas: infantes verò non niſi magna oppreſſi perimunt fame.* Hinc illa præclara Claudiani admonitio ad ſuum Principem.

Claud.

Obuia proſternas, proſtratáque more leonum
Deſpicias, &c.

Meritò etiam adnotari ſolet inter apes illam tantùm, quæ principatum gerit, aculeo vel non vti, vel carere omnino. Qua de re Alciat. Emblema elegans confecit,

Veſparum quod nulla vnquam Rex ſpicula figet,
Quódque aliis duplo corpore maior erit,
Arguit imperium clemens, moderatáque regna,
Sanctáque iudicibus credita iura bonis.

Baſil.

Cæterùm D. Baſilius homil. 8. in hexaëmer. non minus eleganter, *Regi*, inquit, *apum aculeus eſt, ſed eo ad vlciſcendum non vtitur. Sunt hæ naturæ leges, non ſcriptæ, vt quiſque maxima eſt potentia præditus, ita tardum ad puniendum eſſe oportet*, &c. Eadem ferè retulit Ambroſius hexaëmer. lib. 5. c. 20. Ælian hiſtor. animalium 1. & S. Chryſoſt. orat. de Regno 4. Sed præ reliquis Seneca de clem. *Rex ipſe ſine aculeo eſt, noluit illum natura nec ſæuum eſſe, nec vltionem magno conſtaturam petere, telúmque detraxit, & iram eius inermem reliquit*, &c. — Senec.

Hinc ille alius diuinitus, *Reges ſine aculeo eſſe debent.* Verè vtique Seneca lib. de clem. citato, *Nullum magis decet clementia, quàm Principem.* Concinit Mantuanus.

Virgil.

-----Clementia dos prima Regum.

Ouid. 1. de Ponto Eleg. 3.

Ouid.

Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,
Quique dolet, quoties cogitur eſſe ferox.

Seneca.

Quapropter Seneca illud præcipuè in Cæſare commendat Imperatore, quòd à vindicta & aculeo ita eſſet alienus, *vt pœnas videretur dare, cùm exigeret.* In eodem Tullius maximè extollit, *quòd libentius ignoſceret, quàm alij vlciſcerentur*; idque in eo prædicat verè regale, & auguſtum. *Nihil*, inquit, *obliuiſci ſolet, niſi iniurias.* — Tull. Iam verò nobiles alij viri, quàm à vindicta fuerunt alieni? Iam accipite. Cato, cùm à quodam eſſet percuſſus, non vindicauit iniuriam; imò veniam poſtulanti, ſe ab illo iniuriam accepiſſe denegauit. *Iniuriam*, inquit Seneca lib. 2. de ira c. 14. *maiori animo non agnouit, quàm ignouiſſet.* — *Catonis in hoſtes pietas.* Subditque, *Vltionis contumelioſiſſimum genus eſt, non eſſe viſu dignum, ex quo peteretur vltio. Multi leues iniurias altius dimiſère, dum vindicant.*

97. *Socratis tolerantia.*

Socratem ferunt colapho aliquando percuſſum, ſolùm dixiſſe moleſtum eſſe, quòd neſcirent homines, quando cum galea prodire deberent. Nec illatam iniuriam vindicandam nobilem Philoſophi decere animum exiſtimauit. De Platone illud fertur Philoſophorum principe dignum, — Plato. ſeruum enim percuſſurus, poſtquam intellexit iraſci ſe, & in verberando ſeruo vindictam ſequi, *percuterem*, inquit, *te, niſi iraſcerer*, ipsámque ſicut ſuſtulerat manum ſuſpenſam detinebat, & ſtabat per ſolidum diem extenta manu percuſſori ſimilis. Interrogatus deinde ab amico, qui fortè interuenerat, quid ageret extenta manu, *Exigo*, inquit, *pœnas ab homine iracundo.* Serui quidem oblitus, quippe qui alium inuenerat, quem potiùs caſtigaret, nimirum ſe ipſum iracundum. Abſtulítque ſibi in ſuos poteſtatem, túncque ad vnum ex famulis, authore Seneca lib. 3. de ira c. 12. — Seneca. *Tu*, inquit, *ſeruulum iſtum verberibus obiurga, nam ego iraſcor.* quaſi diceret: Non ſit iſte ſeruus in eius poteſtate, qui in ſua non eſt.

Antiſthenis Scytharum Regis.

Admirandum præ cæteris hac in re Antiſthenes Scytharum Rex, poſtea Philoſophus clariſſimus, omnibus reliquit exemplum; nam cùm petulans quidam ipſius faciem ſummam per iniuriam contriuiſſet, Antiſthenes, vt erat regio ſimul & philoſophico animo præditus, illatam ſibi iniuriam non ſolùm vlciſcendam non putauit, ſed eiuſdem, à quo percuſſus fuerat, nomen in fronte ſua, tanquam in ſtatua quadam inſcripſit, vt author eſt Elias Cretenſis in comment. orat. 23. — Elias Cret. Nazianzeni de Herone Philoſopho. Nihil videlicet tam regium ſibi arbitrabatur Antiſthenes, támque glorioſum, quàm illatam ſibi iniuriam nulla proſequi vindicta, imò nec erubeſcere, quin potiùs ita gloriari, vt tanquam non vulgaris gloriæ inſigne fronti inſcripſerit.

98. *Sacra ſimilis rei exempla Dauidis in hoſtes clementia.*

Vultis, vt quod profanis ex riuulis hactenus hauſimus, ſacrarum literarum ſale condiantur? Date aures. Pſalm. 56. hoc inſcribit elogio. *Vincenti ne diſperdas inſignia Dauid, cùm fugeret à facie Saul.* Brixianus. — Brixian. *Sunt, qui putent, quòd Dauid ſuos repreſſerit, qui eum vt perderent, Saulem excitabant.* Illud nimirum ſibi regiũ arbitrabatur, quod Saulem hoſtem infeſtiſſimum, & acerrimum ſibi aduerſarium, cùm ſæpiùs poſſet vlciſci, perpetuò ſeruarit incolumem. Idcirco de Saule vindictam ſibi conſulentibus, meritiſſimò Dauid reſpondit, *Vincenti ne diſperdas inſignia Dauid, cùm fugeret à facie Saul*; non tam ſe victorem exiſtimabat hoſtiũ exercitum ſtrenuiſſimè debellando, quàm illatas ſibi iniurias perhumaniter condonando.

Quàm illud concinit in Pſ. 55. *Vincenti pro columba muta longè auolante inſignia Dauid.* — Iſidor. Iſidorũ, quæſo, auſcultate. *Dauid ſe ipſum columbam mutam vocaſſe propterea dicunt Hebræi, quod omnia Deo committens, & nihil aduerſariis reſpondens, longè à ſuis fugiſſet. Vincenti pro columba muta longè*

auolan

Digitized by Google

auolante, inſignia Dauid. Id ſibi palmariũ, & verè regium exiſtimabat, quòd aduerſarios ſuos, cùm facillimè poſſet vlciſci, non ſolùm non vlciſceretur, ſed ne vllum quidem de ipſius ore exiret verbum, quo vel leuiter carperentur. Illud verò præclarè, quòd in aduerſariorum iniuriis perferendis mutam ſe appellarit columbam, omnib. palàm vt oſtenderet, nullam ſibi in aduerſarios indignationem, nullum odium, aut ſtomachum ſupereſſe, vt plerìſque accidere ſolet, qui in perferendis iniuriis, licèt aliquando taceant, manet tamen ſub præcordiis; & alta in mente repoſtum aduerſariorum odium, & nonnunquam, vulgo, vt dici ſolet, *Foris Cato, intus Nero.* & ſolùm tacent, vt poſtea melior, atque opportunior fiat vindictæ locus: vt enim canit cothurnatus Seneca, *Profeſſus dolor aufert vindictæ locum.* Non ita Regius Vates, qui immanes quantumuis in hoſtes animo erat humaniſſimo, 2. Reg. 16. *Quid mihi, & vobis filij Saruiæ, vt quid efficimini mihi in Satã?* Bernard. in Cant. *O verè Regius animus, homo ſecundùm cor Dei, qui ſe vlciſcenti magis, quàm exprobranti ſuccenſendum putauit.* Nihil enim tam regium dedecere animum Rex Dauid exiſtimabat, quàm in hoc par pari referre.

Seneca.

Bernad.

99. Quò ſpectat illud Pſ. 7. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Regali ſe corona fatebatur indignum, ſi ad regiã euectus dignitatem, aduerſario licèt infeſtiſſimo, vel leuiſſimam reddiderit vindictam; quippe qui collata in ſibi infenſos beneficia non ſecus ac propria gratulabatur. Pſal. 66. *Clamabo ad Deum altiſſimum, Deum, qui benefacit mihi,* Hieronymus ex Hebræo, *Qui benefacit vltori meo.* Hinc eſt, quòd propter hanc in hoſtes clementiam, Ruperto adnotante, regiam Hebræorũ coronam à Dauidis familia, & poſteris ad Chriſti Domini vſq; aduentum non auferendam Deus Opt. Max. ſtatuerit, & iureiurando promiſerit Pſ. 131. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Quod olim Deus Abrahamo promiſerat, vnigenitum Iſaac libenti adeò animo dum obtulit. Rupert. *Ratio docet non minoris eſſe meriti pepercisse inimico propter Deũ, quàm non pepercisse vnigenito filio propter Deum, ob hanc maximè cauſam iuratum eſſe illi arbitramur.* Quòd dilexit inimicum, benefecit illi non ſolùm parcendo, verùm etiam in morte plangendo.

Hieron.

Rupert.

Ioſephi in donandis iniuriis facilitas.

Quid præcipuè in Ioſeph tam regium extitit, quàm vt non fratribus tantùm & parentibus ſuis adhuc in domo inter ſomniandum dominaretur, ſed regali functus munere Ægypto vniuerſæ: Nihil profectò, ſi Ambroſio creditis, quàm in donandis iniuriis facilitas & benignitas verè regia: idcirco ad regiam meritiſſimò euectus dignitatẽ, quippe qui regali adeò erat animo, ait Ambroſius, *vt læſus parceret, appetitus ignoſceret, venditus non referret iniuriam, ſed gratiam pro contumelia ſolueret.* Hinc eſt, auctore Hieronymo, quod Iacob Geneſ. 23. tunc meritiſſimò appellatur, *Princeps cum Deo,* cùm fraterni oblitus odij, fratrem Eſau, à quo grauiſſimas acceperat iniurias, vt amicè proſequeretur, ex Meſopotamia reuertebatur. *Pulchrè,* inquit Hieronymus in quæſt. Hebr. *à fratrẽ iturus inimicum Angelorum comitantium choris excipitur, illique dicitur, Non inde vocabitur Iacob nomen tuum, ſed Iſrael, id eſt, princeps cum Deo.* Nulla quidem in re magis auguſtum Principis animum oſtendemus, quàm ſi illi nobis in amore ſint, atque delitiis, quibus nos odio eſſe non ignoramus.

Ambroſ.

Hieron.

Iacobi pietas in fratrem Eſau.

100. Vnde Chriſti Domini ſunt illa verba: *Diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt.* Quaſi tunc diuinam quis æterni parentis nobilitatem, & regiam referat diuinitatem, quòd inimicis non vindictã, ſed amorem reddat. Egregiè Cyprianus de bono patientiæ, *Dominus noſter Ieſus inter cætera admirabilia, quibus indicia diuinæ maieſtatis expreſſit, paternúmque tolerantiæ tenorem ſeruauit, iis nimirum indulgentiſſimum, & beneficentiſſimum præſtans quos infeſtiſſimos ſibi aduerſarios apprimè nouerat, illi etiam indulgentiſſimum ſe præbuerit præceptorem, quem turpem nouerat proditorem.* Hanc verò in aduerſarios benignitatem, & in condonandis iniuriis facilitatem, regium in Chriſto Domino animum fuiſſe, optimè quidem indicãt illa verba Ioan. 1. 47. *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe,* &c. Cui Chriſtus Dominus paulo pòſt, *Cùm eſſes ſub ficu, noui te.* Cui Nathanael, *Tu es Rex Iſrael,* &c. In eo in Regem Chriſtum Dominum agnouit, quòd detractionis ſibi illatam iniuriam non vindicauit, imò detractorem potiùs dilaudauit, *Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt,* &c. Nec mirum, ſi Theophylactus ad illa verba, *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum,* &c. idcirco Chriſtum Dominum, vt Regem cognitum aſſeuerет, quòd libenti animo iniurias hoſtibus condonarit, vindictam nequaquam ſequeretur, ſed pro hoſtibus impensè obnixéque orauerit. *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* Arnoldo date aures. *Caſo capite pendebat in cruce, & parricidalium mentium intuens vota, non tã clauorum acumine, quàm hoſtium crimine pungebatur,* &c. Enim verò quid auguſtius, quid magnificentius fingi poteſt, quàm hoſtibus tantam exhibere clementiam? Hæc profectò parat homini regnum: regia virtus eſt in hoſtes beneficentia. Nuſquam aliàs magis Regem ſe Chriſtus oſtendit, quàm cùm ſe hoſtibus clementem exhibuit; ſi Salmeronis vera eſt ſententia tractat. 39. Tunc enim emollitur latronis animus, & obtuſum exuitur pectus, tunc à latrone Rex Chriſtus ſuſpicitur, ac veneratur, quando ab eodem aſpicitur beneuolus, & erga hoſtes experitur munificus. Tunc orat, & exorat latro ille, cæleſtem inuadens prædam: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Inquirit tandem Cyprianus, cur Chriſtus Dominus reliqua tormenta vſque ad fæces libenti animo exhauſerit, fel tamen leuiter oblatum ſolùm guſtarit. *Et cùm guſtaſſet, noluit bibere?* Reſpondet egregiè idem Cyprianus, *Venena fellis euomuit, ne aliquis exiſtimarit Chriſto Domino ſuos in hoſtes aliquid eſſe amaroris, qui leuiſſimam ſaperet vindictam.*

Inimici diligendi.

Cypr.

Iniuria condonanda.

Theoph.

Arnold.

Clementia parat homini regnum.

Salmer.

Cyprian.

101. Eos namque Deus Opt. Max. Principes odiſſe ſolet, qui illatas ſibi iniurias vlciſcuntur. Iſai. 23. *Principes tui inobedientes, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones.* Symmachus transfert, *ſequuntur vltiones.* Quaſi idcirco Principum munere indigni videantur, quòd illatas ſibi iniurias, non obliuione, ſed vltione proſequantur. Iterum ſubit mentem regia Dauidis clementia qui illi regnum præparauit, 1. Reg. 24. Egreſſus Saul Dauidis infeſtiſſimus ab ſpelunca, in qua poterat ab ipſo Dauide interfici facillimo negotio, in hæc erumpit verba, *Et nunc ſcio certiſſimè quòd regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſrael.* Ecce tibi ex beneficentia in hoſtem cognouit, & auguratus eſt Saul Dauidis imperium. Audio Chryſoſtomum eleganti ſermone buccinantem. *Sed dic, obſecro, vnde iſtud ſcis? Penes te ſunt exer-*

Symmach.

Deus odit qui iniurias vlciſcuntur.

Chryſoſt.

citiis,

citius, penes te ſunt pecuniæ, arma, ciuitates, equi, milites, vniuerſa vis apparatus regij; hic contra deſertus, ac nudus, nec ciuitatem, nec domum, nec familiam habens. Vnde igitur, te quæſo, iſta loqueris? Nimirum ex ipſis Dauidis moribus.

Dauidis clementia.

Planè ira eſt, mos regius parcere inimico. Quem triumphantem non agnouerat Regem, iniurias condonantem Regem nominat, & regnantem. Itaque ne Dauid regnum amitteret, hoſtem demiſit impunem. Adhuc hæreo dubius in 2. Reg. 16. Quid potiùs admiter, Dauidis patientiam, an Semei petulantiam? Excandeſcam priùs in ſerui effrenis audaciam, an efferam laudibus Regis modeſtiſſimi tolerantiam? Video Dauidem in Semei perhumanum, & Semei in Dauidem efferatum, nec verbis pepercit, nec lapidibus abſtinuit. Rex autem non ſolùm ſe non proiecit in hoſtem, verùm etiam familiariter ſibi condolentem repreſſit. Quid obſtat, Semei fortitudo, hoſtilis exercitus: quæ fortitudo in homine lapides iactante, inermis, & imbellis, ſanè erat, ſine comitatu, ſine ſatellitio. Rex verò optimè vndique ſtipatus, fortis, & armatus.

August. Vlteriùs non retardo Auguſtinum tom. 4. lib. de bono patient. c. 9. *Cùm facile poſſet vlciſci, non ſolum non fecit, verùm & alium pro ſe dolentem, commotúmque compeſcuit, & poteſtatem regiam magis, ac magis adhibuit prohibendo, quàm vindictam exercendo.* Quid plura?

Problema XXXVII.

Quibus maior honor ab antiquis præſtaretur, parentibúſne, an Magiſtratibus.

102\. *Soluitur, pro magiſtratibus. Cæſar pater patriæ.*

HAnc quæſtionem ita decido, vt dicam, maiorem honorem magiſtratibus, quàm parentibus ab antiquis exhiberi. Magiſtratus enim ſunt quidam patriæ parentes, vt videmus Cæſarem magnis omnium acclamationibus parentem patriæ nuncupari. Atqui patriæ plus honoris, & obſequij, quàm parentibus præſtandum, quis non videt? Cùm M. Tullius 1. de officiis, dicat. *(Tull.)* *Omnium ſocietatum nulla eſt gratior, nulla charior, quàm ea, quæ cum repub. eſt vnicuique noſtrûm. Chari ſunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares, ſed omnes omnium charitates patria vna complexa eſt: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus?* Idem Cicero 2. Phil. *Atrocius eſt patriæ parentem, quàm ſuum occidere.* *(Magiſtratus patriæ parentes. Tull.)* Huc etiam ſpectat illud eiuſdem Tullij 3. de leg. *Noſter Plato Titanum è genere ſtatuit eos, qui vt illi cæleſtibus, ſic hi aduerſentur magiſtratibus.* Sed clariùs ad rem venit illud Alexandri de Ariſtotele præceptore ſuo, *(Alexandri erga præceptorem reuerentia.)* *ſe illi non minus, quàm patri debere: quòd à patre viuendi, à præceptore bene viuendi initium accepiſſet.* Magiſtratus enim, dum legibus ſanctiſſimis ciuium mores informant, non tam ſingulorum vitæ, quàm rectæ vitæ conſulunt, & proſpiciunt, ideóque officioſiùs debent obſeruari.

Nebriſſenſ. Accedit quod refert Nebriſſenſis in quinquaginta Scripturæ loca nor. 39. *Qu. Fabius,* inquit, *Maximus Conſul, cùm pater Proconſul equo vectus illi obuiam proceſſiſſet, imperauit lictori, vt iuberet patrem ex equo deſcendere: qui iuſſus paruit, filiúmque collaudauit, quod dignitatem imperij retinuiſſet.* *(Liuius. Valer. Gell.)* Eandem hiſtoriam tradit Liuius decad. 3. lib. 4. Valer. Max. lib. 2. cap. 1. Gellius lib. 2. cap. 2. Plutarch. in vita Fabij Max. *(Plutarch. Tiraq.)* Tiraquellus autem pleniùs hac de re, de nobilitate c. 28 n. 8. vbi probat ex iure ciuili maiorem ineſſe magiſtratibus, quàm patribus auctoritatem.

Addo poſt Deum ſummum dignitatis, & auctoritatis locum obtinere. 103.
Magiſtratus poſt Deū habent locum.
Duo enim ſui, Plutarcho teſte, fecit Deus ſimulacra, in cælo Solem, in terris Regem. *(Plutarch. Sol Dei ſimulachrum, Rex Dei ſimulachrum.)* Vnum profero ex ſacris literis D. Petri 1. epiſt. 2. cùm dixiſſet, *Deum timete,* ſtatim ſubiunxit, *Regem honorificate.* Vbi interpretes latiùs rem euulgant. Plutarchus in Themiſtocle, Artabanus cum Themiſtocle loquens, inquit, *Perſis, cùm multæ, atque pulcherrimæ ſint leges, illa omnium honeſtiſſima eſt, obſeruare Regem, ſimulacrúmque Dei omnia ſeruantis adorare. Si igitur noſtris legibus parêre volueris, regémque adoraueris, fas erit tibi intueri regem, atque alloqui: ſin autem tibi alia mens eſt, internuntiis tibi cum Rege vtendum eſt. Non enim patrium eſt Regi hominem minus adorantem audire.* Hinc de Regibus timor, hinc illorum obſeruantia. *(Stob. Perſarum erga Regē ſuū reuerentia.)* Stobæus ſermone de legibus. *Perſiæ,* inquit, *Regi gratias agit, qui flagellari ab ero iuſſus fuerit, tanquam feliciter ſecum actum ſit, quòd Rex memor ipſius fuerit.*

Problema XXXVIII.

Qui peritiores nauigandi arte, Luſitani an Romani.

NOn ſine Luſitanorum maxima iniuria hoc in quæſtionem vocari poteſt. 104.
Luſitani peritiores Romanis arte nauigandi.
Cùm luce ſit meridiana clarius, quanto interuallo Luſitani hac in re Romanis prælucerent. Nec tam verbis, quàm re ipſa hoc fieri poteſt omnibus exploratum, ſi vtrorumque nauigationes conferantur. Certè Iouius in Elogiis hanc palmam Luſitanis proculdubio concedere videtur; *(Iouius.)* ipſe enim qui Romanus erat, fatetur Chriſtophorum Columbum ex Liguria oriundum cæteris omnibus Romanis nauigandi gloria præuiiſſe. *(Columbus terri naualis peritiſſimus.)* Rurſus eundem Columbum, Luſitanorum nauigatione edoctum ſuam illam inchoaſſe. *Nouerat enim Henricum Luſitanorum Regem bonæ ſpei promontorium ſupereſſe; ab iiſdem inſulas Heſperides poſt viride promontorium exploratas eſſe.* *(Henricus I. anni primi Regis filius.)* Non diffiteor, Romanos ingentis molis naues extruxiſſe; ſed rectè, vt ait Ouidius.

——Quid incerti condita portu
Si ductoris eget, ratis efficit. Ouid

Iam verò ipſæ magnitudine cum noſtris nulla ratione conferri poſſunt. 105.
Nam Indicis Luſitaniæ nauibus omnis, & communis hominū opinio rei maritimæ principatum detulit, & coronam; vnde vulgari etiam omnium acclamatione Oceani Reginæ appellantur. Iouij teſtimonio adde Maffeū, *(Maffeus.)* Italum etiam hominem, qui in principio voluminis rerum Indicarum rei maritimæ, naualíſque ſcientiæ principatum multis commendationibus noſtris hominibus elargitur. Nam antequam Luſitani Aſtrolabium adinuenirent, *(Aſtrolabium à Luſitanis inuentum.)* nullus fuit, ſiue Romanus, ſiue Hiſpanus, qui vltra promontoriū ad Athlantis radices, & aquarum impetu & ſyrtibus vicinis infame, Oceano ſe committere auderet. *(Iouius emendatur.)* Dum tamen in Iouio legis, *Henricum Luſitaniæ Regem, &c.* Intellige Henricum Ioannis Regis huius nominis primi filium; hic enim Henricus regni gubernacula nunquam tenuit.

PRO

Digitized by Google

PROBLEMA XXXIX.

Quæ plus valeant apud milites, præmia, an ſupplicia.

106. TOtius belli vires, ac nerui in egregiis mili-
tibus, non in gregariis conſiſtunt. Hi autem
ſuppliciis retardantur, præmiis incenduntur. Ci-
Tull. cer. *Honor alit artem, omneſque incendimur, & in-*
Horat. *flammamur ad ſtudia gloriæ.* Horatius *adoream,* id
eſt, *laudem* vocat *almam, qui primus alma riſit ado-*
rea; quaſi virtutis altricem, ac nutricem. Oui-
Ouidius. dius,

----Immenſum gloria calcar habet.

Propert. Simile illud Propertianum,

Magnum iter aſcendo, ſed dat mihi gloria vires,
Non iuuat è facili lecta corona iugo.

Tull. Cicero pro Milone, *Si laus allicere nos ad rectè fa-*
ciendum non poteſt, ne metus quidem à fœdiſſimis fa-
Salluſt. *ctis poteſt auocare.* Salluſtius in Catilin. ſub finem,
Quem neque gloria, neque pericula incitant, ne quic-
quam hortere; timor animi auribus efficit. Senex ille
Terent. Terentianus, Mitio vocatur; ſui memor nomi-
nis, quàm ſe mitem præbet! *Mea,* inquit, *ſic eſt ra-*
tio, ſic animum induco meum; malo coactus, qui ſuũ
officium facit; dum id reſcitum iri credit, tantiſper ca-
uet, ſi ſperat fore clam, rurſum ad ingenium redit, ille
quem beneficio adiungas ex animo facit; ſtudet par
referre; præſens, abſenſque erit. Ouidius.

Ouid. *Multa metu pœna, pœna qui pauca coërcet.*
Et iacit inuita fulmina rara manu.

Iuuenal. Sat. 10.

Iuuen. *----Quis enim virtutem amplectitur ipſam,*
Præmia ſi tollas?

Iam verò ad ſubeundos militiæ labores, quantum
conducat, & efficiat ſpes præmij luculentus oſten-
Tull. dit Tullius tom. 2. orat. pro Archia poëta, in
Liuius. exitu orationis ab illis verbis? *Nullam enim virtus*
Præmij vis. *aliam mercedem*, &c. Et certè, auctore Liuio de-
cad. 1. lib. 4. nihil non aggreſſuri ſunt homines
ſi magna conantibus magna præmia præponan-
tur. Præmium, quaſi præuium, vt multi dicunt,
quia ante oculos certantibus præponitur, vt ad
bellum incitentur, & ad certamen inflammen-
tur; vnde Græci in columna ſcribebant præmia
Vlpian. certatoribus parata: vt oſtendit Vlpianus in orat.
Demoſthen. contra Leptinem. Hac vſus eſt arte
Troianorum dux ad milites incitandos in 5. Æ-
neid.

Virgil. *Munera principio ante oculos, circòque locantur*
In medio ſacri tripodes, viridéſque coronæ,
Et palmæ pretium victoribus, armáque & oſtro
Perfuſæ veſtes, argenti, aurique talenta.

107. Incenduntur enim ad præmiorum conſpe-
Militès præmio inflammantur ad bellum. ctum non mediocriter militum animi. Vel etiam
Chriſti milites, ſi credimus Chryſoſtomo in ſer-
mone illo, *diligamus, & perſequentes nos. Nam*
Chryſoſt. *quemadmodum,* inquit, *Reges in equorum curſu, at-*
que certamine, in ipſo agone coronas veſtes, cæteráque
munera ante certantiũ oculos ponunt, ſic & Dominus
in medio ſtudio arma locauit, &c. Sed ad noſtros
iterum. Occurrit princeps Troianus, qui ex patre
Ænea didicit militis ſui animos præmiis incita-
re ad pericula ſubeunda, ad exantlandos labores,
ad nulla mortis diſcrimina euitanda. Vt poſtea
Salluſt. fecit Iugurtha apud Salluſtium, de more enim
Iugurtha ante bellum quid. habebat ante bellum militibus præmia oſtentare.
Sed de Aſcanio Virgil. in 9. Æneid.

Bina dabo argento perfecta, atque aſpera ſignis
Pocula, deuicta Genitor quæ cepit Ariſba, Virgil.
Et tripodes geminos, auri duo magna talenta
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.

PROBLEMA XL.

Præſtétne ſeruare ciuem, quàm lædere hoſtem.

SCipionis Æmiliani verbum fuit, *malle ſe ciuẽ* 108.
ſeruare vnũ, quàm multos hoſtes perdere. Cæſar *Scipionis erga ciues charitas.*
item de bello ciuili ait, *Se ne vnius quidem militis*
interitu ingentem hoſtium ſtragem empturum eſſe. Cæſar.
Lucullus, vt refert Plutarch. in eius vita, dicebat, Lucullus.
malle ſe ab hoſtium manibus ciuem eripere, quã vni- Plutarch.
uerſam prædam hoſtilem ſibi vendicare. Hinc illa Lu-
ſitanorum Regum laudabilis lex ducibus ſuis ma-
gnopere commendata, vt pluris faciant Luſita-
ni vnius vitam, quàm hoſtilium nauium prædam.
Vide Barrium in hiſtoria Aſiæ decad. 2. lib. 5. Barrius.
cap. 8. imò, eodem Barrio teſte, pluris ſui, vel
vnius militis vitam æſtimabat Rex Emmanuel,
quàm totam ſuam Orientis ditionem. Iam occur-
rit aurea Senecæ vox lib. 1. de clem. cap. 24. *Felici-* Seneca.
tas illa multis ſalutem dare, & ad vitam ab ipſa
morte reuocare, & mereri clementia ciuicam. Nul-
lum ornamentũ Principis faſtigio dignius pulchriuſq;
eſt, quàm illa corona ob ciues ſeruatos. Non hoſtilia
arma detracta victis, non currus barbarorum ſangui-
ne cruenti, non parta bello ſpolia, hæc diuina potentia
eſt, gregatim, ac publicè ſeruare; multos autem oc-
cidere, & in diſcretos incendij, ac ruinæ potentia eſt.
Igitur, teſte Polybio, qui hoſtem percutiebat, Polyb.
haſta pura donabatur, qui etiam deiiciebat, &
ſpoliabat; ſi pedes erat, armillis; ſi eques, phale-
ris: hæc autem minora erant præmia. Qui ve-
rò ciues obſidione liberabat, donabatur corona
obſidionali ex gramine, quam Plinius affirmat Plin.
omnium honeſtiſſimam fuiſſe. Qui item hoſti-
lem mucronem à ciuis iugulo reiiciebat, corona
querna donabatur. quæ omnia præmia maiora *Auguſtus in ciues ſuos beneuolus.*
erant. Vnde Auguſtus ex poſtibus ſuis appendi
iuſſit ciuicas coronas, quaſi verò de his ſpoliis
præ cæteris gloriaretur. Ouidius 3. de Triſti-
bus.

----Vides fulgentibus armis Ouid.
Conſpicuos poſtes, tectáque digna Deo.
Et Iouis hæc, dixi, domus eſt, quod vt eſſe putarem
Augurium menti querna corona dabat.

Et mox,

Cauſa ſuper poſita ſcripto teſtata corona
Seruatos ciues indicat huius ope, &c.

Plura ibi de lauro, & ciuica corona. Adde etiam
Faſtor. lib. 4. ad finem. Item adiunge numos
veteres, in quibus & coronæ hæ, &
inſcriptio. Alluſit dubio procul
Martialis epigram. vlt. Martial.
libr. 9. quod
lege.

PRO

PROLEMA XLI.

Qui vtiliores Reipubl. boni ſcriptores, an boni Imperatores.

109. PVgno pro ſcriptoribus. Primò, quia boni Imperatores ſuis tantùm dum viuunt, conſulunt; ſcriptores autem etiam poſteris. Vnde Salluſt gloriantur in Iugurtha, maius commodum ex ſuo otio, quàm ex aliorum negotiis reipubl. venturum. Deinde quia ipſi ſcriptores efficiunt, vt Imperatores pro dignitate imperium adminiſtrent. Certè Lucullus, vt inquit M. Tullius, *omnium quorumcumque ſeculorum ſtrenuiſſimus fuit Imperator.* Cuius rei cauſa eò referenda eſt, quia cùm eſſet Roma ad bellum Mithridaticum profectus, rudis omnino, atque imperitus rei militaris, tantam veterum hiſtoriis legendam impoſuit, vt facilè ad tantam imperandi claritudinem perueniret. Hinc eſt, quòd Apollinis oraculum quærenti Zenoni, quo pacto ad virtutem euaderet, reſpondit, *ſi mortui hominis colorem indueret*, id eſt, ſi veterum hiſtorias lectitaret.

Salluſt. *Argumenta pro ſcriptoribus. Luculli commendatio.* Tull. *Duces hiſtoriis dediti.*

Tandem ille credendus eſt reipubl. vtilior, qui maioribus præmiis ciuium benefacta condecorat: & malefacta maioribus afficit ſuppliciis: hunc autem hiſtoricum eſſe nemo dubitabit, ſiquidem aut perpetuam ignominiæ notam inurit; aut æterna erigit laudationum monumenta. Vide quæ alibi diximus de Plinio iuniori. Et quidem niſi ſcriptorum ſtudia aſſererent ab obliuione res præclarè geſtas Imperatorum; omnium ſimul cum vita recordatio excidiſſet. Vnde bene Tullius pro Archia, *Niſi Ilias extitiſſet, idem tumulus, qui Achillis corpus contexerat, nomen quoque obruiſſet.*

Plin. Tull.

PROBLEMA XLII.

Vtrùm victoria parta inſidiis parum glorioſa ſit.

110. ANtiochus aduerſus Galatas prælium inituṡ malignam animo ſpem concipiebat victoriæ potiundæ. Igitur dolos parat, machinatur inſidias, fraudes architectatur. Elephantos in obſcuro collocat; iubet vt collatis iam vtrinque ſignis repentè educantur, & in hoſtes concitentur. Emicant illi inopinatò, in hoſtem irruunt, incredibili formidine territant; oblidunt equos, ſeſſoribus frangunt animos, præcidunt alacritatem pugnandi; tandem fugant, diſſipant, & effundunt. Victor Antiochus euadit. Milites gaudio triumphantes, omnibus lætitiis incedentes, Imperatorem adire ſuum, gratulari, laudare, pæana canere, dare ſæpius aures, *Io triumphe*; ſolus Antiochus ipſa mœſtior mœſtitudine lacrimabatur, *Pudore*, inquit, *afficior, quia non aliter vici, quàm inſidiis.* Igitur hoc vnum trophæum excitauit Elephantum cum hoc Elogio,

Antiochus de victoria parta inſidiis non gloriatur.

Vide Auctorem in 1. tom. Reg.

------occideremus,
Bellua ſeruaſſet niſi nos fœdiſſima barrus,
Vt ſuperaſſe iuuat, ſic ſuperaſſe pudet.

Euripid. Accedit Euripides. *Vir nemo mentis altæ clanculum velit occidere hoſtem.* Romani victorias inſidiis tam partas parui faciebant, ſic illam, quam de Veriato fortiſſimo duce Luſitano reportauit Seruilius. Nam teſte Floro, *Violata victoria eſt, quippe qui ducem per fraudem, & inſidias, domeſticos percuſſores aggreſſus, hanc hoſti gloriam dedit, vt videretur aliter vinci non potuiſſe*, lib. 2. c. 18. Et Claud. in 6. Conſul. Honorij,

Claud.

---Nulla eſt victoria maior
Quàm quæ confeſſos animo, quoq; ſubiugat hoſtes. 111.

Chil. Huc pertinet, quòd Chilon vnus è Græciæ ſapientibus aiebat; *damnum præferendum eſſe turpi lucro; ſiquidem illud ſemel dolemus; hoc cum infamia perſeuerat.* Item Socrates, *Victoria præter ius, & æquum parta turpiores ſunt, & pluribus plena probris, quàm clades ſine ignauia accepta.* Claud. ad Honorium,

Socrat. Claud.

Non tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit
Occurrat.

Et Iuriſconſulti tradunt, *non modò quid liceat, ſed quid honeſtum ſit, nitendum.* Hac de re conſule Alciatum Emblem. 123. in laudantes illaudata, vbi plura. Turnus item apud Virgil. in 9 Æn. virtutem commendat ſuam quòd inſidiis contra Troianos non vtatur: & Græcorum vituperat ignauiam, quòd non niſi fraudibus Troiam expugnarent.

Alciat. Virg.

----Nec equi cæca condemur in aluo,
Luce palam certum eſt igni circumdare muros.
Haud ſibi cum Danais rem faxo, & pube Pelaſga
Eſſe putent, decimum quos diſtulit Hector in annum.

Et Horatius, vt Achillis virtutem oſtendat; ait, illum, ſi in Troianos bellum ſuo modo faceret, inſidias machinaturum non fuiſſe,

Horatius. d. 5

Ille, non incluſus equo, Mineruæ
Sacra mentito, malè feriatos
Troas, & lætam Priami choreis
Falleret aulam.
Sed palàm capti grauis (heu nefas, heu)
Neſcios fari pueros Achiuis.
Vreret flammis, etiam latentes

Contrà tamen eſt in primis D. Auguſt. quæſt. 10. in Ioſue. *Cum iuſtum bellum ſuſcipitur, vt aperte pugnet quis, aut ex inſidiis, nihil ad iuſtitiam intereſt.* Spartani, qui rem dolo conficiebant, bouem immolabant; qui prælio gallum. refert Plutarch. in Marcello. Ageſilaus, teſte Plutarcho, dicebat, *Hoſtem fallere, non ſolùm iuſtum, ſed etiam ſuaue, & fructuoſum.* Homerus. 112.

Auguſt. *Victoria inſidiis parta non contemnenda.* Plutarch.

Conſice ſiue dolo, ſeu ſtricto cominus enſe.

Homer.

Xenophon, *re ipſa nihil vtilius in bello dolis.* Verus adagium, *Cum vulpe vulpinandum. Princeps eſt ex leone, & vulpe*; vt bene Pindarus. Spartanus Rex, apud Plutarchum Lyſander, *vbi leonina pellis non pertingit, oportet aſſuere vulpinam.* Rurſus Euripides applaudit, apud quem in Rheſo ait Dolon inſidiator, velle ſe indui pelle lupina, vt ſi opus fuerit, incedat quatuor pedibus, vt lupus. Talis Virgilianus ille miles, quem princeps Aſcanius laudauit gloriam inſidiis parentem. ſic in 9. Æneid.

Xenoph. Pind. Plutarch.

----Rutuli ſomno vinóque ſepulti
Conticuere, locum inſidiis conſpeximus ipſi.

Mitto nobiliſſimos, & ſtrenuiſſimos duces, Reges, ac orbis victores, qui inſidiis victorias reportarunt.

PRO

Digitized by Google

PROBLEMA XLIII.

An Orator bonus eſſe poſſit, qui vir bonus non ſit.

113. *Orator vir bonus eſſe debet.* Tull. M.Cato.

MArcus Cato ita definiuit bonum oratorem, *Eſt vir bonus dicendi peritus.* M. Tull. 3. de Orat. *Quò maior eſt*, inquit, *vis eloquentiæ, eo eſt magis probitate iungenda. Probitatis expertibus ſi dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, ſed furentibus quadam arma dederimus.* Et paulò pôſt, *Vetus illa doctrina eadem videtur, & rectè faciendi, & benedicendi magiſtra: neque disiuncti doctores; ſed iidem erant viuendi præceptores, atque dicendi.* Phœnix apud Homerum ideo dicit ſe à Peleo patre Achilli iuueni comitem datum eſſe, *vt illum efficeret oratorem verborum, actorémque rerum.* Plaut. in Trucul. *Sine virtute argutum ciuem mihi habeam pro præfica.* Rectè quidem. nam præfica doloris expers ad dolorem alios impellit. Cic. item comparat oratorem malè moratum histrioni. nam hiſtrio agit regem, cùm ipſe diabolaris ſit; diuitem, cùm ſit inopioſus, fortem, cùm ſit inſtrenuus; & præterea eorum, quæ dicit, nihil omnino creditur, ſed tantùm ſcenica feſtiuitate delectat. Eadem eſt apud Chryſoſtomum comparatio, *Nihil eſt doctore frigidus qui verbis tantùm philoſophatur: neque enim hoc doctoris eſt ſed hiſtrionis.* Plaut. in Pſeud. *Monendus ne moueat.* & alibi, *Probum eſſe patrem oportet, qui probum filium poſtulat.* Sed hac de re alibi luculentius.

Homerus. Plaut. *Orator malus eſt præfica.* Tull. *Orator malus, hiſtrio.* Chryſoſt. Plaut. *Vide auctoris Rhetor. infrà lib. 7.*

PROBLEMA XLIV.

Conuiuia ſilentio celebranda, necne.

114. Tull. *Conuiuia ſilentio celebranda.*

MArcus Tullius act. vltima in Verrem, cùm de Verris conuiuiis loqueretur, *Erãt*, inquit *conuiuia non illo ſilentio Prætorum, atque Imperatorum, neque eo pudore, qui in magiſtratuum conuiuiis verſari ſolet; ſed cum maximo clamore, atque conuitio. Nonnunquam etiam res ad manus, atque ad pugnam veniebat, Itaq; erant exitus huiuſmodi, vt alius inter manus è conuiuio, tanquam è prælio auferretur, alius tanquam occiſus relinqueretur: plerique fuſi ſine mente, ac ſine vllo ſenſu iacerent; vt quiuis cùm aſpexiſſet, non ſe prætoris conuiuium, ſed vt cannenſem pugnam nequitiæ videre arbitraretur.*

Orig. Origenes verò ait Perſas, Medos, Chaldæos inter pocula non loqui, ſed nutibus omnia miniſtrantibus præcipere. Pineda. Refert Pineda cap. 3. in Iob, ibi, *poſt hæc Iob aperuit os ſuum*, id eſt, poſtquam vermiculi, eius carnibus famem explerunt: nam anteá more illarum gentium, tanquam eſſet inter pocula, nil loquebatur. Nihilominus Iobi filios inter epulas loquentes inducit Gregorius. Greg. Ad purganda conuiuatum vitia, *ſurgens diluculo offerebat holocauſta per ſingulos dies*, Iob 5. Quid verò tam matutinus ſurgit? quid ſacra facit? quid victimas offert? Audio Gregorij oraculum. *Vir quippe ſanctus nouerat, quia celebrari conuiuia ſine culpa vix poſſent; nouerat, quia magna purgatione ſacrificiorum diluenda ſunt culpæ cõuiuiorum, & quidquid in ſemetipſis filij conuiuantes inquinauerant, pater ſacrificia immolando tergebat.* Quæ verò ſunt conuiuarum vitia? progreditur idem Gregorius. *Nonnulla quippe ſunt vitia, quæ à conuiuiis, aut ſeparari vix poſſunt, aut certè nequaquam poſſunt. Primùm enim ferè ſemper epulas comitatur voluptas. Secundùm penè ſemper epulas loquacitas ſequitur, cúmque venter reficitur, lingua defrænatur.* optimè Greg. Hæc vitia inter ſuas epulas delicioſus diues inueniebat. *Vnde diues*, addit pulchrè idem Gregorius, *prius epulatus quotidie dicitur ſplendide, & poſt aquam petere in lingua memoratur, quia inter epulas valdè defluere loquacitas ſolet: ex pœna indicat culpam, cum eum quem epulatum quotidie ſplendidè veritas dixerat, in lingua plus ardere perhibebat.* Nihil ſanè elegantiùs: magna ſunt linguæ damna, conuiuia ſine ſilentio conuitia ſunt. Zeno inter epulandum ab exteris Legatis appellatus; *De te autem*, inquiunt, *quid ſumus noſtro Principi renuntiaturi?* Reſpondet, *nihil aliud, quàm Athenis eſſe ſenem qui tacere ſciat inter pocula.* Cæterùm hac de re alibi latiùs, ſi tempus ferat, ſumus enim quæſituri, *tibiiſne, an quæſtionibus ſympoſiacis, celebranda ſint conuiuia?* Interim pro ſilentio litem ſoluo.

Vitia conuiuarum. *Pœna Taliorum in lingua.* *Senex ſilens in conuiuio, miraculum.* Vide Tert. de Idol. c. 14. Clem. Alex. lib. 2. Pæd. c. 1. & Caſtian. lib. 4. c. 37. qui de ſilentio in conuiuiis ſeruando latè agunt.

PROBLEMA XLV.

Conuiuium aptius nomen, an Sympoſium.

115. M. Tull. *Conuiuium aptius.*

CIcero in Catone, *Bene*, inquit, *maiores noſtri accubationem epularem amicorum conuiuium nominarunt: meliùs, quàm Græci, qui hoc idem compotationem vocant.* Idem ſcribit Tullius 9. fam. ep. antep. ad Pætum. Vbi ſic, *ſapientius noſtri, quàm Græci illi ſympoſia, id eſt, compotationes, nos conuiuia, quòd tum maximè ſimul viuitur.* Sed perperam mihi videtur dixiſſe, nam viuere idem eſt, quod epulari. Terent. in Eunucho, *libenter viuis*, id eſt, interprete Donato, *bonorum ciborum edax es.* apud Plautum in Amphitruo ad Soſiam, *Euoca verbis meis Blepharonem, qui mecum prandeat*; accerſitus verò Blepharon, *Miſiſti*, inquit, *ad nauem Soſiam, vt tecum conuiuerem*, id eſt, pranderem, vt patet Mart. lib. 1. Epigr. 16. ad Iulium, quem ad gaudia inuitat.

Viuere eſt epulari. Terent. Plaut.

Mart.

Hæc vtraque manu, complexúque aſſerere toto,
Sæpe fluent imo ſic quoque lapſa ſinu.
Nec eſt, crede mihi, ſapientis dicere, viuam.
Sera nimis vita eſt craſtina, viue hodie.

Vide etiam Epigr. 87. eiuſdem libri de Nouio.

Non conuiuere, nec videre ſaltem.
Non audire licet, &c.

PROBLEMA XLVI.

Quos difficilius inuenies, iuuenes eloquentes, an ſenes ſilentes.

116. *Tullius orator adhuc adoleſcens.* Corn. Feneſt. Quint. Perſius.

MArcus Tullius tres & viginti annos natus, teſte Cornelio nepote, ſex & viginti, teſte Feneſtella, & Quintiliano, ſeptem & viginti teſte Agellio, pro Roſcio Amerino diſertiſſimè orauit. Quò pertinet illud Perſij ſat. 4.

Sunt quibus ingenium, & rerum prudentia velox
Ante pilos venit.

Tullius. Contrà verò ſenes loquaces ſunt. Nam M. Tullius,quamuis ſenectutis diligentiſſimus aſſertor, tamen hoc ſenibus vitium tribuit. *Eſt*, inquit,
Senex garrulus. *ſenectus natura loquacior, ne ab omnibus eam vitiis videar vendicare.* Qua de re Cornelius Gallus in
Gallus. ſenem.

Se ſolum doctum, ſe iudicat eſſe diſertum,
Et quòd ſit ſapiens, deſipit ipſe magis.
Deficit auditor, non deficit ipſe loquendo.
O ſola fortes garrulitate ſenes!

PROBLEMA XLVII.

An deceat oratorem metus in principiis orandi.

115. *Decet oratorem metus in dicendi principio. Tullius in orationū initiis timidus.*

HAc de re Cicero multa. Præſertim primo de Oratore, vnde paucula quædã colligo. *Mihi*, inquit, *qui optimè dicunt, quique id facillimè, atque ornatiſſimè facere poſſunt: tamen niſi timidè ad dicendũ accedunt, & in exordienda oratione perturbantur, penè impudentes videntur, tametſi id accidere non poteſt. Vt enim quiſque optimè dicit, ita maximè dicendi difficultatem, varioſque euentus orationis, expectationémque hominum pertimeſcit. Quem verò non pudet, hunc ego non reprehenſione ſolum, ſed etiam pœna dignũ puto.* Ibid. *Craſſus cultiſſimus orator, In me*, inquit, *ſæpiſſimè experior, vt exalbeſcam in principiis dicendi, & tota mente, atque omnibus artubus contremiſcam.*

Tullius 21. annos natus cum C. Carbonem accuſauit.

Adoleſcentulus verò ſic in initio accuſationis exanimatus ſum, vt hoc ſummum beneficium Qu. Maximo debuerim, quod continuò conſilium dimiſerit, ſimul ac me fractum, ac debilitatum metu viderit. Quod cum Craſſus diceret, omnes qui aderant, aſſenſi ſunt; fuit enim in Craſſo mirificus quidam pudor, qui tamen non modò non obeſſet eius orationi, ſed etiã probitatis commendatione prodeſſet. Aliud de ſemetipſo grauiſſimum protulit teſtimonium Tull. diuin. in Verr. *Ita Deos mihi velim propitios, vt cùm illius diei mihi venit in mentem, quo die citato reo, mihi dicendum ſit, non ſolum commoueor animo, ſed etiam toto corpore perhorreſco*, &c. Quæ verè potius, quàm rhetoricè, & amplificandi cauſa dicta fuiſſe, docet Plutarch. in vita ipſius Ciceronis.

Plutarch.

Immenſum eſſet afferre omnia Ciceronis loca,
118. in quibus ſe timidum profitetur, videantur orationes eius, præſertim illa pro Milone. Sed quod de ſe Tullius fatetur ingenuè, alij etiam præclariſſimi oratores de ſemetipſis non negarunt, vt Demoſthenes princeps oratorum Græciæ, quem vide in oratione ſua de *fal. leg.* & in orat. contra Cteſiph. vbi Æſchines nimis in principiis dicendi audax, & proiectus grauiter caſtigatur, & damnatur.

Demoſthenes timidus in dicendi initiis.

Iam verò Quintilian. lib. 12. cap. 5. *Volo*, inquit, *eum qui ſit dicturus, & ſollicitum ſurgere, & colore mutari, & periculum intelligere, & quæ ſi non accident, etiam ſimulanda erunt*, &c. Plin. item orator præſtantiſſimus lib. 7. epiſtol. 17. ad Celerem, *Nonne cùm ſurgis ad agendum, tum maximè ibi ipſe diffidis? tum commutata non dico plurima, ſed omnia cupis? Vtique ſi latior ſcena, & corona diffuſior. nam illos quoque ſordidos pullatóſq; veremur*, &c. Et lib 5. *timorem dicentium appellat ipſorum ornamentum*, & lib. 6. de alio loquens oratore, dicit *honorem oratoris timorem*. E contrà verò audaciæ ſignificatio in dicendi exordio damnatur à ſummis oratoribus; nam ab omnibus hæc audacia ignorantia appellatur. Nazianzenus, quem ego inter præſtantiſſimos dicendi homines pono, orat. 26, *Fœtum ignorantiæ audaciam* dixit. Hæc igitur impolitæ, & inſanæ mentis temeritas apud bonæ eloquentiæ viros nullum vnquam locum inuenit, maximum verò apud imperitos, inſulſos, & indoctos, qualis ille erat, de quo Plinius iunior lib. 4. epiſt. 7. fuit ille M. Regulus, qui cum eſſet nullius elegantiæ, ſummam habebat confidentiam, & inſolentiam in dicendo, vocem habebat hæſitantem aliquando, & aliàs fœtidam, putidam, & nihilominus eam magna laterum contentione, & maiori audientium moleſtia extollebat.

Quint.

Plin.

Nazianzenus orator egregius.

Plin.

Orator imperitus audax in dicẽdi principiis.

Timoris autem cauſas apud principes oratores duas aſſignat M. Tullius. *Primam, quia nonnunquã ſummis oratoribus non ſatis ex ſententia euentus dicendi procedit. Alteram, quia cæterarum homines artium ſpectati, & probati, ſi quando aliquid minus bene fecerunt, quàm ſolent, aut noluiſſe, aut valetudine impediti putantur. Noluit*, inquiunt, *hodie Roſcius agere, aut crudior fuit. Oratoris peccatum ſi quod eſt animaduerſum, ſtultitiæ peccatum videtur; ſtultitia autem excuſationem non habet*, & ſtatim, *Cuius in dicendo aliquod peccatum reprehenſum eſt, aut æterna in eo, aut certè diuturna valet opinio tarditatis.* Sed ille timor eſſe debet, qui animum non abiiciat, neque oratorem deterreat. Oratorium verò metum iſtum quidam appellant curam, & ſollicitudinem, vt Fabius libr. 11. Alij modeſtiam, ſeu reuerentiam, ob concionis magnitudinem, & dignitatem ampliſſimam auditorum, qui quidem metus, ſeu modeſti animi cautio multum conducit ad aucupandos audientium animos, beneuolentiamque omnium conciliandam, nec non parum valet ad offenſiones multorum vitandas, inuidias comprimendas. Alij denique aliis nominibus vſi ſunt ad ſignificandum huiuſce generis metum, cuius ille eſt, quem Tullius oſtendit oratione pro Deiotaro.

119. Tull.

Timoris cauſa in oratoribus.

Timoris oratorij nomina.

Fabius.

PROBLEMA XLVIII.

Quæ hiſtoria applauſibilior, noua, an antiqua, vera, an falſa.

CVm hiſtoriæ munus eò potiſſimum ſpectet, 120.
vt nobis præteritarum rerum cognitionem afferat; obuium erit cuipiam intelligere, nihil in eà priùs eſſe, quàm veritatem. Nam oratoria præcipuè in perſuaſione verſatur, poëtica in delectatione; quibuſcum officiis falſitas aliqua ex parte commiſceri poteſt; ſæpe enim vt flectat, orator exaggerat: ſæpe vt delectet, poëta confingit. Hiſtoricus verò cùm præſertim ad docendum incumbat; nihil autem magis à doctrina, quam falſitas abeſſe debeat; planum fit vnam veritatem præ cæteris hiſtorico ſectandam: nimiumque verborum apparatum, qui plerumque eſſe ſolet falſitatis inuolucrum, omnino eliminãdum. De hiſtoriæ veritate nonnulla Politianus præfation. in Suetonium, vbi ſic. *Hanc in primis captare hiſtoricus laudem debet, vt fidei ſeruiiſſe, atque incorrupta veritati exiſtimetur*, &c. Et M. Tullius de Oratore, ita inquit, *Prima eſt lex hiſtoriæ, ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat.* Huic rei confirmandæ teſtimonio eſſe poteſt Magnus ille Alexander, qui Ariſtobulo hiſtoriam

Veritas prima eſt in hiſtoria.

Polit.

Tull.

Alexander M. veritatis amator.

Digitized by Google

ſtoriam de ſuis rebus geſtis aliquando inter nauigandum recitanti, vbi homo adulator multa ſupra veritatem effinxerat, ereptum manibus librum in Hydaſpem fluuium demerſit; *& tu*, inquiens, *ô Ariſtobule, eodem fueras pacto præcipitandus, qui iſto modo ſolus pro me depugnas.* Quo facto oſtendit Rex abdicandam eſſe omnino ab hominum manibus eam hiſtoriam, quæ veritate potiſſimum non efflorecat.

121. *Antiquitas hiſtoria laudabilis.* Iam verò vnam antiquitatem in hiſtoria maximè commendari, nemo ſanus dubitabit: tum quia antiquior hiſtoria res antiquiores euulgat; ad quas cognoſcendas multò ſumus auidiores: tum etiam, quia antiquis hiſtoricis maior fides habetur; ſi quidem ex multorum ſeculorum diuturnitate conflatam gratiam, & auctoritatem conſeruant: recentiores verò non ſatis ſuam fidē omnibus commendant, & quod caput eſt, inuidia laborant; vnde multi eorum luminibus ſolent ſuperciliosè obſtruere. Cic. in orat. *Habet*, inquit, *vt in ætatibus auctoritatem ſenectus, ſic & in exemplis antiquitas.* Idem in partitionibus orat. de Oratore loquutus, *Habeat*, inquit, *exemplorum aut recentium, quò notiora ſint; aut veterum, quò plus auctoritatis habeant, copiam.* Quam in rem aptiſſimè quadrat Epig. illud Mart. lib. 5.

Tullius.

Vide auctorem ſupra lib. 4.

Mart.

Eſſe quid hoc dicam, viuis, quòd fama negatur,
Et ſua quòd rarus tempora lector amat.
Hi ſunt inuidiæ nimirum Regule, mores,
Præferat antiquos ſemper vt illa nouis.
Sic veterem ingrati Pompei quærimus vmbra,
Et laudant Catuli Iulia templa ſenes.
Ennius eſt lectus ſaluo tibi Roma Marone:
Et ſua riſerunt ſæcula Mæonidem.
Rara coronato plauſere theatra Menandro.
Norat Naſonem ſola Corynna ſuum.
Vos tamen ô noſtri, ne feſtinate libelli;
Si poſt fata venit gloria, non propero.

Item Ouid.

Ouid.

Paſcitur in viuis liuor, poſt fata quieſcit:
Tunc ſuus ex merito quemque tuetur honor.

Hinc eſt, quòd multi noſtri ſeculi hiſtorici minoris quàm Liuius, Salluſtius, aliíque antiquiores æſtimantur; aliàs quidem nihilo fortaſſe inferiores. Quales ſunt Iouius, Oſorius, & Maffeius: quibus adde vernaculo ſermone præſtantes viros, Barrios, Contos, & alios, quorum hiſtoriæ fides omnino adhibenda. Non nouitas hominem doctum dedecet, imò nihil prius ſtudioſo antiquitatis, & rerum indagatori, quàm ſuorum annales euoluere, & patrios mores, & maiorum facta tenere.

Vide lib. 4. ſupra Probl. 6. n. 33. & inde.

Problema XLIX.

Sitne illud verum, Græcia mendax.

122. FAmiliare fuit Græcis adulari, quod ſcribit M. Tullius ad Qu. Fratrem, dum ait *Græcos eſſe leues, & diuturna ſeruitute ad nimiam adulationem eruditos.* Qu. Curtius lib. 4. non minus verè, quàm eleganter ingenia Græcorum appellat *temporaria*, tanquam tempori ſeruientia, & prout ſe daret occaſio, adulationem tractantia. Alexander ab Alex lib. 4. cap. 13. vbi cæterarum gentium naturas, & ingenia exponit, ait, *Græcos, licèt ingenio, & facundia præſtent, tamen collactaneo quodam vitio, & innato leues, aſſentatores, atque infideles eſſe*; vnde Græcam fidem in prouerbium veniſſe affirmat, pro debili, & infirma, & quæ facilè violetur. Hinc eſt, quod Græci hiſtorici fabuloſi non immeritò habeantur, qui ſe ad Principum voluntatem potius, quàm ad veritatem componebant. Vnde vel ipſe hiſtoriæ parens Herodotus, vt inquit M. Tullius primo de legibus, innumerabiles fabulas ſcripſit, quem proinde meritò appellauit Strabo Mythihiſtorem, id eſt, *fabularum ſcriptorem*; itaque vulgò pater mendaciorum dictus eſt. Eius autem aliquot errata colliguntur à Ioſepho Scaligero apud Benedict. Perer. in Dan. fol. 278.

Tull. Curt. Alexand. ab Alex. *Græci mendaces.*

Herodotus hiſtoriæ parens. Tull. Strab. Scalig. Benedict.

Plinius *portentoſa* Græciæ mendacia appellat. Et lib. 8. *Mirum eſt*, inquit, *quàm procedat Græcia credulis; nullum eſt tam impudens mendacium, vt teſte careat.* M. Tullius oratione pro Flacco de Græcis loquens, ſic ait, *Teſtimoniorum religionem, & fidem nunquam iſta natio coluit.* Euripides in Iphigenia πιστὸν ἑλλὰς οἶδεν οὐδὲν, id eſt, *Græcia nequaquam nouit fidem.* Iuuenalis Græciam mendacem appellat.

Plin. Tull. Euripid.

---- Creditur olim
Velificatus Athos, & quidquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria, &c.

Iuuen. Sat. 10.

Prolema L.

Hiſtoricíſne ſolemne implorare Numen, ſicuti Poëtis, & Oratoribus.

POëtas omnes in initio ſuorum operum Numen implorare ſolitos, planius eſt, quàm vt debeat in quæſtionem vocari. Hinc ille poëtarum apex Homerus in initio ſuæ Odyſſeæ, 123. *Poëtæ in operum initio numen implorant.* Homerus.

Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα,
Dic mihi Muſa virum.

Virgil.

Muſa mihi cauſas memora. Virgil.

Ouid. Metaphor.

DI cœptis (nam vos mutaſtis, & illas) Ouid.
Adſpirate meis.

Claud.

DI, mihi ſacrarum penetralia pandite rerum. Claud.

Stat.

---- Vnde iubetis
Ire Deæ; &c. Stat.

Iam verò Oratores ab imploratione Deorum exordiri ſolitos, ſatis liquidò conſtat, vt affirmat Valerius Maximus in prologo. Ita enim omnes auſpicabantur, *Iouem ego Opt. Max. imploro*: quod vſque adeò vſitatum fuit, vt tanquam exordium vulgare à Marco Tullio in diuinatione improbetur, vbi ſic, *Tu*, inquit, (loquitur cum Cæcilio oratore) *horum nihil cogitas, nihil metuis, nihil laboras; & ſi quid ex vetere aliqua oratione, Iouem ego Opt. Max. &c. aut aliquid huiuſmodi ediſcere potueris præclarè te paratum in iudicium venturum arbitraris.*

Oratores numen implorans in dicendi exordio. Valer. M. Tull.

Verùm ipſe Tullius nonnunquam precando exorditur: oratione quidem pro Rabirio, ſic. *Ab Ioue Opt. Max. cæteriſque diis, deabuſque immortalibus, quorum ope & auxilio, multo magis hæc reſpublica, quàm ratione hominum, & conſilio gubernatur, pacem, ac veniam peto: precórque ab iis, vt hodiernum diem, & ad huius ſalutem conſeruandam, & ad remp. conſtituendam illuxiſſe patiantur.* Item pro Muræna. *Quæ precatus ſum à diis immortali-* 123. *Tullius in dicendi initio.*

bus,&c. Eadem precor ab iiſdem Diis immortalibus ob eiuſdem hominis conſulatum vnà cum ſalute obtinendum. Plinius iunior initio ſui panegyrici, *Bene*, inquit, *ac ſapienter maiores noſtri inſtituerunt, vt quemadmodum rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus caperetur, quod nihil ritè, nihil prouidenter homines ſine Deorum immortalium ope, conſilio, honore auſpicarentur.* Et paulò pòſt, *Aptū, piúmque eſt, te Iupiter Opt. Max. antea conditorem, nunc conſeruatorem Imperij noſtri precari, vt mihi digna conſule, digna Senatu, digna Principe contingat oratio*, &c. Huc pertinet illa veterum conſuetudo, vt conſules orationem ad populum habituri Deos precarentur. Vnde Liuius lib. 39. *Ita*, inquit, *concione aduocata, cùm ſolemne carmen precationis, quod præfari priuſquam populum alloquantur, magiſtratus ſolent, peregiſſet conſul, ita cœpit.* Eodem ſpectat Virgilianum illud lib. 11. Æneid.

Plin. — Liuius.

Præfatus Diuos, ſolio Rex infit ab alto.

Virgil.

Contra verò hiſtorici nunquam implorando

125. procœmiantur, ad res enim geſtas (quod illi præſtant) euulgandas non exiſtimabant opus eſſe diuino aliquo Spiritu afflari; quo tamen indigent poëtæ, qui res aliquando in lucem proditurias multò antè prædicunt. Et oratores, qui in longiſſimum tempus ſua prouidentia reipubl. conſulunt. Hinc eſt, quòd Liuius ſuo in procemio, ita inquit, *Cum bonis potiùs omnibus, votiſque ac precationibus Deorum, Dearúmque, ſi vt poëtis, nobis quoque mos eſſet, libentius inciperemus, vt orſis tanti operis ſucceſſus proſperos darent.* Quare peccat omnino Valerius Maximus, qui vel hominem inuocare non dubitauit, hoc eſt, Cæſarem. Ita enim ait, *Te igitur huic cœpto, penes quem hominum, Deorúmque conſenſus, maris ac terræ regimen eſſe voluit, certiſſima ſalus patriæ Cæſar inuoco: cuius cæleſti prouidentia virtutes, de quibus dicturus ſum, benigniſſimè fouentur; vitia vindicantur.*

Hiſtorici in operum initio non implorant numen. — *Valer. Max. caſtigatur.*

Problema LI.

An ad eloquentiam hiſtoria requiratur.

126. MArcus Tullius multis locis ſignificat ſine hiſtoria neminem oratorem fore. Idcirco hiſtoriam appellat *munus oratorium*, eóſque pueros, & infantes, ſemper futuros eſſe dicit, qui neſciunt, quid antequam nati ſint, acciderit. Et quidem cum orator ſæpenumero multa exemplorum copia vtatur, neceſſe ſit; huiuſmodi autem exempla nonniſi ab hiſtoriis petantur, planum eſt oportere, vt integram hiſtoriarum cognitionem amplectatur. Quamobrem Quintil. lib. 2. cap. 5. & 6. ait, opus eſſe, vt præceptor Rhetorices ſuis auditoribus hiſtorias euoluat, hiſtoricóſque omnes diligenter explanet: vnde ſibi pueri ad orationes fabricandas capiant argumenta.

Tull. *Hiſtoria oratori neceſſaria.* Vide lib. 7. n. 23. & inde. — Quint.

Problema LII.

Sitne etiam ducis officium hiſtorias lectitare.

127. SI exemplo agendum eſt, conſtat ex Plutarcho Alexandrum quidquid otij nanciſci poterat ab armis, totum id hiſtoriæ lectitandæ impendiſſe, Homerique Iliade, quam etiam dormiens puluino ſubiiciebat incredibiliter oblectatum. Multa de Cæſare aliiſque ſtrenuiſſimis ducibus in hanc ſententiam circumferuntur: quæ quidem conſultò omitto, vt illud tantùm referam ex L. Lucullo. Qui, vt inquit Cicero, cùm eſſet Roma ad bellum Mithridaticum profectus rei militaris omnino rudis; tantam inter nauigandum rebus geſtis legendis operam poſuit, vt cùm in Aſiam veniſſet, maximi illius Regis confeſſione atque iudicio omnibus quorumcumque ſæculorum Imperatoribus anteferretur. Antiquis adde Luſitanos Duces, Albuquercios, Almeidas, Caſtros, & alios, qui altera manu gladios, altera libros hiſtoriarum geſtabant.

Hiſtorias legere ducis munus. Plutarch. *Alexander hiſtoriæ vacat.* Tull. *Lucullus hiſtoriæ ſtudioſus.* Vide paulo ſuperius problem. 41.

Problema LIII.

Vtrùm victores olim à victis nationibus, an victæ nationes à victoribus nomen mutuarentur.

PRæfari libet vnum, vel alterum verbum, antequam detur locus argumentis. Auſpicibus totius actionis, &c. Hanc theſim propoſuimus explicandum, *vtrùm victores*, &c. Quod ſi preſſius, & contortius à nobis agi videatur, quam humanitatis ſpatia poſtularent, ignoſcendum id erit, cùm interim non tam dicendi flores ſectemur, quam diſſerendi vires requiramus. Igitur vno verbo quæſtionem decido, mihi dubium non eſſe, quin priuati duces expeditionem aliquam ſuſcipientes à victis nationibus ſibi nomen vſurpauerint; cùm enim vnius hominis dignitas tanti non fieret, vt ab illo non integros populos nomen effunderetur; ſanè æquum erat, vt ab integris populis potiùs in vnum victorem cognomentum emanaret, quod eius victoriæ gloriam teſtaretur. 128.

Duces cognomenta illuſtres.

At exemplis nobis agendum eſt, quibus multò res fiat illuſtrior. P. Corn. Scipio, Africani cognomentum promeruit ab Africa deuicta, auctore Valerio lib. 5. cap. 7. & Floro lib. 2. cap. 6. Vnde ipſe in Senatu aliquando, *Cùm*, inquit, *P. C. Africam totam poteſtati veſtræ ſubiecerim, nihil ex ea, quod meum dicerem, præter cognomen retuli.* P. Seruilius egregiæ vir auctoritatis, quod Iſaurium Aſiæ regionem ſubieciſſet, illúdque prædonum domicilium expugnaſſet, Iſauricus dictus eſt. Metellus, quia inſulam Cretam Mithridati contra Romanos auxilium ferentem, ferro, flammaque vaſtauit, Creticus cognominatus. Alter Metellus à Numidia ſuperata Numidicus. Valerius à Meſſane vrbe Siciliæ euerſa, Meſſala. Scipio Æmilianus à Numantica capta, Numātinus. Druſus Tiberij frater ab illuſtriſſima victoria apud Germanos, Germanicus appellatus eſt. Quos omnes ingenioſus Vates mira ingenij felicitate complectitur 1. Faſtor.

Scipio à deuicta Africa dictus eſt Africanus. Valer. Flor. *Seruius vnde dictus Iſauricus.* *Metellus vnde Creticus.* *Metellus vnde Numidicus.* *Valerius vnde Meſſala.* *Scipio Æmil. vnde Numantinus.* *Druſus vnde Germanicus.* Ouid.

Africa victorem de ſe vocat: alter Iſauras,
Aut Cretum domitas teſtificatur opes.
Hunc Numidæ faciunt, illum Meſſana ſuperbū,
Ille Numantina traxit ab vrbe notam.
Et mortem, & nomen Druſo Germania fecit,
Me miſerum virtus, quàm breuis illa fuit?

Itaque ſinguli priuati duces (vt planum fecimus) ſibi nomen à victis gentibus vſurpabant, 129.

&

Alexand. ab Alex. & ſi aliqnis adhuc dubitat, videat Alexand. ab
Alexand. lib. 2. genialium dierum cap. 11. Conſu-
lat maximum Eccleſiæ Doctorem, & audiat Euã-
gelij tubam, nempe ſanctiſſimum Hieronymum
epiſtol ad Philemonem, aureo eloquentiæ fluuio
exundantem, & in Paulum plenos verborum ſi-
nus expandentem. *Tum proconſul cum vidiſſet fa-
ctum credidit, admirans ſuper doctrina Domini, &
cùm à Papho nauigaſſet Paulus, & qui cum eo erant,
venerunt Pergen Pamphyliæ. Diligenter attende,
quòd hic primum Pauli nomen acceperit. Vt enim
Scipio ſubiecta Africa Africani ſibi nomen aſſum-
pſit, & Metellus Creta Inſula ſubiugata inſigne
Cretici ſuæ familiæ reportauit, & Imperatores nunc
vſque Romani ex ſubiectis gentibus Adiabenici,
Partici, Sarmatici nuncupantur: ita & Saulus ad
prædicationem gentium miſſus, à primo Eccleſiæ ſpo-
lio proconſule Sergio Paulo victoriæ ſuæ trophæa re-
tulit, erexitque vexillum, vt Paulus diceretur à Sau-
lo.* At verò ſi de integris nationibus ſermo ſit,
quæ de integris item populis victoriam reporta-
bant, multò aliter quæſtio dirimetur. Sic ſtatuo,
Populos, Prouincias, Reſpublicas, quæ alias vi
Martis ſuæ ditioni adiecissent, non tam ab illis
ſibi nomen indidiſſe.

Confirma hoc, inquiet aliquis, vno vel altero
teſtimonio, ne Auſtros perculiſſe videaris. Faxo
libentiſſimè. In primis illi Germaniæ populi, qui
vulgò *Franci*, ſeu *Franciones* appellantur, vel ipſo
Tull. teſte Cicerone ad Atticum, in Galliam irruen-
tes eam ſuo imperio adiecerunt, & à ſuo nomi-
ne Franciam appellarunt; vt videre eſt apud Æmi-
Tacit. lium de rebus Francorum. Item veteres Saxoniæ
populi, quos, Tacito auctore, *Anglos* nomina-
mus, in Albionem primatiam inſulam Britanniæ
penetrantes, eam, ſibi vt parere compulerunt, &
à ſuo nomine *Angliam* nuncuparunt, vt tradit
Ortel. Ortelius in theſauro geographico, verbo *An-
glia*. Rurſus quidam Germaniæ populi, Longo-
bardos appellant, tam vulgus, quàm alij qui po-
litiorem latinitatem non ſequuntur, cùm Galliam
Ciſalpinam occuparent, eam à ſe Longobardiam
parum expolito nomine dixerunt, vt narrat Cor-
radus in 1. Æneid. illo verſu,

Corrad. Virgil. *----Genus vnde Latinum.*

Iam verò nobiliſſima illa pars Italiæ, Græcia
130. magna; vnde tam eximium nominis ſplendorem
ſortita eſt, niſi à Græcis, qui in illa armis occupa-
ta ſedem collocarunt? At quidquid hactenus ſub-
ſtruximus, velle mihi videtur aliquis demoliri
hoc vno argumento. Troiani, qui ducentibus fa-
Obiectio. tis ab Ilio profecti ad Italiam appulerunt, eam
quidem regionem vi, & armis occuparunt, neque
tamen vſquam proditum eſt, Troianorum no-
men in Italiam ita defluxiſſe, vt Troia in poſte-
rum diceretur; ergo caſſa ſunt, & ludicra, quæ
hactenus libuit temerè, & inaniter effutire. Te-
lum ingens, nodus Gordianus, Achilleum argu-
mentum. Quid tamen, ſi hoc ipſum in illius ca-
Solutio. put retorqueri videamus, qui in nos illud conie-
cerat? Sanè, vt meridiana luce clariùs videre eſt
apud Maronem, Iunonis beneficio Latini ea
ſunt immunitate donati, vt ſuum in poſterum
nomen retinerent, neque à Troianis victoribus
Troiani appellarentur: ſi enim iure belli agendum
eſſet, Latinorum nomen in totum abdicaretur,
nomen verò Troianorum in Latium emanaret.
Igitur cùm Iuno animaduerteret victos paulatim
cedere Latinos, primùm in querimonias effuſa
Iouem alloquitur,

Et nunc cedo equidem, pugnáſque exoſa relinquo.

Mendoçæ Viridarium.

Verùm quia non modò præuidebat Italiã ſub- 131.
ruendam, ſed etiam Italorum nomen abrogan-
dum, ſi Troiani victores euaderent, vt extremam
hanc iniuriam præcaueret, quando prior illi erat
neceſſariò deuoranda, Iouem ſummis precibus
obteſtaretur. Virgil.

Illud, te nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obteſtor, pro maieſtate tuorum,
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos
Ne Troas fieri iubeas, Teucróſque vocari.
Sit Latium, ſint Albani per ſecula Reges,
Sit Romana potens Itala virtute propago.
Occidit, occideritque ſinas cum nomine Troia.

Dixit nulla fati lege teneri. nam iure belli maxi- *Virgil optimè*
mè neceſſarium erat, ſi minus quorſum id tot *explicatus.*
precibus obſecraret? Quod cum tanto ſtudio
oraret, non potuit non etiam exorare. Vnde Iu-
piter.

Do quoduis, & me victúſque volénſque remitto:
Sermonem Auſonij patrium, moréſque tenebunt,
Vtque eſt nomen erit.

Hinc igitur factum eſt, vt Latini à Troianis victi
ſuum cum illis nomen minimè commutarent. Sed
cùm hactenus noſtra vobis oratio tædio fuerit;
veſtra mihi, erit deinceps ad extremum gymna-
ſium voluptati.

PROBLEMA LIV.

An antiquitatis cognitio poſſit perfectè comprehendi.

VT breui complectar multa quæ hac de re 132.
afferri poterant: tota antiquitatis cognitio *Antiquitatis*
duplici ex fonte haurienda eſt, ſacro vno, altero *cognitio du-*
profano. Ab illo emanant infinita propè ethnico- *plici ex fonte.* Tull.
rum numina, de quibus Cic. in libris de natur. Plin.
Deorum Plinius lib. 2. nat. hiſt. Arnobius, Lactan- Arnob.
tius, & alij. Sacrificia, vota, Sacerdotes, templa; Lactant.
ſimulachra; in quorum ſingulis multa continen-
tur; quibus ſeorſum explicandis tempus deſidera-
tur. Iam verò ab hoc fonte, quem profanum ap-
pellauimus, duo tanquam flumina erumpunt;
quorum alterum, Politicam; alterum Bellicam
complectitur. Illud comprehendit ſtatum reipu-
blicæ, comitiorum genera, claſſes, iura, leges, iu-
dicia, magiſtratus, faſtos & alia; quæ ſi modo mi-
nutatim exequi velim,

Ante diem clauſo componet Veſper Olympo. Virgil.

Bellica verò in naualem, & pedeſtrem diſſecatur;
vtriuſque longiſſima tractatio apud auctores re-
peritur. Cùm igitur ad perfectam antiquitatis
cognitionem tam multa requirantur, quæ in ora-
toriam, Poëticam, & Hiſtoriam ſunt veluti diffu-
ſa, ac diſſipata, ſanè hæc omnia ab eo tantùm cõ-
prehendi poterunt, qui ſit in Rhetorica, Hiſtorica,
& Poëtica non mediocriter verſatus.

PROBLEMA LV.

Vtrùm hiſtoria ſit vtilior Reipubl. quàm Poëtica, aut Oratoria.

LVcianus in primis in totum Oratorum genus 133.
inuehitur, quòd multa machinaméta capien- *Lucianus in*
dis iudicum animis comminiſci ſoleant, Lacedæ- *Anacharſide.*
monij ex ſua ciuitate Oratoriam exegerunt, vt re-

Quintil. fert Quintil. lib. 2. Ipſi verò Athenienſes, penes quos ipſa effloruerat, ſi non omnino ablegarunt certè mutilam, & veluti reciſam effecerunt, dum *Oratores damnatur.* ab orationibus commiſerationem, & amplificationem, duo acerrima tela artis oratoriæ remouenda curarunt.

Iam verò quàm multi ſemper extiterunt Poëtatum Ariſtarchi, & maſtiges, procliue erit intelligere iis omnibus, qui veterum libros conſuluerint. Nam vt refert quidam auctoritatis non contemnendæ, extiterunt aliquot Stoicorum Simiæ, *Budæus in Iaida.* qui in ampliſſima curia, pro tribunali cenſuerint poëtas omnes cremandos, poëticámque trans Alpes relegandam, vnde inauſpicatis auibus eam veniſſe ſuperciliosè fremabant, dira etiam imprecantes iis, qui poëtas, & oratores, literáſque huiuſmodi quaſi certam reip. perniciem attulerunt. *Tertull.* Tertulliani illa eſt vox lib. de ann. cap. 33. loquens de Homero. *Pauum ſe meminit Homerus Ennio ſomniante, ſed poëtis nec vigilantibus credã,* &c. vbi mendaces dicit poëtas. Quare Caligula Imperator, furia, fáxque orbis terrarum, Homeri, Maroníſque ſcripta flammis abolere concupiuit. *Plato poëtarum hoſtis.* Quin etiam Plato poëtas iuuẽtutis carnifices appellabat. Cùm igitur tam multi in Oratoriam, & Poëticam acetoſis verbis inuehantur, hiſtoriam, *Politian.* vt inquit Politianus, nemo agit ream, nemo offendit, nullius patrocinium, quæ ſit innocentiſ- *Hiſtoria ab omnibus accepta.* ſima, requirit: nullius peti maledictis potuit, quæ præclariſſimè de vniuerſo hominum genere ſit bene merita.

Problema LVI.

An omnis Rhetor, Orator, & contrà.

134. Qvamuis inter Græcos Rhetor idem ſit, atque inter Latinos Orator; tamen hoc ferè diſcrimen apud nos inter vtrumque conſtituitur, quòd Rhetor ille dicitur, qui artem Rhetoricam *Oratoris definitio.* profitetur, ſeu qui docet artem Rhetoricam; Orator verò, vt definit Cicero, *eſt vir bonus, dicendi pe-* *Tullius.* *ritus, qui in cauſis publicis & priuatis plena, & perfecta vtitur eloquentia.* Dico igitur poſſe Rhetorem *Rhetor, vt non orator.* inueniri, qui non ſit orator. Cui enim in dubium venire poteſt, quin Iſocrates Rhetor fuerit egregius, hoc eſt, Rhetoricæ præceptis egregiè inſtitutus; hic tamen ad orandum ratò, aut nunquam deſcendit: vnde de ſe ipſo paſſim iactitabat, ſe inſtar cotis eſſe, quæ cùm ſecare non poſſet, ferrum tamen ad ſecandum exacueret. Quare à ſe, qui nullo modo oratoriam exerceret, alios ad dicendum informari. Quò alluſit Horatius, *Horat.*

--- *Fungar vice cotis acutum*
Reddere quæ ferrum valet, exors ipſa ſecandi.

Problema LVII.

An Rhetore præſtet elocutio.

135. Elocutio eſt idoneorum verborum, & ſententiarum ad inuentionem accommodatio. In hac excellit, qui humilia ſubtiliter, magna *Rhetor, vnde dictus.* grauiter, & mediocria temperatè poteſt dicere. Et quidem hanc eſſe præcipuam Rhetoris laudem, inde colligitur, quòd inter Græcos ἀπὸ τῆς ῥητορείας Rhetor, inter Latinos verò ab elocutione Eloquens dicatur, non verò ab inuentione inuentor, aut à diſpoſitione diſpoſitor. Vnde M. *Tull.* Tullius inuentionem communem prudentis hominis, elocutionem verò propriam oratoris arbitratur. Ab elocutione igitur omnia lumina oratio- *Elocutio propria oratoris.* nis exiguntur; cuius illa vis eſt, quam Cicero eloquentiæ attribuit, vt nimirum nihil ſit tam incredibile, quod dicendo non fiat probabile, nihil tam horridum & incultum, quod non ſplendeſcat oratione, & tanquam excolatur.

Ars ſupra materiam. Vt enim in operibus ab arte fabrefactis contingit aliquando, materiæ quamuis nobili artificium prælucere; vt multis poſſum exemplis confirmare. Nam Alexandri ſtatua, quam Lyſippus *Alexandri ſtatua à Lyſippo facta.* ex ære fabrefecit, multíſque eximij artificij operibus, conſciſſuríſque nobilitauit, maiorem habuit commendationem apud omnes, quàm alterum eiuſdem Alexandri ſimulacrum, ex auro pulcherrimè conflatum, nullis tamen laſciuientis Scapelli honoribus inſignitum. Rurſum augu- *Solis Regia.* ſtiſſima illa Solis Regia plus dignitatis, & elegantiæ ſibi conciliauit ex varietate picturarum, & cælaturarum pulchritudine, cæteríſque artis ornamentis, quàm ex auro, ebore, ac reliqua pretioſiore materia, ex qua confecta, & elaborata erat, canente Poëta,

Materiam ſuperabat opus: nam Mulciber illic
Æquora cælarat medias cingentia terras.

Sic etiam in Rhetorica contingit, vt verborum *Argumentũ orationis cedit aliquando oratoris artificio.* vbertas, ſententiarum ſplendor, ipſius denique ſtyli nitor, maiorem prorſus dicenti gloriam importet, quàm argumenti grauitas.

Problema LVIII.

An in Oratore hypocriſis excellat.

Actio, vt inquit Tullius, *vna in dicendo dominatur*; Et Quintilianus affirmat mediocrem 136. *Actio dominatur in oratore.* orationem commendatam viribus actionis, plus habituram eſſe momenti, quàm optimam eãdem *Tull.* illa deſtitutam. nam & infantes actionis dignita- *Quintil.* te, eloquentiæ ſæpe fructum tulerunt, & diſerti deformitate agendi multi infantes putati ſunt. Vt iam non fine cauſa Demoſthenes, cùm roga- *Demoſth.* retur quid in dicendo eſſet primum, huic primas, huic ſecundas, huic tertias attribuiſſe videatur; & Æſchines admirantibus Rhodiis dignita- *Æſchin.* tem orationis Demoſthenis, diceret. *Quid ſi ipſam belluam reſonantem audiſſetis?* Vt planum faceret plus dignitatis, & ſplendoris in ipſa actione, quàm in reliquis orationis luminibus inhærere. Nam cùm actio corporis ſit eloquentia, atq; adeò *Actio corporis eloquentia.* oculis ſubiiciatur, non poteſt non vehementius animos mouere, quàm illa verborum eloquentia, quæ tantùm ſub aures cadit. Nam, vt inquit Horat. in poët. *Horat.*

Segnius irritant animum demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

Pro

PROBLEMA LIX.

Vter præſtantior Poëta, Catullus, an Martialis.

EGo quidem magno interuallo primas defero
137. *Martial. Catullū excedit.* Martiali, neque me mouet illius de ſe iudi-
cium, qui ſe inferiorem prædicat Catullo; ita
Martialis de ſe iudicium. enim ſcribit ad amicum Macrum lib. 10. epi-
gram. 78.

Sic inter veteres legar poëtas,
Nec multos mihi præferas priores,
Vno ſed tibi ſim minor Catullo.

Poëtarū modeſtia. Seruant enim poëtæ diligentiſſimè ſolemne il-
lud ſuum, vt multos ſibi anteponant, quo bene-
Ouid. uolentiùs omnibus præferantur. Vnde Ouid.

Et cùm præponam multos mihi, non minor illis
Dicor, & in toto plurimus orbe legor.

Neque verò Martialis ſibi prorſus anteponendum cenſuit Catullum, cùm dicat lib. 10. ſibi non minus Bilbilim, quàm Veronam Catullo debere.

Nec ſua plus debet tenui Verona Catullo,
Neque velit dici non minus illa ſuum.

Iam verò ſi aliquis illo Martialis carmine adductus,

Vno ſed tibi ſim minor Catullo,

contendat omnino Catullo primatum deferendum, audiat quid de ſe ipſo Catullus commemoret, eo epigrammate, quo gratiam refert Ciceroni propter ſuſceptum ſui patrocinium.

Catulli de ſe iudicium.
Diſertiſſime Romuli nepotum,
Quot ſunt, quótque fuêre Marce Tulli,
Quótque poſt alijs erunt in annis:
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, peſſimus omnium poëta:
Tanto peſſimus omnium poëta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

Tullius optimus patronus. Igitur qui mordicus contendit, Martialem Ca-
tullo poſtponendum, quòd ſe ille Catullo infe-
138. riorem prædicet; is fateatur neceſſe eſt, Catul-
lum peſſimum eſſe omnium poëtarum, cùm hoc
ille de ſe iactitet. Diſtichon etiam illud, quod de
Catullo efferri ſolet,

Tantum magna ſuo debet Verona Catullo,
Quantum parua ſuo Mantua Virgilio.

me minimè à mea ſententia dimouet. Nam &
Martialis alter Virgilius. Martialis ab Ælio Vero Imperatore alter Virgi-
lius dicebatur, vt refert Petrus Crinitus. Quòd
ſi Catullus eruditorum conſenſu docti cogno-
Crinit. Ouid. men promeruit, eodem Crinito auctore, vnde
ab Ouidio doctus appellatur lib. 3. Eleg.

Tempora cum clauo docte Catulle tuo.

Tamen id parum ad rem; cùm doctrina ſuperior
eſſe poſſit, qui poëtica arte nō ſit cum alio com-
parandus. Et quidem mihi perſuadeo nonnul-
Catullus durior cultus poëta. los ſola antiquitate ductos Catullum Martiali
prætuliſſe; cùm tamen ſi artem ipſam diligentiùs
expendas, proculdubio Martialem anteponas.
Nam Catullus à pleriſque reprehenditur, præſer-
Plin. tímque à Plinio in præfat. natur. hiſtor. quòd du-
riora carmina efficiat, quàm metri natura patia-
Plin. iun. tur. Vnde alter Plinius lib. 1. epiſt. ad Eurigium
rectè mihi videtur comparaſſe cum Catullo Sa-
turnium poëtam, cuius carmina cùm aliquando
legeret, auctorem aliquem metro ſolutum ſe le-
Catullus liber in metro gere credebat. Nec immeritò! Quis enim diſſo-
lutior Catullo? Quis liberioribus numeris vti-
tur? Quid magis aures offendit, & vulnerat,
quàm illud,

Vt mihi quem nemo grauius, nec acerbius vrget
Quàm modo, qui me vnum, atque vnicum amicum habuit.

Item illud,

Vna ſalus hæc eſt, hoc eſt tibi peruincendum,
Hoc facies, ſiue id non pote, ſiue pote.

At verò Martialis totus ingenioſus eſt, & expo- *Martialis plurimum*
litus, totus acutus, & qui plurimum habet & ſa- *ſalis, & fel-*
lis, & fellis, & grauitatis. Quid enim grauius *lis habet.*
quàm illud,

Barbara pyramidum ſileat miracula Memphis;
Aſſiduus iactet, nec Babylona labor.

Et rurſus illud de Scæuola,

Dum peteret Regem decepta ſatellite dextra
Iniecit ſacris ſe peritura focis.
Sed tam ſæua pius miracula non tulit hoſtis:
Et raptum flammis iuſſit abire virum.
Vrere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc ſpectare manum Porſena non potuit.
Maior decepta fama eſt, & gloria dextra;
Si non erraſſet, fecerat illa minus.

Quid vrbaniori dicacitate conditum, quàm illud,

Litigat, & podagra Diodorus, Flacce laborat,
Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra eſt.

Illud item,

Dimidium donare Lino, quàm credere totum
Qui mauult, mauult perdere dimidium.

Iam verò quid acetoſius eſſe poteſt, quàm illud,

Qui ducis vultus, & non legis iſta libenter,
Omnibus inuideas Liuide, nemo tibi.

Muretus tamen hoc fert de hac re iudicium, 139.
Inter Martialis, inquit, *& Catulli ſcripta tantum* *Mureti de*
intereſſe arbitror, quātum inter dicta ſcurra alicuius *Martiale iudicium.*
de triuio, & inter liberales ingenui hominis iocos
multo vrbanitatis aſperſos ſale. Nec negauerim
multa in Martiale quoq; non inſcienter dicta reperiri, ſed profectò deteriorū longè numerus maior eſt. Latinæ quidē orationis natiua illa, miniméq; quaſi pigmentis infuſcata germanitas, in Martiale nulla eſt in Catullo præcipua: his de cauſis cùm ab illo altero noſcio quomodo ſemper abhorruiſſem, Catullum contrà nunquā non mirabiliter amaui. Hoc Mureti iudicium caſtigare verbis, vt opus erat, ſuperſedeo, cùm alienum ſit à meo genio in alios excandeſcere; Mureto tamen obiicio huius æui lumina Pontanos, Lipſios, Turnebos, & alios, quorum
iudicia, & grauiſſima teſtimonia refert Raderus Rader.
in Martial. auctor quidem nuperrimus, ſed acerrimus Martialis gloriæ aſſertor.

PROBLEMA LX.

An rectè Græca verba à Martiale Epigrammatis Latinis inſerantur.

CVm Græcæ literæ Latinarum altrices, exor- 140.
natricéſque dicantur; non immeritò, neque *Græcæ litera Latinarū altrices.*
ſine lepore à Poëta Latino Græca vocabula inſeruntur. Itaque in 1. libro Epigram. 27. prouerbium illud vſurpat, Μισῶ μνήμονα συμπότην, id eſt, *odi memorem compotorem*, dici ſolitum in eos, qui, quæ inter amicos, & inter pocula dicuntur, liberiùs foras euulgant, libro 2. Epigram. 43. inculcat parœmiam illam inter Græcos decantatiſſimam κοινὰ φίλων πάντα, id eſt, *Amicorū omnia*

ſunt communia, ita enim inuehitur in Candidum verborum, quàm munerum liberaliorem.

Candide κοινὰ φίλων, *hac ſunt tua, Cãdide*, πάντα,
Quæ tu magniloquus noƈte, diéque ſonas.

Et concludit,

Ex opibus tantis veteri, fidóque ſodali
Das nihil, & dicis, Candide, κοινὰ φίλων.

Lib. 5. ita ſcribit Sexto in Calliodorum, qui in ordinem equeſtrem cooptari volebat, cùm ad id cenſus non ſuppeteret, atque adeò hæreditatem cum fratre diuidere recuſabat; cum, iuxta prouerbium Græcum, *minima quaque fuerunt diuidenda*, quod ita habet, σῦκα μέριζε, eſt autem Epigramma venuſtiſſimum.

Callidiorus habet cenſum, quis neſcit? equeſtrem,
Sexte, ſed & fratrem Calliodorus habet.
Quadringenta ſecat, qui dicit σῦκα μέριζε.
Vno credis equo poſſe ſedere duos?
Quid cum fratre tibi? quid cum Polluce moleſto?
Non eſſet Pollux ſi tibi, Caſtor eras.
Vnus cùm ſitis: duo, Calliodore, ſedetis.
Surge ſolæciſmum, Calliodore, facis.
Aut imitare genus Ledæ: cum fratre ſedere
Non potes, alternis Calliodore ſede.

Problema LXI.

Nullum poëma iucundius epigrammate, nullum item difficilius.

141. *Leges epigrãmatis.* MVlta in vnum epigramma conueniũt, quæ illud, ſi modò teres ſit, ac rotundum, iucundiſſimum efficiunt. Diſtinƈta in primis breuitas, acuta ſententia, apta compoſitio. Quæ in aliis poëmatis non ita facilè reperiuntur; atque adeò vel ipſa longitudine faſtidium mouent; vel ipſis verborum ambagibus intelligendi aciem hebetant; vel etiam rerum multitudine legentis animum obtundunt. Itaque Epigramma, ſi modo venuſtum, aptum, connexúmque ſit, teres, & rotundum; vt inter ſe partes cohæreant, & congruant, vt diſtinƈtè, breuiter, acutè, & ornatè ſententia exprimatur, & admirationem mouet, & voluptatem affert non vulgatem. Iam verò quanta ſit eius difficultas, inde liquidò conſtabit, quia nullum eſt poëma, quod minus vitium aliquod patiatur, quàm Epigramma. Meritò in Epigrammma mihi videtur conuenire Horatianum illud in arte poët.

Horat. -----*Carmen reprehendite quod non*
Multa dies, & multa litura coërcuit, atque
Perfeƈtum decies non caſtigauit ad vnguem.

142. Vt enim in magna piƈtura, etiamſi quædam ſint minus venuſta, nec locis apta, nec vmbris diſtinƈta; multa tamen, & colorum varietate capiunt, diſtinƈtione membrorum afficiunt, & veſtium cultu, & neruorum eminentia, ſtatu, ſitúque intuentium oculos & animos obleƈtant. *Epigramma piƈtura breuis.* In exiguis verò formis, quando omnia vno intuitu ſunt ſpeƈtanda, vno oculorum iudicio eodem tempore ad animum referenda; ſi quo in loco peccatum ſit, facilè animaduertimus, & vel exiguo vitio offenſi totam piƈturam eo genere improbamus. Ita planè in longioribus poëmatis multa eſſe oportet, quæ voluptate detineant legentes; multa quæ rerum aut leuium, aut minus cohærentium acceſſionem compenſent; in Epigrammate verò, quia omnia quæ dicuntur vnico obtutu capiuntur, limata omnia eſſe debent, terſa & expolita, vt ſententia breuibus incluſa numeris, ſimul, ac leƈta eſt, influat in ſenſus intimos, moueat, capiat, excitet, expeƈtationem expleat; ſi verò aliquid contortius dicitur, aut ſinuoſius, ſi aliquis vel minimus error inhæret, eo ſolo nomine, modò conſtent cætera, exploditur, eiicitur, repudiatur.

Problema LXII.

Vnde Virgilius ſua Æneiada auſpicatus fuerit.

PRocul dubio ab illis carminibus exorſus eſt Maro. 143.

Ille ego qui quondam, &c.

Noluit enim vir prudentiſſimus *in plano*, vt aiunt, *tumere*; veritus ne in ſublimi deficeret; vt plerique poëtarum, qui à grandioribus exordiis in futilem quandam, atque inopem verborum ſupelleƈtilem degenerant, quod planè aduerſatur poëticæ documentis: vt docet Horat. in poëtica, *Arrogãs poëtarum exordium damnatur.*

Horat.

Nec ſic incipies, vt ſcriptor Cyclicus olim.
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum;
Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.
Quantò reƈtius hic, qui nil molitur ineptè?
Dic mihi Muſa virum, capta poſt tempora Troia,
Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes,
Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem
Cogitat, vt ſpecioſa de hinc miracula promat.

Igitur tenui, ac moderata primùm dicendi ratione ingreditur, *Ille ego*, &c. Deinde paulatim aſſurgit, *Et egreſſus ſyluis*, &c. Tandem verborum pondere, ac maieſtate fulminat. *At nunc horrentia Martis*, &c. Hoc etiam rationis accedit: quia timebat poëta eorum hominum procacitatem, qui illuſtres poëtarum lucubrationes indiƈto auƈtoris nomine in lucem prodeuntes, ſibimetipſi adſcribebant: quod quidem expertus præcauere cogebatur; ſiquidem laudatiſſimum illud Epigramma, 144. *Qui alieno viuunt poetarum labore.*

Noƈte pluit tota, redeunt ſpeƈtacula manè;
Diuiſum Imperium cum Ioue Cæſar habet.

Illud, inquam, ſuo Marte confeƈtum, ſuo ex penu depromptum, neſcio quis Muſarum tyro ſibi per ſummam licentiam arrogauit. Ne igitur ea impunitas vlteriùs ſerperet, longiúſque prouheretur, cautè ſibi agendum eſſe ratus, ſe tanti operis auƈtorem profitetur. *Ille ego*, &c.

Problema LXIII.

Cur Virgilius Æneæ nomen in ipſo operis limine ſuppreſſerit.

SVnt, qui dicant Æneam à Virgilio per excellentiam virum nuncupatum. Ita crederem, niſi Æneas ille eſſet, de quo agitur, cuius nomine nullum fingi poterat glorioſius; ſiquidem nemini vnquam viri nomen ſtuporem iniecit; at verò nomen Æneæ non modò ſemiuirum, & conſternatum 145. *Æneas per excellentiam vir.*

natum

narum homuncionem, ſed etiam ſtrenuiſſimum ducem Pallanta perculit, & commouit.

Virgil.

Obſtupuit tanto percuſſus nomine Pallas.

Igitur, quod mihi vero ſimilius videtur, Poëta Homerum imitatur; qui Odyſſeam ſcripturus, vbi Vlyſſis laudes effuſiſſimè proſequitur, ab operis initio Vlyſſis nomen ablegauit, atque ex orditur,

Homer.

Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα,
Dic mihi Muſa virum;

nam cùm Vlyſſes famoſus exiſteret ſcelerum concinnator, vafer ingenio; indole fraudulentus; meritò vt à poëta dicatur,

Virgil.

Hortator ſcelerum Æolides,

& ab Ouidio, parenti Siſypho, verſipelli, callido, ac veteratori quàm ſimillimus,

Ouid.

——*Quid ſanguine Cretus,*
Siſyphio, furtiſque & fraude ſimillimus illi,

146. Hunc autem Homerus ſuis carminibus celebrandum ſucepiſſet;; veritus ne ſibi omnes ſuccenſerent, aures, animúmque ab Odyſſea auocarent, ſi in operis initio Vlyſſis nomen præfixum intuerentur illud optimo conſilio in vlteriorem poematis partem ſepoſuit. Quid igitur Homerus noſter Mantuanus? nouerat quidem Æneam eſſe illum, à quo omnis ſcelerum noxa procul abeſſet: non tamen illum, qui à ſcelerum ſuſpicione integer habetur; ſiquidem nonnulli, falsò quidem, vt exiſtimo, crediderunt, Ænam clandeſtinis colloquiis patriam Græcis prodidiſſe. Quare ne in ipſo tanquam veſtibulo proditoris nomine aures offenderentur, ſcenæ deſeruiendum ratus, virum ſe non Æneam celebraturum pollicetur.

Falsò criminatur aliqui Æneam de Troia excidio.

Problema LXIV.

Verumne ſit quod Virgilius de Didone tota Æneide commemorat.

147. EA omnia, quæ ad Didonem ſpectant apud Virgilium, à veritate prorſus aliena eſſe, hoc vno argumento luce clariùs probatur. Nam Carthago ſeptuaginta duobus annis condita eſt, ante Romam conditam; vt videre eſt apud Iuſtinum lib. 18. prope finem: cuius hæc ſunt verba, *Condita eſt vrbs hæc* (de Carthagine loquitur) *ſeptuaginta duobus annis, antequam Roma.* Hoc idē affirmat Oroſius lib. 4. cap. 6. à quo non videtur diſſentire Ioſephus, vt videre eſt apud Genebrardum. At verò Æneas trecentos annos minimum ante Romam conditam in Italiam penetrauit; vt ex eodem poëta conſtat, 1. Æneid. vt ſuo eum gladio iugulemus, dum ita canit.

Virgilius falſus de Didone.

Iuſtin.

Oroſius. Ioſeph. Genebr. *Vide Torres de philoſoph. princ. lib. 19. c. 9.*

Virgil.

At puer Aſcanius multa vi muniet Albam,
Hîc iam tercentum totos dominabitur annos
Gente ſub Hectorea; donec Regina ſacerdos
Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolē.
Inde lupa fuluo nutricis tegmine lætus
Romulus excipiet gentem & Mauortia condet
Mœnia, Romanóſque ſuo de nomine dicet.

Ergo æneas ducentos & viginti octo annos ad
148. Italiam appulit, priuſquam Carthago conderetur. Vnde apertiſſimè deprehenditur Virgilianum commentum. Accedit D. Auguſtini auctoritas lib. 1. confeſſ. vbi ait eam eſſe dictorum hominum ſententiam, vt negent ea omnia, quæ Virgilius de Didone literis prodidit. D. Hieronymus 1. contra Iouin. *Dido*, inquit, *cùm peteretur ab Iarba rege Libyæ in coniugium, pauliſper diſtulit nuptias, donec conderet ciuitatem: nec multo pòſt extructa in memoriā mariti quondā Sichæi, pyra maluit ardere, quā nubere.* Vbi aliter videtur ſēntire Hieronymus, ac Virgilius. Hieronymi ſententiā Tertull. lib. 7. cap. 4. haud obſcurè inſinuat, Virgiliúmque condemnat. Iam verò Auſonius de imagine Didonis audiatur, vbi ipſa loquitur Regina.

Virgilij commentum de Didone.

Auguſt.

Hieron.

Tertul.

Auſon. *Dido de Ænea queritur.*

Illa ego ſum Dido vultu quē conſpicis hoſpes
Aſſimulata modis, pulchraque mirificis:
Talis erā; ſed non Maro quā mihi finxit erat mens.
Vita nec inceſtis læta cupidinibus.
Namque Æneas vidit, nec Troicus vnquam,
Nec Libyam aduenit claſſibus Iliacis.
Inuidia cur in me ſtimulaſti Muſa Maronem,
Fingeret vt noſtra damna pudicitiæ?

Problema LXV.

Vtrùm Polluctum & Pollinctum inter ſe diſtinguantur.

149. HAllucinatur Hermolaus Barbarus vir præſtantis doctrinæ, dum hæc duo verba confundit in emendationibus Plinianis. Nam *polluctum* cœna eſt opipara; à verbo *pollucere*, id eſt, ſacrificare Herculi, vbi decimam patrimonij partem offerebant; vnde Plautus partem decimam Herculaneam vocat. At verò *Pollinctum* cœna eſt feralis, quæ Gentili more in rogum delata cum corpore cremabatur; à verbo *pollincire*, quod eſt, curare, ſeu vngere cadauer.

Hermolaus damnatur.

Plaut.

Rem enucleatiùs euulgo cum Bud. in Pand. pro verbo pollucere occurrit Plaut. in Muſtel. *Pergræcamini, paraſitos facite, obſonate pollucibiliter.* Ideſt, lautè, ſplendidè, & opiparè conuiuia celebrare. Vnde, auctore Macrobio, cœna *pollucibilis*, eſt cœna opipara, & ſplendida. Vnde Plinius lib. 32. *polluctum* accepit pro cœna ſplendidiſſima. At verò à verbo *pollincire* ortum eſt *pollinctum*, quod eſt cœna feralis, vt dixi. De qua

Bud. Plaut.

Macrob. Plin.

Perſ.

——*Sed cœnam funeris hæres*
Negliget, &c.

Plaut. in Sticho. *Hæc veniſſe iam opus eſt quantum poteſt, vt decimam partem Herculi polluceam.* Mitto plura. De his autem eſculentis, ex quibus veteres auferebant decimam partem, qua Herculi offerebant, facit mentionem Tertull. lib. 2. cap. 13. de illis verò qui hanc decimam furantur, habes exemplum apud Plaut. Trucul. *De mina vna deminui modò quinque nummos: mihi detraxi partem Herculaneam.*

Plaut.

Tertull.

Plaut.

Problema LXVI.

Vtrùm Diuorum ſtatuæ ex ligno architectari ſolitæ fuerint.

150. PLanum hoc erat iis omnibus, qui poëtas conſuluerint. Tibul. lib. 1. Eclog. 10. penates alloquitur,

Tibul.

Neu pudeat, priſco vos eſſe ſtipite factos,
Sic veteris ſede incoluiſtis aui.
Tunc melius tenuere fidem, cùm paupere cultu
Stabat

Digitized by Google

Stabat in exigua ligneis æde Deus.

Propert. Properrius item Deum, neſcio quem, de ſua ſtatua loquentem inducit.

Stipis acernus eram, properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in vrbe Deus.

Aurũ, & argentum parui ſiebant apud veteres. Sed cur veteres ex ligno potiſſimùm ſtatuas efficerent, illa cauſa eſt; quia lapis durior eis videbatur, quàm vt diis effingendis eſſet idoneus: aurum verò atque argentum, ſterilis, & infœcundæ terræ fæcem arbitrabantur. Conſtat enim quo in loco ſunt auri, argentíve fodinæ, ibi raras admodum herbas, flores, & fructus prouenire.

PROBLEMA LXVII.

An in Tragœdiis proloquendum ſit.

151. *Comœdia prologos admittit, non verò Tragœdia.* QVamuis Comœdia ſemper prologos admittat, eoſdem tamen ſemper reiicit Tragœdia; ſed eorum loco quaſdam quádoque προφάσεις reponit, ad beneuolentiam fortaſſe ſpectatorum aucupandam: cauſam produnt, quia Regum calamitates, regnorum euerſiones, ſimiléſque clades, quas Tragœdia proponit, nemo creditur ignorare; ideo prologis non indiget.

Diſcrimina inter comœdiam, & Tragœdiam. Comœdia verò priuatorum hominum mores & caſus deſcribit, quos vix vllus, niſi edoctus ſcire ſolet. Præterea Comœdia liberè fingi à quoquam poreſt; atque adeò proloqui oportet, vt res merè & liberè commentitia agnoſcatur. At Tragœdia res non fingit; ſed hiſtorias, vt ſemel contigerunt, proponit; quod quidem docet Ariſtoteles: igitur nihil opus eſt prologo. Conſule Tragœdiographum Latinum, Senecam, inquam, Seneca. apud quem nullum inuenies prologum in Tragœdiis. Sed non paucos inuenies, qui contrarium non vereantur autumare, imò longa prologorum ambage oſtentare, pro quibus mihi non eſt pugnandum.

PROBLEMA LXVIII.

Qua re differant Tragœdia, & Comœdia.

152. Ariſtot. Euripid. COmœdia exitus habet lætos, & plauſibiles; Tragœdia funeſtos, ac triſtes, vt docet Ariſtoteles. Scitum eſt, quod Euripides Archelao petenti, vt de illo Tragœdiam componeret, reſpondit auerſatus, *Ne*, inquit, *tantum mali permittat Iupiter, vt quid tibi tragœdia dignum accidat.* Si-*Diſcrimina inter Tragœdiam, & Comœdiam.* gnificans eam non eſſe niſi euentum infelicium poema. Non tamen diffitetur Ariſtoteles cap. 5. Ariſtot. poët. Tragicam actionem ex atroci calamitate in inopinatum gaudium erumpere poſſe, vt apud Euripidem in Oreſte, Alceſta, Andromacha, Hippolyto, &c. Sed hæ à Tragœdiæ natura non parum degenerant. Diſtinguuntur præterea Comœdia, ac Tragœdia perſonis ipſis. In Tragœdia námque Reges, & heroes, in Comœdia verò humiles & priuati homines inducuntur. Quamuis aliquando Tragœdiæ adhibeantur Satyri, teſte Roſin. Roſino lib. 5. cap. 6. vt eorum iocis, ac luſibus inter res ſerias ſpectator delectaretur; vt cecinit Horat. in arte,

Carmine qui Tragico vilem certauit ob hircum, Horat.
Mox etiam agreſtes Satyros nudauit, & aſper
Incolumi grauitate iocum tentauit, eo quòd
Illecebris erat, & grata nouitate morandus
Spectator, &c.

Poſtea tamen tam Græcis, quàm Latinis Demetrei Phalerij præceptum arriſit, qui ridicula omnia ab Orcheſtra repellit. Vide Delrium tom. 1. cap. 2. Tandem vtraque actio metri genere diſtinguitur: Tragœdia namque ſublime, Comœdia verò humile ſibi vindicat. Horatius in arte. *Demetrij Phalerij præceptu de Tragœdia componenda.* Delrius.

Verſibus exponi tragicis res comica non vult: Horatius.
Indignatur item priuatis, ac prope ſocco
Dignis carminibus narrari cœna Thyeſtæ.

Conceditur tamen aliquando, vt tragœdia humiliùs ſerpat, Comœdia ſublimiùs aſſurgat. Ibid.

Interdum tamen & vocem Comœdia tollit,
Iratúſque Chremes tumido delitigat ore;
Et Tragicus plerunque dolet ſermone pedeſtri.

PROBLEMA LIX.

Quiſnam liber ſit notatus cedro.

LIbros cedro notatos vocant plerique eos, qui cedrino oleo peruncti ſunt; enimverò, vt ſcribit Vitruu. lib. 2. cedria, hoc eſt, cedrino oleo libri inungi ſolebant, ne cariem ſentirent. nam quæ ſucco, aut oleo cedrino linuntur, non putreſcunt. Credo Dioſcoridi lib. 1. cap. 89. credo Plinio lib. 16. cap. 39. quibus auctoribus ea eſt cedri vis vt mortua corpora conſeruet, viua corrumpat: atque idcirco τῶν νεκρῶν ζωὴ, id eſt, *mortuorum vita* appellatur. Huc ſpectat illud Auſonij ad libel. de quodam Proculo poëta, 153. Vitruuius. Dioſc. Plin.

Huius in arbitrio eſt ſeu te iuueneſcere cedro, Auſon.
Seu iubeat duris vermibus eſſe cibum.

Huc etiam ſpectat illud Horatij in arte poët.

....Speramus carmina fingi Horat.
Poſſe linenda cedro, aut laui ſeruanda cupreſſo.

Illud item Mart. lib. 3. Epigr. 2. ad librum.

Cedrinum licèt ambules perunctus. Martial.

Cedro igitur dignus, vel notandus ille eſt liber, ſeu illa carmina ſunt cedro digna, vel notanda, quæ diu ſeruari debent, & ob excellentiam poſteritati mandanda. Sic accipienda etiam Horatij verba,

.... aut laui ſeruanda cupreſſo? Horat.

eadem enim virtus cedro ineſt. Quapropter veteres funeribus cupreſſos adhibebant, vt ſcilicet humanum corpus anima deſtitutum diutiùs ſeruaretur, ac maneret incorruptum, adeò hoc ſolatio, quamuis exiguo, mortalitatem compenſarent. Hæc mea eſt mens, quidquid autumet Sext. Pompeius. Mihi verò ſuffragatur Lambinus in Horat. lib. 2. carm. od. 14. Pomp. Lamb.

Alij tamen libros cedro notatos eos vocant, qui ſunt cedrinis faſtigiati vmbilicis. Nam ſciendum nobis eſt, id, quod Pierius lib. 34. de vmbilico affirmat, nimirum libros olim fieri ſolitos ductu plurimum perpetuo, vna quippe pagina, non vt nos illis diſſectis, & in quaterniones, vt vocant, compactis. In extrema autem pagina firmitudinis ergò paruum admodum bacillum ex cedro, vel ex buxo, vel quauis alia ex materia adglutinari, ad latitudinis modum, quà membrana deſinebat; hunc autem, vmbilicum appellari. Vnde

Mart.

Martial.

Martialis loco proximè allegato de libro,

Pictis luxurieris vmbilicis.

Quia verò huiuſmodi vmbilicus, ſeu, vt vocant alij, celyndrus, in optimis quibuſque libris cedrinus erat; ex eodémque duo veluti capita, libro etiam complicato, hinc atque inde proſtabant: quæ quandoque cedrina, nonnunquam ex pretioſiore aliqua materia conflata erant; factum eſt, vt optimus quiſque liber cedro notatus dicatur.

Problema LXX.

An forma præſtantiſſima, digna imperio.

154\. Euripid. Plaut. Xenoph. Ariſtot.

Ac re bellũ ſuſcipio. Pro pulchris audio Euripidis oraculum; *præſtantiſſima forma digna eſt imperio.* Confirmant Plauti, & Xenophontis teſtimonia. Ariſtotele verò 1. Polit. *Si qui reperirẽtur ea corporis pulchritudine, quam in Deorũ ſtatuis cernimus, nemo dubitabit, quin eos aliis omnibus imperare oporteret.* Et lib. 4. & 7. ait Æthiopas, & Indos in mandandis imperiis proceritatis, ac pulchritudinis maximam habere rationem. Archidamus Rex mutilatus eſt à Lacedæmoniis, quòd exiguam duxerit vxorem; querebantur enim non Reges, ſed regulos ſibi procreatum iri. Memorat Athen. lib. 13. Plutarch. & alij. Hinc ad res politicas tranſlata oris, & formæ æſtimatio, quod Lucretius lib. 5. de priſcis ſæculis cecinit,

Vide Auct. tom. 3. in lib. Reg. *Archidamus Rex Athen. Statura exigua.* Plutarch.

Lucret.

Condere cœperunt tum vrbes, arcémque locare,
Præſidium Reges ipſi ſibi, perfugiumque
Et pecudes, & agros diuiſere, atque dedere
Pro facie cuiuſque, & viribus, ingeniiſque.
Nam facies multum valuit, &c.

De præſtãtiori hominis ſtatura, vide lib. 4 probl. 4.

155\. *Romani Imperatores pulchri.* Sueton.

Imperatores olim Romanos ab eximia forma lego commendatos. Domitianus, auctore Sueton. c. 18. *pulcher ac decens maximè in iuuenta, procera ſtatura, vultu modeſto, roboriſque pleno, grandibus oculis, commendari ſe verecũdia oris adeò ſentiebat, vt apud Senatum ſic quondam iactauerit. Vſq; adeò ſic animum meum probaſtis, & vultum.* Titi quoq; cõmendatur *forma egregia, & cui nõ minus auctoritatis ineſſet, quàm gratia.* Claudij auctoritas *dignitáſq; forma, & ſpecies, canitiéſq; pulchra.* Octauius *forma eximia, & per omnis ætatis gradus venuſtiſſima.* Hæc apud Suetõ in ſuis locis. Ad Traianum ſcribit Plinius iunior, & Principem ex pulchritudine commendat. *Iã proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris longè latéque Principem oſtentant.* Theodoſium laudat Latinus Pacat. in Paneg. *Virtus tua meruit imperium, ſed virtuti addidit forma ſuffragium, illa præſtitit vt oporteret tè Principẽ fieri, hæc vt deceret.* Hinc illa de Romanis nata commendatio apud Ariſtidẽ in Romæ encomio, φοβερὸν μὲν τὸ γονεῦσι παίδων εὐμορφία, *Filiorum pulchritudo parentibus timor erat.* Nẽpe pulchrior filius à parentibus in regno præferebatur. Ideo Romani deuictis nationibus pulchriores pro Ducibus, & Regibus imponebant vt Cæſar Ariobarzanem Armeniis. Narrat Tacitus 2. Annal. Hæc pulchritudinis æſtimatio à Troianis; ad quos illi ſuam referebant originem. Virgilius in 4. æneid. de ſuo Principe,

155\.

Latin. Pacat.

Tacit. *Troiani Principes pulchri.*

Virgil.

Necnon & Phrygij Comites, & lætus Iulus
Incedunt, ipſe ante alios pulcherrimus omnes,
Infert ſe ſocium Æneas, atque agmina iungit.

Et paulo inferiùs,

----Haud illo ſegnior ibat
Æneas, tantum egregio decus enitet ore.

Idem Virgilius de Turno in 7. Æneid.

---petit ante alios pulcherrimus omnes
Turnus auis ataniſque potens, quem Regia cõiux
Adiungi generum miro properabat amore.

Idem rurſus in 7. æneid. de Virbio,

Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello
Virbius, inſignem quem mater Ariſia miſit.

Iam verò Claudian. paſſim ſuos Principes à pulchritudine cõmendat. *Princeps coruſco ſydere pulchrior. Te Leda mallet, quam dare Caſtorẽ. Præfert Achilli te proprio Thetis: Victum fatetur Delos Apollinem: Credit minorem Lydia Liberum.* Prius tamen Homerus Principes ſuos ob eximiam oris elegantiam commendauit lib. 3. Iliad. Claud.

Græci Imper. pulchri. Homer.

Καλὸν δ' οὕτω ἐγὼ οὔπω ἴδον ὀφθαλμοῖσιν,
Οὐδ' οὕτω γεραρόν, βασιλῆϊ γὰρ ἀνδρὶ ἔοικεν.
Pulchrum verò ſic ego nondum vidi oculis,
Neq; ſic venerabilem: Regi enim viro ſimilis eſt.

Pergo ad alias nationes. Laudo Hebræos 1. Reg. 9. 2. & 10. 23. 24. Saul à corporis elegãtia & proceritate cõmendatur. Vbi Procop. & Theodor. q. 18. aliique interpretes notant formam, & magnitudinem corporis, ob quã Sauli regnum delatum fuit. *Non dedit ei teſtimonium virtutis animæ, ſed formam, & magnitudinẽ.* Et quidem *bonitas*, à qua laudatur Saul, frequenter accipitur in ſacra pagina pro pulchritudine. Gen. 6. 2. *Filiæ hominũ pulchræ*, in Hebræo, & LXX. *bonæ.* Et cùm Geneſ. 1. 3. dicitur, *lux bona*, & Geneſ. 1. 31. *cuncta valde bona*, pulchra intelliguntur, vt explicat Auguſt. 15. de ciuit. c. 13. Iam Dauid 1. Reg. 16. 12. *Rufus & pulcher aſpectu, decoráque facie.* Septuaginta, *Ipſe rufus cum pulchritudine oculorum, & bonus aſpectu Domino.* Filius Abſalon ob vnam ſingularis gratiæ & pulcherrimæ frontis commendationem ad paternũ ſceptrũ videtur adſpiraſſe, 2. Reg. 14. 25. Adonias de regni ambitione notatus, pulchritudine excelluit 3. Reg. 16. Iam verò Salomon pulcherrimus ex patribus pulcherrimis procreatus. Quid mirum igitur quòd Chriſtus Rex Regum principatum orbis obtineat, cùm de illo canat ſacer Vates Pſalm. 44. 4. *Specioſus forma præ filiis hominum?* Non me fugit Moyſes, qui à Pharaonis filia ab oris elegantiam regni hæres auguratur. Laudo teſtem locupletiſſimum Ioſephum lib. 2. antiq. c. 8. *Nam quantum ad ſpeciem nullus erat ita ſeuerus, vt Moyſen videns eius pulchritudinem non amaret, multiſque contingebat, dum eum cernerent per plateam ferri, vt conuerterentur quidem ad conſpectum pueri, & ea in quibus videbantur ſtudium habere desererent, delectati potiùs eius viſione. Erat enim in eo infantilis multa gratia, & excellentior circa eum, ac decenter exiſtens retinebat inſpiciẽtes.* En Moyſis pulchritudo; quid verò illa effecit: pergit Ioſephus. *Hunc ergo, cùm talis eſſet, Thermut ſibi filium adoptauit, cùm ſobolem legitimam non haberet*, &c. Imò ipſe Pharao pueri impulſus, pulchritudine proprium diadema ſibi detraxit, & illius capiti impoſuit. Sic concludit Ioſephus, *Pro filiæ gratia impoſuit ei diadema*, &c.

156\. *Hebræi Principes pulchri.* Procop. Theod.

Luculentus ibi Auct. to. 3

Auguſt.

Ioſeph. *Moyſis pulchritudo.*

Et quidem pulcherrimis deberi principatum natura ipſa docuit, cùm apibus Regem creauit. Nam, auctore Seneca, *forma inſignem, diſſimilem cæteris, tum magnitudine, tũ nitore*, 1. de clem. c. 19. Sequitur Plinius lib. 11. c. 16. *Sẽper ille forma egregia, duplo quàm cæteri maior, penna breuiores, crura recta, ingreſſus celſior, in fronte macula quodam diademate candicans, multùm etiam nitore à vulgo differens.* Accedunt grauiſſima Baſilij teſtimonia homil. 8. hexaëmer. Ambroſij lib. 5. c. 21. Quare Curtij verba non prætereo lib. 6. aurea plane iudico

Seneca. Plin. Baſil. Ambr. Curt.

dico

dico. *Plurimis gentibus in corporis maieſtate venera-*
tionem eſſe, magnorúmque operum non alios capaces
exiſtimari, quam quos eximia ſpecie donare natura
Apollin. *Theodorici forma.* *dignata eſt.* Itaq; à natura ipſa homines didicerũt
formæ præſtantioribus deferre imperiũ. Sidonius
occurrit, qui in ſuo Principe Theodorico naturæ
augurium captauit, & laudauit. *Cuius*, inquit, *per-*
ſonam Deus arbiter, & ratio naturæ conſummatæ fe-
licitatis dote ſociata, cumulauerunt. Hæc pauca ex
plurimis quæ obuia fiebant. Interim aliis infor-
mes relinquo, & imperio deſtitutos ab hoc regno
emando cum Caſſanæo Catal. glor. part. 5. con-
ſid. 18. ad quem te remitto.

Problema LXXI.

Quæ difficiliùs, vincatur ſecunda, an aduerſa fortuna.

DIfficilius ſecunda, ſi credimus Xenophonti;
157. *Proſpera difficilius, quàm aduerſa fortuna ſuperatur.* ſecundis enim rebus pleriq; homines inſo-
leſcunt, aduerſis verò plurimi ad moderationem
reuocantur. Hinc illa Catonis Cenſorini vox in
oratione pro Rhodienſibus. *Aduerſæ res ſe domãt,*
Xenoph. *& docent quid opus ſit facto: ſecundæ res lætitia*
tranſuerſum trudere ſolent, à rectè conſulendo, atque
intelligendo. Ideo ſalutaris Horatij admonitio,

Horat. *Bene ferre magnam diſce fortunam.*

Et alibi,

Æquam memento rebus in arduis
Seruare mentem, non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam
Lætitia moriture Deli.

Tull. Intemperantia enim, teſte Tull. 4. Tuſc. *nimia læti-*
tia omnem animi ſtatum inflammat, conturbat, inci-
tat. O quàm multos fauſta, & inimica perculit
fortuna, quos aduerſa non mouit. Multis euenit,
Pindar. quod Tanralo euenitſe canit Pindarus, *Nequiuit*
Horat. *coquere felicitatem ſuam.* Conſonat Horat. 1. carm.
od. 37. vbi Cleopatram *dulci fortuna ebriam* dicit.
Philoſtratus etiã ait homines diuitiis fieri ebrios.
Tull. Audio Tullium tonantem pro Marc. loquitur
cum Cæſare. *Domuiſti gentes immanitate barba-*
ras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni
copiarum genere abundantes: ſed tamen ea viciſti,
quæ & naturam, & conditionem, vt vinci poſſent,
habebant; nulla enim eſt tanta vis, tantáque copia,
quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangique poſſit.
Verùm animum vincere, iracundiam cohibere, vi-
ctoriam temperare, &c. hæc qui faciat, non ego eum
ſummis hominibus comparo, ſed ſimillimum Deo in-
dico, &c. & addit. *Alios iam antè viceras, hodierna*
die te ipſum viciſti. Quaſi verò ſolæ Dei omnipo-
Vide ſuprà lib. 4 probl. 15. tentis vires proſperæ, & æquabilis fortunæ pon-
dus queant ſuſtinere.

Problema LXXII.

Vtra præualeat in poëtis, natura, an ars.

NAturæ palmam lubẽs præſto. Hinc poëtarũ
158. *Natura præualet in poëtis.* cum apibus ſimilitudo, quia apes naturam
ſequuntur, non artem. Vnde auctore Platone, ni-
hil vnquam proficient, qui ſolius artis præſidio
Plato. poëtas ſe futuros credunt. Pindarus tantùm ſe
præire putat in poëtica facultate Bacchylidi, &
Simonidi, quantum aquilæ coruis antecedunt;
quod ideo dicit, quia ipſe natura, illi arte profece-
Horat. rint. Horatius verò in arte dubium ſe præbet,
vtra magis valeat, naturáne, an ars?

Natura fieret laudabile carmen, an arte
Quæſitum eſt: ego nec ſtudium ſine diuite vena,
Nec rude quid proſit video ingenium, alterius ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amice.

At verò Democritus teſte Veneſino ipſo ibidem
naturam arti præferebat.

Ingenium miſera quid fortunatius arte, &c. Democrit.
Democritum ſequitur Tullius pro Archia poëta Tull.
poſt med. *A ſummis hominibus liberaliſſimiſque*
accepimus cæterarum rerum ſtudia, & doctrina, &
præceptis, & arte conſtare, poëtam natura ipſa va-
lere, & mentis viribus excitari, & quaſi diuino quo-
dam ſpiritu afflari. Mitto plura.

Problema LXXIII.

An Epigramma quouis metri genere conſtare poſſit.

AFfirmo; & in primis componi poſſe Epi- 159.
gramma carmine Heroico dubitandum Virgil.
non eſt, cùm & Virgil. plura ſcripſerit de Muſis, Martial.
de laboribus Herculis, &c. Et Martialis cuius *Epigramma*
acerrimum eſt hac de re iudicium. hexametris *ex quouis*
aliquando vſus ſit in epigrammate, quale eſt il- *metri genere.*
lud lib. 6. in detractorem.

Cùm ſis de rigida Fabiorum gente creatus,
Nec qualem Curio, dum prandia portat aranti,
Hirſuta peperit rubicunda ſub ilice coniux
Emendare meos, quos nouit fama libellos,
Et tibi permittis felices carpere nugas.

Quod epigramma cum à Tucca dentatis verbis
perſtringeretur, in illum Martialis aliud retorſit,
quo eius cenſuram caſtigauit.

Hexametris epigramma facis, ſcio dicere Tuccã, Mart.
Tucca ſolet fieri, denique Tucca, licet.

Iam verò componi poſſe epigramma reliquis 160.
verſuum generibus, confirmo Ciceronis teſtimo- *Tullius poëta.*
nio, qui etiam hac in re locupletiſſimus auctor Plutarch.
videri debet, ſiquidem, vt inquit Plutarch. in eius
vita, non procul ab initio, ſemper ad poëſim fuit
procliuior, cuius ſtudium cùm diligenter excole-
ret, non modò orator habitus eſt: ſed & poëta in-
ter Romanos præſtantiſſimus, vt alibi latiùs
oſtendi. Quidquid felle plenus Martialis euomat
lib. 2. ad finem, in Gaurum,

Carmina quòd ſcribis, Muſis, & Apolline nullo Mart.
Laudari debes, hoc Ciceronis habes.

Tullius igitur ad Attic. lib. 12. quaſlibet inſcri- Tull.
ptiones quouis metri genere compoſitas epigrã-
mata appellat. Idem 5. Tuſc. in Senariolos Archi-
medis ſepulchro inſcriptos vocat epigramma.
Verùm enim verò legi apud virum ætatis noſtræ *Thomas Correa Luſitan. libell. de conſcriend. epig.*
non indoctum in ludis veterum aliquot epigrã-
mata decantari ſolita, quæ non vno tãtum metri
genere, ſed omnibus ſine vllo diſcrimine conſta-
rent. Et quidem ille apud me cuiuſdam libelli
mentionem fecit, cùm non eſſet copia, teſtis eſſe
non potui oculatus, verùm fidem habui tãio vi-
ro, præſertim cùm aliunde teſtimonia non requi-
rerem. Martialis autem ſex carminum genera
complectitur, Catullus multò plura. Virgilius
verò ſolis pentametris compoſuit illud,

Sic vos non vobis nidificatis aues, Virgil.
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis vellera fertis oues,
Sic vos non vobis fertis aratra boues.

Itaq; vt materia epigrãmatũ circunſcripta eſt, 161.
ſic genus carminis liberũ eſt. Nihilominus ad tria, *Genera præcipua epigrammatis.*
quatuórve genera reduci ſolet epigrãma; ſcilicet
ad Elegiacum, Phaleucium, Iambicum, & Heroi-
cum.

Digitized by Google

Parm. Gyrald. Robert. Scalig. Miturn. Poſſeu. Pontan.

cum. Exemplis chartas ampliùs non onero. Te remitto ad clariſſimos vel Superioris, vel noſtræ memoriæ in hoc munere Antiſtites, quos inter reſponſa dabunt Parmenio lib. Anthol. cap. 44. Gyrald. dial. 1. hiſt. poët. Robertellus lib. ſingulari ad Ariſtotelis poëticen, Scalig. lib. 3. poëtic. Miturn. lib. 5. de poëta, & de noſtra Societate Poſſeuinus, & Pontanus, qui omnes epigrammatum leges, virtutes, argumenta, & alia huius regni eruditè tractant. Ego autem vela contraho.

PROBLEMA LXXIV.

An ſit Ciceronis libellus ille de Conſolatione, qui ei adſcribitur.

161. *Pars affirmatiua ſuadetur.* Sigon.

CArolus Sigonius, vir in primis doctus, hoc opus à Cicerone profectũ arbitratur. Quia non eſt nouum aliquos libellos diu in tenebris, ac latebris conſepultos, aliquando tandem in lucem prodiiſſe. Nam, vt de cæteris taceam, quintam illam Decadem Liuianam temporis iniuria, ſi penitus nõ abſumpſit, certè in longum temporis ſpatium celauit, quam nobis modò reſtitutam eſſe, hominibus laboris pariter ac ſtudij indefeſſi gratulamur. Ergo libellus ille, quem fœtum eſſe Ciceronis autumat Sigonius, potuit quidem per annos aliquot à vulgo abdicatus intra latebras contineri, poſtremò alicuius viri induſtrij opera ac labore, ad literatorum vſus reuocari.

Pars negatiua eſt vera.

Deinde pro Sigonio telum euibro. Nam ſtylus libri Ciceronem olere videtur, orationis ille candor partum ſuo parente dignum profitetur, &c. Nihilominus Sigonij iudicium non approbo. Enim verò vbi inuentus hic liber? quis inuenit? qua occaſione? quomodo? qua ratione? Nihil certum hac de re. Deinde cur nullæ in eo lacunæ? Cur nihil vſquam imperfectum? Cur nullam cariem? Cur blattas, ac tineas nuſquam ſenſit? vſque adeò ne oleo cedrino illum perunxerant? Omnia plena, integra, nihil mutilum, nihil ſitu exeſum, nulla litura fugiens, omnia expeditiſſima, quaſi tum primum ſcriptus eſſet, cùm eſt repertus. Iam verò ſtylus modò eſt infucatus, modò turgidus, modò aſper, & indolatus ferit aures, ſi quæ ſunt aliquantulum teretes, ac religioſæ. Denique expers eſt ſuauitatis, ac diuinæ illius dulcèdinis, qua Tullius pollet in conſolando, tenera, mollíque natura præditus.

Opinio autem Caroli quamuis grauiſſimi hominis, doctiſſimorum, grauiſſimorúmque hominum opinione retunditur, vnius auctoritas multorum auctoritate minuitur, telum telis procelatur. Cum Sigonio igitur pugnant multi huius memoriæ auctores, & quidem primæ notæ, quorum vnus ait, in iſto opere nuſquam neruos, nuſquam ſententiarum ſanguinem, nec verborum colorem repetiri, imò potiùs fore, vt ſe valde Ciceronis pœniteret, ſi modò ille eſſet in medio dolore tam elumbis. Sin autem tibi indignum videtur tanta licentia vnius commentarij luminibus obſtruere; eſto, & hunc tanquam arbitrum aliquantulum iniquiorem excludamus.

Gulielm.

Certè Ianus Gulielmus in hac lite dirimenda Caſſium præſtabit. Hic igitur Sigonium conuincit, quem ait indebili argumento ſuæ eloquentiæ diuitias oſtendere voluiſſe: hanc tamen conſolationem nec Ciceronis, nec Cicerone ſatis dignam apparere. Nam conſolatio iſta ex fruſtulis per totum Tullium diſperſis eſt contexta, imò ex prima Tuſculana magna pars deſcripta; hæc autem Ciceronis loca in conſolationem nõ tam precariò aduolaſſe, quàm vi irruiſſe videtur.

Lipſius in Criticis ad finem.

Quòd ſi Iani teſtimonium adhuc non placet, nec obruit Sigonij auctoritatem, præſtat ſuppetias Lipſius, qui à Plantino hac de re interrogatus ita ait poſt alia. *Malè me hercules de ſæculo noſtro iudicauit; quid enim tam diſſimile ab illo auro, quàm hoc plumbum? ne ſimia quidem Ciceronis eſſe poteſt, ne dum vt ille in re, & inuentione pleraque protrita, & obuia. In phraſi pueriliter, aut ineptè imitata*, &c. Perſonatus ergo accedit hic libellus, ſed ſatis notus manet, frontémque ſuam oſtendit. Concludo, & addo M. Tullium ſuum illum commentarium, non conſolationem, ſed de luctu minuendo inſcripſiſſe. Locupletem ipſiſſimum laudo teſtem epiſt. ad Attic. 20. Quare non eſt cur illi hoc opus attribuatur. Et ſic Sigonium ſuo cum libello de conſolatione deſolauimus. Tull.

PROBLEMA LXXV.

Qui aptior ad imperium, pulcher, an fœdus.

SOcrates dicere ſolitus erat ſe erga adoleſcentes pulchros, & elegantes eſſe inſtar amuſſis albæ, id eſt, nullum diſcrimen inter fœdas, & pulchras formas conſtituere. Amuſſis enim alba in lapide albo parœmia eſt, & de re quæ nullum ponit diſcrimen. Erat autem Socrates, vt ſcribit Hieronymus contra Iouin. fœdiſſimus homo, ſimis naribus, recaluata fronte, piloſis humeris, & repandis cruribus. Non mirum igitur quòd litem non dirimat; nos verò quia pro pulchris aliquando diremimus, & quidem iure optimo, nunc fœdos etiam, & deformes ad ſceptrum vocamus. 163.

Socrates fœdus. Hieron.

Et in primis Romanos voco imperatores. Iulius Cæſar, Suetonio auctore, in eius vita cap. 45. caluus erat, quod ſemper magna fuit deformitas, ingens corporis vitium, ac naturæ mõſtrum; iam verò olim fœditas longè maxima, ac turpitudo. Octauius Auguſtus breuis ſtaturæ fuit, dentes habuit ſcabros, capitis comendi negligens, ita vt pluribus tonſoribus illud permitteret raptim tõdere. Tiberius obſtipo capite, & vultu adducto incedebat, à quibus eum vitiis vt excuſaret Auguſtus in Senatu dicebat, illa naturæ eſſe vitia, non animi. Caligula corpore enormi, fronte torua, vultu horrido, ac tetro, capra vulgò dicebatur. Claudius habuit poplites infirmos, riſum indecentem, ſpumantem rictum, humentes nares, plectra linguæ titubantia, caput maximè tremulum. Nero fuit corpore maculoſo & fœtido. Galba pedibus, manibúſque articulari morbo diſtortiſſimis, vt neque calceum perpeti, neque libellos euoluere, aut tenere omnino valeret. Otho malè pedatus, caluúſque, idcirco galericulo vtebatur, id eſt, adulterina coma. Domitianus caluitio deformis admodum, & obeſitate ventris, & gracilitate crurum. Hæc in Suetonio, apud quem nullum mendacium. Deſino pergere ad alios item Romanos, Hiſpanos, Gallos, Germanos, Græcos, qui magnorum regnorum gubernacula tenuere, & nihilominus deformem vultum ſortiti ſunt, quorum multi apud Iouium in Elogiis.

Imperatores Romani deformes. Sueton. Iouius.

Problema LXXVI.

Quid nobilius, annulus indigitis, an lunula in calceis Romanorum.

164. ANnulorum dignitas regiam commendat di-
gnitatem, & felicitatem. Vtrumque in ty-
Polycratis annulus. ranno Samiorum Polycrate, cuius tanta fuit for-
tunæ blandientis perſeuerantia, vt vel ipſe eam
tantauerit, proiecto in mare pretioſiſſimo annu-
lo, quem poſtea in piſcis ventre inuenit. Crede
Plin. Nazianz. Plinio, Nazianzenóque, quos alibi retuli. Annu-
lus maximum dignitatis, ſiue nobilitatis argu-
mentum, apud Romanos paſſim, inſigne ordinis
equeſtris, in quem Annibalis olim fortuna apud
Florus. Cannas deſæuiit; *Modij enim,* auctore Floro, *duo*
Tull. lib. 5. de finib. Annulus inſigne equeſtris ordinis. *annulorũ miſſi Cartaginem, dignitáſque equeſtris,*
taxata menſura. Nec mihi obiicias Tertullianum
Tertul. in lib. 11. c. 5. nec Appianum in Libicis, nec Pli-
Appian. nium lib. 33. c. 1. nec Plaut. nec Apuleium lib. 10.
Plin. nec Macrob. 3. ſatur. c. 13. qui omnes ſeruis etiam
Plaut. annulos præſtant ex antiquitate. Telum retor-
Apul. queo, quia ferreum duntaxat præſtant. A mea
Macrob. ſententia ſtat Statius in lacrym. Etruſc.
Stat.

Mutauitque genus, læuaque ignobile ferrum
Exſuit, & celſo natorum æquauit honore.

Aureus tamen viris duntaxat præclaris ortis na-
talibus, & de Repub. optimè meritis. Si adhuc re-
Seleuci annulus. pugnas, Seleuci annulum offero, cui annulo an-
Clem. Alex. chora erat inſculpta, & auctore Clemente Alex.
lib. 2. pædag. c. 11. quandiu Seleucus eum geſta-
uit, hoſtes vicit, ac fudit. Et ſi adhuc te nõ ſupera-
uit Seleuci annulus, reducem prodigum in manu
ſua annulum accipientem obiicio; enim verò vi-
le mancipium iam reliquerat, & in libertatem erat
aſſertus. Addo Ioſephi annulum à Pharaone in-
dultum in poteſtatis, & nobilitatis argumentum,
Gen. 41. Addo Philippi annulum ab Antiocho ei
ſimul cum regno datum, 1. Machab. 6. 14. Sin au-
Gygis annulus. tem adhuc reſiſtis, inſero digitis Gygis illius an-
nullum, qui quidem Gyges palæ conuerſione ſeſe
Nazianz. intuentib. ſuffurabatur. Meminit Nazianz. orat. 1.
Vide lib. 8. n. 138. contra Iulian. & orat. de laudibus Baſilij. Et inte-
rim deliteſco, dum pro Luna rixam non habeo.

Problema LXXVII.

Qui ad bellum aptiores, rapidi cum Marcello, an cunctabundi cum Fabio.

165. VIrgilius ex veteri Poëta litem Fabio adiudi-
cauit.

Virgil. *Vnus qui nobis cunctando reſtituit rem.*

Tull. Hoc fuit Tullianum iudicium in Catone. *Anni-*
balem iuueniliter exultantem patientia ſua mollie-
bat. Palàm Fabio victoriã concedit Florus lib. 2.
Florus. c. 11. *Prima redeuntis, &, vt ſic dixerim, reuiuiſcen-*
tis imperij ſpes Fabius fuit, qui nouam de Anniba-
Fabio palma conceditur. *le victoria commentus eſt non velle pugnare. Hinc*
illi cognomen nouũ, & Reipubl ſalutare, Cunctator.
Hinc illud ex populo, vt imperij ſcutũ vocaretur.
Itaque per Sãniũ totũ, per Falernos Gauróſque ſal-
tus ſic macerauit Annibalẽ, vt qui frãgi virtute nõ
Liuius. *poterat, mora cõminueretur.* Hæc Liuij, & aliorum
mens, hæc ſentẽtia, quã etiã protulit Ouid. 2. Faſt.

Vnus de Fabia gente relictus erat. Ouid.
Scilicet vt poſſes olim tu Maxime naſci,
Cui res cunctando reſtituenda foret.

Ex hac Fabij cunctatione orta fuit parœmia, 166.
Romanus ſedendo vincit, qua vſus eſt Varro de re Varro.
ruſt. lib. 1. c. 20. Alluſit Silius lib. 16.

——*Peperitque ſedendo* Silius.
Omnia cunctator nobis.

Pertinent verba Taciti 2. Hiſt. *Multa bella impe-* Tacit.
tu valida, per tædia, & moras euanuiſſe, &c. Hanc
laudẽ præſtat Paulino duci. *Cunctator natura, &*
cui cauta potius cõſilia cũ ratione, quã proſpera ex
caſu placerent. Hæc commendatio fuit fortiſſimo
Sertorio apud Plutarchum in eius vita. Hæc Cæ- Plutarch.
ſari apud Ammian. lib. 16. & apud Vegetium lib. Ammian.
3. c. 9. qui rẽ noſtrã agit, & definit his verbis. *Ma-* Veget.
ximè autem tractandum eſt, vtrùm expediat ne-
ceſſitatẽ protrahi, an celeriùs dimicari: interdũ enim
ſperat aduerſarius, expeditionẽ citò poſſe finiri, &
ſi dilata fuerit in longum, aut penuria maceratur,
aut deſiderio ſuorũ reuocatur ad propria, aut nihil
magnũ faciens per deſperationem abire compelli-
tur. Tunc fracti labore, & tædio plurimi deſerunt,
aliquanti produnt, aliquanti ſe tradunt, &c.

Iure igitur præfertur Fabius Marcello. Fabius
ſiquidem victor mora ſua, non pugnando, ſed
cunctando rem Romanam recuperauit. Manil.
lib. 1.

Inuictúſque mora fabius. Manil.

Claud. de bello. Get.

Primus fulmineo lento luctamine Pœnum Claud.
Compreſſit Fabius.

Plinius lib. 22. cap. 5. enumerans eos qui obſidio- Plin.
nali corona donati fuerunt. *Data eſt à Senatu po-*
pulóque Rom. (qua claritate nihil equidẽ in rebus
humanis ſublimius duco) fabio illi qui rem omnem
Rom. reſtituit, non pugnando, ſed cunctando. &
Valer. Max. c. 7. *Fabius Max. cuius non dimicare,* Valer.
vincere fuit. Omnes tamen hi mutuantur ſuam
ſententiam ab Ennio lib. 8. Annal.

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem. Ennius.
Non ponebat enim rumores ante ſalutem;
Ergo magiſque magiſque viri nũc gloria claret.

Problema LXXVIII.

Quod certius laudis teſtimonium, ab amico prolatum, an ab inimico.

SI lis ſacræ paginæ teſtimoniis, vel ſacrorum 167.
PP. ſententiis dirimenda foret, nihil mihi fa- *Teſtimonium ab hoſte laudabilius, & certius.*
cilius; ſed ad profana pergo, & pro ſacris vnus
mihi ſatis Baſilius homil. de humana Chriſti ge-
nerat. qui quærit rationem, ob quam Magi pri-
mas adorationis Chriſto Domino exhibitæ præ-
ripuerint. Quid ergo gens Deo inimica vſque fe-
ſtinat in diuinum cultum? *Quòd ex inimicis,* re-
ſpondet Baſilius, *teſtimonia præſtantiora, fide di-* Baſil.
gnioráque eſſent. Si enim Iudæi primũ adoraſſent,
ſuum, ipſorũ genus ornaſſe extuliſſéque forſan pu-
tarentur. Nunc autẽ alieni Deum prius honoraue- *Vide Auctorẽ in li. Reg. vbi latè tractat hoc argumẽtum l. 1. c. 6. n. 12. annot. 20. ſect. 3.*
re, vt iuſto in eos animaduerteretur iudicio, qui illũ
Cruci affixerunt, quẽ alieni adorauerunt, &c. Certè
inimicos à teſtificando aduersùs aliquem ius Ca-
nonicum arcet *in c. in primis, 2. q. 1.* vbi dicitur, *de*
perſonis teſtificantiũ quærendũ eſt, ne fortè aliquas
inimicitias habuiſſent. idẽ habetur *c. accuſatores,*
3. q. 5. Quod ius etiã ciuile multis ſanctionibus
decernit. Ita enim fusè tradũt & probant Maſcar-
dus

dus de probat. tom. 1. concl. 462. n. 31. Farin. tom. 1. conſ. 69. n. 6. Menoch. de arbitr. quæſt. lib. 2 caſu 474. vbi citant antiquos & recentiores Doctores qui inimicos à teſtificando repellunt, vel in crimine læſæ maieſtatis, & in articulo mortis. Inimicorum autem teſtimonium ſicut ſuſceptum iudicatur; ſic in vituperationem proferatur, ita firmū, ac ſincerum habetur, ſi in laudem exhibeatur.

168. Optimè probantur virtutes inimicorum laudibus. *Illud verum eſt teſtimonium*, inquit Hieronymus epiſt. 61. ad Pammach. *quod ab amica voce profertur.* Vnde Rex Alphonſus, teſte Panor. lib. 2. de rebus geſtis Alph. audiens ſe à Nicolao Cardinali Capuenſi inimico capitali, laudari plurimum, *Si mei omnes*, inquit, *ita de me ſentiāt, vt inimicus hic ſentit, & prædicat, bello certè nequaquā laceſſerent.* Quaſi verò tantus eſſet amator pacis, vt vel ab hoſte pacificus prædicaretur. Nero etiam, vt refert Eraſmus lib. 6. apoph. aliquando inuectus eſt in quendam, qui Thraſeam ſibi Neroni infenſiſſimum duris verbis carperat. Obſtitit igitur exclamans, *Vtinam me tam Thraſea diligat, quàm eſt iudex rectus, & æquus.* Et ſic hoſtis hoſti teſtimonium perhibuit de fama periclitanti; nullum grauius ſanè eſt quàm inimici de inimico teſtimonium Quale illud eſt quod apud Plutarchum in Annibale de Scipione ab Annibale prolatum reperimus. Cùm enim apud Regem Antiochum inter alia multa à Pæno Scipio petiiſſet, vt ex animo fateretur, quem maximum orbis Imperatorem cenſeret, reſpondit Annibal, primo loco Alexandrum Macedonum Regem, ſecundo Pyrrhum Epirotam, tertio ſeipſum collocandum videri. Arriſit Romanus, & dixit: *Quid cenſeres Annibal, ſi me viciſſes? Me proculdubio*, inquit, *cunctis aliis Imperatoribus anteferrem.* Placuit reſponſum Scipioni, quia ſe vidit occulta quadam aſſentatione à Punico ingenio incomparabilem factum. Mitto alia.

Hieron. Panor. Eraſm. Plutarch. *Scipionis laus ab Annibale.* *Luculli laus ab Mithridate, li. 5. probl. 78. n. 178.*

PROBLEMA LXXXIX.

Vtrùm Reipubl. vtilius, Pacis, an Martis tempus.

169. BEllum damnat apud Mantuanum Drances Turno infenſus,

——Conſiliis habitus non futilis auctor,

& pacem magnopere commendat? Regem Latinum alloquitur, vt fœdus ineat cum Teucrorum duce Ænea.

Quid miſeros toties in aperta pericula ciues
Proiicis? ô Latio caput horū & cauſa malorum!
Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

Certè pax bello præferenda eſt. Ita haurio ex ſanctiſſimorum PP. incorruptiſſimis fontibus. D. Gregorius Nyſſenus lib. 8. beatitud. paci palmam cōcedit. *Quid enim*, inquit, *hominibus, ex iis rebus, quibus frui, atque potiri ſtudent, vita pacifica dulcius? Quodcūque nominaueris ex iis, quæ in via ſuauia, & iucūda sūt, pace indiget, ad hoc vt iucundū ſit. Etenim ſi ſuppetāt diuitiæ, bona valetudo, vxor, liberi, domus, parentes, miniſtri, amici, horti amœni, lauacra, palæſtra, gymnaſia, quæcūque demū voluptatis inuenta ſunt, quæcumque delicias ſectantes recreare poſſunt, ſi pacis bonū defuerit, quid inde lucri eſt? aut quid proſunt bello quominus fruamur, impediēte?* Vlteriùs procedit Nyſſenus luculenta oratione, in bellum denique ſic concludit. *Vbi arma, & equi, vbi ferrum acutum, & tuba ſonans, vbi phalanges haſtis inhorreſcentes, ſcuta cohærentia ſcutis, vbi criſtatæ, & terribiles galeæ, vbi conflictus, impreſſiones, manuū conſertiones, prælia, cædes, fugæ, perſecutiones, gemitus, vlulatus, vbi terra ſanguine madet, mortui cōculcātur, & obterūtur, ſaucij delinquūtur: nunquid in his rebus occupato otiū vnquā erit cogitationem ad rem aliquam iucundā conuertendi?* In hanc ſententiam paſſim occurrūt Auguſtinus, Hieronymus, & alij PP. quos prætermitto. Poëtas breuiter cito. In primis Tibullum lib. 1. Eleg. 10.

Vir. 11. Æn. *Pacis vtilitas.* Greg. Niſſ.

Interea pax arua colat, pax candida primum Tibull.
Duxit oratores ſub iuga curua boues.
Pax aluit vites, & ſuccos condidit vuæ,
Funderet vt nato teſta paterna merum.
Pace bidens, vomérque vigent: at triſtia duri
Militis in tenebris occupat arma ſitus.

Magna ſunt profectò bona, quæ Reipubl. ex pace proueniunt; belli verò tempore, nec religio floret, neque bonum aliquod conſtare videtur, imò omnia peſſum dari, tam ſacra, quàm profana videmus. Virgilius verò in 12. Æneid. ſic habet de oleaſtro, cui nautæ ſeruati ex vndis ſolebant dona figere. 170.

——& votas ſuſpendere veſtes. Virgil.

Troiani tamen nullo diſcrimine ſuſtulerunt ſacram ſtipem,

——puro vt poſſunt concurrere campo.

Quos grauiter Turnus obiurgat,

——colui veſtros ſi ſemper honores,
Quos contra Æneadæ bello fecere profanos.

Sacra omnia profanat belli turbo: bellum malorum cauſa; quid enim non mali à bello? Vbi

Victáque pugnaci iura ſub enſe iacent. Ouid.

Et Virgilius iterum 11. Æneid. Virgil.

Cætera quà rerum iaceant perculſa ruina
Inter oculos, intérque manus ſub omnia veſtras.

Nihilominus aliquando *Mars grauior*, teſte Claudiano, *ſub pace latet.* & Tertullian. de pallio, c. 5. inquit, *Plus toga læſere Rempubl. quàm lorica.* Quia ſcilicet pacis tempore irruunt in Rempubl. deliciæ, belli tempore expelluntur. Iuuen. Sat. 6. in hanc iuit ſententiam.

Nunc patimur longæ pacis mala, ſæuior armis
Luxuria incubit, victúmque vlciſcitur orbem.

Claud. Tertull. Iuuen. Vide Auct. tom. 1. in lib. Reg. cap. 1. n. 28. annot. 12. circa lit. ſect. 3.

PROBLEMA LXXX.

Quæ facies magis deceat oratorem, triſtis, an hilaris.

171. CVm vultus ſit animi effigies, ſecundùm Ambroſium, ſeu ſpeculum, ſecundùm Caſſiod. 1. de anim. cap. 16. dubio procul varias formas pro rerum dicendarum materia debet ſibi induere. Siquidem à vultu pendet præcipua oratoris, ſeu actionis efficientia; quo Tullius lib. 3. de orat. optimè colligit. *Sed in ore*, inquit, *ſunt omnia.* Sanè ingenioſus orator, prout cauſa poſtulat, triſtitiam modò riſu mitigat, modò lætitiam luctu compeſcit. Sunt itaque quædam dictionum genera, in quibus ſimilis eſt oris habitus: intellige panegyricas orationes, ſiue laudem, ſiue gratulationem contineant. Hæ verò orationes perpetuam in vultu lætitiam præferre debent. Aliæ autem ſunt cauſæ, quæ caſus triſtes, & acerbos ferunt. Aliæ verò ex his coaleſcunt, atque adeò mixtæ ſunt, nunc materiam triſtem, nunc hilarem

Ambroſ. Caſſiod. Tull.

Digitized by Google

præſtant. Iudicium de his noſtrum ſit. Cum ea vultus, atque oris moderatione prodeat orator, vt potius auditores alliciat, quàm deterreat.

Horat. lib. 1. ep. 18. Mœſto quidem oratori non dubito cum Horatio inclamare,

Deme ſupercilio nubem.

Tertul. lib. de Pall. Tull. in Agr. Quint. dial. de orat. Vel grauiter cum Tertulliano, *Cenſoria intentionis epiſcynium diſperge.* Pulchrè oratorum princeps P. Rullum Tribunum irridet, quod in concioné venerit, *obſoletiore veſtitu, corpore inculto, & horrido, capillatior, quàm antea, barbâque maiore, vt oculis, & aſpectu denuntiare omnibus vim tribunitiã, & minitari Reipul. videretur.* Frontem igitur caperatam triſtem, brumalem, & horridam damnamus in oratore cum Fab. *Non preferat in iudiciis triſtem, & impexam antiquitatem.* Ferat orator modeſtam frontem, qualem poſtulat Lucanus lib. 10. Nam

Vultus ineſt precibus, faciéſque modeſta perorat.

Problema VLT.

Vtra ſpecioſior Luna in cœlo, an roſa in viridario.

172. Roſç partes agam, eiúſque ambitioſam foliorum gratiam lubentius delilabo, quàm lunæ attingam pulchritudinem. Luna enim maculis, & nubibus obſcuratur; roſa verò ſpinis, & ſentibus illuſtratur. Luna aliquando hominibus nocet, roſa ſemper fauet. Luna nonnumquam intuentium oculos auertit, roſa cotinenter allicit. Laudo Baſiliũ, qui vel roſæ ſpinas ſtimulos amoris appellat, non timoris. Conferens enim amici

Baſil. ep. 149. epiſtolam cum roſa, ſic ait: *Natura tenues illas ſpinas, velut amatorios quoſdã ſtimulos eius amatoribus, ad florem produxit, ad maius deſideriũ per maleſtrientes aculeos, & tactũ ægrè admittentes decerpentes irritans,* &c. Et paulo pòſt amici gratiam epiſtolarem, & venuſtatem ſcribendi commendans concludit: *Quæ florem quidem habebat roſa, totum nobis ver blanda, ac eloquentis lingua expãdens: verum querelis quibuſdam, accuſationibus*

Epiſtola ſpinoſa. *contra nos ſpinoſa erat; at mihi eloquentia tua etiã ſpina iucunda eſt, ad maius amicitiæ deſiderium incendens,* &c. Age igitur, & cum Lyrico

Horat. lib. 3. Od. 19. *——ſparge roſa audiat inuidus*
Dementem ſtrepitum Lycus.

173. Planè roſa reliquorum florum Regina viridarium nobilitat, ac locupletat. Illa verò primùm rubet incluſa granoſo cortice, qui intumeſcens, & in virides alabaſtros faſtigiatus, mox paulatim dehiſcens purpurea labra explicat, quæ luteos apices in calicis medio complectuntur. Atque adeo in medio viridarij, ſeu genialis horti collata, à natura ipſa omnium florum Regina prædicatur; neque illam ſpinarum cuſtodia offendit, ſed defendit. Et quòd præclarius eſt, vel poſt crudelem pollicis ictum imperium ſuum retinet, & coronam. Ita odoratus eſt Iulianus Medices clariſſimus Italiæ Princeps, qui pro ſymbolo roſam ſibi vendicauit, roſam videlicet in manu depictam, collectam quidem, & à tellure tanquam à matre auulſam, ſed pulchram, & recentem adhuc. Quo elegantiſſimo emblemate animi ſui conſtantiam ſignificare voluit. Cæterùm Auſonius præ omnibus in roſam officioſus.

Hæc viret anguſto foliorum tecta galero, Auſon.
Hanc tenui folio purpura rubra notat.
Hæc aperit faſtigia celſa obeliſci,
Mucronem abſoluens purpurei capitis.
Vertice collectos illa extenuabat amictus,
Iam mediditans foliis ſe numerare ſuis.
Nec mora ridentis calathi patefecit honorem,
Prodens incluſi ſemina denſa croci.

Abſolue reliqua, quæ ſequuntur. Ingrediamur 174. autem pratum aliquod, ſiue viridarium floribus ornatum: contemplemur liliorum candorem, dulcem violarum ferruginem, liguſtorum lac, & alios ſuauiſſimorum florum colores: nonne purpureus roſarum, omnibus & iucunditate, & venuſtate antecedit? Certè natura innatam roſæ purpuram dedit, quaſi verò iam regina florum omnium naſcatur. Neque hæc roſæ pulchritudo fucum habet, vel ceruſſam, quia proprio ſplendet lumine in quo lunam præit. Neque inuolucro aliquo, vel ſimulato irradiat decore, qui oculos fallat, & ſenſus decipiat, vt luna quia cum ſit minor corpore, lucéque quamplurimis aſtris, maior tamen, & ſplendidior apparet. Quidquid Poëta canat,

——micat inter omnes Horat. lib. 1. Od. 12.
Iulium ſydus, velut inter ignes
Luna minores.

Si non intelligas ſtellulas aliquot, quæ reuera magnitudine corporis, luciſque lunæ cedunt. Verùm ſi ſub tranquilla nocte, ſudóque aëre oculos ad cœlum tollas, neſcio quid peregrinæ, cœleſtiſque pulchritudinis ex ſe effundit familiariſſimum Plinius. lunæ aſtrum, vt loquitur Plinius. Mutuetur luna ab Aurora illud Auſonij, Auſon.

Ambigeres, raperet ne roſis Aurora ruborem,
An daret, & flores tingeret orta dies.

LIBER

LIBER SEXTVS

DE FLORIBVS ELOQVENTIÆ.

PROLVSIO.

ECce *tibi in amœno viridario plenus erumpit eloquentiæ fluuius: certè qui flos marceſcet ad tam diuitem curſum aquarum. Erumpit ille, & natiuo ſuo fonte plenus, & iucundus: virentibus vtrinque ſyluis inumbratus, læta amœnitate coronatus, quin vllum aperiat vadum in tanta viarum ambage. Sic fluit perennis, ſed non ruit, vt ille profundo ore,* Similitudo familiaris Quint. lib. 12. c. 10.

—— imbres
Quem ſuper notas aluere ripas. Horat. lib. 4 od. 2.

Leniſſimus quippe eſt, pariter & fœcundiſſimus: certant in eo & lenitas, & vtilitas.

Lenè fluit Nilus, ſed cunctis amnibus extat
Vtilior, nullas confeſſus murmure ripas. Claud. de conſ. Mal. Theod.

Quòd ſi aliquando opus eſt, intumeſcit etiam, turgido alueo minitatur vrbibus ruinas, arbores extirpat, aggeres ſternit, in mare multorum torrentium quaſi aquas euoluit; Deus immortalis, quàm præceps, quàm præruptus! vt ille qui

—— per ora nouem vaſto cum murmure montis
In mare proruptum, & pelago premit arua ſonanti Virg. 1. Æn.

Incorruptus tamen ſemper, & cryſtallinus: neque torrentes incurrunt, qui currentis interturbent, vbique ſuis fontibus ſimilis, vbique purus: innata inclytus aquarum ſuarum copia; atque adeò

Expers peregrini liquoris
Non alia viciatur vnda. Nobilis poëta.

Imò nuſquam magis aureus, nuſquam ſplendidior, quàm cùm turbidus apparet,

Tempeſtate ſua pretioſus, Claud. de Tago. in Rufin.

tunc enim ſecum rapit ramenta aurea, & diuitias mille gemmarum; ac proinde nitoris tantum effundit,

Quantum ſtagna Tagi rudibus ſtillantia venis
Effluxere decus, quanto pretioſa metalli
Hermi ripa micat, quantas per Lydia culta
Deſpumat rutilas diues Pactolus arenas. Claud Panegyr. in Probum, & Probin. &c.

Locupletauit aureus amnis ipſam Olyſiponem, diuitiarum omnium emporium clariſſimum: in hanc primi illius influxus; poſtea verò ad Mondam alueum intendit, & Conimbricam optimarum diſciplinarum nobiliſſimam altricem, ditauit admodum, & illuſtrauit. Eloquentiæ torrentem, dicentémque, ſæpe mirata eſt Academia, vt illum,

—— quem mirabantur Athenæ
Torrentem, & pleni moderantem fræna theatri. Iuuen. Satyr. 10.

Tandem ad Eboram vſque excreuit, vbi ſata illa vberrima, & nimis fœcũdos agros facundia ſua fœcundiores reddidit. Exiguus profectò haberetur tantus fluuius, ſi anguſtis Luſitaniæ limitibus contineretur. Age verò magne amnis, & inundationibus tuis totum orbem terrarum influe, auidus enim, & ſiticuloſus tuas vndas expectat.

Digitized by Google

ORATIO I.

De Auguſtiſſimi Philippi IV. Hiſpaniarum Regis ortu feliciſſimo.

ARGVMENTVM.

Princeps oratio principem locum iure obtinuit: conceſſerunt anni ſuperiores, ſubſcribent conſequentes. Iam verò Auguſtiſſimus Princeps, quem potius oratorem, quàm Principem poſtularet? Ita factum, noſter enim iam pridem Eloquentia glorioſè exauctoratus, & Philoſophiæ emancipatus vela iterum dare, & curſus relictos cogitur iterare; ac ſi emeritæ puppi coronam adhuc non impoſuiſſet: certè hanc puppim ſola regalis Hiſpaniarum corona dignè poterat exornare. In regio Societatis templo ſecundiſſimus Academiæ fauonius adſpirauit, nec non æquabilis Conimbricæ totius aura. In curſus initio circa Principis, ac Luſitaniæ felicitatem vela expandit, ſtatim contrahit, & ad proſpera futuri Regis auguria totos emittit ſinus: quæ portendant præpete curſu explicat: Principem hoſtibus metuẽdum, ciuibus charum, Deo gratum, vt pote qui à Proauo virtutem in hoſtes, ab Auo iuſtitiam in ciues, à Parente pietatem in Deum quaſi hereditariam acceperit. Quæ ſoluit felicitate portum tenuit. Tu autem Regum maxime, tuæ puppi benignus adſpira, par enim eſt, vt immortalis viuat Orator, qui tibi vitam feliciter auſpicatus eſt.

1. NATALEM diem inſtituis Academia non priuatum, ſed publicum, non Regis, ſed regni, non vnius Principis, ſed omnium poſterorum. Tecum enim nuper in lucem edito, Auguſtiſſime Philippe, quem pueriliter vagientem abſentes veneramur, vt Principem feliciter imperantem, conſequentes anni intuebuntur vt Regem. Tecum, inquam, recèns nato, omnia renaſcantur. Luſitania tanto huius natalis deſiderio affecta, vt nihil deſiderare ardentius videretur, voti ſui compos attollit caput, & non ſolùm ſe in priſtinum, ſed etiam beatiorem in ſtatum exiſtimat reſtitutam. India ſui Principis, quàm ſui Solis ortu fortunatior, quas à ſuo Sole gemmas accipit, contemnit; dum eas, quas à ſuo Principe ſperat opes, contemplatur; & quæ ſuis diuitiis totum orbem abundè locupletat, multò abundantiùs credit ſe à ſuo Principe locupletandam. Hiſpania, quæ ſuorum Regum induſtria ſic excreuit, vt ſola mole laboret ſua, dum tanti Principis maieſtate occupatur, exigua ſibi videtur, & anguſta, & quæ Athlantæos humeros ſuopte pondere fatigauit, vnius infantuli viribus facilè ſuſtentatur. Totum regnum diuturno ſenio iam maturum tam feliciter reſpirat, vt ſibi omnino videatur non labi in occaſum, ſed aſſurgere in ortum; non abire ad ſepulchrum, ſed redire ad incunabulum; non ſeniles decidere in annos; ſed in annos remigrare iuueniles. Quid plura? Te naſcente, Auguſtiſſime Princeps, naſcitur in ciuibus concordia, in militibus virtus, in magiſtratibus iuſtitia; naſcitur in legibus æquitas, in pactionibus fides, in amicitiis perpetuitas; naſcitur in viduis fauor, in pupillis auxilium, in ſenibus firmamentum; naſcitur in miſeriis ſolatium, in diuitiis parſimonia, in moribus obſeruantia: naſcitur in priuatis domibus honeſtas, in religionis familiis diſciplina, in ſacris diuorum templis ſanctitas, & religio. Eſt amplius, quod naſcatur naſcentis Principis ab auſpicio? Nouum nobis naſcitur in regno regnum; noua nobis naſcitur Hiſpania in Hiſpania; nobis naſcitur (ſi fas eſt dicere) Orbis in orbe. Denique ante poſteritatem nobis naſcitur nato in Principe Principum longa ſeries poſterorum. O felicem ter, & amplius Aprilem, qui tam multas nobis felicitates aperuiſti! ô lucem nulla caligine obruendam! ô diem pretioſiſſima gemma conſignandum!

Philippi, Hiſpaniæ Regis natalis dies.

Naſcẽte Rege totum reuireſcit imperiũ.

Quæ egregij Principis vtilitas.

Opulentus ille Rex, & ſacer Vates Iobus, cùm 2.
videret diem natalem ſuum, tandem aliquando, tot filiis, tot clientibus, tot armentis, tot ſegetibus, tot diuitiis dirum, funebrem, exitialémque fuiſſe; facere non potuit, quin exclamaret; *Pereat dies, in qua natus ſum.* Dies, quæ mihi vni vitam attulit, tam multos alios dedit in funera; imò quòd mihi tot mortes intulit, quot vitas aliis ademit, pereat. Non numeretur in menſibus anni, à reliquorum dierum numero, qui alterna cum noctibus viciſſitudine annuos conficiunt orbes, exteratur; pereat dies illa, quæ tam multis acerba extitit, & luctuoſa, quæ tam repentinis ſe funeribus infecit, quæ tam amplæ, numeroſæque familiæ vna in hora parentauit. Si Iobus, qui in laborum tolerantia omnibus ſeculis præluxit, qui in coërcendis iracundiæ motibus exemplum ad omnem poſteritatem tranſtulit ſingulare, qui denique expreſſum fuit diuinæ patientiæ in terris ſimulachrum, ſi Iobus, inquam, ſua ſibi patientia non potuit imperare; quin illam diem, quæ tot funeribus primum aditum patefecit, tam acribus diris, & imprecationibus deuoueret, eámque expunctam vellet de menſibus anni, & à reliquorum dierum ordine exauctoratam; quid eloquar de hac die; quæ non ſolùm vni Principi natalis fuit; ſed etiam inuictiſſimis Regibus, indulgentiſſimiſque parentibus, ſed optimatibus, ſed domeſticis, ſed externis, ſed aliis hominum ordinibus, ſummis, infimis, mediis, ſacris, profanis, omnibus læta extitit, & vitalis? O diem feliciſſimum! Ne pereas, ne fluas, ne labaris: ſiſte, dura, & perenna. Cæteræ cedant, tu ſola ſurge: cæteræ fugiant, tu ſola ades: cæteræ nocturnis tenebris inuoluantur, tu ſola ſplendenti cæſarie renide: cæteræ ſuo ſe obruant in occaſu, tu ſola tuo ſemper in ortu conquieſce: neque me intemperantem iudicetis, dum animum exultabundum in tam extraordinaria deſideria effundo, plura deſideraret, qui foret in appetendo modeſtiſſimus. Fingite hominem ita parcum, ita ſobrium, ita ſui compotem in effrænatis cupiditatibus moderandis, vt dignæ temperantiæ exemplar à cœlo in terras delapſum videatur. Is planè, ſi in huius natalis celebritatem incidiſſet, ſuo ſe pudore minimè coërceret, quin optaret, vt hæc dies, cæteris elabentibus, ſola in cælo immobilis ſiſteretur. Nam ſi dies vni tantùm familiæ lethalis patientiſſimus vir precatur, vt pereat: dies integro

Iobus.

Infauſtus dies.

Fortunatus dies.

regno

regno ſalutaris, cur temperatiſſimus vir non precetur, vt duret? dura, clareſce, perſeuera dies fortunata, quæ vnius Principis vitam feliciter auſpicatis, ac tot populorum ordines conſtituis, ſi fari licet, immortales.

3. *Vita principio par eſt exitus.*

Scelerati quondam Reges, ſeu, vt dicam veriùs, Tyranni, ſicuti vitam infeliciter clauſerunt, ita crudeliter inchoarũt. Pharaone, quæ tygris immanior? Herode, quæ vulpes callidior? Domitiano, quis leo truculentior? hi omnes, vt innumeros alios prætercam tyrannorum greges, diem natalis ſui humani ſanguinis profuſione cruentarunt. O impietas! Quid barbarius, quàm quo die primùm lucem aſpexeris, eodem alios luce priuare Pharao inter natalitias epulas Piſtorem principem euocat ex ergaſtulo non libertate donandum, ſed morte afficiendum, vt quæ paullò antè gula regias dapes condiebat, tunc inſerto laqueo frangeretur. Herodes inter natalitias choreas caput illud, cœli tubam, orbis tonitruum, diuinitatis oraculum, caput Ioannis Baptiſtæ à ceruicibus reuulſum donabat fœminæ ſaltatrici, & quæ intra chorum ſaltando quantulum præmium promouerat caput illud reportando omnes pietatis metas tranſiliret. Domitianus inter natalitios ludos quingentos ſupra duo millia gladiantes extrahit in arenam, qui plagis vtrinque poſitis & repoſitis, immaniter ſe conficiunt, donec ad vnum omnes corruunt in interitus, vt vnius Tyranni vita plurimorum hominum ſanguine paſceretur. O theatrum natale Regis, ferale regni! O Reges natos ad perniciem populorum! Quas cædes tot hominibus crudeliter parauiſtis, cæde veſtra in capita expetentur, & qui naſcendo mille mortes intuliſtis, moriendo mille vitas amittetis. Te verò feliciſſime Princeps, recens natu non cruor, ſed decor; non mors, ſed vita; non damna, ſed lucra tuorum ciuium conſequuntur. Naſceris, ſed non ſolus; te naſcente, nemo occidit, naſcuntur omnes; mille vitas viuere dignus es, qui natali tuo mille mortes à tuorum iugulis depuliſti. Naſcere regni columen; adoleſce patriæ mens; viue tuorum animus ciuium, Princeps optime, felicitérque viue: tui tecum naſcuntur omnes, adoleſcent, ſeruabuntur.

Pharaonis immanitas.

Caput Baptiſta dono eſt ſaltatrici fœmina.

Domitianus.

4. *Liberatores patriæ lætabundi Romani excipiebant.*

Vellem, quòd grati tantum in principem eſſemus, vt in noſtrum ſeculum rediret priſtina illa conſuetudo Romanorum, qui triumphatores, liberatoréſque patriæ è bello redeuntes excepturi, effuſis agminibus obuiam procedebant, & qui præibant, qui ſequebantur, qui hinc inde tegebant latera, ſubinde illam precationem iterabant,

De noſtris annis tibi Iuppiter augeat annos.

Fatebantur Romani ciues ſuo ſe duci acceptæ vitæ debitores extitiſſe, & ne minus beneficium, quàm acceperant, referrent, ſuam cum ſuo liberatore vitam ſibi communem fore precabantur. Quod, quæſo, regnum erit? Quæ prouincia? Quæ ciuitas? Qua domus? Quis homo omnium quantum eſt, qui viuunt hominum Hiſpania, qui non credat à natali Principis die ſibi felicius pacatiúſque viuendum? Ergo ingratus erit, ſi quam ab alio vitam accepit, in eundum liberaliter non refundat. Ille noſtris, nos illius viuamus annis. Natalis hæc dies eſt communis omnium, in qua Princeps nouum ætate regnum, nouam felicitate vitam auſpicatur. Vna vos ſuſpenſos adhuc tenet cogitatio. Scitis circa Idus Aprilis Principem natum eſſe: regnum, vrbes, oppida renata nondum videtis. Eodem omnia ſitu continentur, iiſdem mœnibus cinguntur, neque diuerſis legibus temperantur; mores, ſi non peiores natalitia celebritate licentiam excitante, certè nihilo meliores; quicquid erat, & nunc eſt; quidquid non erat, abeſt. Noui iſti fœtus rerum omnium, quos prænuntio, quas ſe in tenebras abdidere? Nuſquam parent, vtinam in communi rerum omnium natalitio nouus aliquis naſceretur orator, qui hoc vobis noua loquendi copia ſuaderet. Verùm res adeò clara eſt vt ego meis, ſi quas habeo dicendi vires, non diffidam fore, vt à me omnium oculis defigatur, ſi me eadem beneuolentia, qua cœpiſtis, & argumenti dignitas poſtulat, & ipſe à vobis Auguſtiſſimus Princeps exigere videtur, audiatis.

Circa Idus Aprilis natus eſt Princeps.

5. *Regis, ac regni eadem eſt fortuna.*

Regum, regnorúmque conditio adeò vna eſt, vt in quam partem vnius alea inclinat, in eandem alterius fortuna rapiatur. Si Rex abundat opibus, diteſcit regnum; ſi præſtat armis, regnum præſtat; ſi fulget literis, regnum fulget; ſi floret moribus, regnum quoque moribus effloreſcit Facite, vt aliorſum Regis conditio abducatur, eodem quoq; neceſſe eſt totius regni moles, vt incumbat. Egente Rege, regnum eget, languente languet, cadente cadit, pereunte perit; ſeſe ad omnia vitiorum genera effundente, regnum quoq; in eadem malorum abrupta præcipitatur. Non immeritò regnum Regis ſpeculum eſſe dicam, in quo illico eniteſcit, quidquid in vultu cernitur obtuentis. Sumite in manibus ſpeculum, opponite, inſpicite; ſi labes in vultu ineſt, in illo ineſt; ſi ruga in collo hæret, in illo hæret; ſi apinæ in veſtem incidunt, in illud incidunt; ridetis, ridet; ploratis plorat; nutatis, nutat; os in hanc, & in illam partem diſtorquetis, in eaſdem ſe partes ſpeculum diſtorquet, non aliter Regis facta, vota, & ſtudia toto in regno exprimuntur. Quæcumque Regem ſors inſequitur, eadem regnum paribus veſtigiis comitatur. Optimè Gothorum Rex Theodoricus: *Facilius natura opera deerrant à natura, quàm regni fortuna à fortuna Regis ſeparatur.* Vultis apertiùs, vt exponam? Facilius vobis occurrent Argicyclòpes, Briarei, Geriones, Scipiodes, Arimaſpi, aliaque portenta à natura deerrantia, quàm regnum alia, quàm Regis fortuna temperatum. Hoc pro regnis omnibus commune eſt, Luſitaniæ mihi videtur prorſus innatum; nam vbi maior eſt coniunctio animorum, ibi maior, neceſſe eſt, vt intercedat ſimilitudo fortunarum. At quod regnum ſuis Regibus magis adhæſit, quàm Luſitania Luſitanis? Qui Reges magis ſuo regno, quàm Luſitani Luſitaniæ adhæſerunt? Luſtrate annales veteres, Hebræos, Græcos, Latinos, Gallicos, Germanos, Anglicos, Hiſpanos, omnes inueſtigate: peregrinus, & hoſpes ſum ab omnibus, ſi vſquam inueniatis regnum magis ſuis Regibus obtemperans, aut Reges magis ſuo regno beneuolentes. Eſt, qui dubitet? Eſt qui obſtrepat? Eſt, qui inſuſurret? Aliò properabam: ſed reſiſto. Ad rem veniam, confirmo interim quod affirmaui.

Regnum Regis eſt ſpeculum.

Theodoricus Rex Gothorum.

Regum & regni Luſitaniæ mirum inuicem obſequium, & beneuolentia.

6. O Reges Luſitaniæ, non dominos, ſed parentes! Parcite reliqui, quos prætereo, neque omnes aut poſſum, ſi vellem, aut volo, ſi poſſem, vnius orationis anguſtiis coërcere. Vnus mihi ades feliciſſimę memorię Ioannes huius nominis ſecunde, nobis ſecundo Numine de cælo lapſe. Tuus ille Pelicanus ſuo ſe roſtro mordicans, & cruentans in ſaginam filiorum quid portendit? Tua illa Epigraphe anguſta verbis, auguſta ſenſu, *pro lege, & pro grege*, quò ſpectat? Quem Græcorum?

Ioanni ſecundo Pelicanus eſt pro inſigni.

Quem Romanorum? Quem veterum? Quem præſentium Regum legiſtis, inquam, tale ſibi inſigne pro ſtemmate cooptaſſe? O Regem paſcendis ſeruis, quàm regendis proniorem? Duo ſemper verſabat ante oculos Ioannes, *legem, & gregem illam vt pareret, iſtum vt defenderet.* Quid enim pro colenda lege nō ſubiret? Quid pro fouendo grege non ſuſtineret? *Pro lege, & pro grege* opes funderet; *pro lege & pro grege* vitam perderet; *pro lege & pro grege* ſanguinem prodigeret. Nec vota ſpectetis, ſed facta. Vt expelleret hoſtes vigilabat vt muniret vrbes ſatagebat; vt ditaret ciues inſudabat; vt exigeret fures tota de nocte, vrbem circumibat; vt ſuorum ſalutem conſeruaret ſalutis ſuæ iacturam faciebat: opes, famam, vitam, ſanguinem, quidquid erat ſui iuris in vtilitatem regni conſecrabat, totus fluere in ſuorum beneficia populorum videbatur. O parentem potius, quàm Regem. Veteres quondam Reges, vt ſuis medicinam morbis inuenirent, puerorum ſanguinem, quo ſe infunderent, effundebant. Ioannes, vt ſuorum malis ciuium mederetur, ſuis ipſe manibus vellicabat ſibi pectus, lancinabat venas, exulcerabat corpus, intima ad præcordia penetrabat, vt quidquid opis in ſe eſſet, totum id in ſuorum ſalutem ciuium, ſeu, vt dicam, potiùs filiorum exhauriret. Verè Pelicanus, qui vt filios ſaturet, eſurit; vt potet, ſitit; vt reficiat, deficit; vt ſaginet, marcet, vt ſucco impleat, & ſanguine hauſto ſuis è viſceribus cruore extabeſcit. Et ne amantibus regni ſui Rex paternæ curæ quam viuens habuit, moriens obliuiſci videretur; cernite, quo habitu ſe ad extremam ex hac vita profectionem comparauit. O rem antea actis ſæculis inauditam! Manu altera tenebat cereum accenſum; altera calamum ſcriptorium præferebat: cereum, vt ſuam Deo fidem ſuppliciter exhiberet; calamum, vt ſupplices ſuorum libellos ſubſcripto nomine muniret; cereum, vt ſuam apud ſuperos religionem teſtaretur; calamum, vt ſuam apud homines beneuolentiam confirmaret; cereum, qui ſe ad cœlum euntem anteiret; calamum, qui ſe in terris morantem retineret: cæreum pietatis ſuæ teſtem erga Deum; calamum beneficentiæ ſuæ indicem erga regnum: *cereum pro lege, calamum pro grege.* O paſtorem, non dominatorem, qui ne immortalitatis quidem præmiis coronandus, tuum deſinis regnum beneficiis coronare!

Pelicani in aliis alendis ſtudium.

Ioannis ſecūdi amor eximius in regnum.

Cernitis Regis erga regnum benficia? Iam regni erga Regem obſequia penditote. Quis filius, ne dicam ſeruus, indulgentiſſimi parentis iuſſa promptiùs vnquam hauſit, tenaciùs arripuit, velociùs expreſſit, quàm Luſitania exequitur? Quidquid à ſuo Rege non præcepto, ſed conſilio; non lege, ſed prece; non viſu, ſed nutu imperatur. Rex tributa exigit, ſoluit; imperat milites, cogit. molitur claſſes, ædificabat; ſancit leges, ſeruat; deſiderat auxilium, offert. Trahit, retrahitque, ſequitur; & populus, qui ſuopte ingenio natus eſt ad imperandum ſuo Regi, totum ſe componit, & efformat ad obſequendum. Perge Luſitania hac ire, perge. Neſcit imperare, qui parere neſcit. Idcirco tuis ſe imperiis tam multi Reges totius Orientis ſubdiderunt, quia tuorum Regum imperiis tam fideliter paruiſti. Perge hac ire, Perge. Liberale eſt ingenium, quod ſuorum Regum iugum amanter recipit; ſeruile, quod peruicaciter excludit. Quandiu tuis Regibus fideliter parueris exteris nationibus feliciter imperabis. Ero fortaſſe Luſitaniæ iniurius, ſi pluribus velim dictis eius erga ſuos Reges obſequia confirmare; vnum tamen teſtimonium mihi imperare non poſſum, quin expromam. At cuius illud eſt? Domeſtici? Nequaquam, ſed externi: pauperis? Non ita, ſed locupletis; ſerui? Minimè verò, ſed regis: amici? Nihil minus, ſed hoſtis. Magnæ auctoritatis teſtimonium eſſet debet, quod ab externo, quod à locuplete, quod à Rege, quod ab hoſte in fauorem Luſitaniæ deriuatur. Ita eſt magnum teſtimonium; quod vnum, ſi cætera abeſſent, litem omnem peroraret. Te ergo Eliſabetam Reginam Caſtellæ anguſtiſſimam, Ferdinandique Regis coniugem digniſſimam appello teſtem. Quid ſentis? Quid credis? Quid teſtaris de Luſitanorum erga ſuos Reges obſeruantia? Bellum quondam inter Caſtellæ, Luſitaniæque Reges crudele exarſerat, & ferale; quod tandem magna ex parte conſopitum principes Caſtellæ viri apud ſuos Reges excitare nitebantur. Refricabant antiqua vulnera, prædicabant maiora damna, exaggerabant Caſtellæ vires, Luſitaniæ opes attenuebant. Quid ad hæc Regina Caſtellæ prudentiſſima? Quantum, inquit, equitatus cogere Caſtella poteſt, quantum poteſt Luſitania? Illi vana ſpe deluſi rati ſuum iam conſilium apud Reginam valuiſſe renunciant confidenter. Luſitaniam plurimum ſena millia? Caſtellam ſupra dena centena millia parare poſſe. Fateor bene, Regina inquit. Sed vos vt ſerui depugnatis: Luſitani vt filij præliantur. O reſponſum, quo illuſtrius ad ſuam laudem, ne Luſitani quidem voluiſſent: quo apertius ad memorationem ne ego quidem exoptaſſem. Filios ſuorum Regum, non ſeruos appellat Eliſabetha Luſitanos; quia non minus ſuis Regibus, quàm filij ſuis parentibus adhæreſcunt. Creditis iam quod initio affirmaui: Luſitani cum ſuis Regibus, quàm cæteris nationibus cum ſuis fideliùs & amiciùs conuenire? planè creditis, obtinui quod volebam. Redeo vnde veni.

Nulli regenti maius Regibus obſequium, quàm Luſitania.

Eliſabetha Regina Caſtellæ.

Caſtellani pro Rege pugnant vt ſerui, Luſitani vt filij.

Regnorum fortuna cum ſuorum fortuna Regum coniuncta eſt, iam hoc quantum ſatis fuit, audiuiſtis. Alterum confirmationis noſtræ membrum attentiùs auſcultate vt ex vtroque id, quò tendo, concludatur. Principem nuper natum, fortunatiſſimum futurum manifeſta iubent indicia ſperare. Id ego à vobis, vt concedatis, vi non extorquebo, ſed facilè, vt ſpero, ratione impetrabo. Quem Principem omnium feliciſſimum iudicatis? Veſtrum ſit iudicium, ſi cauſam ad meum reuocatis, ita iudico. Feliciſſimus ille eſt, quem hoſtes timeant, quem ciues diligant, quem Deus omnibus beneficiis proſequatur, videor ne vobis, rectè fuiſſe arbitratus? Planè videor, vt ex ipſo obtutu coniicio oculorum. O Principem Hiſpaniarum maximum! Qua formidine hoſtiles animos cùm ætas adoleuerit, elides? Quos tui in tuorum ciuium intimis præcordiis amores excitabis? Quæ à ſummo Principe Deo beneficia, tota quam viues vita (viues autem diuturnam) promerebis? Te hoſtes formidabunt, vt proauum; te Ciues adamabunt, vt auum; te Deus magnis beneficiis amplectetur, vt parentem; nam à proauo virtutem in hoſtes, ab auo iuſtitiam in ciues, à parente pietatem in Deum mihi viſus es hæreditaſſe. Naturâ plerumque accidit, vt filij maioribus ſuis abſimiles non euadant, ſacta pariter, & profana mihi hiſtoria ſuffragatur. Nam illa bonos viros à parente Deo, malos à parente Dæmone memorat generatos. Hæc magnanimos viros Aquilis genitos eſſe dicit, fortes leoni

Qui Princeps felix?

Filij plerumque parentibus ſimiles.

leonibus, crudeles tygribus, immites cautibus, inconſtantes fluctibus; faciles, iuſtos, lenes, ſapientes, ad aliquod ſemen; &c. Principium reuocat diuinitatis; adeò filiorum mores cum moribus proauorum concinunt, & cohærent; omnes enim factis genus prodimus, & documenta damus, qua ſimus origine nati. Quòd ſi aliquando diuerſa fortuna filios & parentes comitatur; magni id prodigij loco reponendum. Chorebum, tellure dehiſcente, flamma ebulliens deuorauit, filios non vſtulauit. Quid iſtud fuit! Grande miraculum, Chorebo pereunte, filios incolumes euaſiſſe; ergo niſi nouum aliquod miraculum contingat; niſi inſolens obueniat portentum; niſi natura naturæ renitatur, quod neque timeo, nec vllus veſtrûm timeat, Princeps nobis in lucem editus, talis erit, qualis eius proauus, auus, & parens, vt de aliis taceam, extiterunt.

Carolus Imperator huius nominis quintus.

9. Qualem verò te, ô Carole, bellico in negotio fuiſſe credam? Quos tecum Duces conferam? Quas tibi vires tribuam? quas de te laudes euulgem? quorum te facinorum authorem prædicem? Facilius tibi fuit, quæcunque patraſti facinora, patrare; quàm mihi, quæ à te patrata fuerunt recenſere. Plura ibi fuerunt facta, quàm mihi verba; maiora habuiſti bellorum decora, quàm habere poſſis encomia oratorum. Non vereor, ne antiqui Duces indignè ferant, Carolum à me cum eorum ſingulis conferri. Vereor, ne ipſe Carolus indignè patiatur, ſecum à me illorum ſingulos comparari. Duces alios, ſi cum Achille, ſi cum Priamo, ſi cum Hercule compono, laudo, Carolum ſi cum vllis antiquitatis Imperatoribus exæquem, aut illis tribuo, pluſquam optent, aut huic derogo, pluſquam ius, & æquum patiatur; ſed mitto inuidioſa laudum argumenta ſuis ſe ſingulis duces laureis coronent illibatis, ſuis ſe honorum finibus ſinguli tueantur; non confero, non præpono; bene Tertullianus, *Inſana*, inquit, *commendatio illa eſt, quæ aliorum deſtructione fulcitur*; quem tamen Carolum eſſe dicam? Carolum appello belli fulmen; quid in fulmine, quod non in Carolo? Fulmine nihil celerius, nihil violentius, nihil magis innoxium eſſe poteſt? Celeritate tanta vtitur, vt priuſquam ſonet, adſit priuſquam pateat, vulneret, priuſquam ruat, diruat, priuſquam prodire exiſtimes ab ortu, iam ſentias in occaſu; violentia tanta fertur, vt annoſas arbores comminuat, vt columnas marmoreas collidat, vt quadratas turres labefactet, vt præaltos montium vertices profundis vallium receſſibus coæquet; adeò verò eſt innoxium, vt ſi quid offendit mole, non frangat; ſiquid facile, non vrat; ſi quid leue, non impella; ſiquid imbelle, ab eo abſtineat ius belli.

Carolus belli fulmen.

10. Ecce tibi natura Imperatoris. Fulmen belli; quanta celeritate bella fecit? Quas terras bellando non adiuit? Quæ maria nauigando non ſulcauit? Quas gentes irruendo non ſubegit? Iam in Italia, iam in Gallia, iam in Germania, iam in Saxonia, iam in Hiſpania, iam in Africa, nuſquam abſens, vbique præſens, neſcia virtus ſtare loco. Prius ad hoſtes Cæſaris vir penetrabat, quàm Fama, prius gladius, quàm nuntius, prius clades, quàm metus, ſiſtere, quieſcere, cunctari neſciebat, ſed ſemper ad omnia præceps, nil actum credens, cùm quid ſupereſſet agendum: vnde cùm Iulius olim Cæſar in Gallia ſubigenda totum decennium poſuiſſet, & magnu Carolus in Saxonia expugnanda integros triginta annos perduraſſet; Quintus Carolus in Germania recipienda vnum annum, in Saxonia debellanda tres, non amplius, menſes collocauit. Iam verò Cæſaris in irruendo violentiam, qui duces, quæ Vrbes, quæ claſſes ſuſtinere vnquam potuerunt?

Celeritas belli nulli fuit maior, quàm noſtro Carolo.

Solimanus, etſi quadringentis ex millibus Turcarum exercitum habuiſſet validiſſimum, retroceſſit, & congreſſum cum Cæſareis Aquilis recuſauit; Babaruſſa maris vorago, & Charybdis, ſi qua alia voraciſſima, quas per inſulas Pyranios opes hauſerat, tandem è faucibus per Cæſaream violentiam expreſſit. Gulleta & naturæ, & artis munitionibus inacceſſa, mari terráque validius oppugnata, quàm humanæ vires oppugnare poſſe viderentur, ſolo collapſa eſt. Et quibus ruinis oppidanos contexuit, eiſdem triumphalem aditum Cæſarianis militibus patefecit; Tunetum magnis barbarorum præſidiis munitum, ſed maioribus Chriſtianorum viribus obſeſſum Cæſareas arcere non potuit incurſiones, & vt timebundam militis iram effugeret ſæuientis, precabundum ad victoris genua accedit miſerantis, Turcarum, & Gallorum claſſis vnum contra Cæſarem fœderata, tantis munimentis, quantis maximis inſtrui poterat, inſtructam maris quidem ſuperbiam potuit perterrere, Cæſaris fortunam non potuit violare; quare biennio exacto ſe recepit, ſatis credula faciliorem ſibi fore cum ventis, cum procellis, quàm cum Cæſareis opibus congreſſum. Quid verò de Cæſaris in hoſtes iam deuictos pietate? Non magis capitale erat apud Carolum cedere irruenti, quàm irruere in cadentem: nemo certius vitam obtinebat, quàm qui ad Carolum fugiebat. Nemo citius culpam obliterabat, quàm qui ſe apud Carolum accuſabat. Teſtis mihi eſt Mediolanum, pro quo Cæſar obtinendo mille pugnas geſſit, mille hoſtes triuit, mille vires contudit, mille pacis conditiones recuſauit, ſed poſtquam fractis hoſtium ceruicibus victor triumphatórque euaſit, Sforriam ſibi ad genua prouolutum, quamuis antea perduellionis accuſatum, non puniit, non oppreſſit, non impulit in exilium, ſed regio planè ac liberali animo Ducem totius Mediolani declarauit. O Cæſarem agendo celerem, irruendo fortem, condonando liberalem, fulmen belli. En tibi Auguſtiſſime princeps proauitæ virtutis ſimulachrum! Hoc tibi ita omnes iubeo ſpirare, enitendum; cape fulmen hoc tibi ſceptrum. Cedat tibi Hercules, qui geminum in cunis eliſerit anguem, hoc telo geminum hoſtem, ethnicum, & hæreticum fulminabis, tanta celeritate, vt antequam irruas, diruas; tanta violentia, vt non ſolùm in fugam vertas, ſed in fauillam; tanta indulgentis naturæ felicitate, vt ſi qui reſipuerint, non ſolùm non excludas, ſed beneuolum excipias in amplexum. Vidiſtis, vt clariſſimus Princeps à proauo virtutem in hoſtes, cernite, vt ab auo iuſtitiam in ciues hæredirabit. Nihil notius eſt, nihil vulgatius, quàm Catholicum Regem, & inuictiſſimum Philippum, Principis noſtri auum omnibus quorumcunque ſeculorum Regibus præluxiſſe; certas ſibi iuſtitiæ metas præfigebat, vltra quas nulla eum gratia ad veniam, nulla maleuolentia ad pœnam incitaret; amicitias potius reſcinderet, conſanguinitatem facilius violaret, quàm æquitatem, naturam libentius exueret, quàm iuſtitiam, ſæpius dixiſſe ferunt ſuam ſibi manum, ſiquid præſertim contra fidem deliquiſſet, truncaturum; virtutem planè regiam, & quæ non ſolùm homini, ſed ipſi quoque Deo

Solimanus.

Barbaruſſa.

Gulleta inexpugnabilis collabitur.

Pietas Caroli in deuictos.

Pietas Caroli in Sfortiā.

Philippi prudētia æquitate religio.

orta

Digitized by Google

ornamentum afferre poſſe videatur.

11. *Moyſes Deo familiaris.*

Nemo neſcit Moyſem Hebræi exercitus ductorem Deo in primis charum familiarémque fuiſſe; inuius erat aliis ad Deum aditus, Moyſi ſemper peruius; cæteri totis radicibus montis, vbi Deus aderat, abſiſtebant; Moyſes in ſummum verticem ſolus Deo fruiturus intrepide conuolabat. Quid tandem accidit? Homo erat Moyſes, à quo nihil eſt humani alienum, lapſus eſt aliquod in peccatum. nam virga ſilicem percuſſit, quem ſolo verbo affari debuiſſet? Optimo ad poſteros Reges documento, nunquam vſuros eſſe virga, cùm ſolo verbo corripere ſatis eſſet. Quo Deus animo amiciſſimi culpam hominis excepit? Tulit? Diſſimulauit? Reliquit impunitam? Abſit. at leuiori aliquo ictu ſauciauit? Quid fecit? Impulit in exilium? Deturbauit præfectura? Ferro manicatum, & compeditum ergaſtulo circumcluſit? Mitiora iſta ſunt, ſeuerius vendicauit. Quid fecit? Morere (inquit) Moyſes, morere. Res mira! Domeſticum mortem! familiari necem! amiciſſimo homini extremum fatum! Boni ſuperi! Non vereris ſumme Deus, ne tuus populus crudelem te per terras & ſidera iactet, qui in hominem tibi ex intimis tam acriter animaduertis? Non id vereor, morere Moyſes, morere, moritur Moyſes. Quid factum? Adite ſacrorum librorum adyta. *Sanctificatus eſt Dominus in populo.* O rem nouam! Ex pœna vnius omnium beneuolentiam collegit, tantum abfuit, vt aliqua crudelitatis opinatio in populum de Deo inciderit, vt potiùs ab omnibus, æquus, iuſtus, & ſanctus diceretur, qui nec ab homine ſibi amiciſſimo vltrices manus abſtineret. Hæc tua laus eſt æquiſſime Philippe, quem nulla amicitia à iuſtitia dimouit, & cum in beneficiis conferendis ſingulis hominibus eſſet omnia, in criminibus puniendis omnibus erat idem.

Moyſis ſupplicium

12.

Audiui aliquando, & vos fortaſſe ſæpius audiuiſtis Philippi regium planè dictum, ſe ſi opus foret, pugionem librare, in iugulum delinquentis, libraturum. Neque te Rex optime dicti pœniteat? decet pacatos Reges ad vliſcenda reorum crimina amara manus; Samuelem quis ignorat, iudicium pariter ſe, carnificem præſtitiſſe? Aderat Amaletica Rex ſuæ vrbis clade ad maiorem cladem reſeruatus; ſiſtitur Samueli ſua illa mole carnea, & pingui tremebundus. Quid verò Samuel? Non ſicarios accerſiri iubet, non tortores: ſuis ipſe manibus diſtringit ferrum, inuadit anathema, ter, quater infligit vlnus, iugulat, lacerat, diſcerpit. Quo te Vates profanas ſanguine! Imò hoc imbutus gratiores Deo hoſtias conſecrabo. Qui iuſtitiæ cauſa ſanguis funditur, non polluit, ſed eluit, non maculat, ſed expiat, non inceſtat, ſed honeſtat. Hac pergebat via Rex æquiſſimus decens ſibi credebat ac decorum, ſi quando pro vliſcendis criminibus oportet Imperatorem habitum gladiatorio commutare.

Samuel.

13. *Philippi prudentis humanitas.*

Sed videte incredibilem in tanta ſeueritate pietatem, puniebat, ſed dolebat, mactabat, ſed lachrymabat, ſanguine natabant ceruices morientis, ſed lachrymis vndabant oculi occidentis, virtus planè non humana, ſed diuina. Audire mihi videor ex regio Pilippi ore voces illas, quas Vates olim Iſaias ex diuino ore cecinit, audiuiſſe; extrema Deus ſupplicia ſuis hoſtibus minabatur, clades, funera, ruinas, quibus illa vocibus expreſſit? *Heu conſolabor, & vindicabor.* Noua ſanè eloquutio! Præmiſit vocem dolentis, *heu*, ſubiunxit vocem exultantis, *conſolabor.* Heu conſolabor! quò hæc tendunt, niſi vt oſtendant pietatem, & æquitatem, non ſolùm in diuino, ſed etiam in regio Philippi animo alternis motibus cieri, quoties de pœnis repetendis cogitabat. Pietas dolebat, æquitas gaudebat. Heu conſolabor! O piam æquitatem! ô æquam pietatem! Hanc iuſtiſſime Philippe mihi videris à Chriſto ſupremo iudice expreſſiſſe, quo habitu exiſtimatis humanæ vindicem naturæ ſupremo iudicio affuturum? An armatum flammis, an fulminibus terribilem? An in morem leonis, vnguibus, ore, oculis ſcintillantis? Ita eſto. Sed hanc ſpeciem tanta ille facilitate temperabit, vt potiùs mitis, clemens, & manſuetus paſtor videatur: Sicut paſtor (inquit) ſegregat oues ab hædis, ita probos ab improbis ſeparabo; illos æterna vita beandos, hos immortali morte puniendos. O iuſtitiam eximia lenitate temperatam! paſtor ſuos in agnos tanta eſt teneritudine animatus, vt quos deſtinat carnificinæ, prius lachrymis proluat, quàm cruore. Iam ferrum accipit, mox abiicit, iam erigit, mox deiicit, iam vibrat, mox reuocat, tandem ferit, ſed gemit; ſua ſibi videtur viſcera lancinare, dum cogitur lethaliter ferire, quos ſolebat indulgentiſſimè enutrire. Hac manſuetudine ſuam ſeueritatem condiebat inuictiſſimus Philippus, pœnas, qua ab aliis exigebat, ſentiebat ipſe prius & poſterius mitigabat. Quibus virtutibus tam æqualiter temperatis obtinebat, vt à ſuis poſſet arridens timeri, iratus amari. Ecce tibi fortunatiſſime Princeps auitæ iuſtitiæ documentum. Hoc te manet faſtigium æquitatis. Feliciter ad hunc apicem conſcende, quo pauciſſimi præteritorum Regum euaſere, nitere quò vocat auus, tollere quò te totius regni ſtudia impellunt. Non tibi prædico locum inter Erigonem, Chelaſque ſequentes, vbi ſuum volebat Cæſarem Vates collocatum; illò penetrare poteſt vana illa poëtarum iuſtitia terris excedens: at quæ à cœlo in tuum pectus iuſtitia deriuatur ſubliniorem te in verticem excitabit, in quo humanis altior affectibus ius, & fas ſerena mentis acie contempleris, & exequaris.

14. *Philippus Rex ſecundus Luſitaniæ.*

Grandia ſunt hæc virtutis monumenta, quæ Princeps clariſſimus, à proauo, auoque excepit, non minora tamen, quæ accipiet à parente. Quæ pietas? Quæ religio? Quæ diuinarum legum obſeruantia? In Philippi Regis inuictiſſimi iam inde ab ineunte ætate inoleuit? Mores, qui in aula ſemper eſſet ſolent prætextati, procul à Rege ſemper abſuere; licentia, quæ ſummam potentiam plerumque comitatur, longiſſimè ab eo exulauit; ſuperbia, quæ editiſſima faſtigia inceſſit ad hoc animo foras deturbata; iracundia, quæ vbi metus abeſt, procaciùs debacchantur, penitus in hoc pectore conſopita; cæteræ cupiditates, quæ in iuuenili flore ætatis audaciùs erumpunt, violentiùs tumultuantur, difficiliùs coërcentur, tanquam turbines in ſerenato mari poſuere. Quid miraculo propius eſſe poteſt, quàm iuuenem inter delicias non diffluere? Diuitem inter opes non inſoleſcere? Regem inter imperia non inſultare? Quid magis affine, ac geminum portento, quàm eum, cui nimium licet, libêre minimum? Eum cui omnes obſequuntur, obſequi rationi? Eum, quem reliqui formidant, vnum Deum formidare? Hæc tecum pietas, hæc religio inuictiſſime Philippe nata eſt; hæc tecum adoleuit, hæc tecum ad plurimos annos conſeneſcet. Vixiſti, & ſi bene ſperare licet, diu viues,

Philippus Rex ſecundus Luſitaniæ præditus ſanctimonia.

ætate

ætate ſemper par, & pietate; & ſicuti vires tua capit ætas ab annis, ita benefactorum radices tua agit pietas altiores.

15. Verùm Regibus non ſatis fuit bonos eſſe, ſed bonos facere; animus qui ſibi tantùm vacat, cùm aliis ſtudere debeat, delinquit. Rex, qui impietatem permittit, quam debuit abolere, is eam admittit, hanc ſuæ pietati labem Philippus non adſperſit. Quid facit, vt hæreticos, & Ethnicos ad fidem reuocaret? Agite quæſo, & toto diuiſos orbe Britannos, non magis, quàm tota ab Eccleſia diuiſos cogitate. Vidit Rex ſapientiſſimus maiores ſuos ad extirpandas hæreſes nec viribus, nec armis profeciſſe, ſyluescere in dies Britanniam, indureſcere in prauum animos, ſerpere venenum prauitatis, emergere Lernæos hydros, ſuis totam inſulam erroribus conflagrare; periculum erat ne, ſi vlteriùs ferro ageret, omnes hæreſum habenæ licentiùs funderentur. Quid igitur conſilij ſupereſſet, ratus alienæ potius ſaluti, quàm propriæ dignitati velificãdum. Et ne Angli, dum catholicas vires fugerint, virtutes oderint, ad pacẽ vocat, quæ Regibus amicè fœderatis, cœlum, terra, mare, Alcyoniæ ſerenitatis in morem tranquillantur; eum non exigua ſpe fore, vt tota illa hæreſum tempeſtas, quæ in eam inſulam incubuit, quàm ocyſſimè tranquilletur. O pietatem Catholico Rege dignam! dignam Philippo!

16. *Solicitudo Philippi in mittẽdis prædicatoribus in Indiam.* Iam verò Ethnicos, quanta curet ſedulitate ad fidem reducendos! Nihil mag s eſt propagandæ fidei neceſſarium, quàm habiles miniſtros, & fidos curatores ad id muneris deſtinare. Deſperet fruges, qui ſemen non ſparſerit; meſſores fruſtrà quæret, qui non præmiſerit, & ſatores. Quid ergo Rex Philippus? Minus deferendis mercibus in Indiam, quàm præmittendis fide præconibus incumbit. Diligentiſſimè inquirit non tam euerſores hoſtium, quàm errorum multos numero, aptos litteris, moribus præcellentes, ſub hoc tempus ad Malacam, Cantanum, Angolam, Septam D. Thomæ, ac viride promontorium, ſacrotum Antiſtites deſtinauit, qui lapſos Ethnicorum animos erigerent, & ruituros Chriſtianorum ſolidarent; annis proximè elapſis plures operarios, ex omnibus ferè religioſorum ordinum familiis præmiſit, quàm antea præmitti conſueuerunt. Solùm ex noſtro Ordine, vt alios prætercam, vno anno ſexaginta in Indiam nauigarunt; quo numero ab India ſubacta nemo vidit vnquam ex vllo Ordine in eas orientis Solis plagas nauigaſſe ampliorem; talem Deo cohortem placuiſſe euentus prodidit. Nam cùm Olyſipone ſoluiſſent, ſexageni Goam ſeptuageni appulere, denis in ipſa nauigatione in ſocietatem cooptatis. Tua eſt hæc gloria, ſecundum Deum, quanta illa eſt, inuictiſſimè Philippe, qui cùm in rebus aliis munificum te præſtes, in fide quibuſcumque modis propaganda te exhibes, ſuprà quàm optari poteſt, liberalem.

17. *Ioſaphat Rex Hebræorum.* Venit in mentem Ioſaphati Regis Hebræorum, qui nihil prius habuit, cùm ad regale faſtigium acceſſit, quàm vt probos in regnum excurſores mitteret, qui mores hominum diuturnis malis ſeneſcentes reuocarent; ſed aliud me vocat prodigium inauditum, quod quæſo cum libentia audiatis. Bellum Ioſaphato intulerũt Idumæi, & Moabitæ. Hoſtes ſuis diuiſi caſtris Moabitæ hinc & inde Idumæi conſiſtebant; Hebræi vtriſque aduerſarij ſuas è regione munitiones tuebantur; dies illuxit bello deſignatus, Ioſaphatus prima in acie conſtituit, quos putatis velites, rorarios? veteranos? Nequaquam. Conſtituit cantores, Leuitas, ſacerdotes; ea lege, vt cùm primum ſe darent hoſtes in conſpectum, ipſi, voces numeroſo concentu temperatas in diuinas laudes excitarent; ita factum. Prodit ex aduerſo agmen illud hoſtium bicorne; ſurgit ex Hebræis acies patrio more cuneata, conſiſtunt hinc, & inde copiæ, ſacerdos & Leuitæ, vti fuerat edoctus, inflat calamo, ferit neruos, mouet ſiſtra, lituos tibiis attemperat, fiſtulas tympanis componit, omnes omnibus coæquat, voces diuinarum laudum vulgatrices æqualiter diſſonas, conſonas inæqualiter ſummaproportione modulatur; quid effectum? O rem miram! Ecce tibi hoſtes Idumæi, & Moabitæ quadam veluti vertigine deluſi, in via errant, in meridie obcæcantur, & cùm illis irruendum eſſet in Hebræos, in ſeipſos, per mutuos incurſus conuertuntur: Moabitæ Idumæum, Idumæus Moabitam tanquam hoſtis hoſtem premit, & dum neuter cedit alteri, vterque miſerabiliter lacerantur; ita vt nec vnus quidem tam ampla ex acie ſuperfuerit, qui cladem nunciarit. Quis tibi Ioſaphate hanc victoriam reportauit? Tuus gladius? Minimè; hærebat in vagina. Tuus miles? Nequaquam. Solùm adfuit ſpectator; tuæ opes? Longe aliter; nulla hìc facta diſpendia. Quis ergo dic, amabo? Soli illi, quos diuinas laudes præire iuſſiſti ſacerdotes, illi, inquam, incruento tibi victoriam peperẽre. Ita eſt, Philippe inuictiſſimè; ita eſt. Tuum regnum non tam viribus militum, quàm proborum hominum precibus promouetur; dum ad barbaras & externas nationes belluino ritu à fide aberrantes oratores præmiſeris, & legatos, qui patriæ, qui parentum immemores, diuinas laudes ad infidelium aures hominum decantent. Certus eſto; ſuis ſe gladiis tui hoſtes, quotquot erunt, profligabunt. Tuum vel vigebit imperium, & floreſcet, maioribus in dies victoriis, ac triumphis illuſtratum; magna enim imperia, non tam armis, quàm pietate ac religione acquiruntur, & augentur, & conſeruantur. *Sanctorũ hominum precibus regnum promouetur.*

18. Adeſt tibi, clariſſime Princeps, patriæ pietatis imago. Hanc tibi eſſe imitandam, non ſolùm natura ſperare iubet, ſed educatio. Proaui, auique res geſtas, cùm audiueris imitabere, parentis egregia facta, cùm videris, exequere, & quo ſegniùs irritant animos demiſſa per aures, quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, eo tibi parentis, quàm proaui, aut aui benefacta acriores ad veram felicitatem ſtimulos admouebunt. Tres à tribus Regibus virtutes hæreditarias accepit clariſſimus Princeps; quarum ſingulæ ſingulos bearent Reges; cùm in eum ſimul omnes confluant ſociatæ, ad quem apicem eius felicitas extolletur? Maximus illi fuit proauus virtute bellandi. Maximus illi fuit auus virtute iudicandi. Maximus illi fuit pater virtute operandi. Te verò quo inſcribam elogio nate Princeps? Planè ter maximum. Regibus cæteris (quod tuo generi innatum eſt) maioribus tuis fideliter obſequeris, virtute, iuſtitia, pietate, cum proauo, cum auo, cum parente, non illiberaliter decertabis.

19. *Margarita Regina Caſtellæ, & Luſitania virtutibus excellentiſſima.* Iam verò ſi ex materno quoque ingenio filiorum mores ſpectantur, quibus te moribus victurum prædicem, Princeps feliciſſime, cui Regina mater eſt, non humanis virtutibus exculta, ſed diuinis? E cœlo in Hiſpaniam delapſa eſt, è cœlo Margarita non ſolo nomine, ſed multò magis viuendi inſtituto pretioſa. nam vt ex cæleſti rore gemmeæ margaritæ coaleſcunt, ita ex diuinæ contem

contemplationis hauſtu ſola mihi videturRegina conflata,& concreta; Reginas ſæpe alias diuerſa in diuerſas curas ſtudia arripiunt,eò leuiùs & inconſtantiùs,quò illis humanæ felicitatis auræ indulgentiùs blandiuntur; at Reginam Hiſpaniæ auguſtiſſimam, ſemper idem pietatis ardor naſcentem excepit,adoleſcentem enutriuit,regnantem inflammauit,tam certo perſeuerantique ſtudio probitatis,vt in hoc ſolùm mutari videretur, quòd nouas ſemper antiquis virtutibus virtutes aggregaret; nemo vnquam libentius frequentauit publica theatra, quàm Regina ſecreta oratoria;nemo impenſius coluit hortos penſiles,quàm Regina ſacros libros; nemo lautius inſtruxit profanas ædes, quàm Regina cœleſtes aras; nemo attentius audiuit ſuaues cantus, quàm Regina diuinas laudes; nemo auidius ad regnum, quàm Regina ad cælum anhelauit. O Reginam cœlo,quàm ſolo propiorem!

20\. *Regina Margarita pietas erga regnum.* Hanc Reginæ erga Deum pietatē,eximia erga regnum beneficentia comitatur; ſuas obliuiſcitur opes, vt egentium inopiam recordetur; ſuas negligit delicias, vt miſerorum moleſtias abſtergat; ſua deſerit palatia,vt religioſa cœnobia frequentet; ſua ſpoliat domicilia, vt languentium hoſpitia locupletet; ſuos interrumpit ſomnos,vt laborantium vigilias auertat; ſui curam deponit omnem, vt ſuorum cutis omnibus medeatur. Quid in Regina deſiderari poteſt excellentius? Quid diuinius? Potens eſt, ſed potentem experiuntur infirmi; diues, ſed diuitem ſentiunt egeni;Regina, ſed natam ad regnandum, etſi tacerent homines,ipſa, ipſa, quæ exercet beneuolentiæ pleniſſima imperia ipſa teſtatur. Vix enim in lucem editus erat Princeps inclytus, cùm Regina parens imperat,non parari choros Genethliacos, non pugnas theatrales,non ſcenica choragia, nō Troianos ludos,non ſaliares epulas,non ſuperba ſpectacula. Quid imperat? O ſingulare feliciter imperandi documentum! imperat vt omnium preces, præſertim egenorum, qui regiam in curiam venerant ſupplicatum, audiantur attentè, expendantur beneuolè,impleantur cumulatè, rata,nullas ſe Deo grates pro accepto beneficio referre potuiſſe ampliores, quàm ſi ampliſſima apud ſupplices ac merentes homines beneficia collocaret. Quid mirum, Regina auguſtiſſima, quid mirum ſi tam claris eximiiſque virtutibus, quibus te in Deum piam, in homines oſtendis officioſam, Deum tui efficias peramantem, homines tibi conſtituas obſequentes?

Regia pietatis inſigne documentum.

21\. Sed non clauditur ſola in Regina tam elegans virtutum omnium ſupellex: ex Regina ad natum Principem deriuatur.Imò ne virtutum opes in filio deſiderentur, incredibiles virtutum theſauri in matre coacervantur. Samſonem ad liberandam patriam naſciturum, cœleſtis in terra legatus matri prænūtiauit, cuius auiditatem vt excitaret,diuino ex oraculo prædixit futuram pueri ſanctimoniam,religionem,temperantiam, cæteraſque virtutes proprias Nazaræis, quorum ſe puer erat in diſciplinam traditurus; vaticinio addidit præceptum. nam virtutes, quas cecinerat in filio futuras,iuſſit vt à matre priùs colerentur, palàm vt indicaret,neque ſingularibus virtutibus inſignitum prodire in lucem poſſe, niſi ex matre iiſdem virtutibus informata; neq; matrem optimis moribus prænitentem edere in lucem poſſe, niſi filium iiſdem virtutibus fulgurantem, proindéque virtutes, quæ in matre prius extitiſſent, apertiſſimos fore indices illius, quæ

Samſon.

Virtus parentum in filios deriuatur.

in filio futura erat, ſanctitatis.

Hæc cùm ita ſint, cur non ſperem, imò cur pleno(vt aiunt)ore nō decantem, Principi nuper nato nullam virtutem defuturam, cùm ex matre natus ſit, in qua omnes virtutes efflorеſcunt? Quam quis obſecro optare poteſt in Principe virtutem, quæ in Regina non eluceat? Religionem? Eminet in Regina. Pietatem? A Regina colitur. Modeſtiam? In Regina fulget. Prudentiam? In Regina ſedem habet. Liberalitatem? Cum Regina nata eſt. Cæteræ virtutes, quarum ſingulæ, ſingulas Reginas exornarent, in Auguſtiſſima Hiſpaniæ Regina ſimul omnes mirabiles in choros ſanctimoniæ fœdantur. Hæc virtutum ornamenta, quæ aſſurgunt in Regina, palàm prædicant eas virtutum moles, quæ in principe cœlo auſpice erigentur; nam ſi vnius Samſonis egregias virtutes illa, quæ in matre extitit ſanctimonia, certo certiùs præſignabat, non dubito,quin eximiam Principis probitatem ſingularis Reginæ probitas, tanquam aliquod oraculum cœleſte vaticinetur. 22.

Virtus Reginæ Margarita quæ ſit futura filio vaticinatur.

Creditis ne quæ de futura huius Principis felicitate ſperari poterant, dicendo iam exhauſta? Ego verò iudico ne leuiter quidem prælibata; nam licèt ea felicitatis argumenta, quæ hactenus orando indicaui, magna ſint; tamen, ſi cum eo, quod perorando indicabo, conferantur, nulla vobis eſſe videbuntur. Meminiſtis id quod ab aliis video obſeruatum, Principem quo die Chriſtus caput in cruce inclinauit, eodem caput in terris intuliſſe; ita ne Princeps Auguſtiſſime, cùm Chriſtus ceruicem deiicit,ipſe erigis? Cùm Chriſtus moritur, ipſe viuis? Cùm Chriſtus occidit, ipſe naſceris? O felici Principem natum hora, hora, quam Chriſtus vocauit ſuam; hora, in quam miracula à ſe patranda differebat; hora,in qua regnum poſtulanti à ſe homini regia liberalitate delegabat. Quem futurum non ſperem Principem tam felici natum hora? Hora Chriſti naſcitur, totus Chriſti erit; hora, in qua à Chriſto tot miracula patrantur; magnum ipſe erit Chriſti miraculum. Hora,in qua Chriſtus regnum ampliſſimum largitur,ipſeRex euadet à Chriſto conſtitutus. O felici Principem natum hora, fruere regno, quod à Chriſto accepiſti;regnum, quod illa crucis inſcriptio præferebat inclinato capite, Chriſtus fugit, tibi tradit, vt ea modeſtia regnum capias, qua ipſe deſpicit, & neceſſitate regnum geras, non voluntate videaris;ita fiet,vt cùm felix futurus, regnum tractando, felicior euadas regnum contemnendo. Quæ felicior hora naſcenti puero contingere potuiſſet? 23.

Ea die natus eſt Philippus, qua Chriſtus occidit.

Noſtis probè veterem illam Romanorum cōſuetudinem in funeribus obſeruatam? Propinquiores, & amiciores homines aderant morituro,vt ſupremum ad aures inclamarent, vt oculos premerent,vt labra fingerent, vt vultum componerent, vt extremum ſpiritum exciperent morientis,quò pertinet illud, 24.

Amici amicis adſunt morientibus.

-----Extremus ſiquis ſuper halitus errat
Ore legam. Virg. 4. Æn.

Aberant,qui morienti Chriſto hæc pietatis officia exhiberent,vnus mihi videtur Princeps eius extremum anhelitum collegiſſe; Chriſtus expirauit, Princeps reſpirauit. O felicem animam hauſtam è Chriſti anima! O felicem ſpiritum è Chriſti ſpiritu prælibatum! Adamum communem humani generis parentem nemo neſcit perfectiſſimum à Deo cōditum fuiſſe,ſtatu rectum;

Adamus ſtatura perfectiſſimus.

&

& procerum; inceſſu grauem, & maturum, vultu hilarem ac decorum, colore viuidum, & ſuauem; membris habilem, & politum, toto corpore honeſtum, & veluti ad vnguem concinnatum; parua ſunt hæc corporis, ſi animi attendantur ornamenta. Rationem multi colores omnium doctrinarũ habitus veſtiebant, voluntatem non minus elegantes virtutum chlamydes exornabant; ipſam animæ naturam pulcherrime excolebat toga illa, quæ Deum hominibus pacificum, homines Deo efficit gratioſos. Vnde creditis tam eximiam mẽtis & corporis pulchritudinem in Adamum defluxiſſe? Sanè ab eo halitu, quo eius opifex, ſpirauit in illum ſpiraculum vitæ. O Principem, quibus te ornamentis, & animi, & corporis non dicam mirabiliter illuſtratum? Nam in tuum os mihi videtur Chriſtus moriens ſpiraculum vitæ expiraſſe. Quibus te afflabit dotibus ille flatus? Quibus te animabit donis illa anima? Quibus te fœcundus ille ſpiritus virtutibus fœcundabit? Aſſume propheticum illud Princeps feliciſſime, aſſume, Spiritus oris noſtri, Chriſtus Dominus. Hic te ſpiritus reget, hæc te anima nutriet, hæc te vita efficiet immortalem.

Animi & corporis Adami pulchritudo ex Dei habitu.

25. Conceditis iam vt par eſt, Principem nobis naſci feliciſſimum? peroraui, vos colligite quod volebam, quid illud erat? Ergo ſi regnum Regem ſequitur, vt oſtendi, neceſſe eſt regnum nobis feliciſſimum renaſci, & quamuis aliæ regni partes nondum exhumarentur; certè Luſitania denuo naſceretur. Quis dubitat Luſitaniam Hiſpaniæ Regibus fuiſſe, quàm cætera regna, chariorem? Argumento mihi eſt, vt alia deeſſent, quod Luſitani regni ſtemma ſuo in ſtemmate medium incluſerunt, vt quemadmodum ad tuendum cor tota hominis excitatur induſtria, ita ad Luſitaniam defendendam impenſiùs vigilarent. Maius aliquod ex te, Princeps clariſſime, habere debet à te Luſitania patrocinium. Aſpice, quæſo, illa vulnera, quæ tibi naſcenti Chriſtus moriens oſtendit. Videris tibi erga illa præcipua religione animatus? Planè videris. Facilè ne iudicas, quidquid laboris pro eorum cultu patiaris? Imò nihil. Omnes ne libenter in eorum obſequium diuitias profundes? Sanè & vitam; at cum illis plagis Luſitaniæ cauſa coniuncta eſt, nullum aliud habet inſigne Luſitania, nullum ſtemma, nullum præſidium, nullum monumentum. Qui has colit, Luſitaniam colit; qui amat, Luſitaniam amat, qui defendit, Luſitaniam defendit; ergo qui ſuas tibi plagas naſcenti obtulit, ſuam tibi Luſitaniam commendauit, vt ſicut eorum vulnerum auſpicio natus es, ita tuo patrocinio Luſitania renaſcatur. Viue Luſitania, viuite vrbes, oppida viuite. Nam ſi vos Alphonſus primus condidit, Chriſti vulneribus feliciter auſpicantibus, eodem vos auſpicio Princeps feliciſſimus recondet. Viue Luſitania, viue. Tui tibi antiqui Reges nato in Principe reuiuiſcunt, tui Alphonſi, tui Sancij, tui Dionyſij, tui Petri, tui Eduardi, tui Ioannes, tuus tibi renaſcitur Emmanuel. India triumpha, triumphatorique tuo applaude gratulabunda. Effloreſce Academia, maioribus in dies præſidiis confirmata effloreſce. Viue fortunatior Cenſor illuſtriſſime, qui ad eos honorum gradus, quos tua dignitas, prudentia, & iuſtitia poſtulat, proueheris. Viuite Academici Doctores, & Magiſtri, quibus paria veſtris meritis præmia conferentur. Viuite ſuperiorum facultatum auditores, quibus veſtri labores irriti non peribunt; viuite Philoſophi Dialectici, Rhetores, & qui artes colitis mitiores; viuite, feliciterque viuite religioſorum hominum Conuentus, dum piiſſimus Princeps veſtra ad pietatem ſtudia fouebit. Viue ô Societas, & quæ ſub Luſitaniæ Regibus nata es, ſub Auguſtiſſimo Principe tenaſcere feliciſſime. Tu quoque Orator, declamatoriis actionibus penè mortuus, in communi rerum omnium natali reuiuiſce. Quid plura? Viuant omnia, nato Principe viuant; ſola vna mors communis omnium moriatur.

Luſitaniam quàsi habuerint Hiſpani Reges.

Portugaliæ ſtēma Chriſti plaga.

Luſitania, ſui ſūo cum Philippo naſcuntur Reges.

ORATIO II.

De Eliſabetha Luſitaniæ Regina ſanctiſſima.

ARGVMENTVM.

Regia planè oratio, tota ferè in genere demonſtratiuo. Habuit olim noſtræ Rhetoricæ Profeſſor: ſpectauit, & admirata laudauit Conimbricenſis Academia. Regium munus in Regina cõmendat, quod rectè obire viſa eſt, dum ſuorũ conſuluit felicitati, ſanitatẽ ſcilicet impertiendo, diuitias largiendo, pacẽ inducendo. Tria hæc portendit nubes illa, ſeu fatalis Hebræorum columna, quæ Luſitanis Reginam, nubem fœcundiſſimam, & columnam firmiſſimã adumbrauit. En orationis vmbra: veros colores exprimit Orator, & ſuo quidẽ penicillo: tolle oculos, valde tibi in tabula placebis.

PRima laus cuiuſque eſt, quam ex ſuo munere rectè obeundo promeretur. Hinc eſt, vt ſi 26.
militem laudare velis, perperam eius ad literas procliuem animum commendes; ſcitè eius ad arma natum ingenium dilaudes, cùm hoc ipſius muneris ſit, illud nequaquam. Contrà verò ſi alumnum huius Academiæ ſuſcipias laudatione proſequendum, inſanias, ſi illius in tractandis armis peritiam oſtendas; ſapias, ſi eiuſdem in deuorandis libris diligentiam exornes; cùm hoc proprium ſit ipſius opus, illud verò alienum. Ergo ſanctiſſimam Eliſabetham anniuerſaria commendatione laudaturus, libens cætera omitto, quæ vitam illius priuatam honeſtarunt: eò mea ſpectabit oratio, vt oſtendat nunquam Reginam regio muneri defuiſſe: quod ſi conſequar dicendo, ſpero (bene liceat ominari) neque me oratoris, neque vos auditoris muneri defuturos.

Sua cuique laus ex ſuo munere prouenit.

Agite verò, munus regium quodnam eſt? Dicitis otiari, epulari, pergræcari, venari, aucupari, non feras tantùm ac volucres, ſed delicias, & voluptates: diſſidium vobiſcum mihi eſt. Dicam ſi me auditis; vel potiùs in ſua Cyripædia, ſi creditis Xenophonti: regnum ad politicam felicitatem promouere: ſapienter enim Ariſtoteles, *Eò*, inquit, *Rex abit à tyranno, quia hic ſuam, ille ſuorum quærit felicitatem.* Hoc in munere implẽdo neſcio an vllus fuerit aliquando, etiam ſi ab vltima memoria veteres annales replicaeris, qui ſanctiſſimam Eliſabetham non dico vicerit, ſed exæquaret. Verùm ne exemplorum varietate cogitationes veſtræ toto orbe ferantur incertæ, mittite humanitatis hiſtorias, animo reficate ſi quam inuenia

Prima orationis pars.

Qui Rex, & qui tyrannus.

niatis, vnde mihi ad dicendum oriatur argumentum: vnam vobis è ſactis literis ducem afſero, quæ cùm Hebræum populum è miſeria eductum ad felicitatem perduxiſſet, expreſſum mihi videtur auguſtiſſimæ Reginæ ſimulachrum.

Hebræorum exercitus.

27. Decreuerat ſummus ille rerum opifex, & molitor Deus, Hebræorum exercitum ab Ægyptia ſeruitute in libertatem vendicare; decurrenda tamen illi erant, antequam ad beatam oram peruenirer, infinita propemodum ſpatia terrarum, vaſtæ peragrandæ ſolitudines, ignoti remandi colles, inuiæ rupes ſuperandæ, ancipites viarum flexus retexendi, dubij montium tractus adeundi, mille ſinus, ambages mille, fallaciter in ſe valles reuocatæ explicandæ. Quis non videt in tanta viarum iniquitate opus fuiſſe duce, ne miſeri homines palantes vagarentur, prius quamuis plagam, quàm animo deſtinatam adituri? Quod optari poterat propter commoditatem, poſtulari non poterat, propter nouitatem; diuina bonitas, maior precibus, maior votis liberaliter conceſſit.

Ignea colũna Hebræos ducit.

Ecce tibi in medio aëre nubes præire viſa eſt, non vt plerunque fit multipliciter fimbriata, ſed in teretem columnæ formam à latiori baſe in anguſtum ſenſim epiſtylium erecta, non ex terrena fæce in tenebricoſam faciem compoſita, ſed ex puro halitu in pellucidum ignis candorem mirabiliter induta, quæ inexplicabiles ſolitudinis labyrinthos Dædaleo tanquam filo expediret, noctiſque caliginem veluti facem præferens illuſtraret. Hanc ego ducem ſanctiſſimæ Eliſabethæ viuam eſſe imaginem contendo, quam in ſententiam cùm alia me impellunt argumenta, tum præſertim, quia non minus hæc Luſitanorum felicitati conſuluit, quàm illa Hebræorum.

Ex quibus coaleſcat regni felicitas.

28. Tria ſunt, ex quibus vnius regni felicitas efflorèſcit, ſi Philoſophorum principem auſcultemus; corporum ſanitas, diuitiarum amplitudo, vacantium ab armis diuturna tranquillitas animorum. Hæc omnia, quæ à nube illa præſtita fuiſſe Abrahamidis luce clarius oſtendam; niſi conuincam, a ſanctiſſima Eliſabetha multo cumulatiùs ſuppeditata Luſitanis, me oratorum numero deponite, veteratorum in albo collocate. Tota illa regio, qua migrandum erat populo ſdiuinæ legis per id temporis cultori, tam feruidis Solis ardoribus æſtuabat, vt neque alendis frugibus idonea, neque figendis ſedibus opportuna, neque excipiendis peregrinis hoſpitalis videretur. Cuius rei teſtes appello, Pharios, Perſicos, Græcos, ac Latinos etiam tyrannos, qui cùm temere auderent in omnes illa partes explorandi cauſa euagari, tandem veluti continenti incendio radiorum vſtulati, vel omnes conflagrarunt, vel pauci euaſerunt. Seſoſtris cælis inclementiam expertus, copias retro mouit, ni faceret, in extremam cladem ruiturus. Cambyſes vlterius progreſſus, aliorum, quos necauerat ſanguine, aliis iam iam morituris, immodicos æſtus temperabat. Macedo ſuos quidem milites hoſtilibus cuneis inuictos, iaculatis tamen à ſole facibus miſerabiliter exuſtos deplorauit. Cæſar Memphitico oraculo admonitus, ne in tam voraces flammas, ſe ſuóſq; protruderet, certam ſibi mortem deſtitit machinari.

29. Itaque nullus vnquam fuit, qui illam terrarum caſtitatem perpeſſus calorib. æſtuantem vel prudens aggrederetur, vel incolumis ſuperaret. Quo igitur præſidio Hebræorum copiæ tam nimios Solis appulſus deuitarunt? Vt certum ſit ex vate Regio (non erat infirmus in tribubus eorum) neminem ex diuturno calore in tantulam febriculam incidiſſe, ſed omnes vegeto ac robuſto corpore aduerſas cæli iniurias tolerat1e. Planè benefico afflatu illius ducis, quam præeuntem ſequebantur: illa enim vt omnes ferè diuinæ paginæ interpretes commẽtantur (vnum ſi excipias Abulenſem) aduersùs Solis violentiam fundebat vmbram, aduersùs lunæ rigorem præſtabat flammam; vtramque iucunditatis multum, ſalubritatis verò plurimum conferentem. Videtis quàm ſingulare præſidium ea nubes fuerit ſanitatis?

Ignea Hebræorum columna Solis ardores immerſa vmbra coërcebat.

At Eliſabetham contemplamini, & nullum aliud, etiam panchreſtum, medicamentum in deploratam valetudinem requiretis. 30. Quid agebas Regina Auguſtiſſima tui immemor, tuorum memor, vt omnium ſanitati conſuleres, quid agebas? Nullus erat dies, in quo ad ægrotos non itaret; ſqualore obſitos eluebat, dolore tabeſcentes confirmabat, purulentam ſaniem abſtergebat, complexabatur morientes, fouebat exanimes, obligabat vulnera, refrigerabat æſtus, ciborum appetentiam faſtidientib. acuebat; dignitate princeps ancillari officio, par infimis videbatur. Quid ego commemorem diuerſas hominum calamitates, truncas manus, effoſſos oculos, ſemiuſtos pedes, luridos vultus, tumentes aluos, crura turgentia, exeſos ac putridos artus, quibus omnibus Sanctiſſima Eliſabetha delicatiſſimi ſtomachi teneritate ſuperata, non ſolùm applicabat manum, ſed etiam oſcula defigendo ſanitatem conferebat. O rem incredibilem! O miraculum omnium, quæ vidit vnquam Luſitania longè maximum! Reginam proauorum ſanguine illuſtrem, amplitudine imperij felicem, diuitiarum gloria præcellentem, ſeſe in tam vilem, & abiectam formam induiſſe, non hortos penſiles, nõ domorum illecebras, non ludorum apparatus Reginæ intemperantia curaſſe, ſed miſerorum ægritudines, periclitantium mœrores, languentium cruciamenta parentis ſedulitate adiuuiſſe, fouiſſe, expuliſſe.

Regina in ægrotos obſequium.

Meritò, vt mihi videatur natum in hanc rem celebre illud Hieronymi in Fabiolam elogium, *Morbos*, inquit, *in tanta miſerorum oblectamenta commutauit, vt multi ſani languentibus inuiderent.* 31. Excutite quæſo totam Luſitaniam, ſingulóſque illius tractus cogitatione veſtra circumferte; quam prouinciam, quam vrbem, quod oppidum, quem vicum vſquam eſſe reperietis, in quo non appareant egregia monumenta reſtitutæ ab Auguſtiſſima Regina ſanitatis? Olyſipo ciuem illam ſuam horrentem macie, viribus exhauſtam, ægritudine confectam impreſſo ab Eliſabetha ſalutari ſigno, ereptam morti, vitæ redditam gloriatur. Ebora quantum lateribus conari poteſt, tantum prædicat vnius pueri fauces hirundine obſeſſas, & quominus liberè permearet ſpiritus interclusas, tandem Eliſabethæ patrocinio expurgatas. Portus (ita vulgò appellatis,) nũquã ſatis gratulatur ſuo in agro contigiſſe, vt cuiuſdam puellæ oculos iam inde à primo ſatu lucis vſura deſtitutos Reginæ molliter blãdientis attrectatus ab offuſa caligine liberaret. Collipo (vetus Leyriæ nomen eſt) præſtitum ſibi beneficium obſtupeſcit, exitialem vnius fœminæ tumorem miſerè illius manum diſtorquentem Reginæ linteolo circum obuoluto ſubitò reſediſſe. Scalabis egregij memoriam facti conſeruare nititur ſempiternam, mendiculæ cuiuſdã pedem fœdo vlcere horridum, tetrum odorem exhalãtem, omnium à ſe oculos amouentem, Reginæ manib. clementer deli

Hieron. Miracula in diuerſis Luſitaniæ vrbibus, & oppidis à regina patrata.

Olyſipone ciuem quendã reddidit incolumem.

Portu puellam.

Leyriæ puellam.

Scalabi mendiculam quandam.

delinitum,calida molliter ablutum, oſculo tandem perſanatum. Mirobriga(oppidum eſt,in extrema Luſitania ſitum) literis proditum teſtatur primariæ fœminam dignitatis eo dolore frequẽter vexari ſolitam, vt omnes illius ſenſus morte potius diceres,quàm mortis imagine conſopiros; Eliſabethæ oratu nunquam poſtea in idem malum reuolutam. Stremotium Tranſtaganæ oppidum regionis figlinis operibus nobile,& propter marmorum præſtantiam, Pharus altera Luſitaniæ recordari mihi ſæpius videtur duos principes equites periculosè ægrotantes ex propiori ad Reginam acceſſu,athletice,vt aiunt,in poſterum valuiſſe.

Stremotij duo equites.

31\. Quid Conimbrica? Sola ne Eliſabethæ benignitatem ſenſit in ſe claudi? Imò haud ſcio, an vlla magis Reginæ beneficẽtiam experta fuerit. Non dico lethales morbos diuinitus expulſos:taceo luculentas plagas, præter humanam opem coëuntes: prætereo deprauationes membrorum in antiquum decus redeuntium. Illud memoro, quod propter rei nouitatem erit vobis non iniucundũ,propter claritatem verò facti ſanctiſſimæ Eliſabethæ glorioſum. Collegerat aliquando Auguſtiſſima Regina in cubile regiũ abiectiſſimæ fortunæ homunciones, informes, vlceratos, elephãtiaſi marcentes:eoſdem perhumaniter exceptos,lautos officioſè, neceſſaria ſtipe recreatos abire iuſſerat; cæteri foras iam eruperant, vnus vi morbi impeditus, cuius pedes ægrè cohærẽtes vix poterant firmare veſtigia, paulliſper in Regia ſedit. Adeſt ſubitò & inauſpicatò, qui à ianuis erat homo durus,& immitis:tene, inquit, ſcelus intrò in has ædes inferre pedem? huc obrepere? hîc moras trahere? Quid agitas? Quid moliris? Compilatúmne intraſti, an peſtiferam animam afflatum? Næ ego ignauus homo ſim, niſi tu iſthuc hodie malo veniſti tuo;quam nobis portaſti luem,reportabis. Minas ſequuntur facta: fuſtem arripit; ter,quater impingit capiti, minuit, elidit, exculpit cerebrum. O pietas!O humanitas! Quàm ſemper à Regia procul exulaſtis! Miſellus homulus, qui minuſculo digito collabi poterat, illo tanquam tonitru de cœlo tactus ad ſolum ruit ſemianimis; fit ſtrepitus, concurſus, vndique, de homunculi vita actum eſſe, omnes dictitant: res vti geſta erat, ad Reginam fertur. Quid exiſtimatis,tunc illam animi habuiſſe:angitur,torquetur, maceratur, ſemetipſam incuſat ſæpiùs,quæ ne bene facere quidem didiciſſet,ſine ipſius diſcrimine cui benefecerit. Quare duci hominem ad ſe iubet,gremio excepit colliſum caput, ſuffundit frigidam, propinat calicem, repurgat ſanguinem, obſtipat vulnus, denique album oui multiplici attritu,liquatum ſatis,ſtupáque exceptum ſuis ipſa manibus imponit, & ne pietati liberalitas deeſſet,erogata pecunia multo quàm antea largiori iubet,inter manus deportari. Poſtero die rogatum mittit,quî haberet. Renũtiat,res mira! ſe poſt adhibitam à Regina curationem, nullum aut dolorem, aut doloris veſtigium ampliùs habuiſſe:cicatricémque tam ſubitò obductam,vt multo lenciùs, facta fuiſſe videretur. O vim morborum expultricem!O ſingularem ægrotantium medicinam! O præſidium valetudinis immortale! An dubitare quiſquam poteſt quin ſicuti columna illa ſuorum incolumitatem Hebræorum ſtrenuè tutata eſt,ita quoque ſanctiſſima Regina totius Luſitaniæ profligatam ſalutem reſtituerit, reſtitutam conſeruarit? Sanè vel cæcus ille eſt, qui hæc non videt, vel ſi videt, neque diligit ingratus.

Singulare pietatis exẽplum in homulum miſerrimũ Regina Conimbricæ patrauit.

Fuit illa quondam Græcorum Romanorúmque Religio;vt ſacra fana Æſculapio, quem medicinæ Deum vocitabant, non intra, ſed extra vrbis pomœria locarentur, in loco arboribus conſito,ventis peruio,aquis irriguo, naturæ ſitu geniali, aëris clementia ſalubri: id ea mente faciebant, vt oſtenderent non ſolùm Æſculapij Numen vitalem induere ſpiritum, ſed etiam ipſum locum, in quo eſſet,domum,tectum, parietes fore hominibus ſalutares. Inania ſunt hæc commenta poëtarum, ſi delubro Æſculapij tribuantur; ſi tamen de ſanctiſſimæ Reginæ ædibus prædicentur,veriſſima profectò erunt eximij decoris monumenta: neque enim ſolùm Eliſabetha,ſed ipſa quoque illius domus cultricis ſuæ ingenium imitata vitam morituris adſpirare videbatur. Quod dum breuiter oſtendo, cum iucunditate,vt ſpero,audietis. Prope Mondam iuxta D.Claræ in loco amœnis ſalicetis viridicato, domus quondam fuit,in quã Eliſabetha abiudicato regno,regnandique amore, ſe collegit; ſtetit quidem illa diu, ad noſtram vſque tempeſtatem ſata, tectáque,aliquando tandem exeunte hyeme, ſubita exoritur procella, diceres in illius domus ruinam conſpiraſſe: nutant parietes,ſtrident cardines, tectum percrepat, aguntur rimæ, totius ædificij compages iam iam diſſoluendæ præſentis periculi admonent inquilinos, proripiunt illi ſe foras impigri: vnus tantùm in imis ædibus puerulus deliteſcit, quem ignarum & incautum crebris ictibus ſoluta domus obruit, cõtexit, ſepeliuit; miſeri parentes miſerum filium lamentantur, prius ſepultum, quàm mortuum; feſtinant,expediunt,perpurgant locum, vt attritum extrahant, quem integrum fuiſſe incluſum deplorabant. Tandem eò veniunt, vbi trabes à ſolo ad alterum parietem erectæ, & in fornicis modum, quaſi de induſtria ſubnixæ, ruentium tectorum pondus, ita molliter exceperunt, vt nulla neque plaga, neque labes, ſubteriacentem puerum deformaret.O eximiam virtutem!ô efficacitatem inauditam, quando non ſolùm Reginæ manus omnium ſanabat ægritudines, ſed etiam Reginæ domus omnium ſaluti conſulebat!

33\. *Æſculapij fana extra vrbem locabantur.*

Puer in obruta Reginæ domo mirè euadit

Quid ageres, Eliſabetha ſanctiſſima, ſi te ſuperiori anno cœlum terris reſtitueret? Videres hanc tuam ſedem, Conimbricam intelligo, vt de cætera Luſitania taceam, grauioribus oppreſſam morbis, quàm vnquam aliàs ſe excruciatam fuiſſe recordatur; graſſabatur peſtis, nutriebatur flamma, propulſabundo incendio omnia conflagrabant.Nullus vicus erat illæſus;nulla domus relinquebatur immunis: nullum contubernium perſiſtebat incolume: ſi quis erat, à quo vis mali abſtineret,mortis metu,multis mortibus acerbiori millies moriebatur. Cerneres incendio inſultu micare venas; terribili obritu ſalire oculos; perpetua nauſea cieri viſcera, in liuentes puſtulas tumere artus; multos prius mori quàm ægrotare: nonnullos præſentem mortem crudeli vitæ: naturæ diſſidio liberos ac parentes ſe inuicem fugere ac timere; vbique luctum, vbique funus, ita vt tota Conimbrica non virorum domicilium, ſed mortuorum ſepulchrum videretur. In tanta calamitate rerum, quid faceret Eliſabetha? Abiret? Excederet? Salubriora loca capeſſeret? Poſſet quidem, neque verò inconſultè; mea tamen ſic eſt ratio. Daret ſe profectò in diſcrimen, 34.

Peſtis per Luſitaniam graſſatur.

inuiſeret ægrotos, ſterneret lectulos, molliret puluinos, pararet cibos, ſnederetur omnibus, leuibus ipſa manibus, ſi opus eſſet, perſtringeret vomicas; parcè digitis preſſaretur, nulla denique munia prætermitteret, fœminæ ſtudioſiſſimè ancillantis.

35. Sed quia hæc officia dedecebant perbeati animi dignitatem, maiora quidem nobis à ſummo Deo exorauit beneficia. Namque Eliſabethæ patrocinium, ita iudico, ita credo, peſtiferas auras expiauit, gliſcentem flammam reſtinxit, inſultantis vbique lethi compreſſit animos, Conimbricam erexit miſero veterno conſopitam, vtriuſque Academiæ ſtudia jam dudum intermiſſa inſtaurauit: ſeorſim verò hoc Collegium ita fouit, vt natiuam edacitatem ignis circumquaque ambientis, totámque vicinitatem miſerè helluantis caſtigaret, ne intrò in hanc domum inſinuatus graſſaretur. Vidiſtis, vt Eliſabetha Moſaicæ columnæ naturam imitata viua mortuæ, ſuorum valetudini ſtrenuam operam præſtiterit? Quæſo attentè audiatis vti eiuſdem columnæ ſuo in populo liberaliter munerando induſtriam adumbrarit.

Hebræi dum iter facerent nullâ victus, aut cultus indigentiam pertulerunt.

Innumerabili Hebræorum multitudini pedeſtre iter eunti quadragenorũ annorum ſpatio abſoluendum maximè timendum erat, ne in ſummam inopiam vergeretur eorum omniũ, quæ ad victum & cultum pertinerent. Verùm prouidentiſſimam ductricem, id eſt, columnam anteeuntem inſequuta, nullius rei diu pertulit indigentiam. Nunquam paupertatis moleſtias exorbuit diuturnas: veſtes, quas niſi frequenter aut mutes, aut interpoles, agitatio diſſuit, vſus atterit, vetuſtas conſumit, eundem ſemper nitorem, eandem elegantiam, conſeruarunt. Calcei, quos viarum aſperitas conficit, ſaxorum affrictus lacerat, incurrentium ceſpitum offenſiones reſcindunt, nunquam obſoleti, nunquam olidi, ſemper integri, ſemper recentes extiterunt. Iam verò ferculorum apparatus ſi pergam recenſere, vtrum potiùs contingat, haud ſcio; an vobis ex omnium multitudine faſtidium, an ex ſingulorum ſuauitate appetentia concitetur. Qua gelidæ

Elyma vallis.

fontium perennitates occurrebant ex Elyma valle erumpentes: qua diu,na tanquam virgula percuſſa rupes iucundiſſimos in latices ſoluebatur. Hic ſponte ſuâ coturnices gregatim conuolantes ſe ſe inducebant, non in laqueos, ſed in manus omnium copulandæ; illic nectareas dapes è cœlo miſſas ſuauiores Atticis, vel adoreis tragematis, ſaliaribus, vel ſybariticis conuiuiis lautiores cum ingẽti omnes admirabilitate in cibos, in delicias colligebant. Quid vlterius? Quid opulentius fingi poſſet? Siquidem nemo ſanus, vel Attalicas Perſarum veſtes, vel mulleolos calceos Albanorum, vel hyematas Cæſarum potiones, vel pollucibiles ſacrificiorum cœnas in tanta rerum copia deſideraret.

36. *Regina quàm fuerit regno ſuo officioſa.*

Iam quæſo ad Eliſabetham cogitationes veſtras intorquete: cernite vti ſe præbuerit in ſuo regno alendo, ſuſtentandóque officioſam. O Reginam diuitiis mirabilem, mirabiliorem tamen beneficiis! Mitto in primis liberalitatem illam in ſacris ædibus extruendis ſingularem, quam mihi videtur habuiſſe hæreditariã, à paterno auo Rege Aragoniæ Iacobo, qui duo millia templorum ab hoſte capta, & euerſa erexiſſe fertur, & exornaſſe. Satis loquuntur tres illi Parthenones ſacrarum Deo Virginum, Auguſtiſſimi, quorum primum Olyſipone, alterum Almoſterij, tertium

Iacobus Aragoniæ Rex quàm liberalis.

Conimbricæ excitauit. Satis prædicant religioſorum hominum familiæ iã inde ab heroicis illis temporibus in Luſitania floreſcentes, quibus omnibus quidquid victus, quidquid veſtis, quidquid ſacræ ſupellectilis opus fuit, largè copioséque impendit. Satis teſtantur innumeri cœtus Monachorum extra Luſitaniæ fines, parcè duritérque viuentes, ad quorum recreandam inopiam quotannis præſidiarias pecunias dono dabat: ſatis denique omnibus, vt aiunt, tibiis decantat templum illud Compoſtellæ lõgè maximum, in quo exornando, illuſtrando, locupletando, plus vnius Reginæ laborauit induſtria, quam omnium Regum, pace illorum dixerim, non Hiſpaniæ ſolùm, ſed totius Europæ liberalitas. Quid obſtupeſcitis AA. comparate animos ad ea, quæ dicturus ſum, auaritiam iudicabitis, quidquid hactenus audiuiſtis.

Cura ſanctiſſima Reginæ erga templũ Compoſtellæ.

Platonis oraculum eſt, paupertatem & improbitatem à Deo germanas eſſe, vt vix vnquam inuicem diuellantur: quacunque in vrbe, inquit, mendicos videris, in eadem neceſſe eſt fures corycæi, manticularij, ſectores crumenarum, mancipia turpitudinis, omnium malorum artifices, omnium ſcelerum architecti deliteſcant. Illi enim neceſſitatis vi adacti nihil non agunt, nihil non moliuntur (iure ne, an iniuria nihil curãt) vt ſuæ conſulant egeſtati: proculcant leges, proterunt iura, depeculantur fana, compilant vrbes, corradunt omnia, denique cuiuſque flagitij nomine ſibi vitæ præſidia lucrantur, *ſceleri procliuis egeſtas*, cecinit quidam bene. Igitur Athenienſes rati id, quod erat, multorum vtilitatẽ paucorum incommodo præferendam: judicabant exhauriendam eſſe à Republica huiuſmodi ſentinam, hoc genus hominum procul à ciuitate abdicandum: quanto ſapientius Eliſabetha, quæ cùm intelligeret pauperes in vrbe degere periculoſum, ab vrbe relegare, inhumanum; ita pauperes retinuit, vt paupertatem excluderet; ita paupertatem excluſit, vt pauperes retineret. O intelligens perfectúmque iudicium! O ſingularem ac prope diuinam ſapientiam! vt ne hoc quidem nomine Athenæ bonarum artium altrices ſapientiſſimæ Reginæ prætiro videantur. 37.

Paupertas & improbitas germanæ.

Cogitare quæſo AA. cum animis veſtris omne genus paupertatis quo miſeri mortales vexari poſſunt, famis, ſitis, nuditatis, exilij, ſeruitutis, & ſi qua plura ſunt, ſexcenta alia. Certè nullum prorſus inuenietis, quod Eliſabetha non iuuerit, & in integrum releuarit; fame, ſitíque extabeſcentes, cibo, potúque mirificè recreabat, & viduæ Sareptenſis imitatrix alios paſcebat, eſuriens, oréque pallente ieiuniis fame torquebatur aliena: ſordidatis & pannoſis hominibus tribuebat amictum, non tegendi modò, ſed penè ornãdi gratia comparatum, & cum eſſet ſui comendi corporis negligentior, erat tamen in aliis excolẽdis curioſa. Externos homines, & peregrinos liberali excipiebat hoſpitio, & quæ pedes ac mendica in D. Iacobum omnes peregrinandi labores deuoraſſet, ſuo tamen in regno peregrinantium moleſtias abſtergebat. Soluendis è Maurorum iugo Luſitanis pretium ſoluebat nõ exiguum, & quãuis non eſſet ſui iuris à Dionyſio Rege dedita in cuſtodiã, nihilo tamẽ ſegniùs curabat, vt alios in libertatis iura vindicaret. Quid plura? Etiam nunc æſtimatis ampliores fines regiæ liberalitati præfigendos? Audite cætera, à vobis ego prius audiendi patientiam requiram, quàm vos à me Eliſabeth pietatis exornandæ argumentum. 38.

Genus omnis miſeriæ ſanctiſſima Regina releuat.

Ære

39. Ære alieno graues exornabat ſuo nomine; in pauperum funeribus debitas faciebat impenſas: mendicare recuſantes præ pudore clandeſtinis pecuniis iuuabat: pellicatui ſeruientes præ inopia magno impendio à nefario lucello auertebat; tota vrbe, diligentius ipſa pauperes, quàm pauperes ſtipem, quæritabat: damnum, putabat ſuum ſiquis debilis, & egenus cibo ſuſtentaretur alterius: magis illam inopes, vt parentem, quàm diuites, vt reginam venerabantur. Venio ad illas duas arces, Leirienſem alteram, alteram Scalabitanam, teſtes quidem Regiæ pietatis oculatos pariter, ac locupletes; in illam ſanctiſſima Eliſabetha recipit omnes fœminas, quæ vellent à turpi quæſtu, ad honeſtam vitam reſipiſcere, & à proſtibulis impudentiæ ad caſtitatis ſacraria commigrare: in hanc expoſititios infantulos collegit, quos vel pudor, vel inopia à parentum amplexibus ablegarat, vt illis ſe præberet altricem, quos nemo vellet habere alumnos, & quos pater filios erubeſceret, eorum ſe matrem eſſe gloriaretur. Videtis, quo illam iure, omnes Ordines, omnes Principes, omnes plebeij, omnes viri, omnes fœminæ, omnes ſenes, omnes pueri, omnis Luſitania, fauſtis acclamationibus parentem patriæ ſalutarent? O nubem multo quàm Moſaicam fœcundiorem! ô columnam laborantis imperij firmamentum!

Domicilia Leiriæ, & Scalabi erigit pietatis ergò.

40. Neque ſolùm ea largitas in priuatam, ſed multò in communem vtilitatem extitit mirabilior: vt maior frugum copia in Luſitania ſuppeditaret, deſerta & inculta ſola arationibus exercebat. Vt commodior eſſet omnibus habitandi locus, alibi ab imis fundamentis erigebat oppida, alibi ruinoſos vetuſtate, reſarciebat muros. Vt expeditior eſſet vltrò citróque commeandi opportunitas, quà vias directas ad amuſſim loricabat, quà fluuiorum ripas pontibus annectebat: vt in vrbes influerent emendicati è fontibus liquores paſſim fabricabat Euripos, paſſim architectabatur aquæductus, ne pauperes mendicandis corporum ſtrumis peculium acerbius exulcerarent, valetudinaria vbique vel denuo excitabat, vel reditibus augebat; denique ne Luſitani ſapientiam quæſituri, extra regni limites cum morum, ac diuitiarum iactura vagarentur, quid fecit? quid cogitauit; quid molita eſt? Conimbricæ in totius Luſitaniæ vmbilico inſtituit Muſeum literarum, ſi auditorem ſpectes, Zenonis pœcili frequentius; ſi magiſtrum adeas, Platonis Academia auguſtius: ſi doctrinam attendas, Ariſtotelis Lyceo locupletius, vt iam non hoſpitium apud Luſitanos, ſed domicilium habuiſſe ſapientia videretur. Et quamuis illas ſcientiarum officinas, temporum iniquitas labefecerit, eáſque multò poſtea inſtaurarit, eximia liberalitas, & in ſuos pluſquam patria beneuolentia clariſſimi, & Auguſtiſſimi Regis Luſitaniæ Ioannis tertij, quem mihi honoris cauſa nominanti, ipſimet parietes applaudere, geſtiréque videntur. Tamen, nemo veſtrùm negare audeat, quod ne ipſe quidem Rex, ſi adeſſet coràm, negare potuiſſet, primam laudem huius Academiæ conflandæ, ſanctiſſimæ Eliſabethæ deferendam. Quid eloquar Academia? Quid prædicem Conimbrica? quid exornem Luſitania? quid tam amplam egregiè factorum copiam, tam anguſta verborum illuſtrabit inopia? Verùm, vt eo maior Reginæ liberalitas videatur, quo totius opes eloquentiæ in anguſtius contrahuntur, patienter mihi obſecro vlteriùs vacate.

Regina liberalitas in cõmunibus beneficiis.

Sanctiſſima Regina Conimbricenſis Academiæ prima extitit fundatrix.

41. Fuit aliquando in hac vrbe tanta ſiccitas agrorum, & ex illa tam atrox fames conſequuta, vt nunquam ſimilis calamitas oppidanis incubuiſſe diceretur. Præterea macie confectos vultus, illuuie ſentos artus, colore muſtelino pallentes oculos, ſtupore morti proximo ligatos ſenſus, corpora ſine ſucco, ſine ſanguine, tenuiſſimis tantùm neruis cohærentia. Non eſt animus, charactere, vt dicitur, oratorio, famis imaginem adumbrare. Vtinam noſtrum ſæculum, illud eſſet, in quo toties non cogeremur illam oculis intueri. Vnum tamen non omittam, in tanta annonæ caritate, oppidanos omnes paſſim in agros exire pabulatum. Si quis erat, qui arentes radiculas in eſum colligeret; bene ſibi conſultum eſſe opinari; ſiquis occulto ſpeculatu muſculos venaretur, credere ſibi lautè conuiuandum; ſiquis ſolerti aucupio ſpinturnicium captaret, interim pauos Samios non inuidere, ſiquis ne his quidem ſordibus victitaret, deficere, torpere, ſtrangulari, interire. Quid Eliſabetha, in tanta ſtrage populorum ſibi conſulere? Suis in poſterum prouidere? tranſuerſa agerentur omnia, nihil curare? procul à vobis ea cogitatio, procul abſit, imò nunquam ſua curauit negligentiùs; nunquam impenſiùs aliena: eius domus per id temporis nihil videbatur, minus quàm Regia. Nummaria erat, frumentaria erat, penaria, erat, olearia erat, altera ſuccidia erat, non ſibi, ſed vrbi; non domeſticis, ſed externis; non aliquibus, ſed omnibus. Principes viri Reginam conuenire, periculi admonere; cautè & prudenter agendum; parcè & frugaliter diſpenſandum: ſi omnia ſimul dilapidaret, fore, vt ea ipſa, quæ vrbem fames opprimebat, Regiam quoque inuaderet: & quæ largitas erat eatenus plurimis ſpes vitæ, eſſet omnibus deinde ſalutis deſperatio. Nihilo tamen Regina erogabat anguſtius: diuites ne venirent ad incitas, ſuis largitionibus conſeruabat; pauperes, ne vrgente fame extinguerentur, plurimis cibariis alebat; morientibus ne in ſumma orbitate decederent, omnibus remediis præſtò eſſe nitebatur, *populo extincto ſupereſſe Reginam* dicebat *indignum*; *Regina etiam pereunte ſeruari populum, glorioſum.* O pietatem non vnius, ſed ne omnium quidem ætatum præconiis ſatis dignè efferendam! quanta de ſpe Conimbrica decidiſti? quanto de præſidio deuoluta es Luſitania, ex quo Reginam, talem, talem parentem amiſiſti? Quam in rem, eorum ego tantùm requiro teſtimonia, qui ſuperiori anno in hac vrbe reſtiterunt.

Fames Conimbricæ.

Reginæ liberalitas quo tẽpore fames graſſabatur.

42. Meminiſtis, quæ facies erat omnium, & quæ macies? quis habitus? quæ forma? quis color? quæ imago? non vmbrata, non fucata, ſed viua, ſed expreſſa famis & egeſtatis. Vereor ne tanti mali vulnera recrudeſcant, dum tantorum vulnerum memoria renouatur: dico tamen eò calamitatis ventum eſſe, vt niſi adfuiſſet eximia liberalitas principum virorum, quos prudens, ſcienſque omitto, ne cùm orator eſſe debeam opportunus, importunus eſſe videar adulator: niſi religionum charitas ſingularis, noſtræque ſocietatis etſi minimus, certè beneuolentiſſimus labor omnibus deſeruiſſet, de vrbe, de vrbanis actum foret. Vna tamen deerat Eliſabetha, quæ profectò, ſi adeſſet, vicatim, oſtiatim concurſando, qua cibos, qua pecunias, qua diuerſa congiaria tribuẽdo; non in roſas aurum, vt quondam fecit, ſed in aurum totius vrbis indigentiam commutaret. Audiuiſtis, ſicuti nubis præuolantis auſpicio, nihil defuit Hebræis; ita Eliſabethæ imperantis beneſi-

Virorũ principum, ac religionũ liberalitas quo tempore fames Conimbricæ graſſabatur.

neſcio, nihil vnquam defuiſſe Luſitanis. Iam vt a eorum in ſuo regno tutando ac tranquillando excelluerit; quod vobis multò erit iucundius auditu beneuolè attendite, breuiter perorabo.

Secunda pars orationis.

43\. Caput extulerat è miſera ſeruitute exercitus Hebræorum, pedes, manúſque nefariis vinculis exuerat; tentare iter cœperat in beatam oram patriæ libertatis. Primis, alteríſve caſtris, ad Erythræum mare ventum eſt. Miles otium nactus à labore, ſuis ſe deonerare ſarcinis, figere tentoria, indulgere cibo, curare corpora, pluteis circumdatis dedere ſe in ſoporem & quietem. Pharaonem, vel concinnatis aliorum verbis circumuentum, vel inſita animi leuitate fluctuantem, æſtus quidam cogitationum à ſe, à ſententia abripuit: dolet tantam prædam ſibi eripi è manibus, tantum, vt aiunt, bolum ſibi è faucibus excuſpi parat: milites armis inſtruit; Ægyptum, vitéſque Orientis, & vltima ſecum Bactra vehit: iubet vt iiſdem ſemper inhærentes veſtigiis inſequantur fugientes, & in eandem, qua eruperant, referant ſeruitutem. Curatur, vti imperat: adeſt ſubitò incautis, & ſecundùm maris oram otioſè feriantibus infinita propemodum hominum multitudo, armis horrida, animis truculenta, falcatis curribus ſuperba; ſonant litui, æra perſtrepunt, inconditi clamores læuum, neſcio quid ac ferale minitantur. Quid Hebræus? tremere, frangi, deficere, collidi, ſibi mortem, Moyſi ditas imprecari. Quid faceret? prorſum iret? Obſtabat immenſa illa vaſtitas vndarum, omnes ſi vltrò pergerent, præaltis voraginibus hauſtura. Rurſum caderet? Hærebant in tergo hoſtiles cunei, in illius procul internecinam cladem, ſi loco moueretur, ruituri. Ergo quid? pallere, obſtupeſcere, ſeniores tantum malum ab omnium ceruicibus deprecari; iuniores, vt in re trepida armati miſeræ ſe carnificinæ deuouere: omnes ſpem ſalutis abiicere, nec de mortis fuga, ſed de mortis genere cogitare. Parum aberat, quin vtrinque acies congreſſæ mutuis ſe vulneribus conficerẽt, & luctuoſior pugna, quàm ciuilis fuit apud Romanos, naſceretur. Quid tamen exiſtimatis, iam iam ad prælium coituris accidiſſe? O miraculum! O prodigium inauditum! Ecce tibi nubes illa, quæ primum agmen Hebræorum anteibat, mira celeritate recurrit ad poſtremum; mediáque inter vtrumque ſua exercitum iam prope velitantium arma dirimit, illius tutatur tergum, huius retundit impetus, fugientis confirmat animos, conatus eludit inſequẽtis; ab alterius vtrumque manibus ſeparat, ac diuellit.

Pharao Hebræos inſequitur.

Nubes, quæ Hebræos anteibat, ad poſtremã aciem recurrit, & Pharaonis exercitus impetum retundit.

44\. Quod expreſſiùs fingi poterat Sanctiſſimæ Eliſabethæ ſimulachrum; quæ non ſemel vt nubes illa, bellorum ſemina compreſſit, ſed ter & amplius, vt oſtendam, clariſſimorum Principum diſcordias tranquillauit. Alphonſus Luſitaniæ Princeps, cùm à puero indulgentiſſimo Patre vteretur; adoleſcens tantam in licentiam erupit, facile vt oſtenderet, pueros, ſi duriter tractentur, mites, ac faciles; ſi molliter habeantur, indomitos & illiberales euaſuros. Itaque regnum meditari cœpit, dolos cudere, ambire populum, gladiatorium animum induere in parentem, & ne à filio in perduellem degenerare videretur, fingere ſe à patre præter ius & fas fieri exhæredem, & in regnum adulterinam parentis ſobolem cooptari. Hiſce rumoribus feriatorum iuuenum gratiam collegit, exercitum conflauit, tota Luſitania impune debacchatus; quid monſtri non fouit? quid monſtri non excluſit? Primò Leirienſem vrbem aggreditur: deinde Scalabitanam arcem occupat, inde Conimbricam expugnat, obiter maioris montis oppidum inuadit: protinus Langobrigam capit, Cale ſubigit, Portum ad deditionem impellit: poſtremò totam fermè regionem perlabitur interamnem, facem præferens & incendium, vexat, premit, vaſtat, populatur, iterum ſeſe recipit in hanc vrbem omni armorum, militúmque præſidio confirmatam. Dionyſius iuuenilem audaciam admiratus, regni ſtragibus commotus, cogit militem, arma comparat, in vlteriori ripa Mondæ, quæ mœnibus ponte iungitur, caſtra locat, fidem omnibus præſtat ſuam, factam ſibi iniuriam nonniſi filij cruore eluendam. Paſſim vtrinque milites concurrebant, ſæpe cruenta inibant prælia, ſuis ſe gladiis liberi, ac parentes iugulabant, victoriæ victos pariter, & victores pœnitebat, neque res alium exitum credebatur habitura, quàm ſi vel filij, vel parentis partes in extremam aleam vocarentur. Sed videre ſingularem, ac penè diuinam Martis componendi rationem; Eliſabetha è cuſtodia, vbi per id temporis incluſa tenebatur, foras emicat; Conimbricæ adeſt improuiſa, non illa virum, non illa pericli, telorúmque memor, intro ſeſe infert, in quam partem atrociores pugnæ ſæuiebant. Alphonſum adit, Dionyſium alloquitur; primarios duces conuenit, quærit omnem aditum, flectit ſe in omnem faciem, monet, ſupplicat, deterret, pollicetur, omnium fauores aucupatur, tandem precibus eos vincit, quos nec bellorum fulmina, nec pietatis iura domuerunt: è manibus arma excutit, ab animis odia extirpat, à toto ore ſæuitiam ablegat, patrem ac filium mutuos conuertit in amplexus, omnium bellorum tumultus comprimit ac ſerenat.

Alphõſus Luſitaniæ Princeps vel in ipſum patrẽ bellum doloſè machinatur.

Alphonſus Luſitaniæ Princeps per totum regnũ captis armis decurſat.

Dionyſius in filio Alphonſum bellum ſuſcepit.

Sanctiſſima Regina inter patrẽ Dionyſiũ, & Alphõſum filiũ pacem firmat.

Admiramini pacis interpretem, tanquam cœlo diuinitus elapſum? Maiores adhuc armorum procellas ab eadem tranquillatas audietis. Nondum recens vulnus occaluerat, ſubitò cum maioris doloris ſenſu refricatur. Alphonſus malè ſanus malè reſipiſcit; priori flagitio cumulum apponit nequiorem, hoſtem ſe præſtiterat, nunc fœdifragum. Parentem Olyſipone commorantem aggreſſurus, eodem agit copias; obuius accurrit parens filium vt proteler; ſexto ab vrbe milliario hinc inde metantur caſtra; 45.

Alphonſus Luſitaniæ Princeps patrem Dionyſium prope Olyſiponem bello aggreditur.

Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

Datur ſignum, vtrinque exitur, conſeruntur manus. Deus immortalis! quæ ſtrages, quæ pernicies, quæ calamitas illius lucis fuit? equorum pulſibus tremit ſolum; tubarum clangoribus tonat cælum; armorum colliſionibus aër fulgurat; præliantium anhelitu conflantur nebulæ, vbique ſanguis, vbique cædes, cadauera vbique in aceruos cumulantur. Rex & Princeps; ó portentum! Senex & iuuenis; ó prodigium! Pater & filius, ô piaculum execrandum! toto exercitu equitantes ſe inuicem prouocant in arenam, mutuum ſe inuicem repoſcunt in interitum. Quem finem tanti prælij niſi miſerandam vtriuſque exercitus ruinam fuiſſe iudicatis? Conſulite tamen rei euentum. Eliſabetha re cognita præpropero curſu ad certaminis locum fertur, volaſſe diceres, non ambulaſſe: in medias acies, in armatos hoſtes, in confertos cuneos metuenda magis, quàm metuens, prorumpit: fulminabant enſes, ſtridebant iacula, torquebantur ſaxa, reuocabant à tergo clientum voces, ipſa nihilominus pergere; Alphonſum inclamare, Alphonſum; vbi deſignat oculis, inuolat, corripit vtramque manum,

Sanctiſſima Regina filiũ ſuum Alfonſum increpat.

num extorquet arma, caſtigat verbis. Quid tu, inquit, incendium, & fatale malum Luſitaniæ pergis vlteriùs inſanire? Non te pudet paternæ iniuriæ, violati fœderis, turbatæ pacis, effuſi ſanguinis, editæ ſtragis, vt non niſi proculcatis tuorum ciuium cadaueribus mihi ad te patuerit acceſſus? Poteris totius poſteritatis maleuolentiam in te recipere? Non times debitam tot criminibus vltionem ſuſtinere? Audes propter quos hanc ſuauiſſimam lucem aſpexeris, eos indigniſſimè luce priuare? Si in patrem impiè debaccharis, matrem, quæ te vel ipſa vita multo habet cariorem, cur tam aſperè inceſſis? Prohibe à te quæſo iram Numinis tuo capiti, niſi mentem recipis, propediem affuturam. A filio hiſce verbis delinito curſum inflectit ad parentem: orat vti in commune conſulat; vnicum hæredem regno ſeruet; iuuenili audaciæ ignoſcat; iuſtas iras ſenili prudentia moderetur. Hinc ad vtramque aciem diuertit, monet ne pergant peſſum premere Luſitaniam: ne ſuo ſe ſanguine conſanguinei cruentent, ne illorum vitam opprimant, quorum poſtea mortem deplorabunt. Paulatim emollit animos; expungit iras; componit ſenſus; exarmat manus; omnes in gratiam reuocat multo quàm antea firmiorem. O nubem! O columnam mirabilius, quàm Moſaicam Regum concertationes dirimentem! Nemo vnquam tam gloriosè bellum geſſit, quàm feliciter Eliſabetha pacem fecit: nemo tam iniquè voluntates hominum ſegregauit, quàm beneuolè Eliſabetha copulauit.

Dionyſium cum germano ſuo Alphonſo componit.

Attendite vlteriùs, quas bellorum fibras euulſit, quos pacificationis fructus inter alios atque alios excitauit. Alphonſus ac Dionyſius germani fratres, arcanis primùm odiis diſſidentes, deinde apertis ſimultatibus nefariè tumultuantes eò iam proceſſerant, vt tota Luſitania fraterno ſanguine imbuenda videretur: ſequeſtram ſe Regina interponit, hinc vitum, inde leuirum alloquuta, facilè ab vtroque debitam aduersùs alterum beneuolentiam exorat.

46. *Dionyſium cum Ferdinando Caſtellæ Rege conciliat.*

Ferdinandum Caſtellæ Regem, ac Dionyſium Luſitaniæ graues inimicitiæ diſtraxerant: pugnabatur vtrinque fortiter. Hiſpanus collecta claſſe Luſitanam oram vellicabat; Luſitanus infeſtis ſignis in Hiſpanos agros irruebat: intercedit Eliſabetha caduceatrix, pacem orat, bellum deprecatur; conciliat infenſos animos; affinitatis vinculo connectit, ne ita facilè in poſterum diſſoluantur. Inter Ferdinandum Caſtellæ Regem, & Iacobum Aragoniæ, acris exoritur de Murciano agro contentio: ad litem ferro decidendam, vtriuſque conſilia ſpectant: ſuſcipiunt bellum ſociale non alio exitu, quàm totius Hiſpaniæ exitio terminandum: adeſt ſubitò Eliſabetha conciliatrix ſocietatis humanæ, non humana, ſed diuina; remouet ab armis, compellit ad arbitros: in foro cum ingenti vtilitate vtriuſque definitur cauſa, quæ in bello erat cum extrema omnium vaſtitate præcipitanda, potuit ne ſtudium eſſe vehementius pacis componendæ? Crediderim hoc. Eliſabetham à Chriſto Seruatore hauſiſſe, expreſſiſſe, arripuiſſe: vt enim puero recens nato cæleſtes chori pacis genethliacon ad cunas decantarunt; vtque idem ad moriendum proximus condito ſuæ teſtamento voluntatis pacem hominibus legauit; ita planè Eliſabetha cùm primùm in lucem data eſt. Parentem & auum non leuibus iurgiis contendentes, in gratiam prolectauit: eadem ad moriendum vicina prius viuere deſiit, quàm filium & nepotem atrocia bella machinantes ad pacem adhortari. O pacem Luſitaniæ! O Regum tranquillitatem! O bellorum expugnatricem, conciliatricémque ſingularem animorum!

Ferdinandũ Caſtellæ Regem, ac Iacobum Aragoniæ ab armis remouet.

Eliſabetham cum nube illa iam dirimendo bello comparaui: in extrema orationis periodo 47
etiam præfeceris. Dum ea nubes Hebræum & Ægyptum interiecta moram facit præliandi, res accidit propter magnitudinem incredibilis, propter nouitatem inaudita. Erythræum mare facto aquarum diuortio in contrarias partes cedit, fluctus hinc inde retrouerſum compelluntur, & in immenſos cumulos glomerati tanquam abiecta crepidine à Deo ſuſtinentur; ne in miſerandam eluuionem dilabantur, nubes terga deſerit, primam frontem anteuertit; ducem præſtat inter fluctus: ſequuntur Hebræorum copiæ ſicco alueo exceptæ, & quadrato agmine incedentes ad vlterius littus feliciter euadunt. Inſtant Ægyptij animo iam prædam deuorantes: tamen ad medium mare perlati, lutulentis vadis inhæreſcunt; difficultate itineris perterriti retro commeant: cùm ſubitò ab vtroque littore, mare coire cœpit, vnde paulatim coguntur in anguſtius: exanimantur miſeri triſti obſidione circumuallati: tandem vndique ſe maria committunt, & metuendo ſpectaculo omnes obruunt, & inuoluunt arma, currus, equi, homines, & Ægyptia gaza per vndas. Quorſum hæc ſpectant? dicam. Nubes illa ita interpres fuit dirimendi belli, concordiæque firmandæ, vt alterius partis commodo inſeruiret, alterius perniciem moliretur. Contrà verò Eliſabetha nemini vnquam nocuit, omnibus ſemper profuit. Ita vtramque factionis partem in gratiam reſtituit, vt nunquam vnius damno alterius luctum compararit.

Hebræa copia ſicco maris alueo excipiuntur.

Ægyptij dum Hebræos inſequuntur alio gurgite obruuntur.

Quis hac noſtra tempeſtate, ſeu, vt dicã veriùs, calamitate, talem Reginam non expetat, non deſideret, non requirat? Tota Luſitania iam multum 48.
tempus eſt, ex quo maximis bellorum tumultibus cietur. Cernitis Oceanum Luſitanorum induſtria exploratum, piratarum nauigiis interclusum: naues Indicas olim ad Luſitaniam feliciter appulſas, modò ad hoſtiles oras miſerabiliter auectas: maritimas quondam ciuitates aſportatis vndique mercibus opulentas, nunc armatis è Britannia claſſibus patefactas, Olyſiponem anteactis ſeculis orbem, præſentibus ne vrbem quidem: tunc externis victoriis laureatam, nunc domeſticis calamitatibus attritam: Conimbricam, aliquando literarum otio indulgentem, iam armorum negotio laborantem, totum regnum, quàm longè patet, multo atrocius eminentibus bellis, quàm ingruentibus laceratum. Meritò vt mihi liceat vſurpare veterem illam Hieronymi querimoniam, *Aruerunt vetuſtate lacrymæ, præter paucos ſenes, omnes in armis nati iam non deſideramus, quã nunquam nouimus, tranquillitatem.* Vtinam nobis ſanctiſſima Eliſabetha in hac agitatione rerum ſupereſſet, paciferáque manu ramum præferret oliuæ: non dubito, quin ſtatim militum iræ deferueſcerent, Principum odia reſiderent, armorum procellæ detonarent, Luſitaniæ iam dudum erepta tranquillitas redderetur.

Hieron.

Vidiſtis A A. vti Auguſtiſſima Regina regni ſui 49.
felicitatem, quod regium munus eſt, diligenter curauit, quoad vixit. Tandem æquum erat, vt quæ ſuos humana felicitate donarat, diuina à Deo felicitate donaretur. Terras deſerit ad ſuperos concedit. Ægrotantium imbecillitatem fouit; inco

Digitized by Google

jncolumitatem accipit ſempiternam : pauperum inopiæ conſuluit;diuitiis nunquam perituris locupletatur : tumultuantium Regum diſcordias compoſuit ; iucundiſſimam æternæ beatitudinis ingreditur requietem : alio ſceptro inſignita, alio diademate decota,alia purpura ſplendeſcens, non in auguſta Luſitania,ſed in auguſta lucis aula dominatur.Quid miramini,ſublata vobis Eliſabetha tot calamitates in ſingulos annos redeuntes, tanquam Lernæa capita pullulare? Sæuire peſtẽ,graſſari famem,ardere bellum,turbari omnia,& quod peius eſt,ô rem indignam veſtris auribus,iniqnis tamen temporibus exprobrandam ! Tot ſcelera, tot flagitia,tot ſeminaria cæleſtis vindictæ in Luſitania nutricari.Quid miter? Vna Eliſabetha quę tot malis medicetur;vna Regina,quæ tot miſeriis pattocinetur ; vna omnium parens,quæ tot periculis opem ferat,nuſquam paret, nuſquam extat. Vt non immeritò Conimbricenſes Eborenſes, Olyſiponenſes , Luſitani omnes viri cum erepta Eliſabetha ereptam ſibi felicitatem lamententur. O Conimbrica!O Luſitania, quò ſpes tuæ receſſerunt , cùm ſingulare tuæ felicitatis præſidium collapſum eſt ! Tuam quietem Reginæ vigilantia ; tuum otium,Reginæ labor;tuas delicias Reginæ induſtria ; tuam vacationem,Reginæ occupatio;tuam vitam,Reginæ pericula defendebant: tali modo orbata ſubſidio,viuis ne Luſitania ? an? Meritò quidem videri potes , Eliſabetha ſuperſtite vixiſſe pariter ; intereunte pariter interiiſſe.

Erepta Regina quæ Luſitania ſuperfuerint calamitates.

Intereunte Regina & noſtra interyt Luſitania.

50\. Sed colligite animos AA. iterum obſecto colligite. Si Eliſabetha, dum regnauit apud Luſitanos,miſeriam huius regni felicitate commutauit: quis dubitat eandem , dum triumphat apud ſuperos,eidem malo idem præſidium allaturam? Quare quanta maxima poſſum contentione vos obſecro , & obteſtor ,vt nulla pietatis, ac religionis officia aduersùs ſanctiſſimam Reginam deſeratis; hanc amate, res ipſa monet : ad hanc confugite, calamitoſa tempora ſuadent : huius memoriam veſtris animis hærentem ſtudioſè colite, ægra ac penè depoſita Reſpublica adhortatur, faceſſat ab animis impietas , ab vrbe ſcelera exigantur,in toto regno peccandi licentia comprimatur : auitæ pietatis inſtituta renouentur : meam interpono fidem , ſi qua eſt , Eliſabetham curas veſtras diligentius ,(quàm vos ipſos curaturam. Quod quo minus dubitetis ita reor , ita iudico , triplex ille turbo ſuperiori anno tot.. Luſitania debacchatus, quorum vnus ſalubritatem aëris inuaſit ; alter camporum fertilitatem intercluſit ; tertius regni pacem labefactum iri infelicitet portendit , ſanctiſſimæ Eliſabethæ patrocinio conquieuit.Et ne vlteriùs dicendo , veſtram audiendi patientiam obtundam , Eliſabethæ , gratia apud Deum ſingulari,hic nobis ſerena luce clarior illuxit dies, in quo Solem mundo , aſtra cælo,auris temperiem, ægris vitam,terris fruges , regno pacem, templis cultum, foto leges,vrbi animam,gymnaſiis decorem , homines hominibus, denique noſmetipſos nobis reſtitutos eſſe mutuis officiis gratulamur.

Religionem erga ſanctiſſimam Reginã commendat.

ORATIO III.

De eadem Eliſabetha Luſitaniæ Regina.

ARGVMENTVM.

Prodit ſecundò Eliſabethæ Orator nobiliſſimus,ſecundus verò auſpiciis.Reginam ſuã cum Regum Magorum aſtro aptè componit:benignum veluti,ac ſalutare in Luſitaniam ſydus in demonſtratiuo genere eã prædicat.Regni euerſionem à vitiis illatã, & eiuſdem reſtaurationem à Regina factam proſequitur : deſtructum,& extructum opus luculentus commendat, Tandem Eliſabethæ erga religioſos ordines extollit liberalitatem , in qua prioribus Luſitaniæ Regibus ſingulare extitit ornamentum , & poſterioribus immortale documentum.

ANno ante ſuperiorem ſanctiſſimæ Eliſabethæ laudes ex me , ſi non ornatè compoſitas , certè quantum valui excultas , audiuiſtis. 51. Præbuit mihi argumentum nubes illa in ſpeciem columnæ conformata , quæ Hebræos ab Ægyptia ſeruitute liberatos, ad beatam vſque Palæſtinæ regionem inſtar ducis anteiuit. Vt enim illa à calamitoſo ſtatu ſeruitutis ad felicem conditionem libertatis , Hebræorum exercitum tranſduxit : ita oſtendi Auguſtiſſimæ Reginæ beneficio Luſitaniam ab ea calamitate,in qua penè depoſita iacebat , ad eam felicitatem, in qua poſtea diu floruit,excitatam Hæc tunc ita fuerunt. Verùm idem mihi dicendi, idem vobis audiendi labor, hoc ineunte Ianuario contingit. Quid noui à me dicendum expectatis ? vllo verborum ambitu , ne vos teneam , accipite quò vadant in hodierna actione rationes meæ. Dicam Eliſabetham, non iam veluti columnam Hebræorum,ducem nobis ad humanam felicitatem præcucurriſſe.ſed veluti ſtellam Magorum antiſtitam nobis ad diuinam felicitatem præuolaſſe. Quorſum eam iam tenetis. Antequam rem agam , quæſo illius naturam aſtri,quod Regibus præluxit, cogitetis ; non dubito , quin vobis expreſſum Eliſabethæ ſimulachrum videatur : illud aſtrum non vt cætera,quæ ab occaſu in ortum rapiuntur , ab ortu potius ferebatur in occaſum ; Eliſabetha , non vt cæteræ Reginæ,quæ tenebras fugiunt, lucem amant : receſſus deſerunt , ambiunt ſpectacula : detrimenta gloriæ verentur , ornamenta laudis aucupantur: non, inquam , vt cæteræ Reginæ, Eliſabetha honores fugere,diuitias ſpernere, hominum theatra euitare , imperandi maieſtatem faſtidire : ad latebras,ad ſolitudines, ad rerum omnium , quæ vllo ſunt in pretio,deſpicientiam.ſua ſponte,ſuo motu, properare. Illud aſtrum non vt cætera , quæ alterna viciſſitudine occidunt , & naſcuntur , die, noctéque ſemper lucidum , ſemper ſplendidum viſebatur. Eliſabetha non vt cæteræ Reginæ, fortunæ ludibria,inconſtantiæ ſimulacra ; quæ iam florent,iam marceſcunt ; iam humiles,iam ſuperbæ ; iam placidæ,iam immites ; non , inquam,vt ceteræ Reginæ Eliſabetha. In aduerſis ſemper conſtans, in proſperis ſemper temperans, in peri-

Regina cum Regum Magorum aſtro confertur.

Præfertur illi Magorum aſtro.

culis

culis ſemper prouida, in laboribus ſemper impigra, in calumniis ſemper patiens, in laudibus ſemper verecunda, in omnibus nunquam alia, ſemper eadem. Illud aſtrum non vt Aquilonares vrſæ ſingulæ ſingularum præſides regionum, quarum

----regit altera Graias,
Altera Sidonias, vtraque ſicca rates,

tribus Regibus dux itineris, anteceſſit, in quibus credit Anſelmus, totam Aſiam, totam Africam, totã Europam, orbem deniq; totum adumbratum. *Anſelm.* Eliſabetha, non vt cæteræ Reginæ, quæ exiguis incluſæ terminis regionum, paucis dominantur, conſulunt paucioribus, pauciſſimis aditum in cælum moliuntur; non, inquam, vt ceteræ Reginæ Eliſabetha. Aderat Hiſpanis, præſtò erat Aragoniis; conſulebat Luſitanis, Africanis prouidebat; Aſiaticis miniſtrabat, Europæis anteibat, omnibus ſuam operam, ſuum patrocinium omnibus ad æternæ beatitatem vitæ impendebat. Vultis vt hoc vltimum clariùs oſtendam, & apertiùs? Imò in ea re, ſi placet, reliquam orationem collocabo, de aſtro nihil vlteriùs dicturus! Ita iudico, ita ſentio, ita ſi quid dicendo valeo, conuincam nullam eſſe gentem tam vecordem, nullam nationem tam incultam, nullum genus hominum tam ferreum, cui ſanctiſſima Eliſabetha, in mortem lucentis aſtri non præiuerit ad ſalutem. Sed illuſtrior vt excurrat oratio, tria in capita conferetur. Date antes, Eliſabetha magnum ſiue aſtrum, ſiue ſignum, ſiue totius prodigium naturæ, Ethnicis præiuit ad fidem, Chriſtianis ad legis obſeruantiam præcucurrit, Religioſis hominibus, ad virtutum omnium exaggeratam celſitatem præuolauit. Præiuiſſe Ethnicis ad fidem iam accipite.

Regina Ethnicis præiuit ad fidem.

52. Certum eſt, quo tempore ingruentium laborum mole, vera fides periclitatur, ſemper nouum aliquod præſidium à Deo comparari, quo ab his periculis liberetur; ita nimirum, vt ſi per falſa dogmata fiat impetus, per vera argumenta retundantur; ſi per arma validior impreſſio, per arma quoque acerrimè propulſetur; ſi per viuendi licentiam audaciſſimi incurſus, per viuendi continentiam conſtantiſſimè reprimantur; atque ita, teſte Chryſoſtomo, victoriæ corona per contraria fabrefacta glorioſior effloreſcat: ſingula ſingulis confirmo teſtimoniis. Inter Chaldæos primos Aſtrologiæ parentes, vana ſuperſtitio orta eſt, quæ cælo atque aſtris diuinitatem affingebat; tam leuis & inanis opinatio, ad alios atque alios transfuſa Deorum multitudinem inuexit, veram fidem ſepeliuit, vnius Numinis notitiam, vel ab ipſa natura, hominum mentibus impreſſam, abdicauit. Quæ res naſcentem falſitatem premeret, ſerpentem latiùs refrænaret, latiſſimè dominantem coërceret? Vnum Deus Opt. Max. exhibet, & in totum orbem peregrinatum mittit Abrahamum, vt Aſtrologus, cùm eſſet peritiſſimus, ſyderúmque naturas exploratiſſimas haberet, vbique gentium palàm faceret, illos aſtrorum ignes Deos non eſſe, ſed potiùs, vt Niſſenus philoſophatur Gregorius, præeuntes faces, quibus æterna, diuinaque natura monſtraretur; itaque quæ fides per aſtrorum ſcientiam exciderat, per aſtrorum ſcientiam, Deo auſpice, inſtauratur.

Deus contrario contrarium repellit.
Chryſoſt.
Chaldæis adſcripta Aſtrologia.
Abrahamus.
Niſſen.

53. *Hieroſolymæ excidium.* Vnicum in terris veræ fidei, ac religionis municipium Hieroſolymam, Babylonius quondam Imperator armata manu obſedit, crebris impreſſionibus inuaſit, miſerabili ruina expugnauit. Quis orator illius calamitatem vrbis lamentetur? Rex effoſſis oculis abducitur, ingreſſurus quidem, non viſurus Babylonem, milites lautioribus exuti veſtibus ferreas induti in catenas, acerbiſſimum in exilium ablegantur, cadauera paſſim inhumata, trunca manibus, deformia vulneribus, feris, auibúſque voranda relinquuntur. Quid plura? Auguſtiſſimum delubrum veræ fidei ſacrarium, veræ religionis domicilium, cæca temeritate violatur: rumpuntur clauſtra, perfringuntur fores, denudantur aræ, menſæ ex auro ſolido, prægraues, phialæ inſertis gemmis pellucentes candelabra opere mirabili perfecta, trabeæ, infulæ, tiaræ, & ſi qua ſunt alia ſacræ ſupellectilis ornamenta, omnia auferuntur, quidquid reliquum erat recti, parietum, ſignorum, columnarum; totum id ſubiectis facibus conflagrauit. Quis non crederet, in tanta armorum procella, de fide, de pietate, de vnius reuerentia Numinis actum eſſe? Sed videte diuinam ſapientiam, humanæ temeritati ſingulariter obiectam. Eo ipſo die, quo hæc geruntur, Dei conſulto factum eſt, vt Darius, tanti ſceleris vltor in lucem ederetur. Qui vbi primum in maturam ætatem adoleuit, Babylonem repentinus aggreditur, muros diruit, euertit domos, obtruncat Regem, in pœnas exigit oppidanos, fertiliſſimæ vrbis ſolum ferro, flammáque depopulatur, ita vt neque ſationi aptum, neque paſtioni vtile, neque habitationi opportunum, vnquam amplius videretur; vnum extitit illius vrbis monumentum ad memoriam omnium ſempiternam: intra deſidentis terræ labes (vatem conſulite Eſaiam) nocturna neſcio quæ ſpectra, laruæ, Styges, lemures antiquæ ſuperſtitionis teſtes, recentis calamitatis indices, die noctéque fremebant, ſæuiebant, vlulabant. Neque multò pòſt Cyrus Darij nepos ex ſorore, Hebræorum reliquias iamiam interituras, liberas abire iuſſit, quæ de integro vrbem ponunt, ciues colligunt, fanum extruunt, & religione, & ſanctitate, & opulentia antiquo illi præferendum. Ita quam fidem armorum vis labefactauerat, tandem armorum vis in priſtinam ſanctitatem reparauit.

Babylonis euerſio.
Cyri erga Iudæos pietas.

Atrocius bellum illud extitit, quo ſæpius audiuiſtis, à Rege Hebræorum ſeptimo Achabo veram religionem laceſſitam: in quo non armis, non argumentis, ſed peſſimis moribus agebatur. 54. Regi ad libidinem effuſo, ad incuriam licenti, ad impietatem temerario, ad omne vitiorum genus præeunti, imperitum vulgus ſeruiebat: pudor aberat, aderat impudentia, regnabat iniuſtitia, innocentia exulabat; graſſabantur vitia, virtutes peregrinabantur. Quò exiſtimatis tot ſcelerum cohortes tetendiſſe? Omnes ad veram fidem, non dico obſeruandam, ſed expugnandam facto agmine conſpirarunt. Ergo vera religio paulatim exoleſcit: vnius Dei cultus nequiter abiuratur; belluarum ſimulachra in Deos conſecrantur, tauri, vituli, ſerpentes, Ægyptiorum, Sidoniorúmque idola, ſeu potiùs portenta palàm in luce, in oculis adoranda proponuntur. Videtis quantum vnius Principis licentia ciuium mores profligauit? Videtis quantam fidei iacturam profligati ciuium mores attulerunt? Ita eſt, V. O. ita eſt; nutat fides, ne dicam ruit, vbi mores deprauantur. Tanto malo maturè à Deo conſultum eſt. Prodit è latebribus Helias non lautus, non ſplendidus, non armatus: cinctu horrido, nudis plantis, aperto capite promiſſis crinibus, pallenti ore, ſulcata fronte, exhauſtis viribus, nutante greſſu, effæto corpore. Deus immortalis! quæ ſpecies belluinæ propior, quàm humanæ? Veri Numinis altaria conuulſa iam, & diſſipata, iterum

Regis Achab effrænis licentia.
Heliæ mira alacritas.

rum inſtaurat; altaria Deorum vano ritu excitata demolitur: ipſos ſcelerum artifices, ipſos ſuperſtitionum architectos, ipſos fidei deſertores, aſſertoréſque perfidiæ ad vnum omnes perdit, interimit, extinguit. Itaque quæ fides viuendi licentiâ multorum emarcuerat, eadem viuendi innocentiâ vnius, reuireſcit.

55. Quorſum tam multa oratio? dicet aliquis. Vt intelligatis fidem, quouis modo olim oppugnaretur, ſeu argumentorum, ſeu armorum, ſeu vitiorum machinamentis, ſemper ab Eliſabetha propugnatam. Fortunatiſſimum illud ſæculum, anni ducenteſimi ſupra milleſimum, nullis hæreticorum procellis calamitoſum conſequentes anni exceperunt, tot ſectis, tot hæreſibus, tot peſſimorum hominum deliramentis infelices, vt non ſolùm viderentur hæreditaſſe omnes ab orbe condito errores, ſed eoſdem magno cum incremento ad poſteram ætatem eſſe tranſmiſſuri. Quid memorem Begardos, Gualteros, Patarinos, VViclephos, Dulciniſtas, Fratricellos? Qui omnes eo ſeculo viuentes, quid monſtri non fouerunt? Quid portenti non excluſerunt? Quid prodigij non excitarunt? quà lethale doctrinæ virus emouere; quà amentata rationum tela intorquere; quà rebus diuinis magno ſupercilio inſultare; quà imperitam plebeculam in technas, in plagas, in laqueos impedire: vbi rusticorum aderat infantia, ibi eorum fulminabat eloquentia; vbi deerat facultas augmentandi, ibi eorum exultabat copia diſſerendi; vbi rudium hominum ignorantia ſtupebat, ibi eorum infucata ſapientia triumphabat. Eò ventum eſt, vt fides multis in locis, in quæ maiorum hæreticorum vis incubuit, prorſus occumberet. Quid Eliſabetha, vt vanam hæreticorum amentiam, vera Luſitanorum ſapientia premeret, eluderet, profligaret? In Luſitania Muſeum inſtituit literarum, (nam vt dicam ſemel ad vtilitatem omnium curandam Dionyſij Eliſabethæque conſenſus, tam fuit geminus, ſeu potiùs tam prorſus idem; vt quidquid à Dionyſio actum dicitur, meritiſſimò Eliſabethæ tribuatur.) In Luſitania (inquam) literarum inſtituit officinam, ſi auditorem ſpectes, numeroſam; ſi magiſtrum, eruditam; ſi doctrinam, ſalutarem; ſi redditus, locupletem; ſi fauorem, quo Auguſtiſſima Regina inſtar Mæcenatis adſpirabat, præ omnibus, quæ vſquam florent Academicis, fortunatam. Quæ primùm ab Henrico felicis recordationis Principe, ſapientiæ pariter alumno, & altore; ampliſſimis aucta vectigalibus; deinde à Ioanne huius nominis tertio (Regem dicam Luſitaniæ, an parentem?) exculta legibus, instructa diſciplinis, ornata magiſteriis, locupletata cenſibus, ad eam exereuit maieſtatem, in qua illam modò vos habetis, exteræ nationes ſuſpiciunt, celebratiſſimæ orbis Academiæ admirantur, venerantur, imitantur. Quotus ergo quiſque eſt, qui non agnoſcat quanta huius Academiæ in propaganda fide opera conſtiterit, quantus fructus? Ex hac præmiſſi multi, qui ad Aquilonares inſulas conſcenderent, qui ad Auſtralem cardinem peruaderent, qui occumbentis Solis terminos obirent, qui naſcentis regiones, quà in Sinas excurrunt, quà in Iapponios protenduntur, quà in infinita propè regna dilatantur, peragrarent. Neque iſtud ſatis, niſi illud accederet, quod eſt caput: Iidem quà ibant, in ſanos pellere errores, falſitatis excutere caliginem; veritatis aperire ſplendorem, Deorum euertere delubra, vnius Numinis erigere monumenta, ſacroſanctum fidei inſigne in domibus, in aulis, in vrbibus, in regnis victores, triumphatores collocare; meritò vt mihi videatur concini poſſe in hæc ſæcula illud Hieronymi elogium ſingulare, *Iam Beſſorum feritas & Pelliterum turba populorum, ſtridorem ſuum in dulce Crucis fregerunt melos, & totius mundi vox vna Chriſtus eſt.* Videtis, vt fidei detrimenta per hæreticorum dementiam illata, per Luſitanorum ſapientiam ſanctiſſima Eliſabetha reſarciuit.

Peſtis hæreticorum.

Eliſabetha Academiam Conimb. inſtituit.

Ioannes Rex huius nominis tertius in Luſitania.

Hieron.

Quæſo vt attentè audiatis, vt nefarios fidei perduelles armis fidem oppugnantes, armis inuictiſſima Iſabella debellauit. 56. Annus agebatur huius chiliados tricenteſimus, cùm in Aſia regnare cœpit quidam Ottomanus, ſi genus attendas, nihil; ſi mores, nequam; ſi fortunam, Gyges; ſi robur, Hercules: ſi ingenium, totus, vt aiunt, ferrum & flamma. Hic rem Chriſtianam non vno modo attriuit, plurimis modis lacerauit: clam, palàm; vi, dolo, ferro, auro; terra, mari, pedes, eques; vbique, ſemper, in Chriſtianorum lanienam ſæuiebat, in fidei ruinam æſtuabat; eius in nos odium iure quodam hæreditario in poſteros transfuſum, quam in impudentiam non euaſit? quam in audaciam non erupit? Pannoniam afflixit, Dalmatiam oppreſſit, Cyprum abſtulit, Coronem domuit, Neapolim ſubegit, Guletam cepit, Rhodum expugnauit, totam Aſiam, totam Europam, tanquam fatale incendium corripuit: viginti, non oppida, non vrbes, ſed regna florentiſſima à Chriſtiana ditione ad imperium tranſtulit Ottomanum. Quæ res ſuperbos hoſtium animos emolliret, fractos Chriſtianorum ſpiritus reuocaret, nulla apparebat: præſertim quia ſub id tempus *templarij milites* (ita vocant) qui pro fide acriter depugnabant, multorum ſcelerum accuſati (iure ne, an iniuria: Deus arbiter eſto,) omnes publicati excarnificatique omnes infeliciter occiderunt.

Turcarum Imperator.

Templarij milites.

Quid Eliſabeta, vt in tot fidei periculis ſuam, ſuorúmque virtutem commendaret? Quid, vt 57. fidem multorum telis impetitam, paucorum armis propugnatam, ſuo quoque præſidio tueretur: Vnà cum Dionyſio militarem ordinem Chriſti nomine inſtituit, primarios viros Luſitaniæ conſcribit, auget opibus, beneficiis demeretur, omnibus ſtimulis ad bellum adhortatur; ne quem ſui muneris obliuio, vllo tempore obrepat, omnium pectori affixum iubet Crucis inſigne è rubro, albóque notatum; quod intelligant eis eſſe alacri animo ſubeundum, per hoſtiles acies inferendum, in aduerſis Barbarorum mœnibus collocandum. Felix auſpicium. Ea res ita illuſtrium virorum animos accendit, vt ex tota ferme Europa perfidiæ cultores vel exigerent, vel ad exigendos ſtrenuam operam conferrent; ita inflammauit, vt non ſolùm maritimas Africæ oras, Tingitanam, Septenſem, Mazaganicam vellicarent; ſed etiam noſtro æuo aditum penetralem in Africam molirentur; & niſi nimia felicitas, quæ cætera Imperia labefactat, nobis quoque obſtitiſſet in Marrochienſi vrbe, Luſitana, ſeu potiùs Chriſtiana vexilla triumpharent. Ita denique vlteriùs prouexit, vt à bona Aſiæ parte Turcarum fæcem prohiberent, Ethnicorum ſentinam exhaurirent, hodiéque pulſis Barbaris è regno Cunnalenſi priuatis rebus vtilitatem, publicis ſalutem, Chriſtianis ornamentum, omnibus gloriam afferrent immortalem. Cernitis vt fides aliorum armis penè obruta, ſanctiſſimæ Eliſabethæ præſidiis planè reſtituta videatur?

Regina militarem Chriſti ordinem cum Dionyſio inſtituit.

Fructus equitum Chriſti.

Atten

59. *Regina Ludouico Imperatori contraria.* Attendite vlteriùs, quo pacto eadem fides multorum ſceleribus conſopita, beatiſſimæ Reginæ virtutibus excitetur. Synchronos Eliſabethæ fuit quintus huius nominis Ludouicus, qui ſibi Germaniæ imperium, contrà quàm facere debuit, vſurpauit. Hic totus è ſcelere concretus, tantam in licentiam effuſus eſt, vt maximum contra Pontificem inſurgeret; adulterinum neſcio quem, pontificiam in ſedem ſubſtitueret; legitimos Præſules diœceſium excluderet; gregarios homines, & profanos inauguraret; nuptias ritè celebratas dirimeret; coniugia nullis legibus ineunda ſtabiliret; denique omne fas, omne ius inteſtino odio aboleret; omne nefas, omnem *Ludouici Imperatoris effrenis licentia.* iniuriam ab Inferis quodammodo excitaret: neque priùs deſtitit ire ſe perditum, quàm illum diuina vltio, ſubito exanimatum caſu à peccandi licentia retraheret, ſubeundiſque malè factorum pœnis deuoueret. Principis malum, vt pleramque fit, in vulgus deriuatum, quid non deuoluit in deterius? Germaniam conuulſit, Galliam perterruit. Italiam oppreſſit, turbas egit, tumultus exciuit, factiones concitauit; obedientiam in Pontificem, pietatem in Superos, obſeruantiam in Deum, fidem humanam, ac diuinam labefecit, ita vt illius hæreſeos veſtigia, etiam nunc expreſſa in Germania relinquantur. Quid Eliſabetha, vt fidem imperandi libidine à Germania expulſam, parendi ſtudio in Luſitania retineret?

60. *Eliſabetha Pontifici Maximo obedientia.* Quid, vt perfidiam Ludouici fidelitate Dionyſij compenſaret? Imperat Summus Pontifex, illa obtemperat: prohibet, illa abſtinet: monet, illa aſſentitur: rogat, illa obſecundat: negat, illa acquieſcit: petit, illa elargitur: minatur, illa exhorreſcit: annuit, illa volat: quamlibet in partem ſe inflectit, eodem illa parendi ſtudioſiſſima incumbit. O Reginam, diuinius obtemperandi *Luſitanorum fides perpetua.* exemplum, quàm imperandi! Quid eſt, obſecro, (vos ipſos appello arbitros,) cur nulla vnquam natio fidem ſtudioſiùs coluerit, quàm Luſitania? Nam, vt nihil interim, vel de Aſia, vel Africa: fuit aliqua perfidiæ labes in Hiſpania; aliqua ad Italiam peruaſit; nonnulla Galliam corripuit; plurima Germaniam infecit; diuturna in Anglia inueterauit. Singulas percurrite Europæ nationes inuenietis è ſingulis aliquos aliquando errores pullulaſſe. Vna Luſitania ab his omnibus immu*Intellige Hebræos homines.* nis ſemper extitit, & illæſa. Et niſi externi quidam homines patriæ diſciplinæ tenaciſſimi obſtitiſſent, neſcio quo fato ad Luſitaniam appulſi, nullus è noſtratibus de fide vnquam deſerenda cogitaret. Vnde, quæſo, hanc virtutem, hanc conſtantiam creditis defluxiſſe? Niſi ab auguſtiſſimæ Reginæ, & virtute, & conſtantia, cuius animo leuior eſſe videbatur omnium bonorum, quàm vnius fidei iactura. Hæc, vt ſummam faciam, Hæreticorum amentiam compreſſit; hæc Ethnicorum vires emolliuit; hæc perditorum hominum amentiam refrænauit; hæc vt aſtrum ſplendidiſſimum omnibus in perfidiæ pelago errantibus ad ſalutarem fidei portum, feliciter anteceſſit.

61. *Eliſabetha Chriſtianis praiuit ad legis obſeruantiam.* Iam vt Eliſabetha Chriſtianis, ad legis obſeruantiam, præcurrit, beneuolè, quæſo, vt feciſtis hactenus, audiatis. Hebræorum in creando Rege conſuetudo illa fuit, vt hominem in ſolio collocarent, purpura induerent, diadema capiti imponerent, vnguentis odoratiſſimis perfunderent, legis tabulas traderent in manus; tum demum, feſtiuo plauſu, ſolemnique precatu Regem appellarent, acclamarent, ſalutarent. Quorſum inter regia inſignia legis tabulæ? Vt meminerint Reges (inquit egregiè Cyprianus) ſe iniquos eſſe non debere, non exleges: imò iniquorum hominum, & exlegum ſeueriſſimos iudices, & vltores. Huius *Hebræorum ritus in ſuis Regibus creandis. Cypr.* recordata muneris Eliſabetha, quid agebat? Suos omnes in ſcelerum voraginem temerè abeuntes, ad diuinæ legis obſeruantiam, quà precibus, quà minis, quà exemplis reuocabat. Dionyſius adhuc adoleſcens, neſcio quibus voluptatum illecebris *Dionyſij Regis aliquando licentia.* delinitus, fidem tori violabat; blandimentorum veterno conſopitus diffluebat; in omnia luſtra turpitudinis præceps, ac temerarius fundebatur. Quid inde fieri neceſſe erat? Cadebant iura, ſilebant leges, creſcebant vitia, ad ſupplicia trahebantur inſontes, ad præmia vocabantur immerentes, omnia rurſum prorſum præpoſtero ordine ferebantur. Quorſum plura? Quandiu Rex in otio iacuit voluptario, tandiu militaris ardor, diſciplina bellica, dignitas priuata, authoritas communis, Luſitania omnis, virtus pariter cum illo iacuerunt. In tanto peccandi incendio, quantum fuit in Eliſabetha ſtudium reſtinguendi! Iniuriam ſibi à Rege factam, putabat nullam: factam Deo, tam grauem, tam iniquam, vt eam vita, ſi poſſet, expiaret. Ad illam expiandam fun*Eliſabethæ induſtria ad extirpanda vitia.* debat lacrymas, iungebat preces, adhibebat ſacra, omnem curam, omnem operam conferebat, & ne ratione ageret cum Rege rationis exhærede, ſingulari probitatis exemplo ad meliorem mentem incitabat. Colligebat vndique adulterinam Regis ſobolem; amanter nutriebat, vt parens; liberaliter educabat, vt Regina; ſtudioſè informabat, vt magiſtra; nullo diſcrimine ſuos, alienóſque liberos habebat, vt alumna charitatis; ſemper eadem in omnes, ſemper in ſingulos ſingularis.

Athaliæ facinus ſæpiùs vel audiſtis, vel legiſtis in Regum Annalibus Solymorũ: Mortuo Ochozia, imperandi libidine æſtuabat; oberat eius vo- 62. *Athaliæ facinus inſigne.* tis grandis nepotum multitudo, ad quos regnum iure hæreditario veniebat. Quid faceret? Quid machinaretur? Animum humanitate exuit, crudelitate induit. Quid vlteriùs? Vt abeſſent arbitri ſui ſceleris, ſolitudinem in regia aucupatur? Quid prætereà? Clam mucronem euaginat; preſſo halitu, ſuſpenſo gradu, (quò tuituram cogitatis?) pueros regios inuadit: vnum, alterum, tertium occidit: cæteri priùs metu, quàm plaga exanimes inclamant nequicquam: præſidio nemo adeſt. Sæuire pergit, vociferantes opprimit, trahit, lacerat, truncat, iugulat, carnificinam efficit omnium miſerandum. *O fœmina!* inquit Chryſoſtomus, *ô vipera! ô ceraſtes! dracone ſæuior, atrocior leone, omni exilio exitialior!* Deiicit, vt ſurgat; Chryſoſt. mactat, vt viuat; ſæuit, vt timeatur; crudeliter laniat, vt ſuperbè dominetur. Quantò mitior Eliſabetha in alienos, quàm in proprios Athalia? Stirpem illam Dionyſij non odit, amat; nõ pellit, *Eliſabetha charitas erga adulterinam Dionyſij ſobolem.* colligit; non mactat, educat; non duriter accipit, & parcè; molliter ſuſtentat, & ſplendidè: & quamuis ſciat ſuos filios fore ſeruos, alienos Principes; ſe ancillam eſſe, alias Reginas; nihilo tamen auidior imperandi, quàm ancillandi, eadem facilitate, qua ſemper fouendi, nutriendi, ſeruiendi familiaribus officiis Luſitaniæ ſe impedit. Ea res Dionyſij mentem ita perculit, vt de ſopienda libidine, de reſtinguenda cupiditate, de vita in melius inſtauranda cogitarit. Neque vanum extitit decretum: ad extremum ſpiritum ita vixit, vt ſicut in externo Marte hoſtibus nunquam ceſſit; ita in domeſtico congreſſu vitiis nunquam ſuccubuit.

Digitized by Google

cubuerit. Videris, vt vna Eliſabetha præcipitem in tot ſcelera Dionyſium, ad vitæ innocentiam reuocauit. O Reginam libentium morum reparatricem! O facem ad diuinæ legis cultum prælucentem! O aſtrum ad æternæ ſalutis ſtationem feliciter antegrediens!

63. Regis vitam tam propè ciuium mores conſequuntur, vt verum illud ſit oraculum Tullianum: *Quæcumque mutatio morum in Principibus extiterit, eandem proculdubio in populo ſequuturam.* Hinc eſt, vt qui mores Principis deprauat, mores ciuiũ deprauaſſe iudicetur: non aliter (teſte Plutarcho) atque ille, qui venenum in fonte diluit, vnde ab omnibus hauritur, venenum omnibus propinat: contrà verò, qui mores Principis benè inſtruit, ciuium mores benè inſtruxiſſe videatur: non aliter, vt egregiè Damaſcenus, atque ille, qui nauis gubernatorem ſoſpitat, omnium in ſalutem nauigantium incumbit. Ergo quantam operam ſanctiſſima Eliſabetha in excolendis ciuium moribus poſuerit, palàm eſt, ex eo ſtudio, quod in Rege ad pietatem informando collocauit. Quod vnum argumentum ad hanc rem apertiſſimè oſtendendam ſatis eſſe iudicarem; niſi Eliſabetha ad omnium ſalutem procurandam plures vias, plures rationes ſuſcepiſſet.

Tull.

Plutarch.

Damaſc.

Regum mores populus ſequitur.

64. Cogitate ergo cum animis veſtris omnes homines, Principes, Dynaſtas, municipes, plebicolas, viros, fœminas, infantes, cuiuſque ordinis, cuiuſque ætatis, cuiuſque fortunæ Luſitanos: quidquid hactenus dixi, indictum volo, præceps dixi; ſi vel vnicus occurrat, cuius de ſalute tantula incuria ſanctiſſima hæſerit in Regina. Alphonſus in parentem impius, in germanos iracundus, in cognatos bellicoſus, in domeſticos iniurius, in exteros fraudulentus, in Rempublicam peſtis, & incendium; quid mali non aggreſſus? quid flagitij non auſus? iuueniliter exultantem ita ſubigit, ita frænat, ita emollit Eliſabetha, vt in gratiam redeat cum parente, in amicitiam cum germanis, in pacem cum cognatis, in beneuolentiam cum domeſticis, in fidem cum externis, debitum cum Republica in amorem. Viri Principes nonnulli, ſuis opibus, ſuæ famæ, ſuæ vitæ perperam conſulentes, immodico luxu decoquere, inteſtinis odiis diſſidere, nefariis cupiditatibus deflagrare. Singulos hortatur Eliſabetha: quod quiſque medicamentum exigebat, adhibet ſalutare. Quid factura? Ille ad parſimoniam redit, ille ad placabilitatem reducitur, ille ad honeſtatem reuocatur. Omnes, viuendi libertate valere iuſſa, intra leges, à ſanctiſſima Eliſabetha præſcriptas, continentur. Homunculi in Republica multi adetant extremam præcipites in dementiá, ad quam ſua quemque penuria compellebat: quidam clependo victitabant, quidam fallacias conſtruendo, quidam ſuam operam ad quælibet maleficia præſtando: ſi quis erat tam ſordidis vitæ præſidiis deſtitutus, vel laqueo frangebat gulam, vel præcipitem ſe agebat in torrentem, vel adacto mucrone intima præcordia lancinabat. Quid Eliſabetha? In ſingulas vrbes, in ſingulos vicos, in ſingulas domos, diligenter inquirit: ſi quem vſpiam nanciſcitur, qui nefario quæſtu vitam alat, caſtigat, vt par eſt, & miſerum lucellum largioribus opibus compenſat: ſi quem, qui voluntarium interitum laborioſæ vitæ anteferat, inopiam telum ingens, ſubrogata pecunia morituro è manibus extorquet. In quibuſdam Luſitaniæ oppidulis degebant homines barbari, ſylueſtres & ferini, ſine lege, ſine cultu, ſine templo, ſine curia, ſine vllo Antiſtite ſacrorum; ipſa eos ignoratio, vt malitia abeſſet, multa in ſcelera deprimebat. Rem nouit Eliſabetha: templa collocat, Curiones præficit, leges præſcribit: iacentem erigit pietatem, intermortuam ſuſcitat religionem, omnium iam penè deploratam diligenter excubat in ſalutem. Conimbricæ in extremo ponte, quem terni, bini, ſinguli, animi gratia frequentatis, versùs auſtrale latus, fuit quondam locus, domicilium turpitudinis, caſtellum impuritatis, proſtibulum impudentiæ, in quo fœminę profligatis moribus gregatim morabantur. Quæ in illum ſordes vitiorum, tanquam in ſentinam ciuitatis vndique confluxerint, neque meum eſt dicere, neque veſtrum eſt audire: cuiuſque tamen eſt facile ſuſpicari. Dolet Eliſabetha, tantam Reipublicæ voraginem patefactam, quam ſemper oppilatam omnibus volebat. Quid faciat? perpurgat locum, excludit incolas, riualium riuulos auertit; & ne vnquam vitiorum ſemina renaſcantur, pangit ſingulatium lilia virtutum; ibidem enim Parthenoni D. Claræ ſuis ipſa manibus iacit fundamenta; vt in quo anteà loco dumeta turpitudinis inhorruerant, in eodem poſteà germina effloreſcerent caſtitatis. Pueri recens nati, vel inopiæ, vel infamiæ cauſa, paſſim olim exponebantur: qui à nemine ſuſcepti vel decedebant, quod timendum eſt, non expiati; vel illiberaliter nutriti, licentia potiùs quàm ætate adoleſcebant. Horum, ſeu viuentium, ſeu morientium periculo longè maximo conſulit Eliſabetha diligenter: duplex conſtituit hoſpitium paruulorum, Leirienſe alterum, alterum Scalabitanum: in vtrumque redditibus amplis optimas quaſque deligit expoſititiis infantulis nutrices, vt cum lacte bonos mores ſugant, qui in nullo ætatis flexu, vnquam dilabantur, ſemper illibati conſeruentur. Videtis, vt nemo in Luſitania vnquam fuerit ſummus, infimus; diues, pauper; ignarus, rudis; vir, fœmina; ſenex, infans; quem Eliſabetha ad morum probitatem non informarit? O Reginam! Sed excurro longiùs, quàm par eſt.

Regina filiũ cum patre conciliat.

Alphonſus, Dionyſij filius.

Eliſabetha Luſitania prodeſtur.

Eliſabetha ſcelerum ſentinam publicam auertit.

Eliſabetha ſuis manibus Parthenoni D. Claræ cæmenta iecit.

Regina duplex conſtituit hoſpitium paruulorum.

Ad vos mea ſe conuertit oratio, Religionis inclytæ corona, *melior portio gregis Chriſti*, vt appellat Cyprianus: *Ciuitas in terra cæleſtis*, vt Chryſoſtomus: *Perpetuum inter homines miraculum*, vt Bernardus. Vobis omnibus, ad ſanctitatis faſtigium ſanctiſſima Eliſabetha præuolauit. Imitari vultis in Regina regiæ contemptum dignitatis? Vix ad Superos euolarat Dionyſius, cùm iam Eliſabetha regiam à ſe abdicat ſupellectilem; pretioſam veſtem altaribus conſecrat veſtiendis; criſpantes mitellas, coronandis Diuorum ſimulacris, pellucentes gemmas, diſtinguendis ſacrorum Antiſtitum indumentis; aureos, argenteóſque torques, ſignis templorum fabricandis: ipſa lacera, pannoſa, ſcrutaria, exiguam in domunculam, ſeu paruulum abdita in ſepulcrum, 65.

Cypr.

Chryſoſt.

Bernard.

Virginum encomia.

Sepſit ſe tectis, rerúmque reliquit habenas.

Quæritis in Eliſabetha victus temperantiam? Neſciebat delicatiſſima Regina lautiores epulas, à vilioribus etiam abſtinebat. Quotam anni partem? Integrum annum in quatuor partes diuidite; putate, ac diſputate rationes: vix vnam inuenietis ieiunio vacuam abiiſſe. At cœnæ non erant admodum terreſtres; neque *ſine ſanguine*, vt aiunt. Quid in cibum adhibebat? Panem. Quid deinde? Aquam. Quid vlteriùs? Nihil. Nihil? Dixi. Tres integras anni partes? Integras. Regina Luſitaniæ? Regina. Superſtite Dionyſio? Superſtite. Inter conditiſſimas dapes? Sanè. Inter regios miſſus ferculorum?

Regalem cultum exuit Regina.

Regina parſimonia.

Verum.

Verum. Inter pollucibiles conuiuiorum apparatųs? Tantundem. O rem nouam! ô miraculum!

Auctoris religio.

ô prodigium! Ego quidem quoties de hac ra per hoſce dies cogitabam, ita commouebar animo, vt mei memetipſum pœniteret, cui nouerim tanto interuallo Reginam præiuiſſe, quæ ſi vitæ ratio attendatur, fas erat, vt maioribus diſiuncta ſpatiis ſequeretur. In regali opulentia religioſam miramini Eliſabethæ paupertatem. Quæſo, mihi vacate,

Regina peregrinatio.

dum rem eloquor ſæpè auditam, nunquam ſatis cogitatam. Ineunte anno, quo in vrbem D. Iacobi ſe infundit omne peregrinorum genus, cóparat ſe Eliſabetha in eandem vrbem profectura? Qua ætate creditis? Sexagenaria. Qua valetudine? Incommoda. Quibus viribus? Exhauſtis. Quo tempore? Hyberno, vt exiſtimo. Quo ſatellitum præſidio? Nullo. Quanta viarum longitudine? Vltra ducenta millia paſſuum. Quàm magnifico inuecta curru? Pedes, arundineo ſubnixa baculo. Quo viatico? Illo, quod vicatim, oſtiatim mendicando colligebat. O rem iterum nouam! Reginam in publico ſolitariam! Reginam in itinere pedeſtrem! Reginam in ſuo regno mendicantem!

Regina oſtiatim mendicabat.

Talem fabulam quis audiuit? Pulſabat Regina Luſitaniæ longè auguſtiſſima ter, quater pauperum tabernas: tantulam ſtipem, Numinis in gratiam, flagitabar: aliquando obolum, teruncium, panis fruſtulum; aliquando minas, iniurias, ſuperba dicta referebat: priorem ſtipem recondebat in pera; poſteriorem conſeruabat in corde: illam communem cum aliis mendiculis faciebat; hanc ſibi propriam, ſibi debitam eſſe iudicabat. Quid eſt paupertatem colere, ſi hoc non eſt? Compoſtellam ingreſſa, templum adit: & quæ olim in eo planè regia ſacrauerat anathemata; nunc mendicula ſolam exhibet paupertatem. Templo egreſſa, vrbe vagatur mendicando, & quæ ſibi victus non ſatis collegit, de demenſo ſuo, ſui ſemper ſimilis, pauperibus elargitur. Locum, in quo diuerſetur,

Regina paupertas admiranda.

nullum haber, quæ hoſpitio excipiebat liberali peregrinos, & ſuas cæteris ad cauponas confluentibus, ſola in gurguſtio Regina Luſitaniæ deliteſcit. O rem, qualem eſſe dicam haud ſcio: credite, dicere vlteriùs vix poſſum, obſtupeſco.

Hieron.

Paula, inquit Hieronymus, cùm de ea loqueretur, quæ Roma peregrinata Hieroſolymam, Bethlehemiticum ſeſe abdidit in receſſum; *Paula*(inquit)*quæ vnius vrbis contempſit gloriam, totius orbis opinione celebratur; & quam Romæ habitantem nullus extra Romam nouerat, latentem in Bethlehem, & barbara & Romana terra miratur.* O Eliſabetham, quò Paula digniorem, eò Paula mirabiliorem. Tui te Luſitani obſeruant: totus te orbis peregrinam ſuſcipit, obſeruat, veneratur.

66. Facile dictu erat, virtutem eſſe nullam, cuius

Regina erga religioſos Ordines munificentia.

Eliſabetha religioſis hominibus exemplum non reliquerit ſingulare. Verùm ad eam pietatem feſtinat oratio, qua ſacras Deo Familias fouit, aluit, complexa eſt: vt quæ, Reginæ ſine curis eſſe non poterat, ſaltem Religionum alumnis viam curis liberam in cælum expediret. Mitto, quos ædificauit Parthenones, quæ pomaria circumiecit, quas diuitias impendit, quibus ornamentis expoliuit. Certum eſt, nullum fuiſſe in Luſitania religioſorum hominum, fœminarúmve Conuentum, quem Eliſabetha non ſuſceperit maioribus in dies beneficiis excolendum. Si quem res frumentaria defecerat, tribuebat; ſi quotidiana alimenta, ſuppeditabat: ſi domeſtica ſupellex, conferebat: ſi veſtitus ratio, donabat: ſi in ſumptus

ordinatios pecunia, ſoluebat; ſi ægrotantium præſidia, miniſtrabat: ſi veſtis ſacra, ſi pictæ tabulæ, ſi aurea, argenteáve ſigna, ſi conchyliata tapetia, ſi belluata periſtromata, ſi quid in vſus priuatos, in communes, in ſacros, in profanos, omnia plenis, vt aiunt, manibus liberaliter effundebat. Hanc beneuolentiam ſanctiſſima Eliſabetha hæreditauit à maioribus, & poſteris delegauit. Nam Luſitaniæ omnes Reges in ſacris Deo Familiis promouendis, tantam operam poſuerunt, quantam (dico liberè) nulli externi Reges colloearunt.

Replicate animo religioſos Ordines, quotquot in Luſitania à prima huius regni conditione floreſcunt: ne vnum quidem inuenietis, in quo expreſsè non appareant regiæ liberalitatis monumenta. 67.

Antiquiſſimus ille, qui ſacro militat ſub nomine Benedicti in ſolitudine, in receſſu, ab hominum commercio ſeuocatus, Alphonſum primum Luſitaniæ Regem, vt parentem, veneratur:

Alphonſus primus Luſitaniæ Rex 150. Cœnobia condidit.

Ordo D. Bened.

qui, cùm centum quinquaginta Cœnobia in Luſitania erexerit, plurima regione Interamni huic Ordini adſcripſit. Ille, qui ſanctiſſimi Bernardi doctrinam hauſit, moreſque expreſſit, eundem nouit Alphonſum ſuæ gentis auſpicem, & patronum,

Ordo D. Bern.

qui victoria de Saraceno parta, Alcobaciæ (ita vocant) illam domum extruxit è quadrato lapide ſingularem, cenſu diuitem, opere viſendam, magnitudine auguſtam, incolarum numero tam frequentem, vt ſemper alij atque alij per vices canendo in orbem ire dicerentur; cùm non poſſet tam ingens multitudo, ſimul omnis, idem in officium conuenire.

Ordo D. Auguſtini duplex in Luſitania.

Duas illas Auguſtini Familias longè clariſſimas, Canonicorum, & Eremitarum, quanto ſtudio Luſitani Reges curauerunt? Canonicis in hac vrbe primus excitauit Alphonſus Ædem illam, Crucis nomine inſignitam,

Cœnobium S. Crucis Conimbricæ.

religione plenam, ſitu amplam, fontibus irriguam, tantis opibus abundantem, vt Antiſtiti illius Theotonio, vrbem integram, Leiriam, nuper ab hoſtium receptam poteſtate, tradiderit poſſidendam. Eremitas, qui, ſeu vitam, ſeu doctrinam ſpectetis, referunt, ſine dubio, in terris viuens parentis ſui Auguſtini ſimulacrum,

Ioannes tertius Luſitaniæ Rex.

Ioannes tertius ita fouit, vt tres clariſſimas vrbes Luſitaniæ, Olyſiponem, Eboram, Conimbricam, tribus clariſſimis huius Ordinis Cœnobiis illuſtrarit.

Ordo D. Dominici.

Venio ad illa duo Orbis lumina, Dominicanis, Franciſcaníſque legibus prænitentia. Dominici alumnos probitatis doctrinæq; ſtudiis florentiſſimos,

Ioannes primus Luſitaniæ Rex.

Ioannes primus ita coluit, vt parta illa victoria de finitimis hoſtibus memorabili, templum illis collocarit, cui à prælio nomen eſt tam clarum, tam elegans, tam magnificum, vt multi, ſeu in patriam ituri, ſeu in Academiam redituri, ad illud inuiſendum confluatis, tam fortaſſe curioſi, quàm, vt videre par eſt, religioſi.

Ordo D. Franciſci.

Numeroſa illa ſoboles Franciſci ſua diues paupertate, ſua ſterilitate fœcunda, quantum in Luſitanis Regibus præſidium inuenit? Nam, vt omittam cætera, Cœnobium Olyſiponenſe, Eborenſe, Conimbricenſe,

Reges Luſitaniæ erga religioſos Ordines.

Leirienſe, Portuenſe, Alphonſus, Dionyſius, Emmanuel, Ioannes, & ſi qui ſunt alij, collocarunt.

Ordo Carmelitarum.

Ille Ordo iam inde à Carmelo monte in Orbe propagatus, ſeu Eliam, ſeu quem alium præſtantiſſimum Heroa inuenerit conditorem; cùm ab aliis, tum à Ioanne tertio fatetur præclara ſe beneficia accepiſſe, qui non ſolùm prouinciam recoxit, & expoliuit vniuerſam; ſed etiam Conimbricæ illi Collegio autor fuit, quod nuper fani pulcherrimi acceſſu toti vrbi non exiguam

Ordo ſanctiſſimæ Triados.

conciliat venuſtatem. Illa, quæ ſacroſanctæ Triados cognomine illuſtratur. Familia auguſtiſſima, tertio Alphonſo multùm debet, qui primariam eius domum Olyſipone conſtitutam reddidit ampliorem: plurimùm Ioanni, qui ſingula eius Ordinis domicilia ad auitæ obſeruantiam ſanctitatis, non exiguis decorauit ornamentis.

Ordo ſancti Ioannis.

Illi, qui cæruleo cinctu cælorum referunt, & eximia charitate in ægrotos parentis ſui Ioannis charitatem in Deum imitantur, quintum huius nominis Alphonſum, Eliſabetámque vxorem ſui Ordinis patronos amplectuntur; quorum opera effectum, vt Olyſiponis in ſuburbio, prope Tagum, pulchra illa Domus à vicino ſacello Benedicti nuncupata, ampliſſimis vectigalibus donaretur.

68.

Ordo D. Hieronymi.

Quid verò illi, Hieronymo duce, ſanctiſſimæ Profeſſores diſciplinæ? Primas opes ab India exportatas eò contulit Emmanuel, vt in primo oſtio Tagi templum poneret, Luſitanorum Mauſoleis in primis nobile, magnæ Matris auſpiciis erectum, Hieronymi alumnis, quos in oculis habebat, conſecratum: vt, quæ inde naues ſoluerent in Indiam, ſanctiſſimis virorum precibus potiùs, quàm ſecundis à tergo ventis nauigarent.

Ordo Equitum Chriſti.

Militaris ordo Chriſti Equitum, non minùs olim ad ſtrenuè pugnandum, quàm modò ad ſanctiſſimè viuendum comparatus, quid à Luſitaniæ Regibus non accepit? Dionyſius, & Eliſabetha condiderunt: Emmanuel auxit, exornauit: Ioannes ſingula attulit incrementa: conſequentes omnes

Ordo Societatis Ieſu.

Reges, non ſolùm huius Ordinis cultores extiterunt, ſed etiam Profeſſores. Huc iam ades, inter ſacras Deo Familias dignitate minima, meritis nouiſſima, antiquitate poſtrema; omnium tamen æmula ſtudioſiſſima virtutum. Huc iam ades, ô Societas, & quæ à Luſitanis Regibus beneficia acceperis, ne loquare. Ipſa Olyſipo, ipſa Ebora, ipſa Conimbrica, ipſa Luſitania, ipſe Orbis, quantus quantus ille eſt, ipſe eloquatur. Luſitani Reges illi ſunt, qui te exceperunt naſcentem, erexerunt reptantem, vbique gentium ſuſtentarũt adoleſcentem. Illi Regum primi omnium te euocarunt ab Italia, fouerunt in Luſitania, ad Indos, ad Sinas, ad Iaponios propagarunt. Illi duplicem tibi Olyſipone Domum, nobilem Eboræ Academiam, amplum Conimbricæ Collegium tradiderunt. Illi tuum ſtudium ad informandam iuuentutem, tuam operam ad bonos mores inducendos, tuum laborem ad extremas mundi plagas fidei lumine illuſtrandas comprobarunt. Illi tot in te beneficia contulerunt, vt ea, quæ mirantur homines, à regia liberalitate profecta, (ſunt autem maxima;) tamen ſi cum aliis, quorum ſumus ipſi conſcij, comparentur, in minima acceptorum parte mihi reponenda eſſe videantur. Denique, quidquid ſumus, ſeu pietate apud Deum, ſeu authoritate apud homines, (quod quàm ſit exiguum nouimus vniuerſi;) quidquid tamen ſumus proximè, & ſecundùm Deum, Luſitaniæ Regibus acceptum gratulamur. Videtis hoc ſtudium clariſſimorum Regum? At omnium liberalitatem, ſanctiſſimæ Eliſabethæ non exæquauit tantùm, ſed etiam ſuperauit liberalitas: quæ prioribus

Regina liberalitas.

Regibus ornamentum addidit ſingulare, poſterioribus reliquit immortale. Hæc, vt iam vos labore ſoluam audiendi, apud Ethnicos fidem extulit, hæc apud Chriſtianos legis obſeruantiam ſtabiliuit: hæc apud Religioſos ſanctitatis ſtudium erexit; hæc apud omnes veræ felicitatis ſtudium excitauit: hac duce, vera fides propagabitur, boni mores excolentur, perfectiſſimæ virtutes eſſloreſcent, germana in terris felicitas triumphabit: ita vt, ſi aliquantulùm de humana beatitudine decidatur, ſperetur multò certiùs diuina.

ORATIO IV.

Pro auſpicando philoſophici pulueris curriculo.

ARGVMENTVM.

69.

Habes Dialecticam, & diſtricto ferri mucrone, & vernanti roſarum cultu horridam pariter, & amœnam: habes potiùs orationem (audeo dicere) felici Cherubini illius excultam ingenio. Enimverò Cherubinus ille, qui pro foribus beati illius nemoris excubuit, in orationis adducitur argumentũ. Quid gratius? quid venuſtius? Cherubinũ, ſi nominis etymon exquiras, picturatum, ſeu figuratum agnoſces: ita reddit Dialectica cultores ſuos, politiſſima arte depictos, pulchris imaginibus inſculptos, eximiis cælaturis variegatos: quid plura? Cherubinos reddit. Iam verò quid portendit verſatilis ille gladius, quo Cherubinus armatur, ne quaſiat hoſtilis impreſſio in loc tranquillæ felicitatis? Certè Dialectica ſapientes viros obarmat, ne qui præcipites per ſummam inſolentiam in ſacræ Religionis domicilium audeant irrumpere. En Oratoris ſcopus: hunc (fas eſt) ingredere Paradiſum: ne gladius deterreat, manibus cape, anceps eſt.

CHerubinos ancipiti gladio armatos in primo aditu terreſtris Paradiſi collocauit mundi opifex, & molitor Deus; vt hominem à loco beatæ amœnitatis exulantem cæleſtium militum circumfuſa acies perterreret, ne eodem, vnde impudenter exciderat, audaciùs remigraret. Quid figuratè Paradiſus, quid item Cherubini myſtologicè repræſentent, duo acutiſſimi Theologi, Auguſtinus ac Dionyſius, meam in ſententiam prodidère. 70.

Auguſt. Dionyſius.

Paradiſus deliciarum fertilis, ſi Auguſtinum conſulatis, Chriſtianorum cœtus eſt, virtutum floribus prædiues: Cherubini pro foribus illius fortunati nemoris excubantes, ſi vobis cum Dionyſio conueniat, ſapientes viri ſunt, qui ab Eccleſia hoſtiles Hæreticorum impetus amoliuntur. Quàm ſapienter vterque æſtimarit, palàm eſt.

Eccleſia cum terreſtri Paradiſo confertur.

Nam militantis Eccleſiæ quod fingi potuit ſimulacrum, vel forma aptius, vel colore expreſſius, vel artis lenocinio ſpirantius, quàm illud diuina ſatum manu viridarium? Ille hortus, (ita quondã Ephrem exiſtimauit,) magnitudine æquabat orbem: hæc in omnes partes fuſa vbique gentium dominatur.

Ephrem.

Damaſc.

Ille; ſi creditis Damaſceno, cultore homine contentus, errantes belluas procul omnes excludebat: hæc fidelium cincta comitatu, Ethnicorum greges in exilium cogit ſempiternum.

Iren.

Ille, ſi rectè arbitratur Irenæus, ex communi terrarum eluuione vbique ſæuiente,

omnia

omnia deuaſtante, ſolus euaſit illæſus, herbeſcente viriditate indutus, comante fronde opacatus: hæc Tyrannorum rabie in perniciem Chriſtianorum conſpirante, non ſolùm non emarcuit, ſed etiam vernantior adoleuit. In illo tandem, vt egregiè Baſilius, *Baſil.* puri ſine defectu Soles radiabant: in hac perpetua ſine eclipſi fides ſplendeſcit, *Luc. 22. 32.* Chriſto Seruatore annuente: *Ego rogaui pro te, Petre*, (Græco transfero ex archetypo, quæ ſequuntur,) *ne eclipſim patiatur fides tua.* At Cherubini quid potiùs, quàm expreſſa ſapientum virorum ſimulacra præferre videantur? *Cherubini, ſapientum ſimulacra.* *Hieron.* Etymon, quæſo, nominis exquirite: Hebræos fontes indagate: Cherubinum (interprete Hieronymo) pictum, ſeu figuratum ſignificare agnoſcetis. Si igitur oſtendam, ſapientes viros politiſſimà arte expictos eſſe, multis imaginibus inſculpros, eximiis cælaturis variegatos, illos cur non appellem Cherubinos? At, quid, obſecro, picturatius eſſe poteſt, quàm mens, & ratio ſapientis: Certè quemadmodum infantis mentem, artis rudem, ſcientiæ expertem, vulgus Philoſophorum appellat raſam tabulam, hoc eſt, nullis coloribus imbutam: *Sapiens, tabula picta.* ita ſapientis animum, tanta rerum notitia illuminatum, pictam, ſeu Cherubicam tabulam, liceat appellare. Picturas quæritis? Luſtrate oculis. Ibi adeſt viridibus repræſentata pigmentis tellus ipſa, quanta, qualiſque eſt, mole ingens, ſitu diſpar, fœtu diues, nutricatione animalium ſtudioſa patens; ibi mare cæruleo colore depictum; ibi aër crocea velatus penula; ibi æther igneo fulgore candeſcens; ibi cælum errantium, & inerrantium Aſtrorum luminibus mirabili artificio cælatum. Quid plura? *Telluris deſcriptio.* Ibi animalium monſtroſæ formæ; ibi fontium gelidæ perennitates; ibi fluuiorum multiplices Mæandri; ibi gemmarum micantes oculi; ibi metallorum diuerſus fulgor; ibi arborum numeroſa proles; ibi homo rerum princeps, ac moderator cæterarum. Quæ ſigna Corinthiaca, quæ tabulæ Appellææ, quæ telæ Phrygianæ cum his imaginibus conferantur? Adde illa etiam, quæ ab artifice pingi nequeunt, cùm & corpore, & colore vacua ſint, ac nuda; illa (inquam) non ficto habitu, ſed germano; non tranſlatitio, ſed natiuo, ſapientis in animo expreſſa inſidere. *Facultatum picturæ.* Nam Orator pictos in animo complectitur verborum ſonos; Poëta, carminum modulos; Hiſtoricus, temporum vices; Dialecticus, argumentationum formas; Mathematicus, ſyderum curſus; Phyſicus, herbarum vires; Ethicus, hominum mores; Metaphyſicus, cauſarum nexus; Theologus, τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς, quæ ſupra nos: & qui in his omnibus facultatibus excellit artifex, totus quantus eſt, totus pictus, & figuratus eſt.

71. *Iſa. 53. 11.* Meritò vt mihi dixiſſe videatur ille diuinorum Vatum anteſignanus Iſaias, cùm de ſapiente loqueretur, *Videbit, & ſaturabitur*; ſeu, vti Hebræo continetur in exemplo, *Videbit*, hoc eſt, *ſciet, & cognoſcet.* Quid deinde? *Et mirabiliter texetur, ſeu pingetur*, quod ego ſic interpretor, non aliud eſſe ſapientis animum frui multiplici rerum cognitione, quàm ſingulari artificio totum picturari. Rem, ni fallor, haud obſcuram vlteriùs illuſtro. Mirum eſt, quantùm Regius Vates de ſua ſapientia glorietur: *Pſal. 138.* *Anima*, inquit, *mea cognoſcet nimis*, nam, ſiue naturæ opera, ſiue diuinæ potentiæ monumenta contemplaretur, nimium quantum cognoſcebat. Addit: *Et ſubſtantia mea in inferioribus terræ.* Haurite & hîc, obſecro, de fontibus Hebraïcis: *Acu pictus ſum, velut tapetum.* *Singularis tapetis deſcriptio.* Vidiſtis aliquando vllos tapetes mirabili varietate diſtinctos, quales Mileſij tondent, vel Seres pectunt, vel Phryges ſuunt, vel Babylonij texunt, vel Tyrij colorant; in quibus fila aurea, argentea, holoſerica, in multiplices ducta, reductáque ambages, frondeſcunt in nemora, aſſurgunt in colles, ſpatiantur in valles, lenteſcunt in frutices, rigeſcunt in cautes, liquantur in fontes, recedunt in vmbras, prominent in fulgores: quædam formantur in milites diſtrictis enſibus, cruenta fronte, anhelo pectore gladiantes: aliæ effinguntur in naues aduerſis roſtris, exploſis tormentis, eiaculatis phalaricis concurrentes: nonnulla innodantur in ceruos venatorum ſtimulis agitatos, in apros contra morſus canum ſæuientes, in leones per medias bipennes ad cædem, cruorémque hiantes: omnia tam artificioſis ductibus extrahuntur, tam ſubtilibus nodis continentur, tam occultis meatibus in quaſcumque formas implicantur, vt ingenioſior ars in imitando, quàm natura in fabricando videatur. Talia (inquam) ſtragula, tam multicoloribus liciis intertexta, vidiſtis aliquando? *Accommodatur ſapientibus.* Credo ſæpiſſimè. At horum inſtar aulæorum Regij Vatis animus ſplendebat; dum in illo ſapientia viuas rerum imagines artifici penicillo efformabat. *Acu pictus ſum, velut tapetum.* Hæc, ſi placet, profanæ hiſtoriæ ſale condiantur. *Deorum veſtes.* Ethnicorum Numina veſtibus ſimplici colore imbutis vtebantur; Mars ſanguineis, Neptunus cæruleis, Apollo aureis, Vulcanus ferrugineis, aliáque aliis, provt ſingulorum officia exigebant. Minerua, ſapientiæ præſes, vna fuit ex omnibus, quæ ſibi multicolorem cultum vendicarit: ferunt enim, eius pallam Athenis fuiſſe tali artificio picturatam, támque ſubtili ſtamine intertextam; vt quidquid bellorum vnquam contigiſſet, vna in chlamyde Mineruæ adumbratum, ſeu, vt dicam veriùs, collocatum viſeretur. *Mineruæ cultus, ſapientum ſimulacra.* Quorſum hæc ſpectant? Planè vt oſtendant, ſapientes viros altricis ſuæ Mineruæ ingenium imitatos, rerum, quas ſciunt, imaginibus pictos eſſe, exſculptos eſſe, figuratos eſſe: quid plura? Cherubinos eſſe.

Nunc meum me dirigo ad ſcopum, in quem primùm collimauit oratio. 72. *Sapientes, Eccleſiæ propugnaculum.* Quemadmodum Cherubini Paradiſi aditus obſidebant, ne qua fieret hoſtilis impreſſio in locum tranquillæ felicitatis: ita ſapientes homines Eccleſiam, tanquam militari præſidio, coronant, ne qui præcipite ad audendum, ſanctiſſimæ Religionis domicilium oppugnare, ne dicam expugnare, aggrediantur. Hoc ſi quis non videt, cæcutit: ſi quis non ſentit, obdormit: ſi quis non ſapit, inſanit. Optimè Iſaias, cùm de Chriſtianæ Reipublicæ Doctoribus loqueretur, tali eos cognomento appellat, quod & cœlum ſignificet, & propugnaculum: nam, quòd Vates Hebræa cecinit oratione: *Iſa. 54. 12.* *Ponam iaſpidem, Soles tuos.* Interpres Latiali ſermone tranſcripſit: *Ponam iaſpidem, propugnacula tua.* *Sapiens, Sol eſt.* Rectè quidem: nam ſapiens Sol eſt, & propugnaculum. Sol eſt, qui falſitatis tenebras diſpellit, veritatis lucem impertitur: propugnaculum eſt, quod hoſtiles impetus retundit, ciuiles animos tuetur: Sol,

& propugnaculum. Quò mihi videtur ſacer ille Cyrill. Antiſtes Alexandriæ Cyrillus reſpexiſſe, cùm ait, *Sanctos Myſtagogos, pulchritudine intelligentiæ reſplendeſcentes, tanquam propugnacula impiis Sectarum inuentoribus, & ſcurrilibus Hæreticorum nugis acriter obſtitiſſe.* En illuſtratores vocat, ac defenſores. Suos, nimirum, illuſtrat ſapiens; excæcat alienos: natos alit; nothos abigit: fouet ciues; terret hoſtes: domeſticos allicit muneribus; exterios conficit vulneribus.

73. Cant. 1. 16. *Eccleſia florido Salomonis lecto comparatur.* Miretur fortè aliquis lectulum illum Salomonis quondam mira florum varietate coronatum: *Lectulus noſter floridus.* ſubitò mutata vice, armorum fragore circumſtrepere, militari ſatellitio ambiri, ſexaginta viris ex fortiſſimis Iſraël ad pugnam promptis, ad facinus expeditis obuallari. Quæ mutatio hæc rerum? Quid geniali toro cum Martiali puluere? Quid pacatæ familiæ cum armata cohorte? Quid florum odoribus cum ſtridoribus armorum? Rem teneo. Lectulus Eccleſia eſt, in qua ſapientes viri flores gerunt, & gladios: flores, Chriſtianorum naribus applicandos; gladios, Hæreticorum animis infigendos: dum illos placidis verbis demulcent; hos minantibus dictis exterrent. An à mea ſententia aberrat Auguſti- August. nus? Imò eam mihi videtur expreſſiſſe, cùm ait, viros Chriſtiana ſapientia nobilitatos, quantò ſunt optabiliores Iudices in Catholicos, tantò eſſe terribiliores vindices in hæreticos. Pergite tutelares fidei patronos, ſapientes, inquam, viros, admirari. Chriſtianæ Antiſtites ſapientiæ, quaternis Apoc. 4. 6. animalibus figurati, ſe ſe Patmæo Vati diuina myſteria contemplanti obtulêre, eo ſitu, vt & in media ſede Diuinitatis conquieſcere, & in circuitu eiuſdem ſedis excubare viderentur. Res mira! qui poterant, & ad medium conſiſtere, & ad fines dilatari; ad centrum redigi, & ad peripheriam extendi; ſedere intus, & ſtare foris; vacare in receſſu, & operari in circuitu. Certè nodus eſt, quem, niſi ad myſtologicos explicatus accedatis, non ita facilè enodetis. Audite Ambroſium: Ambroſ. *Eccleſiæ Doctores.* *Vtrumq; præſtant doctrinæ Principes Chriſtianæ: hærent in medio, dum pacatos Chriſtianorum cœtus virtutibus exornant; vigilant in circuitu, dum furentes Hæreticorum cateruas à nefariis incurſionibus retardant.* Planè Cherubini, qui Paradiſum Eccleſiæ circumſtant, qui exitiales peſtes auertunt, qui irruentes hoſtes propulſant; qui, ne quid detrimenti fidelium cœtus patiatur, ſtrenuè præliantur. Tollite ab Eccleſia fauores Principum, non corruet; dimittite prægrandes opes, adhuc ſtabit; auferte militares vires, non expugnabitur; ſecludite illuſtres proſapias, & tunc clarebit. Vna ſi deſideretur ſapientia, quid fore creditis? Extinguetur. At hoc fieri nequit: verùm ea damna *Sapientia Reipubl. tutela.* ſuſtinebit, quibus, pluſquam omnibus aliis, ſi omnia in eius perniciem conſpirent, atteratur. Contrà verò totus in Eccleſiæ ruinam coniuret Orbis, armentur in cædes Tyrannorum manus, induantur in flagitia perditorum hominum cogitatus; vna tamen non deſit ſapientia, quæ hoſtibus eat obuiam, quæ clauum gerat, quæ prouideat, quæ rem totam moderetur: timor omnis abeſto, ſapientiæ pugnatrici parebunt omnia: cœlum priùs corruet, quàm ſapientiæ vires eneruentur.

74. *Dialectica gladius anceps.* Cernitis, quàm ſtrenuè ſapientes viri Chriſtianam veritatem tueantur. At, quibus armis tam acres ineunt conflictus? Planè iiſdem, quibus Cherubini vtebantur, gladio ancipiti. Gladium ancipitem, quem appellas? Certè Dialecticam. Nam gladium quis eſſe neget, cùm illa duo eloquentiæ lumina Tullius Romanus, ac Tullius Tull. Hieron. Lact. Chriſtianus (ita nomino cum Hieronymo Lactantium) Dialecticam gladij nomine ſignificandam putent? Ille enim, cùm de Epicuro loqueretur, artis Dialecticæ planè rudi, & imperito, inermem, ſiue gladio exutum appellauit. Hic verò, cùm de antiquis Philoſophis ſermonem inſtitueret, quos fatetur primos Dialecticæ parentes extitiſſe, docuit non inſcitè, eos ad diſceptandum gladio quidem armatos eſſe; clypeo tamen exarmatos: hoc eſt, aptos quidem eſſe dialecticis argutiis, tanquam gladij punctionibus ad vrgendum hoſtem; non tamen eſſe efficaces doctrinæ veritate, tanquam clypei munimine, ad retorquenda argumenta. En Dialectica, gladius ab vtroque nuncupatur. Sed neutrum ſequi animus mihi eſſet, niſi maior ex diuinis Oraculis auctoritas peteretur. Noſtis probè omnes, Aaro- *Aaronis eloquentia, & differendi ſubtilitas apud Pharaonem.* nem non ſolùm eloquendi facultate præditum fuiſſe, ſed etiam diſſerendi ſubtilitate acutum. Planè vtroque præſidio indigebat, vt rectè apud Pharaonem ſua legatione fungeretur. Nam ad beneuolentiam ſuperbi Regis promerendam, facundia opus erat; ad ſuperandam tergiuerſantis Tyranni contumaciam, Dialectica. Quare facundus planè fuit ad eloquendum, ſubtilis ad diſputandum. Hoc illud eſt, quod à Deo ſignificatur Moyſen alloquente: *Ipſe*, inquit, *erit os tuum*, nempe, pro te Rhetoricæ, atque Dialecticæ munera apud Pharaonem exercebit. *Erit os* Exod. 4. 16. *tuum.* adhuc planiùs. Erit tibi pro arte diſſerendi, vt in qua facultate claudicas, in eadem à fratre inſtaureris. Cernitis, vt oris nomine Dialectica ars intelligatur. At conſulite Hebræos codices, ex quibus elicietis non inconcinnè: *Ipſe erit gladius tuus.* En Dialecticæ cum gladio comparatio, en affinitas, en germanitas; vt nemo iam mihi ſuccenſeat, ſi Dialecticam ſub gladij typo ſuſcipiam exornandam. Gladium appello, Dialecti- *Dialectica gladij munus exercet.* cam, qui ſeparat naturas rerum, qui intimas penetrat in medullas, qui fabrè dolatos dolos cauillantium Sophiſtarum vno ictu præſcindit: quo ſi ſapiens dexterè, expeditéque vtatur, premi poterit aliquando; opprimi verò nunquam: quem tamen ſi abiiciat, quantauis ſapientia fulciatur, vnica aduerſariorum petitione miſerabiliter collidetur. Fingite, quæſo, in libero aliquo ſpatio ad *Dialectica ludo gladiatorio componitur.* pugnandum ludos gladiatorios celebrari: ponite media in arena generoſos milites, & ſtrenuos, ab ignauo, & imbelli tyrone prouocatos; ab illis tamen gladios extorquete; huic verò gladium in manus commodate: facite, vt vtrimque ad pugnam concurratur: vnus ille armatus vrgeat plures; iſti inermes non diffugiant: vnus premat; plures non cedant: vnus componat plagas; plures opponant minas: quo tandem exitu clauditur pugna? Certè gnaui ab ignauo, ſtrenui ab inſtrenuo, viri à fœmina, leones à formica, peſſimo mactabuntur infortunio. Quid rei hoc eſſe dicam? Nónne ſuppetebant illis pluribus in corde animi, in membris vires, in toto corpore firmitudo? Planè. Et vincuntur plures ab vno? bellatores ab imbelli? Ita res acta. Cur verò ita? Enſis aberat. Hoc præſidio ſublato occidunt animi, ruit virtus, gnauus ignauo exæquatur. Ita planè. Si tyrunculus Dialectica armatus, cum veterano Philoſopho exarmato Dialectica concurrat, quos illum induet in laqueos, quas impediet in plagas, quæ præcipitabit in abrupta? Nimirum, ille armatus gladio, hic inermis ad pugnam capeſſendam

Digitized by Google

dam prodière. Hinc oritur, vt quemadmodum duces diuturna militia experti gladios ab hoſtili exercitu ereptos volunt: ita Chriſtianæ fidei oſores velint omninò Dialecticam à fidelium virorum cœtu ablegatam; rati, ſicut aduerſariæ phalanges gladiis exarmatæ belli impetus nequeunt ſuſtinere; ita Chriſtianorum hominum conuentus abſque Dialecticæ præſidio intutos fore ad congreſſus cum Hæreticorum ſycophantiis ineundos.

Philiſthinorũ ſingulare inuentum in Hebræorum perniciem excogitatum.

75. Replicate memoria, qua quondam fraude vſi fuerint in Hebræos Philiſthini; rem ſcitu vulgatiſſimam, auditu tamen feſtiuiſſimam. Curant, vt omnes omninò ab vrbe gladij remouerentur: cauent, ne qui in vrbe denuò fabricentur. Eò res ducta fuit, vt Hebræi iuuenes de nihilo minùs, quàm de bello cogitarent, languerent otio, ſtuderent voluptati, à militari labore feriarentur; cantus, citharæ, choreæ, paſſim in vrbe fuerint: gladij nuſquam erant: ſi qua inter pugnaciores rixa oriebatur; vel ſtatim reſidebat; vel pugnis, calcibus, & morſibus æſtuabat. Hæc ita erant, cùm Philiſthinus triplici armatus cuneo ad vrbē properat: ſonant litui, clangunt tubæ, perſtrepunt tympaniſtæ, ingruit armorum horror, bellum inclamant omnes; repercuſſæ ad mœnium cauitates, inconditæ voces reſultant, bellum. Oppidani inſolito ſtridore commoti conuolant ad præſidia gladiorum: gladij non parebant. Fabriles adeunt officinas: nuſquam arma. Vetera excutiunt armamentaria: nequicquam. Secretiores domorum explorant latebras: incaſſum labor. Totos ſe fundunt, ac refundunt per vrbis angulos in quæſitionem gladiorum: irrita omnis opera. Quis horror, quæ turbatio, quod periculum neceſſe erat ex tanta armorum inopia ſequeretur? Philiſthini vrgebant; Hebræi trepidabant: illi inſultabant; iſti perferebant: illi iactabant minas; iſti offerebant preces: illi armati æquor immenſum aquæ occupabant; iſti inermes ad vrbis anguſtias coibant: inde emicabat armorum fulgor; hinc deficiebat exarmata virtus. Quid plura? Niſi miraculo res acta foret, de Hebræis nihil illo die, niſi fauilla, & cinis ſupereſſet. Vnde hæc calamitas? Aderant Philiſthæis gladij; Hebræis deerant; virtus verò, ſi inermis ſit, imbellis eſt.

Elegans deſcriptio hoſtilis incurſus.

Mahometus, & Iulianus in Chriſtianos conſpirant.

Chryſoſt.

Martyrij decus egregiũ.

Nazianz.

Theodor.

76. Nunc, quæſo, attendite, quàm ſimilem in nos fraudem Chriſtianæ fidei deſertores texuerunt; quas machinas ad ſubruendam fidem excogitarunt duo iſta pluſquam viperina capita, Mahometus, Iulianus? An aperto Marte fidem abolere decreuerunt? Tentatum id ſæpè: ſed fruſtrà, ipſis etiam Angelorum cohortibus, vt verè Chryſoſtomus, noſtrum in auxilium præliantibus. An per cædes acerbiſſimas fidem profligare aggreſſi ſunt? Imò ab his etiam abſtinere aliquando voluerunt, ipſum martyrij decus, vt acutè Nazianzenus, Chriſtianis inuidentes. An exiliis, an flagris, an tormentis Chriſtianam religionem inuaſerunt? In vanum omnia. Nam, vti egregiè Theodoretus, cruor cæſorum corporum, irrigatio quædam erat, qua nouæ in Eccleſia plantæ naſcerentur. Quid ergo improbiſſimi homines machinati eſtis, vt extremam nobis perniciem crearetis? Sanè inuentum Tartareis conflatum in officinis. Quódnam, precor? Gladium, quo ſe Chriſtiani Philoſophi tuentur, nituntur ab eorum manibus extorquere, ne irruentes in ſe hoſtes valeant propulſare. Quem verò dicis gladium? Apertè dico, ac Latinè, Dialecticam: nam ſeueriſſimis vterque legibus cauerunt, ne quis Dialecticam facultatem primo vel à limine ſalutaret: quod perinde fuit, ac ſi vellent, & ſuperciliosè imperarent, vt inermes confligeremus cum armatis: ſi quis enim Dialecticæ imperitus congrediatur cum Hæretico promptiſſimo ad cauillandum, pugnā inibit inermis cum armato: hic cæſim, punctim, dextra, læua, premet, vrgebit, ſauciabit; ille miſer, tanquam hoſtia, ictibus ceruices porriget, coſtas plagis, pectus vulneribus, totum corpus miſeræ lanienæ. Hanc ergo in nos technam peſſimi fraudum architecti conſuerunt, id, quod re erat, ſuſpicati, ſe quidquid non potuerunt aliis fraudibus obtinere, ſublata à nobis Dialectica facilè effecturos. Ita eſt. Si iſte gladius, Dialectica, inquam, vel hebeſcit, vel retunditur, vel à Chriſtianorum manibus extorquetur, boni Superi! quæ hæreſum colluuies, quæ errorum phalanx, quæ vitiorum caterua ad Paradiſi huius, ſeu Eccleſiæ munitiones conuellendas, velut agmine facto, conſpirabunt? At, ſi Cherubini, ſapientes, inquam, viri Dialectica, tanquam gladio, armati primos Eccleſiæ aditus tueantur; irruant licèt ſerpentes venenati, inſultent foribus, anhelant virus, euomant faces, toto ex pectore, tanquam ex Ætneo barathro, incendia iaculentur: omnes eorum inſultus, fracti, irriti, ac peſſundati vno veluti ſpiritu difflabuntur.

Dialectica gladius Chriſtianos tuetur.

Quæritis, cur non modò gladium; ſed etiam gladium ancipitem appellem Dialecticam? Certè, quid reſpondeam, anceps ſum; ita multiplex mihi ratio mentem ſubit. Mitto cæteras, hanc accipite. Memineritis, gladium ancipitem, ſeu *diſtomum*, vt vocant Græci, eſſe illum, in cuius medio capulus eſt, à quo duplex haſtile hinc, & inde duos faſtigiatur in mucrones. Addite, ea forma eſſe figuratum, vt in dextram, vel ſiniſtram manum æquè benè commodetur. Neutrum vobis figmentum videatur. Vtrumque eſt oraculum ex ſacris Hebræorum Iudicum Annalibus acceptū, quos ſi diligenter euoluatis, tandem inuenietis, Aodem ducem ambidextrum conflaſſe ſibi gladium ancipitem; hoc eſt, in duas cuſpides deſinentem, quem medio tenus, vbi capulus erat, apprehenſum in Eglonis Moabitæ viſcera recondidit. Hinc ergo, vobis vt ſatisfaciam, mihi aditus aperitur. Nam, vt anceps gladius in vtramuis manum iactatur non inuenuſtè: ita Dialectica ad vtramuis ſcientiam, ſeu diuinam Theologiam, ſeu humani iuris peritiam excolendam, quàm aptiſſimè adhibetur. Anceps gladius. Vtra manu vultis Eccleſiæ militare? Dextrâne, an læua? Theologica, an iuridica? Dicitis dextera, ſiue Theologica. Ergo arripite hunc gladium, qui aptiſſimè in dexteram quadrat. Dicunt aliqui, læua, ſeu iuridica. Ergo & illi gladium iſtum apprehendant, qui cum læua non incongruè cohæret: anceps eſt. Certè vniuſcuiuſque ſcientiæ Primates magnum ſui præſidium hoc vno in gladio poſuerunt. Et quidem de Theologis, tam antiquis, quàm præſentibus, nemo dubitat, cùm & eorum ſcripta, dialecticis argumentis plena, omnium manibus atterantur; & horum diſputationibus dialectica feſtiuitate aculeatis theatra Academica iucundiſſimè applaudant. Iam verò vtriuſque Iuris Primipili quantam in hac gladiatura operam & induſtriam collocarunt? Cùm & Gratianus Pontificij metator Iuris, & Vlpianus Cæſarei fundator peritiſſimus, vt alios prætercam propè infinitos, dialectica in palæſtra diligenter, & gnauiter inſudauerint: Platonis fortè iudicio excitati, cuius illud fuit de hac re decretum, acceſſum

77. Dialectica gladius anceps.

Iud. 3.

Dialectica apta ad omnes ſcientias comparandas.

Gratianus, & Vlpianus Dialecticæ cultores.

ſum ad ciuiles artes intercludendum eſſe omnibus, qui de arte Dialectica nihil anteà prælibaſſent. Meritò vt expoſtulare poſſim cum noſtratibus Luſitanis, qui, tanquam inuenuſti palæſtritæ, inſalutata Dialectica ad Iuriſprudentiam tranſiliunt: &, quod minùs ferendum eſt, antequàm legitimam ætatem conſequantur, neſcio quas immunitates à Cenſoribus conſcientiæ ambire ſolent exeundi à minoribus ſcholis, & ad maiores commigrandi, quas vt obtinent, valere iubent Dialecticos, & ſuperiorem Academiam planè virilem, ſuo congreſſu efficiunt penè puerilem.

Platonis mos erga Dialecticos.

Quid, ſi hoc noſceret Plato, quàm id ferret indignabundus, qui Dialecticam tanti faciebat, vt nemini ſua in Republica aditum ad illam aperiret, niſi ei, qui triginta ætatis annos expleuiſſet, & nunc (ô vices temporum! ô rerum vices!) triginta annos natus ad Dialecticam audiendam, non dico grandis vir, & intempeſtiuus eſt; ſed planè depontanus, & capularis ſenex eſt. At hoc libenter patior, illud ferre non poſſum: nam puer ephebus, qui adhuc eſſe poterat cum crepundio, iam erubeſcit videri cum Porphyrio. Sed mitto querimonias, ne tempus laudationi perexiguum importunis accuſationibus tranſigatur.

78. Ad vos, Auditores mei, ſi qui adeſtis, quos diligo, antequam video; quos ſaluto, antequam agnoſco; quos fero in mente, antequam habeo in ſchola: ad vos, inquam, mea ſe conuertit peroratio. Ludum vobis hodierno die gladiatorium aperio: præmoneo tamen, ſeueréque prædico, ne quis gladiatorij ludi nomine deceptus mihi afferat in ſcholam, vel ſub brachio gladiolos, vel intra veſtem pugiunculos, vel in marſupio cultellos. Remittite hæc ſicariis, laniis, ac popis: à vobis ingenuis, benè natis, liberaliter enutritis, procul iſta eſſe debent, procul: nam, qui citò enſem arripit, citò abiicit: qui extra tempus quærit, in tempore amittit: qui leuiter vagina exuit, timidè in vaginam induit. Erit,

Arma Scholaſticis interdicta.

Virgil. *-----ne accerſite, tempus,*

quo pro aris, & focis cum laude ſtrenuè decertabitis. In illud temporis ſeruate animos, quos à maioribus veſtris hæreditario iure accepiſtis. Interim non eſt, cur illos in leues pugnas, in iuueniles rixas, in vmbratiles concertatiunculas exhauriatis. Aliter noſtra nobis gladiatura exercenda. Dialecticæ gladium vobis in manus porrigam; non vt in mutua vulnera, gigantea perciti dexteritate, inuoletis; ſed, vt placatiſſimos nugantium Sophiſtarum laqueos vno ictu reſcindatis: quod feliciùs vt contingat, mihi, & vobis indico leges. Audite meas. Quidquid rei veſtræ fuerit, à me, quanta potero ſedulitate, curabitur, ſeu veſtram ad doctrinam, ſeu, quod caput eſt, veſtram ad probitatem exigatur. Nec labori parcam, nec ſudori: totum me torquebo, & extorquebo, vobis vt tantulam doctrinæ guttulam inſtillem: guttulam, inquam: nam imbres quærite aliunde, mihi ſatis fuerit pumicem non eſſe. Iam verò, vt aliqua ſtillula Chriſtianæ pietatis veſtri animi intingantur, libens me in vndas mergam, & immergam decumanas. Facultas fortè conſulendi ſaluti veſtræ aliquando me deficiet, voluntas nunquam. Vtinam Præceptorem haberetis, qualem veſtra, tum merita, tum ingenia poſtulabant: verùm aliqua bona fauſtitas veſtrum memet intulit in obſequium; ſiquidem non otiãdum mihi eſt, neque languendum; ſed algendum, ſed æſtuandum; eò impenſiùs, quò mihi ſunt vires ingenij, doctrinæque remiſſiores. Felices labores meos, ſi per eos ad Philoſophiam plures hoc quadriennio transferantur; multò tamen feliciores, ſi vel vnus ex meis Auditoribus, per eoſdem ad Chriſtum tranſducatur. Vnius ego in aucupio ad meliorem vitam, quidquid moleſtiarum ſubire potero, quidquid valetudinis exhaurire, quidquid ſanguinis profundere, quidquid ſpiritus exhalare, totum id benè collocatum eſſe exiſtimabo. Qua in re nullam à vobis gratiam inire volo: hoc enim ſuo iure vendicant, & officij mei ratio, & Societatis noſtræ, cui totum me tradere in diſciplinã cupio ſanctiſſima inſtituta. En partes meæ: veſtras iam accipite. Vnum à vobis exigo, habete reliqua. Quodnam illud? Voluntatem.

Mira Oratoris erga ſuos Auditores officia charitatis.

Societatis Ieſu inſtitutũ.

Ingenium non requiro: ſcio enim iam expertus, in Luſitana iuuentute quantum ſit acumen. Nam Olyſiponenſes, vt à primis ordiar, totos mihi videtur natura, tum ad omnia ſumma, tum ad ſtudia literarum ſolerti manu compegiſſe. Conimbricenſes, & quos Monda vicinos alluit, mira diſcurrendi facilitate, felicitatéque vtuntur. Interamnenſes amœniſſimo ſolo, in quo nati ſunt, videntur mihi eſſe ad philoſophandum amœniores. Tranſtaganis nemo dixerit ineſſe aliquid pingue, vel adipale; hæc illorum agris conueniunt; ingeniis ſubtilitas, & acumen. Regio verò Tranſmontana magnis iure ſe iactat alumnis, qui è ſummis montibus, vltra quorum culmina ſuo ſurgunt acumine ingenij, lucem patriæ fœnerantur. Denique tota Luſitania ingeniorum fertilis, & ferax eſt: quare ingenium à vobis non requiro, quod vel inuiti offeretis: requiro voluntatem: nemo nõ ſpontaneus militat Dialecticæ.

Luſitania ferax ingeniorum.
Olyſiponenſes.
Conimbricenſes.
Interamnenſes.
Tranſtagani ingenioſi.
Tranſmontani.

Superiores Facultes cogitatis? Agite dum, capeſſite, patent fores, feliciter abite. At minuuntur Auditores? minuantur. Deſeritur gymnaſium? deſeratur. Langueſcunt ſtudia Philoſophiæ? dummodo mea culpa id non contingat, quid iſtud curem? Non erit, quem exerceas ad Dialecticam? id ego meis adſcribam commodis: faciam de quadriennio compendium; præterquam quòd vnus, vel alter nunquam deerunt, qui ſi voluntariam mihi nauent operam, ingentis inſtar conſeſſus videbũtur. Itaque, Auditores, rem agamus. Rationes veſtras ſubducite. Si malè eſtis in Dialecticam animati; ne me, ne vos in ipſo limine exanimetis: ad maiorem Academiam dextero pede commigrate. Quod non eò dico, quòd parui pendam vos habere Auditores: ſi iſta mihi mens eſſet, amens eſſem. Teſtor, & palàm teſtor, nihil mihi glorioſius eſſe, nihil mihi poſſe eſſe felicius, quàm ſemper veſtris progreſſibus, & ad literas, & ad virtutes deſeruire. Sed ideò dico, quòd veſtram voluntatem præponam meæ; potiúſque ducam, me veſtra præſentia multò iucundiſſima defraudari, quàm vos noſtra Dialectica multò moleſtiſſima fatigari. Sin aliqua vobis ſcintillula ineſt perdiſcendi Dialecticam; vobis, quæſo, voluntaria opera ſtudere. Ne vos terreant laruales formæ Lernæis capitibus ſeptemplices, quæ primùm ingreſſis minitantur. En gladius Dialectica: acuite, vibrate, exercete: quid formidatis? Ducem vobis præſto, ac Laniſtam. Præludamus.

***

ORA

Digitized by Google

ORATIO V.

Pro Dialecticæ vtilitate ſequenda.

ARGVMENTVM.

Ergo libero Oratoris fidem, & præluſionem annecto, aliàs alibi annectendam, quæ potiùs velitatio, quàm Dialectica oratio erat inſcribenda. Non abs re tamen adulterinam frontem induit, quæ adulterinos colores Sophiſticæ exuit, ceruſſam, & pigmēta abſtergit. Hic lectionis ſcopus: Sophiſta enim memito, quo indutus erat, habitu ſpoliatur. Dialecticus verò ſimplici toga ornatus, & veris coloribus animatus, veram, ac germanam Philoſophiam profitetur: ſine fuco, ſine inuolucro faciem ſuam oſtendit.

79. Hieron. SEmper optimis, inquit Hieronymus ad Ruſt. *mixta ſunt peſſima.* Auro ahenum miſcetur, pharmacum veneno conditur, virtutem vitium comitatur. Hinc oritur, vt homines viciuitate rerum decepti, probra, quæ rebus peſſimis debentur, in res optimas ſoleant detorquere. *Mala permixta bonis.* Sic aurum tanquam aurichalcum, pharmacum tāquam merum toxicum, virtus tanquam vitus animorum nonnunquam vituperantur. *Dialectica encomia.* Non eſt immunis ab hac lege Dialectica: imò, ſi quid aliud, obnoxia illi in primis eſt. Nam, cùm ipſa ſit magiſtra veritatis, errorum expultrix, bonarum artium Regina, ſingularis ingeniorum illuminatrix; denique, vt Clemens ait Alexandrinus, *hominum ad* Clem. Alex. *diuinam ſapientiam manuductrix*; tamen pediſſequam habet fraudulentam, mendacem, verſipellem, vno verbo, præſtigiatricem: quibus eam nominibus afficiunt Auctores infrà citandi. Quænam illa eſt? Planè ars ſophiſtica. Vnde prouenit, vt contumeliæ, quæ in artem ſophiſticam ab *Sophiſtica vituperia.* antiquis Patribus, ſcholaſticiſque Doctoribus non immeritò iaciuntur; illæ ipſæ in Dialecticam propter vicinitatem, quam habet cum Sophiſtica, refundi videantur: & quemadmodum omnes eò conſpirant, vt Sophiſtica ab ſcholis, ab animis, ab hominum memoria in totum abdicetur; ita planè videntur exoptare, vt eidem exilio innocens Dialectica in ſempiternū tempus addicatur. Nam, vt benè notat Mol. 1. [illegible] quæſt. 14. art. 13. Molin. antiqui Patres, ſi quod [illegible]um in republica ſerpere, & graſſari cœptum animaduertunt, tam acriter in illud inuehuntur, vt etiam in ea bona, quorum in confinio illud eſt, inuehi, atque inſilire videantur: tati cum peritiſſimis Chirurgis, potius eſſe ſanam carnem & illæſam candenti ferro perſtringere, lancinare, vſtulare, quàm tabidam ac putrem relinquere intactam, ex qua in totum corpus vis morbi effundatur, nonniſi extremo fato medicanda. *Antiqui Patres in Dialecticam ſophiſticam excanduerunt.* Quare neminem mouere debent ea, quæ videntur antiqui, tum Scholaſtici, tum etiam Patres aduersùs Dialecticam prodidiſſe; cùm conſtet, eorum animos aliò ſpectaſſe, & à Dialectica quidem minimè alienos, in ſolam Sophiſticam grauiter excanduiſſe: quam iure merito putabant non ſolùm inutilem eſſe ad ſcientias comparandas, verùm etiam maximè perniciosam. Vnde primùm exordior argumentum ad neceſſitatem Dialecticæ abſtruendam reſpectu ſcientiarum acquirendarum. De hac enim parte ſolùm diſſeram, cùm velim acrior videri in confirmandis propriis, quàm in refutandis alienis: contra Lact. Firm. quod fecit Lactantius; vt eapropter non imme- Hieron. ritò ab Hieronymo vngue cenſorio perſtringatur. *Dialectica neceſſitas.* Ita igitur conficio argumentum. Ars ſophiſtica adeò perniciosa eſt ſcientiis comparandis, vt omnem ad illas aditum intercludat: ergo Dialectica adeò neceſſaria eſt, vt ad nullam commodè ſine eius ductu accedatur. Conſequutio videtur bona: & ſi inter Sophiſticam, ac Dialecticam vera oppoſitio intercedit, omninò certa eſt, dummodo ad congruentem formam reducatur, quod facilè fieri poteſt: eruitur enim ex loco à repugnantibus, in quo formalis fieri ſolet argumentatio, teſte Philoſopho 2. Topic. 3. Et probatur: quia ſimilem in modum argumentatur Ariſtoteles 1. Poſt. dum aſſumens, nihil eſſe falſius, quàm Ariſton oppoſitum primi principij, rectè infert: *Ergo nihil eſt verius, quàm ipſum primum principium.* Nec diſſimili vtitur argumento D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 2. cùm ait, *ſpeciale inobedientiæ peccatum non* D. Thom. *committi, niſi cùm quis præcepto, quà præceptum eſt, Superioris aduerſatur.* ex quo rectè concludit, communiter ab omnibus receptus: *Ergo ſpecialis virtus obedientiæ non exercetur, niſi cùm quis exequitur Superioris præceptum, præcisè quà tale eſt.* Imò & Chriſtus Dominus ſimilem argumentandi formam aliquando vſurpauit. Satis ſit locus ille Ioan. 10. *Si non facio opera Patris, nolite* Ioan. 10. *credere: ſi autem facio, operibus credite.* Vbi probat illud, quod proximè dixerat: *Ego & Pater vnum ſumus.* Probatio autem eſt huiuſmodi: Diuerſitas operationum inter me, & Patrem, ſi fortè daretur, ſufficiens vobis occaſio eſſe poterat incredulitatis veſtræ, hoc eſt, non credendi, me, & Patrem eandem eſſe eſſentiam, idémque principium operandi ad extra: ergo identitas operationum inter me & Patrem, quæ de facto datur, vt vos ipſi experimini, ſufficiens vobis ratio eſſe debet ad Theodor. credendum, me, & Patrem vnum eſſe. Ita enim Cyrill. poſt Theodorum, Cyrillum, Leontium, Auguſti- Leont. num, Bedam, Euthymium, interpretantur recen- Auguſt. tiores ibid. Caietanus, Toletus, Maldonatus. Miſſa Beda. igitur conſequentia, Euthym.

Caiet. Probo illud antecedens, nimirum, Sophiſti- Tolet. cam perniciosam eſſe ad ſcientias comparandas, Maldonat. primò ab auctoritate. 80. Nam Baſilius, qui in Dialectica adeò excelluit, teſte Nazianzeno oratio- Baſil. ne 20. de eius laudibus, vt iis, qui cum eo diſpu- Nazianz. tabant, facilius eſſet è labyrinthis ſeſe extricare, quàm argumentorum eius laqueos effugere, ſi quando res ita poſtularet: Baſilius, inquam, in cap. 15. Iſaiæ, vocat Sophiſtarum dogmata, fluxa ac decidua, nec potentia conſiſtere. Vnde in cap. 2. eiuſdem Prophetæ ait, illa expreſſa fuiſſe in muris Hierichuntinis, qui non tormentorum vi, ſed tubarum quaſi vnico flatu corruerunt. Et in cap. 16. ſentit, artem ſophiſticam fuiſſe adumbratam in vrbe Moabitide Heſebon. Primò, quia Heſebon, quæ interpretatur *diſceptatio*, prædicitur à Propheta ſuas plagas in æternum deploratura: Sophiſtica verò, quæ tota diſceptatrix eſt, in perpetuis lacrymis iacebit, cùm eius alumni apud Inferos ſuis ſe mucronibus conſequentiarum iugulabunt, *pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpi-* Sap. 5. 3. *ritus gementes, ac dicentes intra ſe: Ergo errauimus.* Secundò, quia arua ſuburbana Heſebon, latiſſimè in omnes partes excurrebant: ideò tamen erant infœcunda, vt ne leues quidem ſtipulas enutrirent

rent : Sophiſtæ iurgando, argumentando, diſce-
ptando longiſſimè ſpatiantur, ſolidos cremabunt
dies; illis enim, vt Græcus cecinit Poëta,

Verborum non ſtilla cadit, ſed flumen inertum:

at verò ex tam verboſis diſputationum congreſ-
ſibus, nihil fructus, plurimùm vanitatis. Tertiò,
quod meum erat inſtitutum, quia muri Heſebon
fragiles erant, ac teſtacei; munitionibus verò So-
phiſtarum infirmius nihil eſſe poteſt, nihil imbe-
cillius. Vnde Regius Vates Pſalm. 143. eorum
muros maceriam appellauit, *Non eſt ruina mace-
riæ, neque tranſitus in plateis eorum.* Nam, licèt So-
Hieron. phiſtæ, D. Hieronymo interprete ibidem, rimu-
las omnes ſuarum minutionum diligenter obli-
nant, obturent, & conſtipent, ne qua ſit ruina
maceriæ, ne quis tranſitus, quà miſeri homines
veteratoriè circumuenti elabantur : tamen vnum
efficere non poſſunt, vt eorum murus maceries
non ſit, cui ſi quis vel ſolis calcibus inſultet, fa-
cilè ſubruetur. Cùm igitur Sophiſticæ præceptio-
nes labiles ſint, & ſola inanitate plenæ; non poſ-
ſunt nobis eſſe gradus ſatis firmi, quibus nixi ad
ſcientiarum culmen pertingamus. Hanc ſophiſti-
Iren. cæ artis vanitatem mihi videtur expreſſiſſe Ire-
næus lib. 1. aduerſùs hæreſes, cap. 5. vbi ſophi-
ſtas pepones vocat, & cucurbitas : *O pepones*, in-
quit, *Sophiſtæ vituperabiles, & non viri.* Cogitabã,
quorſum iſthæc exprobratio pertineret : an, vt in-
nueret Sophiſtarum effœminatos animos, iuxta
Homer. illud Homericum Iliad. 3.

Ὦ πέπονες, κακ' ἐλέγχε', Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί.

O pepones, mala probra, Achiuæ, & non Achiui.

81. Hoc enim conuitij genus in animos parum viri-
les iactabant Græci, vt colligere eſt ex Theo-
pompo apud Athenæum, lib. 2. Sophiſtas verò
non parum à viris degeneraſſe, ſignificat Ale-
xandrinus 1. Stromat. poſt initium, dum illos vo-
cat cicadis loquaciores, eos, quibus aures pru-
riunt, non ſatis viriliter demulcentes, & titillan-
tes. Alia rurſus meum animum ſubibat interpre-
tatio, an fortè vellet Irenæus eo ſcommate decla-
rare Sophiſtarum ſuperbiam, & arrogantiam, in
eo flatu, quo pepones & cucurbitæ inturgeſcunt,
ſatis, vt videtur, adumbratam ſaltem, ſi non ex-
preſſam. Nam Sophiſtis ſicut nemo ignorantior,
ita nemo & arrogantior : duæ enim iſtæ comites,
ignorantia, & arrogantia, ſe inuicem conſequun-
tur, vt optimè oſtendunt Chryſoſtomus homil.
40. in Ioannem, Gregorius lib. 23. moralium.
Chryſoſt. Elias Cretenſ. in Nazianz. Bernard. homil. 37.
Gregor. de duab. notitiis in Cant. D. Thom. 2. 2. q. 162.
Elias Cret. art. 3. ad 1. Caietanus & alij Interpretes ibidem.
Bernard. Meritò vt dicat Apoſtolus 1. ad Timoth. 6. *Qui*
D. Thom. *non acquieſcit ſermonibus ſanis, ſuperbus eſt, & nihil*
Caietan. *ſciens.* vbi cum ſuperbia coniungit inſcitiam. Quã-
1. Tim. 6. ta verò ſit arrogantia Sophiſtarum, benè declara-
Ambroſ. uit Ambroſius epiſt. ad Demetriadem, dum ait, *eos
propria fiducia inflari; & ibi ſuum conſtituere meri-
tum, vbi diuinum ceſſarit auxilium.* Non minùs
Hieron. eleganter Hieronymus Commentariis in cap. 5.
Oſeæ, *Matrem*, inquit, *habent iniquitatis ſuæ ſuper-
biam, dum ſemper altiora ſe ſcire iactitant, & excel-
ſam ſibi ſcientiã pollicentur, & in Eccleſiæ contume-
liam debacchantur.* Breuior, non tamen obſcu-
Epiphan. rior, Epiphanius lib. 2. contra hæreſes, tom. 1.
hæreſ. 64. in verbis Methodij : *Sophiſtæ*, inquit, *ad
ſuam gloriam fraudem colorantes depingunt.* Cùm
ergo Sophiſtæ ex nimia ſuperbia laborent, vel in-
ſaniant, benè inflati pepones, & turgeſcentes
cucurbitæ ab Irenæo appellantur. Et fortaſſe hæc
Sophiſtarum arrogantia, morbus ille eſt, quo eo-
rum animi afflictantur : ſic enim appellarunt
Clemens Alexand. 1. Stromat. Baſilius lib. 5. ad- Clem. Alex. Baſil.
uersùs Eunomium homil. 17. Theophyl. & alij. Theoph.
Hic autem morbus non eſt alius, quàm inſania.
Quid enim inſanius eſſe poteſt, quàm velle ſape- 1. Tim. 6.
re ex inſcitia? Quare, vbi Paulus 1. ad Timoth.
6. de Sophiſta ita loquitur: *Languens circa quæſtio-
nes, & pugnas verborum.* meritò legit Vatablus: Vatabl.
Inſaniens circa diſputationes. eorum enim languor,
furor eſt. Quò fortè alluſit Iſidorus Pelusiota Iſid. Peluſ.
lib. 3. epiſtolarum, epiſt. 87. cùm Sophiſtas appel-
lauit inſanos. Certè Euripides in Phœniſſis, con-
templatus hanc Sophiſtarum, ſiue inſaniam, ſiue Euripid
ægritudinem, ſiue arrogantiam, ex ignorantia ta-
men ortam, prudenter cecinit, eam, vt conualeſce-
ret, pharmacis indigere ſapientibus. Contraria
contrariis curantur : morbus igitur ortus ex inſci-
tia, curari debet pharmaco confecto ex ſapientia.
En altera expoſitio. Addo tertiam. Quemadmo- *Sapientia*
dum pepones, poſtquam nimiùm maturuerunt, *medetur in-*
medullam omnem, quà intus erant ſtipati, quoſ- *ſcitia.*
dam inanes decoquunt in vapores, compreſsique
manibus in vanos ſtrepitus faceſſunt: ita Sophiſtę
ſua ignorantia putreſcentes potiùs, quàm matu-
reſcentes, veritatis vacui, vanitatis pleni, hanc fo-
ras promunt, illam intus condunt; & ſi à ſapien-
tibus nimiùm comprimantur, deſiliunt, & in futi-
les verborum crepitus erumpunt. Vt non imme-
ritò Elias Cretenſis in orat. 3. contra Iulianum,
Sophiſticam appellet *artem deceptricem* : Ignatius Elias Cret.
epiſtola ad Trallianum, *artem vaniloquam* : Cle-
mens Alexandrinus 1. Stromat. *phantaſticam po-* Ignat. Clem. Alex.
teſtatem. Quid igitur vtilitatis ab hac arte ad re-
liquas ſciencias comparandas expectetur? Certè
nihil. Parum tamen foret non prodeſſe, ſi non ob-
eſſet: obeſt autem plurimùm.

Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vi- 82.
neas. Cecinit Epithalamographus Cantic. 2. Quas Cant. 2.
appellat vulpes demolitrices vinearum? Non du-
bium, quin eos homines, qui ſophiſticis argutiis
aliorum animos deludunt; quipue, vt cum Saty-
rico loquar,

---- aſtutam ſeruant ſub pectore vulpem. Iuuenal.

Ita enim interpretantur Origen. Theod. D. Gre-
gor. ibi, D. Hilarius in Matth. can. 7. D. Ambroſ. Orig.
ſerm. 11. in Pſalm. 118. & Commentariis in Luc. Theodor.
cap. 9. & lib. 1. de Spiritu ſancto : D. Bernardus Gregor. Hilar.
ſermone 64. in Cant. vbi notat, huiuſmodi ho- Ambroſ.
mines capiendos eſſe, non fugandos. *Capite : ca-* Bernard.
piantur, inquit, *potius, quàm fugentur. Capiantur
non armis, ſed argumentis.* Nec immeritò : vt ſi
quidem nos captant, & non capiunt; à nobis
cùm non captentur, capiantur; & quam pœnam
nobis inferre volunt, luant; & in quas plagas
impedire volunt alios, implicentur. Quod ta-
men difficillimum factu eſt : nam, vt idem Ber-
nardus obſeruat ſerm. 66. *Vulpes tam puſilla atque* Bernard.
ſubtilis eſt, vt facilè humanos fruſtretur obtutus : & *Vulpium cal-*
neſcio qua arte fingendi ita ſua cõfundit veſtigia cal- *liditas.*
*lidiſſimum animal, vt qua vel intret, vel exeat, non
facilè queat ab homine deprehendi, cùmque pateat
opus, non apparet auctor.* Ita Bernardus feſtiuiſſimè.
Non aliter Sophiſta tam callida arte congreditur,
tam cauto pede confligit, tam ſolerti lapſu erum-
pit, vt cùm iam videtur vndique circumuentus,
ſubitò appareat expeditus. Nimirum, Proteus *Sophiſta, Pro-*
eſt, multiplices ſeſe induens in figuras : & niſi *teus eſt.*
aliquis Ariſtæus accedat, non Cyrenæ, ſed Diale-
cticæ præceptionibus inſtitutus, qui exitus & ef-
fugia ambientem validis nodis conſtringat, faci-
lè elabetur. Has igitur vulpeculas capite : quia
demo

demoliuntur vineas, corrodunt pampinos, defricant gemmas, atterunt ſtolones, racemos deuorant, omnem viroreın, ac decorem vinearum labefactant: hoc eſt, iſtos greges Sophiſtarum prendite, conuincite, circuncludite; ne mendacia ſerant, & errores; & in horto amœniſſimo veritatis dumeta excitent, & ſpineta falſitatis. Videtis, quantũ Sophiſtica afferat nocumentum ad ſcientias comparandas? Quis crederet, ex tam fictitiis machinamentis tantam poſſe ſcientiarum calamitatem proficiſci? Hoc ipſum facere non poſſum, quin exemplo alio illuſtrem.

83. Inter Ægyptias plagas vna per ciniphes illata adeò acerba fuit, vt cùm Pharaonis Magi reliquis non cederent, ab hac ſe ſtatim victos faterentur: *Digitus*, inquiunt, *Dei eſt hîc.* hoc eſt, maior hîc aliqua virtus latet, quàm cui nos reſiſtere poſſimus. Quid hoc eſt? Nónne Magi ſanguinem ſanguine, ranas ranis, dracones draconibus repulêre? Cur etiam hanc peſtem alia ſimili non euitarunt? Caietanus, credo, ad literam, licèt non meum ad inſtitutum: *Voluit Deus in minimis deficere Magorum virtutem; vt ſi quando in maximis valeret, intelligerent Ægyptij, eam à Deo datam eſſe, non innatam; ex diuina liberalitate conceſſam, non ex humana hæreditate poſſeſſam.* Philo Iudæus, ad mores, niſi fallor; & præter id, quò tendo: *Voluit item Deus, Ægyptios minimo ſupplicio ſuccumbere, vt maximis ſuppliciis cederent; vno digito Dei punientis collidi, vt totam manum Dei ſæuientis formidarent. Nam, ſi digitum Dei leuiter ſaucianteſ tota non potuit ſuſtinere Ægyptus; manum integrã Dei in plagas efferueſcentem, quo pacto vnus ſuſtinebit homunculus?* Origenes allegoricos ſequitur explicatus: ſed quibus mea ſententia ſtabilitur: per ciniphes enim Sophiſtas intelligit: *Hoc animal*, inquit Origenes, *pennis ſuſpenditur per aëra volitans: ſed adeò ſubtile, ac minutum eſt, vt viſum, niſi acutè cernentis, effugiat; corpus tamen, cui inſederit, acerbiſſimo terebrat ſtimulo, ita vt quem volitantem videre quis non valeat, ſentiat ſtimulantem. Non aliter Sophiſta*, &c. Quare, ſicut illud animal leue, paruum, penè nullum, adeò tamen pernicioſum fuit Ægypto, vt vel Magos, vel Philoſophos perturbaret, indéque viribus repelli non poſſet humanis: ita Sophiſtarum genus difficile, moleſtum, importunum, adeò eſt veræ ſapientiæ inimicum, vt eos, qui ad illam peruenerunt, deturbet; qui in illa proficiunt, eludat; qui de illa profitenda cogitant, remoretur. Pernicioſi planè homines, & infeſti. Date igitur illud antecedens, vel ſola auctoritate permoti; nimirum, Sophiſticam ad ſcientias comparandas pernicioſam eſſe. Vnde infero: Ergo Dialectica ad eaſdem acquirendas eſt neceſſaria. En primum, & poſtremum pro hac parte argumentum. Vnicum eſto. In quo fateor ingenuè, plus fuiſſe verborum, quàm neruorum. Date veniam. *Quam quiſque norit artem, in hac ſe exerceat.* Ego, ſi quam noui (noui autem nullam,) ſi quam, inquam, noui, loquendi fuit, non differendi. Ex illa hoc præceptum adhuc memini, nimirum, *perſuaſori leniùs velitandum eſſe cum auditore perſuaſo.* Veſtrûm autem nemo eſt, qui iamdiu non ſit in hanc opinionem excitatus, Dialecticam eſſe neceſſariam, & perneceſſariam ad cæteras ſcientias comparandas.

Ægyptia plaga per ciniphes illata. Exod. 8. 19.

Caiet.

Philo Iud.

Origenes, & ex eo Auguſt. ſerm. 87 de tempore.

Nota Authoris modeſtiã, poſtquam per aliquot annos Rhetorem egit.

Quid ergo vehementiùs agam cum pacato? inclementiùs belligerem cum pacifico?

***

ORATIO VI.

In Baccalaureorum examinibus.

ARGVMENTVM.

Inoffenſus planè clypeus Philoſophiæ priuatas domos defendit, integras vrbes protegit, ampliſſima regna cuſtodit, vniuerſum deniq; terrarũ orbem tuetur. Hæc vtriuſq; ſapientiæ exempla demonſtrant. Tandem Philoſophiæ candidatus hoc clypeo protectus deſcendit in arenam, victoriam ſpe præſumit. Certè parmã nemo abiiciat, qui ad palmam nititur: nemo enim relicta non benè parmula coronatur in triumpho.

SVperiori anno, cùm philoſophicum curriculum ingreſſus ſum, Auditores meos, ſi fortè meminiſtis, armaui gladio: num clypeo armabo alienos? Erit aliquis ex optimis Candidatis, qui indignè ferat ſibi clypeum, aliis gladium deferri, ſuſpicatus clypeum minoris eſſe virtutis argumentum, quàm gladium. Hanc illi ſuſpicionem ingeret celebre illud dictum, credo Scipionis Africani: (diu enim eſt, ex quo legi, neque interim mihi fuit otium relegendi.) Obtulit bonus quidam miles ſuo Duci Africano clypeum, quem aduersùs omnes ictus munitiſſimum eſſe prædicabat. Quid Africanus: Libénſne ſuſcepit? Induit alacer in ſiniſtram? Gratulabundus cumulato pretio rependit? Nihil ſibi minùs perſuaſit. Imò toruus, & ſeuerus, *Abi*, inquit, *bone miles, cum tuo munere: ego dextera v. or, non læua: gladio mihi opus eſt, non clypeo.* Ita ſe mihi opponunt generoſi Candidati: Hóccine tu nobis offers clypeum, meræ imbecillitatis argumentum? Timidis hæc dona remitte: nobis, quos ad philoſophica certamina patens ſapientia melioribus auſpiciis inaugurat, gladios, & miſſile ferrum. Parciùs, optimi Candidati, parciùs. Virtutis nullum eſt accommodatius inſigne, quàm ſcutum. Adeſte parum, dum id probo: antiquam ad rem me confero. Occidit bellico in conflictu gemina illa virtus aquilarum virtute maior, & leonum virtus, Ionathæ, & Saülis: cum Principe ac Rege, optimi quique militum corruerunt: cum militibus bellica præſidia omnia conflagrarunt: funebre Vates Regius miſera in ſtrage concinit Epicedium: quid primum in eo queritur? quid deplorat? An ſceptrum regiis manibus excuſſum, hoſtilibus pedibus attritum? An purpuram natiuo ſucco decolorem, infuſo cruore ſaturatam? An diadema Saülis capiti direptum, equorum vngulis colliſum? Nihil iſta. Maiorem iacturã lamentatur: *Ibi abiectus eſt*, inquit, *clypeus fortium, clypeus Saülis!* Ac ſi querebundus ingemiſcat: O clades! ô pernicies! ô calamitates! In totum exercitus robur hoſtilis furor deſæuiret; in reliqua belli inſtrumenta militaris procella detonaret: vnus ſupereſſet clypeus Saülis, ſalua mihi eſſe omnia viderentur: nunc autem abiecto clypeo ſpes abiicitur, languent animi, proſtrata mihi omnia videntur eſſe, & perculſa. Cernitis, in clypeo quantùm ſit momenti? Ergo ſtrenuis debetur clypeus, non ignauis: fortium inſigne eſt, non imbellium, clypeus fortium. Pergite mihi ſtudere, dum

Laconicum

84.

Scipionis Africani celebre dictum.

Clypeus, fortitudinis argumentum.

Ionathas, & Saul pariter occidunt.

2. Reg. 1. Clypeus Saulis.

by Google

cubuerit. Videtis, vt vna Eliſabetha præcipitem in tot ſcelera Dionyſium, ad vitæ innocentiam reuocauit. O Reginam libentium morum reparatricem! O facem ad diuinæ legis cultum prælucentem! O aſtrum ad æternæ ſalutis ſtationem feliciter antegrediens!

63. *Tull.*

Regis vitam tam propè ciuium mores conſequuntur, vt verum illud ſit oraculum Tullianum: *Quæcumque mutatio morum in Principibus extiterit, eandem proculdubio in populo ſequuturam.* Hinc eſt, vt qui mores Principis deprauat, mores ciuiũ deprauaſſe iudicetur: non aliter (teſte Plutarcho) atque ille, qui venenum in fonte diluit, vnde ab omnibus hauritur, venenum omnibus propinat: contrà verò, qui mores Principis benè inſtruit, ciuium mores benè inſtruxiſſe videatur: non aliter, vt egregiè Damaſcenus, atque ille, qui nauis gubernatorem ſoſpitat, omnium in ſalutem nauigantium incumbit. Ergo quantam operam ſanctiſſima Eliſabetha in excolendis ciuium moribus poſuerit, palàm eſt, ex eo ſtudio, quod in Rege ad pietatem informando collocauit. Quod vnum argumentum ad hanc rem apertiſſimè oſtendendam ſatis eſſe iudicarem; niſi Eliſabetha ad omnium ſalutem procurandam plures vias, plures rationes ſuſcepiſſet.

Plutarch.

Damaſc.

Regum mores populus ſequitur.

64. *Regina filiũ cum patre conciliat.*

Cogitate ergo cum animis veſtris omnes homines, Principes, Dynaſtas, municipes, plebicolas, viros, fœminas, infantes, cuiuſque ordinis, cuiuſque ætatis, cuiuſque fortunæ Luſitanos: quidquid hactenus dixi, indictum volo, præceps dixi; ſi vel vnicus occurrat, cuius de ſalute tantula incuria ſanctiſſima hæſerit in Regina. Alphonſus in parentem impius, in germanos iracundus, in cognatos bellicoſus, in domeſticos iniurius, in exteros fraudulentus, in Rempublicam peſtis, & incendium; quid mali non aggreſſus? quid flagitij non auſus? iuueniliter exultantem ita ſubigit, ita frænat, ita emollit Eliſabetha, vt in gratiam redeat cum parente, in amicitiam cum germanis, in pacem cum cognatis, in beneuolentiam cum domeſticis, in fidem cum externis, debitum cum Republica in amorem. Viri Principes nonnulli, ſuis opibus, ſuæ famæ, ſuæ vitæ perperam conſulentes, immodico luxu decoquere, inteſtinis odiis diſſidere, nefariis cupiditatibus deflagrare. Singulos hortatur Eliſabetha: quod quiſque medicamentum exigebat, adhibet ſalutare. Quid factura? Ille ad parſimoniam redit, ille ad placabilitatem reducitur, ille ad honeſtatem reuocatur. Omnes, viuendi libertate valere iuſſa, intra leges, à ſanctiſſima Eliſabetha præſcriptas, continentur. Homunculi in Republica multi aderant extremam præcipites in dementiã, ad quam ſua quemque penuria compellebat: quidam clependo victitabant, quidam fallacias conſtruendo, quidam ſuam operam ad quælibet maleficia præſtando: ſi quis erat tam ſordidis vitæ præſidiis deſtitutus, vel laqueo frangebat gulam!, vel præcipitem ſe agebat in torrentem, vel adacto mucrone intima præcordia lancinabat. Quid Eliſabetha? In ſingulas vrbes, in ſingulos vicos, in ſingulas domos, diligenter inquirit: ſi quem vſpiam nanciſcitur, qui nefario quæſtu vitam alat, caſtigat, vt par eſt, & miſerum lucellum largioribus opibus compenſat: ſi quem, qui voluntarium interitum laborioſæ vitæ anteferat, inopiam telum ingens, ſubrogata pecunia morituro è manibus extorquet. In quibuſdam Luſitaniæ oppidulis degebant homines barbari, ſylueſtres & ferini, ſine lege, ſine cultu, ſine templo, ſine curia, ſine vllo Antiſtite ſacrorum; ipſa eos ignoratio, vt malitia abeſſet, multa in ſcelera deprimebat. Rem nouit Eliſabetha: templa collocat, Curiones præficit, leges præſcribit: iacentem erigit pietatem, intermortuam ſuſcitat religionem, omnium iam penè deploratam diligenter excubat in ſalutem. Conimbricæ in extremo ponte, quem terni, bini, ſinguli, animi gratia frequentatis, versùs auſtrale latus, fuit quondam locus, domicilium turpitudinis, caſtellum impuritatis, proſtibulum impudentiæ, in quo fœminę profligatis moribus gregatim morabantur. Quæ in illum ſordes vitiorum, tanquam in ſentinam ciuitatis vndique confluxerint, neque meum eſt dicere, neque veſtrum eſt audire: cuiuſque tamen eſt facile ſuſpicari. Dolet Eliſabetha, tantam Reipublicæ voraginem patefactam, quam ſemper oppilatam omnibus volebat. Quid faciat? perpurgat locum, excludit incolas, riualium riuulos auertit; & ne vnquam vitiorum ſemina renaſcantur, pangit ſingularium lilia virtutum; ibidem enim Parthenoni D. Claræ ſuis ipſa manibus iacit fundamenta; vt in quo anteà loco dumeta turpitudinis inhorruerant, in eodem poſteà germina effloreſcerent caſtitatis. Pueri recens nati, vel inopiæ, vel infamiæ cauſa, paſſim olim exponebantur: qui à nemine ſuſcepti vel decedebant, quod timendum eſt, non expiati; vel illiberaliter nutriti, licentia potiùs quàm ætate adoleſcebant. Horum, ſeu viuentium, ſeu morientium periculo longè maximo conſulit Eliſabetha diligenter: duplex conſtituit hoſpitium paruulorum, Leirienſe alterum, alterum Scalabitanum: in vtrumque redditibus amplis optimas quaſque deligit expoſititiis infantulis nutrices, vt cum lacte bonos mores ſugant, qui in nullo ætatis flexu, vnquam dilabantur, ſemper illibati conſeruentur. Videtis, vt nemo in Luſitania vnquam fuerit ſummus, infimus; diues, pauper; ignarus, rudis; vir, fœmina; ſenex, infans; quem Eliſabetha ad morum probitatem non informarit? O Reginam! Sed excurro longiùs, quàm par eſt.

Alphonſus, Dionyſij filius.

Eliſabetha Luſitania medetur.

Eliſabetha ſcelerum ſentinam publicam euertit.

Eliſabetha ſuis manibus Parthenoni D. Claræ cæmenta iecit.

Regina duplex conſtituit hoſpitiũ paruulorum.

Ad vos mea ſe conuertit oratio, Religionis inclytæ corona, *melior portio gregis Chriſti*, vt appellat Cyprianus: *Ciuitas in terra cæleſtis*, vt Chryſoſtomus: *Perpetuum inter homines miraculum*, vt Bernardus. Vobis omnibus, ad ſanctitatis faſtigium ſanctiſſima Eliſabetha præuolauit. Imitari vultis in Regina regiæ contemptum dignitatis? Vix ad Superos euolarat Dionyſius, cùm iam Eliſabetha regiam à ſe abdicat ſupellectilem; pretioſam veſtem altaribus conſecrat veſtiendis; criſpantes mitellas, coronandis Diuorum ſimulacris, pellucentes gemmas, diſtinguendis ſacrorum Antiſtitum indumentis; aureos, argenteóſque torques, ſignis templorum fabricandis: ipſa lacera, pannoſa, ſcrutaria, exiguam in domunculam, ſeu paruulum abdita in ſepulcrum, 65.

Cypr.
Chryſoſt.
Bernard.

Virginum encomia.

Sepſit ſe tectis, rerúmque reliquit habenas.

Quæritis in Eliſabetha victus temperantiam? Neſciebat delicatiſſima Regina lautiores epulas, à vilioribus etiam abſtinebat. Quotam anni partem? Integrum annum in quatuor partes diuidite; putate, ac diſputate rationes: vix vnam inuenietis ieiunio vacuam abiiſſe. At cœnæ non erant admodum terreſtres; neque *ſine ſanguine*, vt aiunt. Quid in cibum adhibebat? Panem. Quid deinde? Aquam. Quid vlteriùs? Nihil. Nihil? Dixi. Tres integras anni partes? Integras. Regina Luſitaniæ? Regina. Superſtite Dionyſio? Superſtite. Inter conditiſſimas dapes? Sanè. Inter regios miſſus ferculorum? Verum.

Regalem cultum exuit Regina.

Reginæ parſimonia.

Verum. Inter pollucibiles conuiuiorum apparatus? Tantundem. O rem nouam! ô miraculum! ó prodigium! Ego quidem quoties de hac ea per

Auctoris religio.

hoſce dies cogitabam, ita commouebar animo, vt mei memetipſum pœniteret, cui nouerim tanto interuallo Reginam præiuiſſe, quæ ſi vitæ ratio attendatur, fas erat, vt maioribus diſiuncta ſpatiis ſequeretur. In regali opulentia religioſam miramini Eliſabethæ paupertatem. Quæſo, mihi vacate, dum rem eloquor ſæpè auditam, nunquam ſatis cogitatam.

Regina peregrinatio.

Ineunte anno, quo in vrbem D. Iacobi ſe infundit omne peregrinorum genus, cóparat ſe Eliſabetha in eandem vrbem profectura.? Qua ætate creditis? Sexagenaria. Qua valetudine? Incommoda. Quibus viribus? Exhauſtis. Quo tempore? Hyberno, vt exiſtimo. Quo ſatellitum præſidio? Nullo. Quanta viarum longitudine? Vltra ducenta millia paſſuum. Quàm magnifico inuecta curru? Pedes, arundineo ſubnixa baculo. Quo viatico? Illo, quod vicatim, oſtiatim mendicando colligebat. O rem iterum nouam! Reginam in publico ſolitariam! Reginam in itinere pedeſtrem! Reginam in ſuo regno mendicantem! Talem fabulam quis audiuit?

Regina oſtiatim mendicabat.

Pulſabat Regina Luſitaniæ longè auguſtiſſima ter, quater pauperum tabernas: tantulam ſtipem, Numinis in gratiam, flagitabat: aliquando obolum, teruncium, panis fruſtulum; aliquando minas, iniurias, ſuperba dicta referebat: priorem ſtipem recondebat in pera; poſteriorem conſeruabat in corde: illam communem cum aliis mendiculis faciebat; hanc ſibi propriam, ſibi debitam eſſe iudicabat. Quid eſt paupertatem colere, ſi hoc non eſt? Compoſtellam ingreſſa, templum adit: & quæ olim in eo planè regia ſacrauerat anathemata; nunc mendicula ſolam exhibet paupertatem. Templo egreſſa, vrbe vagatur mendicando, & quæ ſibi victus non ſatis collegit, de demenſo ſuo, ſui ſemper ſimilis, pauperibus elargitur.

Regina paupertas admiranda.

Locum, in quo diuertetur, nullum habet, quæ hoſpitio excipiebat liberali peregrinos, & ſuas cæteris ad cauponas confluentibus, ſola in gurguſtio Regina Luſitaniæ deliteſcit. O rem, qualem eſſe dicam haud ſcio: credite, dicere vlteriùs vix poſſum, obſtupeſco.

Hieron.

Paula, inquit Hieronymus, cùm de ea loqueretur, quæ Roma peregrinata Hieroſolymam, Bethlehemiticum ſeſe abdidit in receſſum; *Paula* (inquit) *quæ vnius vrbis contempſit gloriam, totius orbis opinione celebratur; & quam Romæ habitantem nullus extra Romam nouerat, latentem in Bethlehem, & barbara & Romana terra miratur.* O Eliſabetham, quò Paula digniorem, eò Paula mirabiliorem. Tui te Luſitani obſeruant: totus te orbis peregrinam ſuſcipit, obſeruat, veneratur.

66\. Facile dictu erat, virtutem eſſe nullam, cuius Eliſabetha religioſis hominibus exemplum non reliquerit ſingulare.

Regina erga religioſos Ordines munificentia.

Verùm ad eam pietatem feſtinat oratio, qua ſacras Deo Familias fouit, aluit, complexa eſt: vt quæ, Reginæ ſine curis eſſe non poterat, ſaltem Religionum alumnis viam curis liberam in cælum expediret. Mitto, quos ædificauit Parthenones, quæ pomaria circumiecit, quas diuitias impendit, quibus ornamentis expoliuit. Certum eſt, nullum fuiſſe in Luſitania religioſorum hominum, fœminarúmve Conuentum, quem Eliſabetha non ſuſceperit maioribus in dies beneficiis excolendum. Si quem res frumentaria defecerat, tribuebat; ſi quotidiana alimenta, ſuppeditabat: ſi domeſtica ſupellex, conferebat: ſi veſtitus ratio, donabat: ſi in ſumptus ordinarios pecunia, ſoluebat; ſi ægrotantium præſidia, miniſtrabat: ſi veſtis ſacra, ſi pictæ tabulæ, ſi aurea, argenteáve ſigna, ſi conchyliata taperia, ſi belluata periſtromata, ſi quid in vſus priuatos, in communes, in ſacros, in profanos, omnia plenis, vt aiunt, manibus liberaliter effundebat. Hanc beneuolentiam ſanctiſſima Eliſabetha hæreditauit à maioribus, & poſteris delegauit. Nam Luſitaniæ omnes Reges in ſacris Deo Familiis promouendis, tantam operam poſuerunt, quantam (dico liberè) nulli externi Reges collocarunt.

67\. Replicate animo religioſos Ordines, quotquot in Luſitania à prima huius regni conditione, floreſcunt: ne vnum quidem inuenietis, in quo expreſsè non appareant regiæ liberalitatis monumenta. Antiquiſſimus ille, qui ſacro militat ſub nomine Benedicti in ſolitudine, in receſſu, ab hominum commercio ſeuocatus, Alphonſum primum Luſitaniæ Regem, vt parentem, veneratur:

Alphonſus primus Luſitania Rex 150. Cœnobia condidit. Ordo D. Bened.

qui, cùm centum quinquaginta Cœnobia in Luſitania erexerit, plurima regione Interamni huic Ordini adſcripſit.

Ordo D. Bern.

Ille, qui ſanctiſſimi Bernardi doctrinam hauſit, moréſque expreſſit, eundem nouit Alphonſum ſuæ gentis auſpicem, & patronum, qui victoria de Saraceno parta, Alcobaciæ (ita vocant) illam domum extruxit è quadrato lapide ſingularem, cenſu diuitem, opere viſendam, magnitudine auguſtam, incolarum numero tam frequentem, vt ſemper alij atque alij per vices canendo in orbem ire dicerentur; cùm non poſſet tam ingens multitudo, ſimul omnis, idem in officium conuenire.

Ordo D. Auguſtini duplex in Luſitania.

Duas illas Auguſtini Familias longè clariſſimas, Canonicorum, & Eremitarum, quanto ſtudio Luſitani Reges curauerunt?

Cœnobium S. Crucis Conimbricæ.

Canonicis in hac vrbe primus excitauit Alphonſus Ædem illam, Crucis nomine inſignitam, religione plenam, ſitu amplam, fontibus irriguam, tantis opibus abundantem, vt Antiſtiti illius Theotonio, vrbem integram, Leiriam, nuper ab hoſtium receptam poteſtate, tradiderit poſſidendam.

Ioannes tertius Luſitania Rex.

Eremitas, qui, ſeu vitam, ſeu doctrinam ſpectetis, referunt, ſine dubio, in terris viuens parentis ſui Auguſtini ſimulacrum, Ioannes tertius ita fouit, vt tres clariſſimas vrbes Luſitaniæ, Olyſiponem, Eboram, Conimbricam, tribus clariſſimis huius Ordinis Cœnobiis illuſtrarit.

Ordo D. Dominici.

Venio ad illa duo Orbis lumina, Dominicanis, Franciſcaníſque legibus prænitentia.

Ioannes primus Luſitania Rex.

Dominici alumnos probitatis doctrinæq; ſtudiis florentiſſimos, Ioannes primus ita coluit, vt parta illa victoria de finitimis hoſtibus memorabili, templum illis collocarit, cui à prælio nomen eſt tam clarum, tam elegans, tam magnificum, vt multi, ſeu in patriam ituri, ſeu in Academiam redituri, ad illud inuiſendum confluatis, tam fortaſſe curioſi, quàm, vt videre par eſt, religioſi.

Ordo D. Franciſci.

Numeroſa illa ſoboles Franciſci ſua diues paupertate, ſua ſterilitate fœcunda, quantum in Luſitanis Regibus præſidium inuenit? Nam, vt omittam cætera, Cœnobium Olyſiponenſe, Eborenſe, Conimbricenſe,

Reges Luſitania erga religioſos Ordines.

Leirienſe, Portuenſe, Alphonſus, Dionyſius, Emmanuel, Ioannes, & ſi qui ſunt alij, collocarunt.

Ordo Carmelitarum.

Ille Ordo iam inde à Carmelo monte in Orbe propagatus, ſeu Eliam, ſeu quem alium præſtantiſſimum Heroa inuenerit conditorem; cùm ab aliis, tum à Ioanne tertio fatetur præclara ſe beneficia accepiſſe, qui non ſolùm prouinciam recoxit, & expoliuit vniuerſam; ſed etiam Conimbricæ illi Collegio autor fuit, quod nuper fani pulcherrimi acceſſu toti vrbi non exiguam

Ordo ſanctiſſimæ Triados. conciliat venuſtatem. Illa, quæ ſacroſanctæ Triados cognomine illuſtratur. Familia auguſtiſſima, tertio Alphonſo multùm debet, qui primariam eius domum Olyſipone conſtitutam reddidit ampliorem: plurimùm Ioanni, qui ſingula eius Ordinis domicilia ad auitæ obſeruantiam ſanctitatis, non exiguis decorauit ornamentis. *Ordo ſancti Ioannis.* Illi, qui cæruleo cinctu cælorum referunt, & eximia charitate in ægrotos parentis ſui Ioannis charitatem in Deum imitantur, quintum huius nominis Alphonſum, Eliſaberámque vxorem ſui Ordinis patronos amplectuntur; quorum opera effectum, vt Olyſiponis in ſuburbio, prope Tagum, pulchra illa Domus à vicino ſacello Benedicti nuncupata, ampliſſimis vectigalibus donaretur.

68. *Ordo D. Hieronymi.* Quid verò illi, Hieronymo duce, ſanctiſſimæ Profeſſores diſciplinæ? Primas opes ab India exportatas eò contulit Emmanuel, vt in primo oſtio Tagi templum poneret, Luſitanorum Mauſoleis in primis nobile, magnæ Matris auſpiciis erectum, Hieronymi alumnis, quos in oculis habebat, conſecratum: vt, quæ inde naues ſoluerent in Indiam, ſanctiſſimis virorum precibus potiùs, quàm ſecundis à tergo ventis nauigarent. *Ordo Equitum Chriſti.* Militaris ordo Chriſti Equitum, non minùs olim ad ſtrenuè pugnandum, quàm modò ad ſanctiſſimè viuendum comparatus, quid à Luſitaniæ Regibus non accepit? Dionyſius, & Eliſabetha condiderunt: Emmanuel auxit, exornauit: Ioannes ſingula attulit incrementa: conſequentes omnes Reges, non ſolùm huius Ordinis cultores extiterunt, ſed etiam Profeſſores. *Ordo Societatis Ieſu.* Huc iam ades, inter ſacras Deo Familias dignitate minima, meritis nouiſſima, antiquitate poſtrema; omnium tamen æmula ſtudioſiſſima virtutum. Huc iam ades, ô Societas, & quæ à Luſitanis Regibus beneficia acceperis, ne loquare. Ipſa Olyſipo, ipſa Ebora, ipſa Conimbrica, ipſa Luſitania, ipſe Orbis, quantus quantus ille eſt, ipſe eloquatur. Luſitani Reges illi ſunt, qui te exceperunt naſcentem, erexerunt reptantem, vbique gentium ſuſtentarũt adoleſcentem. Illi Regum primi omnium te euocarunt ab Italia, fouerunt in Luſitania, ad Indos, ad Sinas, ad Iaponios propagarunt. Illi duplicem tibi Olyſipone Domum, nobilem Eboræ Academiam, amplum Conimbricæ Collegium tradiderunt. Illi tuum ſtudium ad informandam iuuentutem, tuam operam ad bonos mores inducendos, tuum laborem ad extremas mundi plagas fidei lumine illuſtrandas comprobarunt. Illi tot in te beneficia contulerunt, vt ea, quæ mirantur homines, à regia liberalitate profecta, (ſunt autem maxima;) tamen ſi cum aliis, quorum ſumus ipſi conſcij, comparentur, in minima acceptorum parte mihi reponenda eſſe videantur. Denique, quidquid ſumus, ſeu pietate apud Deum, ſeu authoritate apud homines, (quod quàm ſit exiguum nouimus vniuerſi;) quidquid tamen ſumus proximè, & ſecundùm Deum, Luſitaniæ Regibus acceptum gratulamur. Videtis hoc ſtudium clariſſimorum Regum? At omnium liberalitatem, ſanctiſſimæ Eliſabethæ non exæquauit tantùm, ſed etiam ſuperauit liberalitas: quæ prioribus Regibus ornamentum addidit ſingulare, poſterioribus reliquit immortale. *Reginæ liberalitas.* Hæc, vt iam vos labore ſoluam audiendi, apud Ethnicos fidem extulit, hæc apud Chriſtianos legis obſeruantiam ſtabiliuit: hæc apud Religioſos ſanctitatis ſtudium erexit; hæc apud omnes veræ felicitatis ſtudium excitauit: hac duce, vera fides propagabitur, boni mores excolentur, perfectiſſimæ virtutes effloreſcent, germana in terris felicitas triumphabit: ita vt, ſi aliquantulùm de humana beatitudine decidatur, ſperetur multò certiùs diuina.

ORATIO IV.

Pro auſpicando philoſophici pulueris curriculo.

ARGVMENTVM.

Habes Dialecticam, & diſtricto ferri mucrone, & vernanti roſarum cultu horridam pariter, & amœnam: habes potiùs orationem (audeo dicere) felici Cherubini illius excultam ingenio. Enimverò Cherubinus ille, qui pro foribus beati illius nemoris excubuit, in orationis adducitur argumentũ. Quid gratius? quid venuſtius? Cherubinũ, ſi nominis etymon exquiras, picturatum, ſeu figuratum agnoſces: ita reddit Dialectica cultores ſuos, politiſſima arte depictos, pulchris imaginibus inſculptos, eximiis cælaturis variegatos: quid plura? Cherubinos reddit. Iam verò quid portendit verſatilis ille gladius, quo Cherubinus armatur, ne quafiat hoſtilis impreſſio in loc tranquillæ felicitatis? Certè Dialectica ſapientes viros obarmat, ne qui præcipites per ſummam inſolentiam in ſacræ Religionis domicilium audeant irrumpere. En Oratoris ſcopus: hunc (fas eſt) ingredere Paradiſum: ne gladius deterreat, manibus cape, anceps eſt. 69.

CHerubinos ancipiti gladio armatos in primo aditu terreſtris Paradiſi collocauit mundi opifex, & molitor Deus; vt hominem à loco beatæ amœnitatis exulantem cæleſtium militum circumfuſa acies perterreret, ne eodem, vnde impudenter exciderat, audaciùs remigraret. 70. Quid figuratè Paradiſus, quid item Cherubini myſtologicè repræſentent, duo acutiſſimi Theologi, Auguſtinus ac Dionyſius, meam in ſententiam prodidêre. *Auguſt. Dionyſius.* Paradiſus deliciarum fertilis, ſi Auguſtinum conſulatis, Chriſtianorum cœtus eſt, virtutum floribus prædiues: Cherubini pro foribus illius fortunati nemoris excubantes, ſi vobis cum Dionyſio conueniat, ſapientes viri ſunt, qui ab Eccleſia hoſtiles Hæreticorum impetus amoliuntur. Quàm ſapienter vterque æſtimarit, palàm eſt. Nam militantis Eccleſiæ quod fingi potuit ſimulacrum, vel forma aptius, vel colore expreſſius, vel artis lenocinio ſpirantius, quàm illud diuina ſatum manu viridarium? *Eccleſia cum terreſtri Paradiſo confertur.* Ille hortus, (ita quondã Ephrem exiſtimauit,) magnitudine æquabat orbem: hæc in omnes partes fuſa vbique gentium dominatur. *Ephrem.* Ille; ſi creditis Damaſceno, cultore homine contentus, errantes belluas procul omnes excludebat: hæc fidelium cincta comitatu, Ethnicorum greges in exilium cogit ſempiternum. *Damaſc.* Ille, ſi rectè arbitratur Irenæus, ex communi terrarum eluuione vbique ſæuiente, *Iren.* omnia

omnia deuaſtante, ſolus euaſit illæſus, herbeſcente viriditate indutus, comante fronde opacatus: hæc Tyrannorum rabie in perniciem Chriſtianorum conſpirante, non ſolùm non emarcuit, ſed etiam vernantior adoleuit. In illo tandem, vt
Baſil. egregiè Baſilius, puri ſine defectu Soles radiabant: in hac perpetua ſine eclipſi fides ſplende-
Luc. 22. 32. ſcit, Chriſto Seruatore annuente: *Ego rogaui pro te, Petre*, (Græco transfero ex archetypo, quæ ſequuntur,) *ne eclipſim patiatur fides tua.* At Cherubini quid potiùs, quàm expreſſa ſapientum virorum ſimulacra præferre videantur?
Cherubini, ſapientum ſimulacra. Etymon, quæſo, nominis exquirite: Hebræos fontes indagate: Cherubinum (interprete Hierony-
Hieron. mo) pictum, ſeu figuratum ſignificare agnoſcetis. Si igitur oſtendam, ſapientes viros politiſſimâ arte expictos eſſe, multis imaginibus inſculptos, eximiis cælaturis variegatos, illos cur non appellem Cherubinos? At, quid, obſecro, picturatius eſſe poteſt, quàm mens, & ratio ſapientis? Certè quemadmodum infantis mentem, artis rudem, ſcientiæ expertem, vulgus Philoſophorum appellat raſam tabulam, hoc eſt, nullis co-
Sapiens, tabula picta. loribus imbutam: ita ſapientis animum, tanta rerum notitia illuminatum, pictam, ſeu Cherubicam tabulam, liceat appellare. Picturas quæritis? Luſtrate oculis. Ibi adeſt viridibus repræſentata pigmentis tellus ipſa, quanta, qualiſque eſt, mole ingens, ſitu diſpar, fœtu diues, nutricatione animalium ſtudioſa parens; ibi mare cæruleo colore depictum; ibi aër crocea velatus penula; ibi æther igneo fulgore candeſcens; ibi cælum errantium, & inerrantium Aſtrorum luminibus mirabili artificio cælatum. Quid plura? Ibi animalium monſtroſæ
Telluris deſcriptio. formæ; ibi fontium gelidæ perennitates; ibi fluuiorum multiplices Mæandri; ibi gemmarum micantes oculi; ibi metallorum diuerſus fulgor; ibi arborum numeroſa proles; ibi homo rerum princeps, ac moderator cæterarum. Quæ ſigna Corinthiaca, quæ tabulæ Appellææ, quæ telæ Phrygianæ cum his imaginibus conferantur? Adde illa etiam, quæ ab artifice pingi nequeunt, cùm & corpore, & colore vacua ſint, ac nuda; illa (inquam) non ficto habitu, ſed germano; non tranſlatitio, ſed natiuo, ſapien-
Facultatum picturæ. tis in animo expreſſa inſidere. Nam Orator pictos in animo complectitur verborum ſonos; Poëta, carminum modulos; Hiſtoricus, temporum vices; Dialecticus, argumentationum formas; Mathematicus, ſyderum curſus; Phyſicus, herbarum vires; Ethicus, hominum mores; Metaphyſicus, cauſarum nexus; Theologus, τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς, quæ ſupra nos: & qui in his omnibus facultatibus excellit artifex, totus quantus eſt, totus pictus, & figuratus eſt.

71. Meritò vt mihi dixiſſe videatur ille diuino-
Iſa. 33.11. rum Vatum antesignanus Iſaias, cùm de ſapiente loqueretur, *Videbit, & ſaturabitur*; ſeu, vti Hebræo continetur in exemplo, *Videbit*, hoc eſt, *ſciet, & cognoſcet.* Quid deinde? *Et mirabiliter texetur, ſeu pingetur*, quod ego ſic interpretor, non aliud eſſe ſapientis animum frui multiplici rerum cognitione, quàm ſingulari artificio totum picturari. Rem, ni fallor, haud obſcuram vlteriùs illuſtro. Mirum eſt, quantùm Regius Vates de ſua ſapien-
Pſal. 138. tia glorietur: *Anima*, inquit, *mea cognoſcet nimis*, nam, ſiue naturæ opera, ſiue diuinæ potentiæ monumenta contemplaretur, nimium quantum cognoſcebat. Addit: *Et ſubſtantia mea in inferioribus terræ.* Haurire & hic, obſecro, de fontibus Hebraïcis: *Acu pictus ſum,*
Singularis tapetis deſcriptio. *velut tapetum.* Vidiſtis aliquando vllos tapetes mirabili varietate diſtinctos, quales Mileſij tondent, vel Seres pectunt, vel Phryges ſuunt, vel Babylonij texunt, vel Tyrij colorant; in quibus fila aurea, argentea, holoſerica, in multiplices ducta, reductáque ambages, frondeſcunt in nemora, aſſurgunt in colles, ſpatiantur in valles, lenteſcunt in frutices, rigeſcunt in cautes, liquantur in fontes, recedunt in vmbras, prominent in fulgores: quædam formantur in milites diſtrictis enſibus, cruenta fronte, anhelo pectore gladiantes: aliæ effinguntur in naues aduerſis roſtris, exploſis tormentis, eiaculatis phalaricis concurrentes: nonnulla innodantur in ceruos venatorum ſtimulis agitatos, in apros contra morſus canum ſæuientes, in leones per medias bipennes ad cædem, cruorémque hiantes: omnia tam artificioſis ductibus extrahuntur, tam ſubtilibus nodis continentur, tam occultis meatibus in quaſcumque formas implicantur, vt ingenioſior ars in imitando, quàm natura in fabricando videatur. Talia (inquam) ſtragula, tam mul-
Accommodatur ſapientibus. ticoloribus liciis intertexta, vidiſtis aliquando? Credo ſæpiſſimè. At horum inſtar aulæorum Regij Vatis animus ſplendebat; dum in illo ſapientia viuas rerum imagines artifici penicillo efformabat. *Acu pictus ſum, velut tapetum.* Hæc, ſi placet, profanæ hiſtoriæ ſale condiantur. Ethnicorum Numina veſtibus ſim-
Deorum veſtes. plici colore imbutis vtebantur; Mars ſanguineis, Neptunus cæruleis, Apollo aureis, Vulcanus ferrugineis, aliáque aliis, prout ſingulorum officia exigebant. Minerua, ſapientiæ præſes, vna fuit ex omnibus, quæ ſibi multicolorem cultum vendicarit: fertur enim, eius pallam Athenis fuiſſe tali artificio picturatam, támque ſubtili ſtamine intertextam; vt quidquid bellorum vnquam contigiſſet, vna in chlamyde Mineruæ adumbratum, ſeu, vt di-
Minerua cultus, ſapientum ſimulacra. cam veriùs, collocatum viſeretur. Quorſum hæc ſpectant? Planè vt oſtendant, ſapientes viros altricis ſuæ Mineruæ ingenium imitatos, rerum, quas ſciunt, imaginibus pictos eſſe, exſculptos eſſe, figuratos eſſe: quid plura? Cherubinos eſſe.

Nunc meum me dirigo ad ſcopum, in quem 72.
primùm collimauit oratio. Quemadmodum *Sapientes, Eccleſiæ propugnaculum.* Cherubini Paradiſi aditus obſidebant, ne qua fieret hoſtilis impreſſio in locum tranquillæ felicitatis: ita ſapientes homines Eccleſiam, tanquam militari præſidio, coronant, ne qui præcipite ad audendum, ſanctiſſimæ Religionis domicilium oppugnare, ne dicam expugnare, aggrediantur. Hoc ſi quis non videt, cæcutit: ſi quis non ſentit, obdormit: ſi quis non ſapit, inſanit. Optimè Iſaias, cùm de Chriſtianæ Reipublicæ Doctoribus loqueretur, tali eos cognomento appellat, quod & cœlum ſignificet, & propugnaculum: nam, quod Vates Hebræa cecinit oratione: *Po-* *Iſa. 54.12.*
nam iaſpidem, Soles tuos. Interpres Latiali ſermone tranſcripſit: *Ponam iaſpidem, propugnacula tua.* Rectè quidem: nam ſapiens Sol
Sapiens, Sol eſt. eſt, & propugnaculum. Sol eſt, qui falſitatis tenebras diſpellit, veritatis lucem impertitur: propugnaculum eſt, quod hoſtiles impetus retundit, ciuiles animos tuetur: Sol,

Cyrill.

& propugnaculum. Quò mihi videtur ſacer ille Antiſtes Alexandriæ Cyrillus reſpexiſſe, cùm ait, *Sanctos Myſtagogos, pulchritudine intelligentiæ reſplendeſcentes, tanquam propugnacula impiis Sectarum inuentoribus, & ſcurrilibus Hæreticorum nugis acriter obſtitiſſe.* En illuſtratores vocat, ac defenſores. Suos, nimirum, illuſtrat ſapiens; excæcat alienos: natos alit; nothos abigit: fouet ciues; terret hoſtes: domeſticos allicit muneribus; exterios conficit vulneribus.

73. Cant. 1. 16. *Eccleſia floridis Salomonis lecto comparatur.*

Miretur fortè aliquis lectulum illum Salomonis quondam mira florum varietate coronatum: *Lectulus noſter floridus.* ſubitò mutata vice, armorum fragore circumſtrepere, militari ſatellitio ambiri, ſexaginta viris ex fortiſſimis Iſraël ad pugnam promptis, ad facinus expeditis obuallari. Quæ mutatio hæc rerum? Quid geniali toro cum Martiali puluere? Quid pacatæ familiæ cum armata cohorte? Quid florum odoribus cum ſtridoribus armorum? Rem teneo. Lectulus Eccleſia eſt, in qua ſapientes viri flores gerunt, & gladios: flores, Chriſtianorum naribus applicandos; gladios, Hæreticorum animis infigendos: dum illos placidis verbis demulcent; hos minantibus dictis exterrent. An à mea ſententia aberrat Auguſtinus? Imò eam mihi videtur expreſſiſſe, cùm ait,

August.

viros Chriſtiana ſapientia nobilitatos, quantò ſunt optabiliores Iudices in Catholicos, tantò eſſe terribiliores vindices in hæreticos. Pergite tutelares fidei patronos, ſapientes, inquam, viros, admirari. Chriſtianæ Antiſtites ſapientiæ, quaternis

Apoc. 4. 6.

animalibus figurati, ſe ſe Patmæo Vati diuina myſteria contemplanti obtulêre, eo ſitu, vt & in media ſede Diuinitatis conquieſcere, & in circuitu eiuſdem ſedis excubare viderentur. Res mira! qui poterant, & ad medium conſiſtere, & ad fines dilatari; ad centrum redigi, & ad peripheriam extendi; ſedere intus, & ſtare foris; vacare in receſſu, & operari in circuitu. Certè nodus eſt, quem, niſi ad myſtologicos explicatus accedatis, non ita facilè enodetis. Audite Ambroſium:

Ambroſ. *Eccleſia Doctores.*

Virumq; præſtant doctrina Principes Chriſtianæ: hærent in medio, dum pacatos Chriſtianorum cœtus virtutibus exornant; vigilant in circuitu, dum furentes Hæreticorum cateruas à nefariis incurſionibus retardant. Planè Cherubini, qui Paradiſum Eccleſiæ circumſtant, qui exitiales peſtes auertunt, qui irruentes hoſtes propulſant; qui, ne quid detrimenti fidelium cœtus patiatur, ſtrenuè præliantur. Tollite ab Eccleſia fauores Principum, non corruet; dimittite prægrandes opes, adhuc ſtabit; auferte militares vires, non expugnabitur; ſecludite illuſtres proſapias, & tunc clarebit. Vna ſi deſideretur ſapientia, quid fore creditis? Extinguetur. At hoc fieri nequit: verùm ea damna

Sapientia Reipubl. tutela.

ſuſtinebit, quibus, pluſquam omnibus aliis], ſi omnia in eius perniciem conſpirent, atteratur. Contrà verò totus in Eccleſiæ ruinam coniuret Orbis, armentur in cædes Tyrannorum manus, induantur in flagitia perditorum hominum cogitatus; vna tamen non deſit ſapientia, quæ hoſtibus eat obuiam, quæ clauum gerat, quæ prouideat, quæ rem totam moderetur: timor omnis abeſto, ſapientiæ pugnatrici parebunt omnia: cœlum priùs corruet, quàm ſapientiæ vires eneruentur.

74. *Dialectica gladius anceps.*

Cernitis, quàm ſtrenuè ſapientes viri Chriſtianam veritatem tueantur. At, quibus armis tam acres ineunt conflictus? Planè iiſdem, quibus Cherubini vtebantur, gladio ancipiti. Gladium ancipitem, quem appellas? Certè Dialecticam. Nam gladium quis eſſe neget, cùm illa duo eloquentiæ lumina Tullius Romanus, ac Tullius Chriſtianus (ita nomino cum Hieronymo Lactantium) Dialecticam gladij nomine ſignificandam putent? Ille enim, cùm de Epicuro loqueretur, artis Dialecticæ planè rudi, & imperito, inermem, ſiue gladio exutum appellauit. Hic verò, cùm de antiquis Philoſophis ſermonem inſtitueret, quos fatetur primos Dialecticæ parentes extitiſſe, docuit non inſcitè, eos ad diſceptandum gladio quidem armatos eſſe; clypeo tamen exarmatos: hoc eſt, aptos quidem eſſe dialecticis argutiis, tanquam gladij punctionibus ad vrgendum hoſtem; non tamen eſſe efficaces doctrinæ veritate, tanquam clypei munimine, ad retorquenda argumenta. En Dialectica, gladius ab vtroque nuncupatur. Sed neutrum ſequi animus mihi eſſet, niſi maior ex diuinis Oraculis auctoritas peteretur.

Tull. Hieron. Lact.

Aaronis eloquentia, & differendi ſubtilitas apud Pharaonem.

Noſtis probè omnes, Aaronem non ſolùm eloquendi facultate præditum fuiſſe, ſed etiam diſſerendi ſubtilitate acutum. Planè vtroque præſidio indigebat, vt rectè apud Pharaonem ſua legatione fungeretur. Nam ad beneuolentiam ſuperbi Regis promerendam, facundia opus erat; ad ſuperandam tergiuerſantis Tyranni contumaciam, Dialectica. Quare facundus planè fuit ad eloquendum, ſubtilis ad diſputandum. Hoc illud eſt, quod à Deo ſignificatur Moyſen alloquente; *Ipſe*, inquit, *erit os tuum*, nempe, pro te Rhetoricæ, atque Dialecticæ munera apud Pharaonem exercebit. *Erit os tuum.* adhuc planiùs. Erit tibi pro arte diſſerendi, vt in qua facultate claudicas, in eadem à fratre inſtaureris. Cernitis, vt oris nomine Dialectica ars intelligatur. At conſulite Hebræos codices, ex quibus elicietis non inconcinnè: *Ipſe erit gladius tuus.* En Dialecticæ cum gladio comparatio, en affinitas, en germanitas; vt nemo iam mihi ſuccenſeat, ſi Dialecticam ſub gladij typo ſuſcipiam exornandam.

Exod. 4. 16.

Dialectica gladij munus exercet.

Gladium appello, Dialecticam, qui ſeparat naturas rerum, qui intimas penetrat in medullas, qui fabrè dolatos dolos cauillantium Sophiſtarum vno ictu præſcindit: quo ſi ſapiens dexterè, expeditéque vtatur, premi poterit aliquando; opprimi verò nunquam: quem tamen ſi abiiciat, quantauis ſapientia fulciatur, vnica aduerſariorum petitione miſerabiliter collidetur.

Dialectica ludo gladiatorio componitur.

Fingite, quæſo, in libero aliquo ſpatio ad pugnandum ludos gladiatorios celebrari: ponite media in arena generoſos milites, & ſtrenuos, ab ignauo, & imbelli tyrone prouocatos; ab illis tamen gladios extorquete; huic verò gladium in manus commodate: facite, vt vtrinque ad pugnam concurratur: vnus ille armatus vrgeat plures; iſti inermes non diffugiant: vnus premat; plures non cedant: vnus componat plagas; plures opponant minas: quo tandem exitu clauditur pugna? Certè gnaui ab ignauo, ſtrenui ab inſtrenuo, viri à fœmina, leones à formica, peſſimo mactabuntur infortunio. Quid rei hoc eſſe dicam? Nónne ſuppetebant illis pluribus in corde animi, in membris vires, in toto corpore firmitudo? Planè. Et vincuntur plures ab vno? bellatores ab imbelli? Ita res acta. Cur verò ita? Enſis aberat. Hoc præſidio ſublato occidunt animi, ruit virtus, gnauus ignauo exæquatur. Ita planè. Si tyrunculus Dialectica armatus, cum veterano Philoſopho exarmato Dialectica concurrat, quos illum induet in laqueos, quas impediet in plagas, quæ præcipitabit in abrupta? Nimirum, ille armatus gladio, hic inermis ad pugnam capeſſendam

dam

Digitized by Google

... Dialecticæ præſidio inturos fore ad congreſſus cum Hæreticorum ſycophantiis ineundos.

75. *Philiſthinorũ ſingulare inuentum in Hebræorum perniciem excogitarunt.*

Replicate memoria, qua quondam fraude vſi fuerint in Hebræos Philiſthini; rem ſcitu vulgatiſſimam, auditu tamen feſtiuiſſimam. Curant, vt omnes omninò ab vrbe gladij remouerentur: cauent, ne qui in vrbe denuò fabricentur. Eò res ducta fuit, vt Hebræi iuuenes de nihilo minùs, quàm de bello cogitarent, languerent otio, ſtuderent voluptati, à militari labore feriarentur; cantus, citharæ, choreæ, paſſim in vrbe fuerint: gladij nuſquam erant: ſi qua inter pugnaciores rixa oriebatur; vel ſtatim reſidebat; vel pugnis, calcibus, & morſibus æſtuabat. Hæc ita erant, cùm Philiſthinus triplici armatus cuneo ad vrbẽ properat: ſonant litui, clangunt tubæ, perſtrepunt tympaniſtæ, ingruit armorum horror, bellum inclamant omnes; repercuſſæ ad mœnium cauitates, inconditæ voces reſultant, bellum. Oppidani inſolito ſtridore commoti conuolant ad præſidia gladiorum: gladij non parebant. Fabriles adeunt officinas: nuſquam arma. Vetera excutiunt armamentaria: nequicquam. Secretiores domorum explorant latebras: incaſſum labor. Totos ſe fundunt, ac refundunt per vrbis angulos in quæſitionem gladiorum: irrita omnis opera. Quis horror, quæ turbatio, quod periculum neceſſe erat ex tanta armorum inopia ſequeretur? Philiſthini vrgebant; Hebræi trepidabant: illi inſultabant; iſti perferebant: illi iactabant minas; iſti offerebant preces: illi armati æquor immenſum aquæ occupabant; iſti inermes ad vrbis anguſtias ſcoibant: inde emicabat armorum fulgor; hinc deficiebat exarmata virtus. Quid plura? Niſi miraculo res acta foret, de Hebræis nihil illo die, niſi fauilla, & cinis ſupereſſet. Vnde hæc calamitas? Aderant Philiſthæis gladij; Hebræis deerant: virtus verò, ſi inermis ſit, imbellis eſt.

Elegans deſcriptio hoſtilis incurſus.

76. Nunc, quæſo, attendite, quàm ſimilem in nos fraudem Chriſtianæ fidei deſertores texuerunt; quas machinas ad ſubruendam fidem excogitarunt duo iſta pluſquam vipetina capita, Mahometus, Iulianus? An aperto Marte fidem abolere decreuerunt? Tentatum id ſæpè: ſed fruſtrà, ipſis etiam Angelorum cohortibus, vt verè Chryſoſtomus, noſtrum in auxilium præliantibus. An per cædes acerbiſſimas fidem profligare aggreſſi ſunt? Imò ab his etiam abſtinere aliquando voluerunt, ipſum martyrij decus, vt acutè Nazianzenus, Chriſtianis inuidentes. An exiliis, an flagris, an tormentis Chriſtianam religionem inuaſerunt? In vanum omnia. Nam, vti egregiè Theodoretus, cruor cæſorum corporum, irrigatio quædam erat, qua nouæ in Eccleſia plantæ naſcerentur. Quid ergo improbiſſimi homines machinati eſtis, vt extremam nobis perniciem crearetis? Sanè inuentum Tartareis conflatum in officinis. Quódnam, precor? Gladium, quo ſe Chriſtiani Philoſophi tuentur, nituntur ab eorum manibus extorquere, ne irruentes in ſe hoſtes valeant propulſare. Quem verò dicis gladium? Apertè dico, ac Latinè, Dialecticam: nam ſeueriſſimis vterque legibus cauerunt, ne quis Dialecticam facul-

Mahometus, & Iulianus in Chriſtianos conſpirant.
Chryſoſt.
Martyrij decus egregiũ.
Nazianz.
Theodor.

Mendoçæ Viridarium.

... vigebit, lauciabit; ille miſer, tanquam hoſtia, ictibus ceruices porriget, coſtas plagis, pectus vulneribus, totum corpus miſeræ laniena. Hanc ergo in nos technam peſſimi fraudum architecti conſuerunt, id, quod re erat, ſuſpicati, ſe quidquid non potuerunt aliis fraudibus obtinere, ſublata à nobis Dialectica facilè effecturos. Ita eſt. Si iſte gladius, Dialectica, inquam, vel hebeſcit, vel retunditur, vel à Chriſtianorum manibus extorquetur, boni Superi! quæ hæreſum colluuies, quæ errorum phalanx, quæ vitiorum caterua ad Paradiſi huius, ſeu Eccleſiæ munitiones conuellendas, velut agmine facto, conſpirabunt? At, ſi Cherubini, ſapientes, inquam, viri Dialectica, tanquam gladio, armati primos Eccleſiæ aditus tueantur; irruant licèt ſerpentes venenati, inſultent foribus, anhelant virus, euomant faces, toto ex pectore, tanquam ex Ætneo barathro, incendia iaculentur: omnes eorum inſultus, fracti, irriti, ac peſſundati vno veluti ſpiritu difflabuntur.

Dialectica gladius Chriſtianos tuetur.

Quæritis, cur non modò gladium; ſed etiam gladium ancipitem appellem Dialecticam? Certè, quid reſpondeam, anceps ſum; ita multiplex mihi ratio mentem ſubit. Mitto cæteras, hanc accipite. Memineritis, gladium ancipitem, ſeu *diſtomum*, vt vocant Græci, eſſe illum, in cuius medio capulus eſt, à quo duplex haſtile hinc, & inde duos faſtigiatur in mucrones. Addite, ea forma eſſe figuratum, vt in dextram, vel ſiniſtram manum æquè benè commodetur. Neutrum vobis figmentum videatur. Vtrumque eſt oraculum ex ſacris Hebræorum Iudicum Annalibus acceptũ, quos ſi diligenter euoluatis, tandem inuenietis, Aodem ducem ambidextrum conflaſſe ſibi gladium ancipitem; hoc eſt, in duas cuſpides deſinentem, quem medio tenus, vbi capulus erat, apprehenſum in Eglonis Moabitæ viſcera recondidit. Hinc ergo, vobis vt ſatisfaciam, mihi aditus aperitur. Nam, vt anceps gladius in vtramuis manum iactatur non inuenuſtè: ita Dialectica ad vtramuis ſcientiam, ſeu diuinam Theologiam, ſeu humani iuris peritiam excolendam, quàm aptiſſimè adhibetur. Anceps gladius. Vtra manu vultis Eccleſiæ militare? Dextráne, an læua? Theologica, an iuridica? Dicitis dextera, ſiue Theologica. Ergo arripite hunc gladium, qui aptiſſimè in dexteram quadrat. Dicunt aliqui, læua, ſeu iuridica. Ergo & illi gladium iſtum apprehendant, qui cum læua non incongruè cohæret: anceps eſt. Certè vniuſcuiuſque ſcientiæ Primates magnum ſui præſidium hoc vno in gladio poſuerunt. Et quidem de Theologis, tam antiquis, quàm præſentibus, nemo dubitat, cùm & eorum ſcripta, dialecticis argumentis plena, omnium manibus terantur; & horum diſputationibus dialectica feſtiuitate aculeatis theatra Academica iucundiſſimè applaudant. Iam verò vtriuſque Iuris Primipili quantam in hac gladiatura operam & induſtriam collocarunt? Cùm & Gratianus Pontificij metator Iuris, & Vlpianus Cæſarei fundator peritiſſimus, vt alios prætercam propè infinitos, dialectica in palæſtra diligenter, & gnauiter inſudauerint: Platonis fortè iudicio excitati, cuius illud fuit de hac re decretum, acceſ-

77. *Dialectica gladius anceps.*
Iud. 3.
Dialectica apta ad omnes ſcientias comparandas.
Gratianus, & Vlpianus Dialecticæ cultores.

Digitized by Google

ſum ad ciuiles artes intercludendum eſſe omnibus, qui de arte Dialectica nihil anteà prælibaſſent. Meritò vt expoſtulare poſſim cum noſtratibus Luſitanis, qui, tanquam inuenuſti palæſtritæ, inſalutata Dialectica ad Iuriſprudentiam tranſiliunt: &, quod minùs ferendum eſt, antequàm legitimam ætatem conſequantur, neſcio quas immunitates à Cenſoribus conſcientiæ ambire ſolent exeundi à minoribus ſcholis, & ad maiores commigrandi, quas vt obtinent, valere iubent Dialecticos, & ſuperiorem Academiam planè virilem, ſuo congreſſu efficiunt penè puerilem.

Platonis mens erga Dialecticos.

Quid, ſi hoc noſceret Plato, quàm id ferret indignabundus, qui Dialecticam tanti faciebat, vt nemini ſua in Republica aditum ad illam aperiret, niſi ei, qui triginta ætatis annos expleuiſſet, & nunc (ô vices temporum! ô rerum vices!) triginta annos natus ad Dialecticam audiendam, non dico grandis vir, & intempeſtiuus eſt; ſed planè depontanus, & capularis ſenex eſt. At hoc libenter patior, illud ferre non poſſum: nam puer ephebus, qui adhuc eſſe poterat cum crepundio, iam erubeſcit videri cum Porphyrio. Sed mitto querimonias, ne tempus laudationi perexiguum importunis accuſationibus tranſigatur.

78. Ad vos, Auditores mei, ſi qui adeſtis, quos diligo, antequam video; quos ſaluto, antequam agnoſco, quos fero in mente, antequam habeo in ſchola: ad vos, inquam, mea ſe conuertit peroratio. Ludum vobis hodierno die gladiatorium aperio: præmoneo tamen, ſeueréque prædico, ne quis gladiatorij ludi nomine deceptus mihi afferat in ſcholam, vel ſub brachio gladiolos, vel intra veſtem pugiunculos, vel in marſupio cultellos. Remittite hæc ſicariis, laniis, ac popis: à vobis ingenuis, benè natis, liberaliter enutritis, procul iſta eſſe debent, procul: nam, qui citò enſem arripit, citò abiicit: qui extra tempus quærit, in tempore amittit: qui leuiter vagina exuit, timidè in vaginam induit. Erit,

Arma ſcholaſticis interdicta.

Virgil. *-----ne accerſite, tempus,*

quo pro aris, & focis cum laude ſtrenuè decertabitis. In illud temporis ſeruate animos, quos à maioribus veſtris hæreditario iure accepiſtis. Interim non eſt, cur illos in leues pugnas, in iuueniles rixas, in vmbratiles concertatiunculas exhauriatis. Aliter noſtra nobis gladiatura exercenda. Dialecticæ gladium vobis in manus porrigam; non vt in mutua vulnera, gigantea perciti dexteritate, inuoletis; ſed, vt placatiſſimos nugantium Sophiſtarum laqueos vno ictu reſcindatis: quod feliciùs vt contingat, mihi, & vobis indico leges. Audite meas. Quidquid rei veſtræ fuerit, à me, quanta potero ſedulitate, curabitur, ſeu veſtram ad doctrinam, ſeu, quod caput eſt, veſtram ad probitatem exigatur. Nec labori parcam, nec ſudori: totum me torquebo, & extorquebo, vobis vt tantulam doctrinæ guttulam inſtillem: guttulam, inquam: nam imbres quærite aliunde, mihi ſatis fuerit pumicem non eſſe.

Mira Oratoris erga ſuos Auditores officia charitatis.

Iam verò, vt aliqua ſtillula Chriſtianæ pietatis veſtri animi intingantur, libens me in vndas mergam, & immergam decumanas. Facultas fortè conſulendi ſaluti veſtræ aliquando me deficiet, voluntas nunquam. Vtinam Præceptorem haberetis, qualem veſtra, tum merita, tum ingenia poſtulabant: verùm aliqua bona fauſtitas veſtrum memet intulit in obſequium; ſiquidem non otiándum mihi eſt, neque languendum; ſed algendum, ſed æſtuandum; eò impenſiùs, quò mihi ſunt vires ingenij, doctrinæque remiſſiores. Felices labores meos, ſi per eos ad Philoſophiam plures hoc quadriennio transferantur; multò tamen feliciores, ſi vel vnus ex meis Auditoribus, per eoſdem ad Chriſtum tranſducatur. Vnius ego in aucupio ad meliorem vitam, quidquid moleſtiarum ſubire potero, quidquid valetudinis exhaurire, quidquid ſanguinis profundere, quidquid ſpiritus exhalare, totum id benè collocatum eſſe exiſtimabo. Qua in re nullam à vobis gratiam inire volo: hoc enim ſuo iure vendicant, & officij mei ratio, & Societatis noſtræ, cui totum me tradere in diſciplinâ cupio ſanctiſſima inſtituta. En partes meæ: veſtras iam accipite. Vnum à vobis exigo, habete reliqua. Quodnam illud? Voluntatem. Ingenium non requiro: ſcio enim iam expertus, in Luſitana iuuentute quantum ſit acumen. Nam Olyſiponenſes, vt à primis ordiar, totos mihi videtur natura, tum ad omnia ſumma, tum ad ſtudia literarum ſolerti manu compegiſſe. Conimbricenſes, & quos Monda vicinos alluit, mira diſcurrendi facilitate, felicitatéque vtuntur. Interamnenſes amœniſſimo ſolo, in quo nati ſunt, videntur mihi eſſe ad philoſophandum amœniores. Tranſtaganis nemo dixerit ineſſe aliquid pingue, vel adipale; hæc illorum agris conueniunt; ingeniis ſubtilitas, & acumen. Regio verò Tranſmontana magnis iure ſe iactat alumnis, qui è ſummis montibus, vltra quorum culmina ſuo ſurgunt acumine ingenij, lucem patriæ fœnerantur. Denique tota Luſitania ingeniorum fertilis, & ferax eſt: quare ingenium à vobis non requiro, quod vel inuiti offeretis: requiro voluntatem: nemo nō ſpontaneus militat Dialecticæ. Superiores Facultes cogitatis? Agite dum, capeſſite, patent fores, feliciter abite. At minuuntur Auditores? minuantur. Deſeritur gymnaſium? deſeratur. Langueſcunt ſtudia Philoſophiæ? dummodo mea culpa id non contingat, quid iſtud curem? Non erit, quem exerceas ad Dialecticam? id ego meis adſcribam commodis: faciam de quadriennio compendium; præterquam quòd vnus, vel alter nunquam deerunt, qui ſi voluntariam mihi nauent operam, ingentis inſtar confeſſus videbũtur. Itaque, Auditores, rem agamus. Rationes veſtras ſubducite. Si malè eſtis in Dialecticam animati; ne me, ne vos in ipſo limine exanimetis: ad maiorem Academiam dextero pede commigrate. Quod non eò dico, quòd parui pendam vos habere Auditores: ſi iſta mihi mens eſſet, amens eſſem. Teſtor, & palàm teſtor, nihil mihi glorioſius eſſe, nihil mihi poſſe eſſe felicius, quàm ſemper veſtris progreſſibus, & ad literas, & ad virtutes deſeruire. Sed ideò dico, quòd veſtram voluntatem præponam meæ; potiúſque ducam, me veſtra præſentia multò iucundiſſima defraudari, quàm vos noſtra Dialectica multò moleſtiſſima fatigari. Sin aliqua vobis ſcintillula ineſt perdiſcendi Dialecticam; vobis, quæſo, voluntaria opera ſtudere. Ne vos terreant laruales formæ Lernæis capitibus ſeptemplices, quæ primùm ingreſſis minitantur. En gladius Dialectica: acuite, vibrate, exercete: quid formidatis? Ducem vobis præſto, ac Laniſtam. Præludamus.

Societatis Ieſu inſtitut.

Luſitania ferax ingeniorum.

Olyſiponenſes.

Conimbricenſes.

Interamnenſes.

Tranſtagani ingenioſi.

Tranſmontani.

***

ORA

ORATIO V.

Pro Dialecticæ vtilitate ſequenda.

ARGVMENTVM.

Ergo libero Oratoris fidem , & præluſionem annecto,aliàs alibi annectendam,quæ potiùs velitatio,quàm Dialectica oratio erat inſcribenda. Non abs re tamen adulterinam frontem induit,quæ adulterinos colores Sophiſticæ exuit,ceruſſam,& pigmẽta abſtergit. Hic lectionis ſcopus : Sophiſta enim merito, quo indutus erat, habitu ſpoliatur. Dialecticus verò ſimplici toga ornatus,& veris coloribus animatus, veram, ac germanam Philoſophiam profitetur: ſine fuco,ſine inuolucro faciem ſuam oſtendit.

79. Hieron.

SEmper optimis, inquit Hieronymus ad Ruſt. *mixta ſunt peſſima.* Auro ahenum miſcetur, pharmacum veneno conditur, virtutem vitium comitatur. Hinc oritur,vt homines viciuitate rerum decepti, probra, quæ rebus peſſimis debentur, in res optimas ſoleant detorquere. Sic aurum tanquam aurichalcum, pharmacum tãquam merum toxicum, virtus tanquam virus animorum nonnunquam vituperantur. Non eſt immunis ab hac lege Dialectica : imò,ſi quid aliud,obnoxia illi in primis eſt. Nam,cùm ipſa ſit magiſtra veritatis,errorum expultrix,bonarum artium Regina, ſingularis ingeniorum illuminatrix; denique, vt Clemens ait Alexandrinus, *hominum ad diuinam ſapientiam manuductrix*; tamen pediſſequam habet fraudulentam, mendacem, verſipellem,vno verbo,præſtigiatricem : quibus eam nominibus afficiunt Auctores infrà citandi. Quænam illa eſt? Planè ars ſophiſtica. Vnde prouenit,vt contumeliæ, quæ in artem ſophiſticam ab antiquis Patribus,ſcholaſticiſque Doctoribus non immeritò iaciuntur;illæ ipſæ in Dialecticam propter vicinitatem,quam habet cum Sophiſtica,refundi videantur : & quemadmodum omnes eò conſpirant,vt Sophiſtica ab ſcholis,ab animis,ab hominum memoria in totum abdicetur; ita planè videntur exoptare, vt eidem exilio innocens Dialectica in ſempiternum tempus addicatur. Nam, vt benè notat Mol.1.p.,.. quæſt.14. art. 13. antiqui Patres, ſi quod [illegible]um in republica ſerpere, & graſſari cœptum animaduertunt, tam acriter in illud inuehuntur,vt etiam in ea bona, quorum in confinio illud eſt,inuehi, atque inſilire videantur:rati cum peritiſſimis Chirurgis,potius eſſe ſanam carnem & illæſam candenti ferro perſtringere, lancinare, vſtulare, quàm tabidam ac putrem relinquere intactam , ex qua in totum corpus vis morbi effundatur, nonniſi extremo fato medicanda. Quare neminem mouere debent ea, quæ videntur antiqui,tum Scholaſtici,tum etiam Patres aduersùs Dialecticam prodidiſſe; cùm conſtet, eorum animos aliò ſpectaſſe, & à Dialectica quidem minimè alienos, in ſolam Sophiſticam grauiter excanduiſſe : quam iure merito putabant non ſolùm inutilem eſſe ad ſcientias comparandas , verùm etiam maximè perniciosam. Vnde primùm exordior argumentum ad neceſſitatem Dialecticæ abſtruendam reſpectu ſcientiarum acquirendarum. De hac enim parte ſolùm diſſeram, cùm velim acrior videri in confirmandis propriis, quàm in refutandis alienis : contra quod fecit Lactantius; vt eapropter non immeritò ab Hieronymo vngue cenſorio perſtringatur. Ita igitur conficio argumentum. Ars ſophiſtica adeò pernicioſa eſt ſcientiis comparandis, vt omnem ad illas aditum intercludat : ergo Dialectica adeò neceſſaria eſt, vt ad nullam commodè ſine eius ductu accedatur. Conſequutio videtur bona: & ſi inter Sophiſticam,ac Dialecticam vera oppoſitio intercedit, omninò certa eſt, dummodo ad congruentem formam reducatur, quod facilè fieri poteſt : eruitur enim ex loco à repugnantibus, in quo formalis fieri ſolet argumentatio, teſte Philoſopho 2. Topic.3. Et probatur: quia ſimilem in modum argumentatur Ariſtoteles 1.Poſt.dum aſſumens, nihil eſſe falſius, quàm oppoſitum primi principij,rectè infert: *Ergo nihil eſt verius , quàm ipſum primum principium.* Nec diſſimili vtitur argumento D.Thom. 2. 2. q.104. art.2. cùm ait, *ſpeciale inobedientiæ peccatum non committi, niſi cùm quis præcepto , quà præceptum eſt, Superioris aduerſatur.* ex quo rectè concludit, communiter ab omnibus receptus: *Ergo ſpecialis virtus obedientiæ non exercetur , niſi cùm quis exequitur Superioris præceptum , præciſè quà tale eſt.* Imò & Chriſtus Dominus ſimilem argumentandi formam aliquando vſurpauit. Satis ſit locus ille Ioan. 10. *Si non facio opera Patris, nolite credere : ſi autem facio,operibus credite.* Vbi probat illud, quod proximè dixerat: *Ego & Pater vnum ſumus.* Probatio autem eſt huiuſmodi : Diuerſitas operationum inter me, & Patrem, ſi forte daretur,ſufficiens vobis occaſio eſſe poterat incredulitatis veſtræ, hoc eſt, non credendi, me, & Patrem eandem eſſe eſſentiam, idémque principium operandi ad extra : ergo identitas operationum inter me & Patrem,quæ de facto datur,vt vos ipſi experimini , ſufficiens vobis ratio eſſe debet ad credendum, me, & Patrem vnum eſſe. Ita enim poſt Theodorum,Cyrillum,Leontium, Auguſtinum,Bedam, Euthymium, interpretantur recentiores ibid.Caietanus,Toletus,Maldonatus. Miſſa igitur conſequentia,

Malè permixta bonis. Dialectica encomia. Clem. Alex. Sophiſtica vituperia. Molin. Antiqui Patres in Dialecticam ſophiſticam excanduerunt. Lact. Firm. Hieron. Dialectica neceſſitas. Ariſtot. D.Thom. Ioan. 10. Theodor. Cyrill. Leont. Auguſt. Beda. Euthym. Caiet. Tolet. Maldonat.

80.

Probo illud antecedens, nimirum, Sophiſticam pernicioſam eſſe ad ſcientias comparandas, primò ab auctoritate. Nam Baſilius, qui in Dialectica adeò excelluit, teſte Nazianzeno oratione 20. de eius laudibus, vt iis, qui cum eo diſputabant, facilius eſſet è labyrinthis ſeſe extricare, quàm argumentorum eius laqueos effugere , ſi quando res ita poſtularet : Baſilius, inquam, in cap.15.Iſaiæ, vocat Sophiſtarum dogmata, fluxa ac decidua,nec potentia conſiſtere. Vnde in cap.2. eiuſdem Prophetæ ait, illa expreſſa fuiſſe in muris Hierichuntinis, qui non tormentorum vi, ſed tubarum quaſi vnico flatu corruerunt. Et in cap. 16. ſentit , artem ſophiſticam fuiſſe adumbratam in vrbe Moabitide Heſebon, Primò,quia Heſebon,quæ interpretatur *diſceptatio*, prædicitur à Propheta ſuas plagas in æternum deploratura: Sophiſtica verò,quæ tota diſceptatrix eſt, in perpetuis lacrymis iacebit, cùm eius alumni apud Inferos ſuis ſe mucronibus conſequentiarum iugulabunt, *pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes, ac dicentes intra ſe: Ergo errauimus,* Secundò,quia arua ſuburbana Heſebon, latiſſimè in omnes partes excurrebant : ideò tamen erant infœcunda , vt ne leues quidem ſtipulas enutri-

Baſil. Nazianz. Sap. 5.

demoliuntur vineas, corrodunt pampinos, defricant gemmas, atterunt ſtolones, racemos deuorant, omnem virorem, ac decorem vinearum labefactant: hoc eſt, iſtos greges Sophiſtarum prendite, conuincite, circuncludite; ne mendacia ſerant, & errores; & in horto amœniſſimo veritatis dumeta excitent, & ſpineta falſitatis. Videtis, quantũ Sophiſtica afferat nocumentum ad ſcientias comparandas? Quis crederet, ex tam fictitiis machinamentis tantam poſſe ſcientiarum calamitatem proficiſci? Hoc ipſum facere non poſſum, quin exemplo alio illuſtrem.

83. Inter Ægyptias plagas vna per ciniphes illata adeò acerba fuit, vt cùm Pharaonis Magi reliquis non cederent, ab hac ſe ſtatim victos faterentur: *Digitus*, inquiunt, *Dei eſt hic.* hoc eſt, maior hîc aliqua virtus latet, quàm cui nos reſiſtere poſſimus. Quid hoc eſt? Nónne Magi ſanguinem ſanguine, ranas ranis, dracones draconibus repulêre? Cur etiam hanc peſtem alia ſimili non euitarunt? Caietanus, credo, ad literam, licèt non meum ad inſtitutum: *Voluit Deus in minimis deficere Magorum virtutem; vt ſi quando in maximis valeret, intelligerent Ægyptij, eam à Deo datam eſſe, non innatam; ex diuina liberalitate conceſſam, non ex humana hæreditate poſſeſſam.* Philo Iudæus, ad mores, niſi fallor; & præter id, quò tendo: *Voluit item Deus, Ægyptias minimo ſupplicio ſuccumbere, vt maximis ſuppliciis cederent; vno digito Dei punientis collidi, vt totam manum Dei ſæuientis formidarent. Nam, ſi digitum Dei leuiter ſauciantẽ tota non potuit ſuſtinere Ægyptus; manum integrã Dei in plagas efferueſcentem, quo pacto vnus ſuſtinebit homunculus?* Origenes allegoricos ſequitur explicatus: ſed quibus mea ſententia ſtabilitur: per ciniphes enim Sophiſtas intelligit: *Hoc animal*, inquit Origenes, *pennis ſuſpenditur per aëra volitans: ſed adeò ſubtile, ac minutum eſt, vt viſum, niſi acutè cernentis, effugiat; corpus tamen, cui inſederit, acerbiſſimo terebrat ſtimulo, ita vt quem volitantem videre quis non valeat, ſentiat ſtimulantem. Non aliter Sophiſta*, &c. Quare, ſicut illud animal leue, paruum, penè nullum, adeò tamen perniciosũ fuit Ægypto, vt vel Magos, vel Philoſophos perturbaret, indéque viribus repelli non poſſet humanis: ita Sophiſtarum genus difficile, moleſtum, importunum, adeò eſt veræ ſapientiæ inimicum, vt eos, qui ad illam peruenerunt, deturbet; qui in illa proficiunt, eludat; qui de illa profitenda cogitant, remoretur. Pernicioſi planè homines, & infeſti. Date igitur illud antecedens, vel ſola auctoritate permoti; nimirum, Sophiſticam ad ſcientias comparandas pernicioſam eſſe. Vnde infero: Ergo Dialectica ad eaſdem acquirendas eſt neceſſaria. En primum, & poſtremum pro hac parte argumentum. Vnicum eſto. In quo fateor ingenuè, plus fuiſſe verborum, quàm neruorum. Date veniam. *Quam quiſque norit artem, in hac ſe exerceat.* Ego, ſi quam noui (noui autem nullam,) ſi quam, inquam, noui, loquendi fuit, non diſſerendi. Ex illa hoc præceptum adhuc memini, nimirum, *perſuaſori leuiùs velitandum eſſe cum auditore perſuaſo.* Veſtrûm autem nemo eſt, qui iamdiu non ſit in hanc opinionem excitatus. Dialecticam eſſe neceſſariam, & perneceſſariam ad cæteras ſcientias comparandas.

Ægyptia plaga per ciniphes illata. Exod. 8. 19.

Caiet.

Philo Iud.

Origenes, & ex eo Auguſt. ſerm. 87 de tempore.

Nota Auctoris modeſtiã, poſtquam per aliquot annos Rhetorem egit.

Quid ergo vehementiùs agam cum
pacato? inclementiùs
belligerem cum
pacifico?

***

ORATIO VI.

In Baccalaureorum examinibus.

ARGVMENTVM.

Inoffenſus planè clypeus Philoſophiæ priuatas domos defendit, integras vrbes protegit, ampliſſima regna cuſtodit, vniuerſum deniq; terrarũ orbem tuetur. Hæc vtriuſq; ſapientiæ exempla demonſtrant. Tandem Philoſophiæ candidatus hoc clypeo protectus deſcendit in arenam, victoriam ſpe præſumit. Certè parmã nemo abiiciat, qui ad palmam nititur: nemo enim relicta non benè parmula coronatur in triumpho.

SVperiori anno, cùm philoſophicum curriculum ingreſſus ſum, Auditores meos, ſi fortè meminiſtis, armaui gladio: num clypeo armabo alienos? Erit aliquis ex optimis Candidatis, qui indignè ferat ſibi clypeum, aliis gladium deferri, ſuſpicatus clypeum minoris eſſe virtutis argumentum, quàm gladium. Hanc illi ſuſpicionem ingeret celebre illud dictum, credo Scipionis Africani: (diu enim eſt, ex quo legi, neque interim mihi fuit otium relegendi.) Obtulit bonus quidam miles ſuo Duci Africano clypeum, quem aduersùs omnes ictus munitiſſimum eſſe prædicabat. Quid Africanus: Libénſne ſuſcepit? Induit alacer in ſiniſtram? Gratulabundus cumulato pretio rependit? Nihil ſibi minùs perſuaſit. Imò toruus, & ſeuerus, *Tibi*, inquit, *bone miles, cum tuo munere; ego dextera vtor, non læua: gladio mihi opus eſt, non clypeo.* Ita ſe mihi opponunt generoſi Candidati: Hóccine tu nobis offers clypeum, meræ imbecillitatis argumentum? Timidis hæc dona remitte: nobis, quos ad philoſophica certamina parens ſapientia melioribus auſpiciis inaugurat, gladios, & miſſile ferrum. Parciùs, optimi Candidati, parciùs. Virtutis nullum eſt accommodatius inſigne, quàm ſcutum. Adeſte parum, dum id probo: antiquam ad rem me confero. Occidit bellico in conflictu gemina illa virtus aquilarum virtute maior, & leonum virtus, Ionathæ, & Saülis: cum Principe ac Rege, optimi quique militum corruerunt: cum militibus bellica præſidia omnia conflagrarunt: funebre Vates Regius miſera in ſtrage concinit Epicedium: quid primum in eo queritur? quid deplorat? An ſceptrum regiis manibus excuſſum, hoſtilibus pedibus attritum? An purpuram natiuo ſucco decolorem, infuſo cruore ſaturatam? An diadema Saülis capiti direptum, equorum vngulis colliſum? Nihil iſta. Maiorem iacturã lamentatur: *Ibi abiectus eſt*, inquit, *clypeus fortium, clypeus Saülis!* Ac ſi querebundus ingemiſcat: O clades! ô pernicies! ô calamitates! In totum exercitus robur hoſtilis furor deſæuiret; in reliqua belli inſtrumenta militaris procella detonaret: vnus ſupereſſet clypeus Saülis, ſalua mihi eſſe omnia viderentur: nunc autem abiecto clypeo ſpes abiicitur, languent animi, proſtrata mihi omnia videntur eſſe, & perculſa. Cernitis, in clypeo quantùm ſit momenti? Ergo ſtrenuis debetur clypeus, non ignauis: fortium inſigne eſt, non imbellium, clypeus fortium. Pergite mihi ſtudere, dum Laconicum 84.

Scipionis Africani celebre dictum.

Clypeus, fortitudinis argumentum.

Ionathas, & Saul pariter occidunt.

2. Reg. 1. Clypeus Saülis.

Laconicum exemplum Laconica oratione perſtringo.

85. *Mater Lacæna.* Lacæna quædam mulier filium ad bellum profectum clypeo obarmauit. Quam precem exiſtimatis addidiſſe? Vt cautè incederet? Vt vitæ conſuleret? Vt iuuenilem audaciam temperaret? De hac re ne verbum quidem. Quid præcepit? *Cum hoc*, inquit, (dimetrum reddo Auſonij, *Auſon.*) *aut in hoc redi*? Noſtis ſententiam planè auream? Nondum ſatis, vt exiſtimo. Adeſte animis: faciam, vt agnoſcatis. Græcorum conſuetudo illa fuit, vt qui in prælio dimicando fortiter cecidiſſent, eodem, quo præliati fuerant, in clypeo ad ſepulturam efferrentur: quod ſolemne, externorum etiam rituum non ignarus Mantuanus, *Mantuan.* ſua in Æneide expreſſit, cùm de Pallante Arcadum Principe à Rutulis interfecto, à Troianis parentato, ita cecinit:

Impoſitum ſcuto referunt Pallanta frequentes.

Lacæna ad filiū elegans exhortatio de clypeo ſeruando. Iam ergo & ille dimeter Spartanæ fœminæ recantetur: *Cum hoc*, inquit, *aut in hoc redi*. Ades, mi fili: ad bellum mitteris: præbe te, & meum, & Lacedæmonium. Proba virtute tua, & matrem tibi eſſe viraginem Spartanam, & patriam virorum educatricem. Hunc tibi trado clypeum: mentem erige, ſume animos. Omnia de te ſpolia hoſtes ferant: clypeo, caue ſis, nunquam te expolient. Manus tibi, & brachia reſcindantur: patere. Clypeum à te reuelli nunquam patiare. Animus à corpore tibi exigatur: clypeo nunquam læua denudetur. Leuior eſt vitæ, quàm clypei iactura. Redi, ita precor Superos, & fortunatus redi: ſed hac lege: *Cum hoc, aut in hoc*. Viuus cum hoc, mortuus in hoc: neque viuus, neque mortuus ſine hoc. Hoc tibi ſit vincenti ſolium, hoc tibi ſit cadenti feretrum, hoc tibi triumphanti monumentum, hoc tibi expiranti Mauſoleum. *Cum hoc, aut in hoc*: nunquam ſine hoc. Deſiniris iam mihi iraſci, optimi Candidati? Cernitis in clypeo virtutis inſigne, fortitudinis trophæum? Creditis à me honori veſtro conſultum eſſe, dum clypeo vos armo ad philoſophicum certamen? Ita credite, ita iudicate.

86. *Quid ſapientia diuina cum clypeo.* Sed, quid Philoſophiæ cum ſcuto? Iam id aperiam; vnum in primis ratum volo, vtramque ſapientiam, tam profanam, quàm diuinam, clypeo armatam eſſe. Age, & profanam intuere. Nónne Pallas ſua ægide clypeata è Iouis cerebro, proſiliuit? Sed diuinam altiùs contemplare. Nónne æterni Patris ſoboles, filia Regis *circumamicta varietatibus*, vt diuinus Vates poëtatur, ſeu, vt Hieronymus *Hieron.* Græco è fonte haurit, *ſcutulis exornata* ſplendeſcit? Planè ita eſt. Vtraque mihi videtur ſapientia ſuo ſibi iure clypeum vendicare. Sed, quos in vſus armatur clypeo? Rem aggredior. Scutum è toto armorum genere vnum eſt, quod ad tuenda omnia corporis membra fabricatur. Caput galea, thorace pectus, lorica femur, alia corporis membra aliis armorum generibus muniuntur: ſcutum verſatur pariter omnium in præſidium, omnium flectitur ac reflectitur in tutelam. Adeſt pectori, ambit latera, ſeruat caput, totum corpus protegit, ac circundat. En Philoſophiæ ingenium, en officium. Omnes defendit, & quod magis mirabimini, inoffenſa. Quam domum? quam vrbem? quod regnum ſapientia non tuetur? *Pindari domus ſeruata in incendio communi.* Domum? Teſtor Pindari penates, qui in media Thebarum calamitate incolumes perſtitêre. Vrbem? Teſtor Lampſacum Helleſponti, ad quam tuendam vnius Themiſtoclis ſapientia plùs contulit, quàm ad euertendam validiſſimæ Perſarum incurſiones potuerunt. Regnum? Teſtor in Africa Numidiam: prope Aſiam, Ægyptum: intra Europam, Græciam, Siciliam, Italiam, Hiſpaniam, vt de aliis taceam prouinciis, quas non tam potētia, quàm vna ſapientia, obiecto contra omnia tela clypeo, conſeruauit. Quod ne vobis dictu facilius videatur, quàm probatu; eas mecum regiones animis peragrate. Numidiam feruidus ingenij Maſiniſſa, & feruidus æui, vt Poëta canit, non pugnando, ſed philoſophando diuturna in pace ſuſtentauit. Ab Ægypto vterq; Ptolomæus, Claudius, & Philadelphus; hic non armis, ſed libris ſtudendo; ille non caſtra, ſed aſtra, meditando; hoſtiles iniurias arcuit, & repreſſit. *Qua, & q ciuitates ſapientia auxilio ſtete rint.* Athenæ ſola Periclis ſapientia ſtetêre, ſine illa certum in interitum ruituræ. Sicilia, non Dionis imperio, ſed ingenio, extremam perniciem euaſit, quam illi circumfuſæ hoſtium claſſes machinabantur. Italia ſuo ſe collidens pondere, vltimum ſæpè abiret in occaſum, niſi Fabij, Catonis, Fabritij, & aliorum, non tam Imperatorum, quàm Philoſophorum; nō tam armis, quàm conſiliis regeretur. Te verò, ô Hiſpania, à telis hoſtium quis protexit, à belli periculis quis defendit, è lethi faucibus iam penè hauſtam quis eripuit, niſi illa, quæ ſuis ſemper vigilat, & militat alumnis, Philoſophia? Mitto alia, quibus id confirmare poteram, exempla. Vnum accipite feſtiuiſſimum.

Colonus, Philoſophia, & militia iuxtà bonus, Ferdinandi, Hiſpani Regis, exercitum ducebat apud Barbaros Ramaicenſes. 87. *Ferdinandi Regis Hiſpani exercitu* Cui agreſtes homines, & ferini, nec prece, nec pretio ſuppeditabant alimenta: rati totum exercitus robur fallaci arte potiùs, quàm aperto Marte abolendum. Neque illos opinio fefellit: nam eò ventum eſt, vt Hiſpani milites ferendis corporibus, nedum armis impares viderentur. Marcebant ora, languebant artus, crepabant viſcera, labebant genua, vires ſucco, & ſanguine exhauſtæ tabeſcebant. Quid Colonus? Rapto viueret? Deerant raptoribus rapinæ. Capeſſeret viam in Hiſpaniam? Ad viam deerāt viatores. Incurſiones ageret in hoſtes? Animas agebant milites præ fame. Quid conſilij? Pati. Quid remedij? Perire. Quid ſolatij? Mori, & exanimari. O vitæ, Philoſophia, dux, & clypeus ſingularis! Quæ diſcrimina à tuorum ceruicibus militaris induſtria non auertit, tu ſola tui obiectu clypei repuliſti. Nouerat Colonus, Aſtronomiæ peritiſſimus, Lunam iam iam eſſe defecturā: mittit ad Barbaros legatum, vt ſibi quamprimùm commeatus ſubminiſtrarent: ſin minùs, certò ſcirent, totum contra eos cælum obarmandum; & huius rei ſignum, niſi crederent, in cælo proximam ſub noctem affuturum. Legatum excepêre Barbari cum plauſu: cum exploſione remiſêre. *Luna defectus.* Nocte tamen intempeſta, ſiue religio, ſiue ſuperſtitio ad id eos impuliſſet, ſydera inſpiciunt, cernunt Lunam pleno orbe ſinuatam paulatim expalleſcere, ſuo fulgore hebetari, ac tandem terra caligine incubante, toruum, minacémque aſpectum exhibere. En illud eſt, exclamant, illud eſt irati Numinis oſtentum. Quas pœnas tam dira cæli facies minitatur? Caue, caue, quiſquis ades: procul omen eſto: tam ferale aſtrum procul eſto. Vix prima cælo aurora ſe reddiderat, cùm Barbari à feritate in humanitatem reſtituti, certatim, pro ſua quiſque parte, humeris onerant cibaria lauta, ſplendida, opima; & ad Coloni, cæterorúmque militum genua prouoluti: En vobis, inquiunt, commeatus: ſi pauci videbuntur, aderunt largiores: ſolùm, quas meruimus, iras offenſi

Digitized by Google

offenſi Numinis deprecamur. Subita annona refecti milites annos ſibi promittunt longiores; & qui mortem in ſingula momenta expectabant, illo cibo, tanquam nectare, recreati, ſibi fore videntur immortales. O clypeum domorum! ô tutelam vrbium! ô præſidium regnorum, Philoſophia! Te auſpice, te duce, nec vana fides, domus, regna, nullis laborum procellis labefient.

88. Sed me incautũ Oratorem, qui cùm ſuſceperim Philoſophiam oratione illuſtrandam, obſcuraui; & cùm poſſem immenſas illius vires prædicare, attigi propè nullas. Dixi, priuatas domos à Philoſophia defenſas: nihil dixi. Integras vrbes philoſophico ſcuto ſartas, tectáſque fuiſſe: dixi parũ. Ampliſſima regna vno Philoſophiæ patrocinio ſecuriùs cuſtodita, quàm ſi muro ſeptẽplice clauderẽtur: adhuc non dixi multùm. Quò ſe vlteriùs tua vis, ô Philoſophia, extendit? Eſt amplius, quod defendas? O rem mirã, & niſi diuinum aliquod Oraculum anteiret, incredibilem! Luſtrate oculis immenſa terrarum ſpatia, quà ſurgunt ad Arctos, quà cedunt ad Meridiem, quà tendunt ad Ortum, qua ſpatiantur ad Occaſum. Cernitis eam molem, crebram domibus, frequentem vrbibus, regnis, vt ita loquar, conſtipatam: totam eam ſapientia ſuo clypeo tegit, ac tuetur. Mirum narras, & incredibile: Oraculum niſi proferas, non ſequetur audientium fides Oratorem. Audite, non Delphicum, ſed Dauidicum: *Quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt*; ſeu, vt Hebræo elicio de archiuo, *quoniam Dij ſcuta terræ*. Quis ignoret, diuinæ ſapientiæ Profeſſores à Vate in eo carmine decantatos? Scuta igitur appellat, non domus, non vrbis, non regni, ſed terræ. Scuta terræ: quia nulla plaga eſt adeò ab humano ritu aliena, quam ſapientiæ præſidium non defendat. Nec mirum, ſapientes homines à Vate ſcuta terræ appellatos, cùm ab eodem Dij nuncuparẽtur: *Dij ſcuta terræ*. Nam Deus ſcutum eſt: vnde illud eiuſdem Vatis hemiſtichion: *Miſericordiam & veritatem diligit Deus*; ſeu, vti Hebræo inuenietis in archetypo, *Sol, & ſcutum Deus*. Ita igitur ordior argumentum. Deus ſcutum terræ eſt, concederis. Sapiens Deus eſt, nõ abnuitis. Colligite, Dialectici, veſtrum eſt hoc munus: ergo ſapiens ſcutum eſt terræ.

Totum Orbem ſapientia tuetur.

Pſ. 46. 10.

89. Magnum profectò videri debet, ſapientes homines, dum viuunt, vniuerſo terrarum Orbi defendendo gnauiter excubare, poſtquam tamen in cineres abiẽre, adhuc agere excubias, adhuc atrendis malis inuigilare, adhuc ſe terrarum clypeos exhibere, hoc vnum incredibiliter admiror. Res tamen ita habet. Philoſophi, quando vrget neceſſitas moriendi, corpus exuunt, non inficior: clypeum, quo terras tueantur, exuere nunquam poſſunt; viui, & mortui in ſuorum ciuium tutelam armantur clypeo. Neque ſolùm de iis loquor, qui Chriſtianam Philoſophiam coluerunt; hi enim, quò res noſtras inter homines laborioſiùs curarunt, eò illas inter Superos feliciùs negotiantur: ad eos quoque mea oratio ſpectat, qui humanæ ſapientiæ cultores extiterunt. Vos, cineres, vbicumque adeſtis, ſapientum; vos appello clypeos ciuitatum. Vos, arida oſſa, & exeſa, quacumque ſub tellure deliteſcitis, vos appello arma, & monumenta regnorum, vos vrnas, vos tumulos, vos inania ſepulchra Philoſophorum, vos appello inexpugnabilia propugnacula terrarũ. Tota ferè Aſia Cæſar olim Auguſtus, victor, & triumphator equitabat: facto agmine Alexandriam tendit, cingit vrbem, quatit muros, extremas in anguſtias adigit oppidanos. Parum aberat, quin portas frangeret, mœnia labefaceret, domos euerteret, fana compilaret, tota vrbe ampliſſimis ſpoliis prædiuite frueretur: cùm ſubitò noua ratio mentem ſubit in medio æſtu præliandi: State, inquit, milites, & ceſſate. Milites primùm non curare, ſed alacriùs vrbis inuehi in ruinam: State, inquam, ingeminat Auguſtus, & à bello abſtinete. Quid iſtud, inquiunt milites, eſt præcepti? In re confecta ſegnes erimus, qui fuimus in aggredienda bellicoſi? Aliud Auguſtus agit, vi & ferro euertenda vrbe inſiſtamus. Siſtite, ter iam admoneo, exclamat Imperator; ſiſtite, arma ponite, retrocedite, vrbem incolumem relinquite, & illæſam: ſic volo, ſic iubeo. Nouum conſilium, inquit miles, ne dicam importunum: vincere ſcis, ô Cæſar, victoria vti neſcis; quam tibi vrbem fortuna obtulit, relinquis? quas tibi diuitias militum virtus peperit, contemnis? Alexandriam Aſiæ caput, Orientis decus, totius mundi ampliſſimum emporium, cùm iam poſſides, renuntias? Impiger es ad bellum, ô Auguſte, piger ad triumphum. Cur ceſſas, cur deſiſtis, cur obſidione vrbem ſoluis, quam ſtatim ditione coërcebis? Boni conſulite, ô milites, inquit Imperator; bonum conſulite factum meum. Subiit mihi animum vnius Philoſophi, Ario nomen fuit, qui in hac vrbe vixit, recordatio. Ea mihi flammas reſtinxit, iras emolliit, totum pectus ſerenauit. Nefas duco Philoſophi patriam, domicilium, ſepulturam, nefandis cædibus cruentare. Malo ab Alexandrinis victus videri, quàm vincere Alexandriam, ne cogar cum altrice vrbe, alumni Philoſophi cineres violare. Non timeo, mihi credite, non timeo viuorum gladios: timeo clypeos mortuorũ. Philoſophus vnus mortuus vrbem ſeruat, quam tot milites viui non ſeruarunt: vnus de vobis inuictis victor exit: vnus de me triumphatore Aſiæ triumphat. Cedite, vrbem ſoluite, pugnandi auiditatem coërcete, vt philoſophandi dignitati conſulatis. O cineres, pluſquam milites! ô feretrum, pluſquam ferrum! ô vrnam, pluſquam arcem! ô cadauer, pluſquam aggerem! ô clypeum, & viua & mortua in læua formidandum!

Sapientes vel mortui ſunt Orbis propugnacula.

Cæſar Auguſtus Alexandriæ pepercit.

Quid ampliùs potuit erga Deum Dauidis ſanctitas, & religio? Solymam quondam Aſſyriorum Imperator Sennachiribus oppugnabat. Aderant hoſtiles acies, manu validæ, fortuna tumidæ, numero infinitæ, ingenio ipſis etiã belluis duriores. Contrà Solymæi viribus imbelles, caſibus attriti, copiis diminuti, motibus in naturam degeneres belluinam: vno verbo ab Aſſyriis omnis metus, ab Hebræis omnis ſpes penitùs exulabat. Quid in rebus deſperatis effectum creditis? Ecce tibi inter armorum crepitus, inter telorum miſſus, inter hoſtium plauſus, inter ciuium eiulatus: ecce tibi de cælo perſonat, non tonitruum, ſed oraculum: *Protegam vrbem hanc propter David.* Nec mora: armatus è cælo deſilit in Aſſyrios bellator. Boni ſuperi! quot funera inter hoſtes, quot gaudia inter ciues? quot cadauera per agros, quot clypei pro Hebræis? Continuò incolarum lacrymæ exareſcunt; hoſtilis cruoris flumina inundant; ſemianimes Hebræi reuiuiſcunt; immortales, vt ſibi videbantur, Aſſyrij moriuntur. Tam ſubitam vrbis libertatem, tam præſens Numinis patrocinium, tã firmum contra hoſtiles acies ſcutum, quis parauit, niſi profectò ille regius ciuis, ille, qui iamdudum conditus, in tumulo viuam adhuc ſpirabat ſanctitatem? O parem ſanctitati Philoſophiam! ô parem Philoſophiæ ſanctitatem! Quod olim Hieroſolymæ præſtitit vnius Regis demortui ſanctimonia; hoc ipſum vnius Philoſophi defuncti ſapientia contulit Alexandriæ. 90.

Imperator Aſſyriorum Solymam oppugnat, & expugnat.

4. Reg. 19. 34.

Sed

Digitized by Google

Cyrill. & propugnaculum. Quò mihi videtur ſacer ille Antiſtes Alexandriæ Cyrillus reſpexiſſe, cùm ait, *Sanctos Myſtagogos, pulchritudine intelligentiæ reſplendeſcentes, tanquam propugnacula impiis Sectarum inuentoribus, & ſcurrilibus Hæreticorum nugis acriter obſtitiſſe.* En illuſtratores vocat, ac defenſores. Suos, nimirum, illuſtrat ſapiens; excæcat alienos: natos alit; nothos abigit: fouet ciues; terret hoſtes: domeſticos allicit muneribus; exterios conficit vulneribus.

73. *Cant. 1. 16. Eccleſia florido Salomonis lecto comparatur.* Miretur fortè aliquis lectulum illum Salomonis quondam mira florum varietate coronatum: *Lectulus noſter floridus.* ſubitò mutata vice, armorum fragore circumſtrepere, militari ſatellitio ambiri, ſexaginta viris ex fortiſſimis Iſraël ad pugnam promptis, ad facinus expeditis obuallari. Quæ mutatio hæc rerum? Quid geniali toro cum Martiali puluere? Quid pacatæ familiæ cum armata cohorte? Quid florum odoribus cum ſtridoribus armorum? Rem teneo. Lectulus Eccleſia eſt, in qua ſapientes viri flores gerunt, & gladios: flores, Chriſtianorum naribus applicandos; gladios, Hæreticorum animis infigendos: dum illos placidis verbis demulcent; hos minantibus dictis exterrent. An à mea ſententia aberrat Auguſtinus? Imò eam mihi videtur expreſſiſſe, cùm ait, viros Chriſtiana ſapientia nobilitatos, quantò ſunt optabiliores Iudices in Catholicos, tantò eſſe terribiliores vindices in hæreticos. Pergite tutelares fidei patronos, ſapientes, inquam, viros, admirari. Chriſtianæ Antiſtites ſapientiæ, quaternis animalibus figurati, ſe ſe Patmæo Vati diuina myſteria contemplanti obtulêre, eo ſitu, vt & in media ſede Diuinitatis conquieſcere, & in circuitu eiuſdem ſedis excubare viderentur. Res mira! qui poterant, & ad medium conſiſtere, & ad fines dilatari; ad centrum redigi, & ad peripheriam extendi; ſedere intus, & ſtare foris; vacare in ſeceſſu, & operari in circuitu. Certè nodus eſt, quem, niſi ad myſtologicos explicatus accedatis, non ita facilè enodetis. Audite Ambroſium: *Vtrumq; præſtant doctrinæ Principes Chriſtianæ: hærent in medio, dum pacatos Chriſtianorum cœtus virtutibus exornant; vigilant in circuitu, dum furentes Hæreticorum cateruas à nefariis incurſionibus retardant.* Planè Cherubini, qui Paradiſum Eccleſiæ circumſtant, qui exitiales peſtes auertunt, qui irruentes hoſtes propulſant: qui, ne quid detrimenti fidelium cœtus patiatur, ſtrenuè præliantur. Tollite ab Eccleſia fauores Principum, non corruet; dimittite prægrandes opes, adhuc ſtabit; auferte militares vires, non expugnabitur; ſecludite illuſtres proſapias, & tunc clarebit. Vna ſi deſideretur ſapientia, quid fore creditis? Extinguetur. At hoc fieri nequit: verùm ea damna ſuſtinebit, quibus, pluſquam omnibus aliis, ſi omnia in eius perniciem conſpirent, atteratur. Contrà verò totus in Eccleſiæ ruinam coniuret Orbis, armentur in cædes Tyrannorum manus, induantur in flagitia perditorum hominum cogitatus; vna tamen non deſit ſapientia, quæ hoſtibus eat obuiam, quæ clauum gerat, quæ prouideat, quæ rem totam moderetur: timor omnis abeſto, ſapientiæ pugnatrici patebunt omnia: cœlum priùs corruet, quàm ſapientiæ vires eneruentur.

Apoc. 4. 6.

Auguſt.

Ambroſ. *Eccleſiæ Doctores.*

Sapientia Reipubl. tutela.

74. *Dialectica gladius anceps.* Cernitis, quàm ſtrenuè ſapientes viri Chriſtianam veritatem tueantur. At, quibus armis tam acres ineunt conflictus? Planè iiſdem, quibus Cherubini vtebantur, gladio ancipiti. Gladium ancipitem, quem appellas? Certè Dialecticam. Nam gladium quis eſſe neget, cùm illa duo eloquentiæ lumina Tullius Romanus, ac Tullius Chriſtianus (ita nomino cum Hieronymo Lactantium) Dialecticam gladij nomine ſignificandam putent? Ille enim, cùm de Epicuro loqueretur, artis Dialecticæ planè rudi, & imperito, inermem, ſiue gladio exutum appellauit. Hic verò, cùm de antiquis Philoſophis ſermonem inſtitueret, quos fatetur primos Dialecticæ parentes extitiſſe, docuit non inſcitè, eos ad diſceptandum gladio quidem armatos eſſe; clypeo tamen exarmatos: hoc eſt, aptos quidem eſſe dialecticis argutiis, tanquam gladij punctionibus ad vrgendum hoſtem; non tamen eſſe efficaces doctrinæ veritate, tanquam clypei munimine, ad retorquenda argumenta. En Dialectica, gladius ab vtroque nuncupatur. Sed neutrum ſequi animus mihi eſſet, niſi maior ex diuinis Oraculis auctoritas peteretur. Noſtis probè omnes, Aaronem non ſolùm eloquendi facultate præditum fuiſſe, ſed etiam diſſerendi ſubtilitate acutum. Planè vtroque præſidio indigebat, vt rectè apud Pharaonem ſua legatione fungeretur. Nam ad beneuolentiam ſuperbi Regis promerendam, facundia opus erat; ad ſuperandam tergiuerſantis Tyranni contumaciam, Dialectica. Quare facundus planè fuit ad eloquendum, ſubtilis ad diſputandum. Hoc illud eſt, quod à Deo ſignificatur Moyſen alloquente; *Ipſe*, inquit, *erit os tuum*, nempe, pro te Rhetoricæ, atque Dialecticæ munera apud Pharaonem exercebit. *Erit os tuum.* adhuc planiùs. Erit tibi pro arte diſſerendi, vt in qua facultate claudicas, in eadem à fratre inſtauteris. Cernitis, vt oris nomine Dialectica ars intelligatur. At conſulite Hebræos codices, ex quibus elicietis non inconcinnè: *Ipſe erit gladius tuus.* En Dialecticæ cum gladio comparatio, en affinitas, en germanitas; vt nemo iam mihi ſuccenſeat, ſi Dialecticam ſub gladij typo ſuſcipiam exornandam. Gladium appello, Dialecticam, qui ſeparat naturas rerum, qui intimas penetrat in medullas, qui fabrè dolatos dolos cauillantium Sophiſtarum vno ictu præſcindit: quo ſi ſapiens dexterè, expeditéque vtatur, premi poterit aliquando; opprimi verò nunquam: quem tamen ſi abiiciat, quantauis ſapientia fulciatur, vnica aduerſariorum petitione miſerabiliter collidetur. Fingite, quæſo, in libero aliquo ſpatio ad pugnandum ludos gladiatorios celebrari: ponite media in arena generoſos milites, & ſtrenuos, ab ignauo, & imbelli tyrone prouocatos; ab illis tamen gladios extorquete; huic verò gladium in manus commodate: facite, vt vtrimque ad pugnam concurratur: vnus ille armatus vrgeat plures; iſti inermes non diffugiant: vnus premat; plures non cedant: vnus componat plagas; plures opponant minas: quo tandem exitu clauditur pugna? Certè gnaui ab ignauo, ſtrenui ab inſtrenuo, viri à fœmina, leones à formica, peſſimo mactabuntur infortunio. Quid rei hoc eſſe dicam? Nónne ſuppetebant illis pluribus in corde animi, in membris vires, in toto corpore firmitudo? Planè. Et vincuntur plures ab vno? bellatores ab imbelli? Ita res acta. Cur verò ita? Enſis aberat. Hoc præſidio ſublato occidunt animi, ruit virtus, gnauus ignauo exæquatur. Ita planè. Si tyrunculus Dialectica armatus, cum veterano Philoſopho exarmato Dialectica concurrat, quos illum induet in laqueos, quas impediet in plagas, quæ præcipitabit in abrupta? Nimirum, ille armatus gladio, hic inermis ad pugnam capeſſendam

Tull. Hieron. Lact.

Aaronis eloquentia, & diſſerendi ſubtilitas apud Pharaonem.

Exod. 4. 16.

Dialectica gladij munus exercet.

Dialectica ludo gladiatorio componitur.

dam prodiere. Hinc oritur, vt quemadmodum duces diuturna militia experti gladios ab hoſtili exercitu ereptos volunt: ita Chriſtianæ fidei oſores velint omninò Dialecticam à fidelium virorum cœtu ablegatam; rati, ſicut aduerſariæ phalanges gladiis exarmatæ belli impetus nequeunt ſuſtinere; ita Chriſtianorum hominum conuentus abſque Dialecticæ præſidio intutos fore ad congreſſus cum Hæreticorum ſycophantiis ineundos.

75. *Philiſthinorũ ſingulare inuentum in Hebræorum perniciem excogitatum.*

Replicate memoria, qua quondam fraude vſi fuerint in Hebræos Philiſthini; rem ſcitu vulgatiſſimam, auditu tamen feſtiuiſſimam. Curant, vt omnes omninò ab vrbe gladij remouerentur: cauent, ne qui in vrbe denuò fabricentur. Eò res ducta fuit, vt Hebræi iuuenes de nihilo minùs, quàm de bello cogitarent, languerent otio, ſtuderent voluptati, à militari labore feriarentur; cantus, citharæ, choreæ, paſſim in vrbe fuerint: gladij nuſquam erant: ſi qua inter pugnaciores rixa oriebatur; vel ſtatim reſidebat; vel pugnis, calcibus, & morſibus æſtuabat. Hæc ita erant, cùm Philiſthinus triplici armatus cuneo ad vrbẽ properat: ſonant litui, clangunt tubæ, perſtrepunt tympaniſtæ, ingruit armorum horror, bellum inclamant omnes; repercuſſæ ad mœnium cauitates, inconditæ voces reſultant, bellum. Oppidani inſolito ſtridore commoti conuolant ad præſidia gladiorum: gladij non patebant. Fabriles adeunt officinas: nuſquam arma. Vetera excutiunt armamentaria: nequicquam. Secretiores domorum explorant latebras: incaſſum labor. Totos ſe fundunt, ac refundunt per vrbis angulos in quæſitionem gladiorum: irrita omnis opera. Quis horror, quæ turbatio, quod periculum neceſſe erat ex tanta armorum inopia ſequeretur? Philiſthini vrgebant; Hebræi trepidabant: illi inſultabant; iſti perferebant: illi iactabant minas; iſti offerebant preces: illi armati æquor immenſum aquæ occupabant; iſti inermes ad vrbis anguſtias coibant: inde emicabat armorum fulgor; hinc deficiebat exarmata virtus. Quid plura? Niſi miraculo res acta foret, de Hebræis nihil illo die, niſi fauilla, & cinis ſupereſſet. Vnde hæc calamitas? Aderant Philiſthæis gladij; Hebræis deerant: virtus verò, ſi inermis ſit, imbellis eſt.

Elegans deſcriptio hoſtilis incurſus.

76.

Nunc, quæſo, attendite, quàm ſimilem in nos fraudem Chriſtianæ fidei deſertores texuerunt; quas machinas ad ſubruendam fidem excogitarunt duo iſta pluſquam viperina capita, Mahometus, Iulianus? An aperto Marte fidem abolere decreuerunt? Tentatum id ſæpe: ſed fruſtrà, ipſis etiam Angelorum cohortibus, vt verè Chryſoſtomus, noſtrum in auxilium præliantibus. An per cædes acerbiſſimas fidem profligare aggreſſi ſunt? Imò ab his etiam abſtinere aliquando voluerunt, ipſum martyrij decus, vt acutè Nazianzenus, Chriſtianis inuidentes. An exiliis, an flagris, an tormentis Chriſtianam religionem inuaſerunt? In vanum omnia. Nam, vti egregiè Theodoretus, cruor cæſorum corporum, irrigatio quædam erat, qua nouæ in Eccleſia plantæ naſcerentur. Quid ergo improbiſſimi homines machinati eſtis, vt extremam nobis perniciem crearetis? Sanè inuentum Tartareis conflatum in officinis. Quódnam, precor? Gladium, quo ſe Chriſtiani Philoſophi tuentur, nituntur ab eorum manibus extorquere, ne irruentes in ſe hoſtes valeant propulſare. Quem verò dicis gladium? Apertè dico, ac Latinè, Dialecticam: nam ſeueriſſimis vtrerque legibus cauerunt, ne quis Dialecticam facultatem primo vel à limine ſalutaret: quod perinde fuit, ac ſi vellent, & ſuperciliosè imperarent, vt inermes confligeremus cum armatis: ſi quis enim Dialecticæ imperitus congrediatur cum Hæretico promptiſſimo ad cauillandum, pugnã inibit inermis cum armato: hic cæſim, punctim, dextra, læua, premet, vrgebit, ſauciabit; ille miſer, tanquam hoſtia, ictibus ceruices porriget, coſtas plagis, pectus vulneribus, totum corpus miſeræ laniena. Hanc ergo in nos technam peſſimi fraudum architecti conſuerunt, id, quod re erat, ſuſpicati, ſe quidquid non potuerunt aliis fraudibus obtinere, ſublata à nobis Dialectica facilè effecturos. Ita eſt. Si iſte gladius, Dialectica, inquam, vel hebeſcit, vel retunditur, vel à Chriſtianorum manibus extorquetur, boni Superi! quæ hæreſum colluuies, quæ errorum phalanx, quæ vitiorum caterua ad Paradiſi huius, ſeu Eccleſiæ munitiones conuellendas, velut agmine facto, conſpirabunt? At, ſi Cherubini, ſapientes, inquam, viri Dialectica, tanquam gladio, armati primos Eccleſiæ aditus tueantur; irruant licèt ſerpentes venenati, inſultent foribus, anhelant virus, euomant faces, toto ex pectore, tanquam ex Ætneo barathro, incendia iaculentur: omnes eorum inſultus, fracti, attriti, ac peſſundati vno veluti ſpiritu difflabuntur.

Mahometus, & Iulianus in Chriſtianos conſpirant.
Chryſoſt.

Martyrij decus egregiũ.
Nazianz.
Theodor.

Dialectica gladius Chriſtianos tuetur.

Quæritis, cur non modò gladium; ſed etiam gladium ancipitem appellem Dialecticam? Certè, quid reſpondeam, anceps ſum; ita multiplex mihi ratio mentem ſubit. Mitto cæteras, hanc accipite. Memineritis, gladium ancipitem, ſeu *diſtomum*, vt vocant Græci, eſſe illum, in cuius medio capulus eſt, à quo duplex haſtile hinc, & inde duos faſtigiatur in mucrones. Addite, ea forma eſſe figuratum, vt in dextram, vel ſiniſtram manum æquè benè commodetur. Neutrum vobis figmentum videatur. Vtrumque eſt oraculum ex ſacris Hebræorum Iudicum Annalibus acceptũ, quos ſi diligenter euoluatis, tandem inuenietis, Aodem ducem ambidextrum conflaſſe ſibi gladium ancipitem; hoc eſt, in duas cuſpides deſinentem, quem medio tenus, vbi capulus erat, apprehenſum in Eglonis Moabitæ viſcera recondidit. Hinc ergo, vobis vt ſatisfaciam, mihi aditus aperitur. Nam, vt anceps gladius in vtramuis manum iactatur non inuenuſtè: ita Dialectica ad vtramuis ſcientiam, ſeu diuinam Theologiam, ſeu humani iuris peritiam excolendam, quàm aptiſſimè adhibetur. Anceps gladius. Vtra manu vultis Eccleſiæ militare? Dextrâne, an læua? Theologica, an iuridica? Dicitis dextera, ſiue Theologica. Ergo arripite hunc gladium, qui aptiſſimè in dexteram quadrat. Dicunt aliqui, læua, ſeu iuridica. Ergo & illi gladium iſtum apprehendant, qui cum læua non incongruè cohæret: anceps eſt. Certè vniuſcuiuſque ſcientiæ Primates magnum ſui præſidium hoc vno in gladio poſuerunt. Et quidem de Theologis, tam antiquis, quàm præſentibus, nemo dubitat, cùm & eorum ſcripta, dialecticis argumentis plena, omnium manibus atterantur; & horum diſputationibus dialectica feſtiuitate aculeatis theatra Academica iucundiſſimè applaudant. Iam verò vtriuſque Iuris Primipili quantam in hac gladiatura operam & induſtriam collocarunt? Cùm & Gratianus Pontificij metator Iuris, & Vlpianus Cæſarei fundator peritiſſimus, vt alios prætercam propè infinitos, dialectica in palæſtra diligenter, & grauiter inſudauerint: Platonis fortè iudicio excitati, cuius illud fuit de hac re decretum, acceſſum

77. *Dialectica gladius anceps.*

Iud. 3.

Dialectica apta ad omnes ſcientias comparandas.

Gratianus, & Vlpianus Dialecticæ cultores.

jncolumitatem accipit ſempiternam: pauperum inopiæ conſuluit; diuitiis nunquam perituris locupletatur: tumultuantium Regum diſcordias compoſuit; iucundiſſimamq́ æternæ beatitudinis ingreditur requietem: alio ſceptro inſignita, alio diademate decora, alia purpura ſplendeſcens, non in auguſta Luſitania, ſed in auguſta lucis aula dominatur. Quid miramini, ſublata vobis Eliſabetha tot calamitates in ſingulos annos redeuntes, tanquam Lernæa capita pullulare? Sæuire peſtē, graſſari famem, ardere bellum, turbari omnia, & quod peius eſt, ô rem indignam veſtris auribus, iniquis tamen temporibus exprobrandam! Tot ſcelera, tot flagitia, tot ſeminaria cæleſtis vindictæ in Luſitania nutricari. Quid mirer? Vna Eliſabetha quę tot malis medicetur; vna Regina, quæ tot miſeriis patrocinetur; vna omnium parens, quæ tot periculis opem ferat, nuſquam patet, nuſquam extat. Vt non immeritò Conimbricenſes Eborenſes, Olyſiponenſes, Luſitani omnes viri cum erepta Eliſabetha ereptam ſibi felicitatem lamententur. O Conimbrica! O Luſitania, quò ſpes tuæ receſſerunt, cùm ſingulare tuæ felicitatis præſidium collapſum eſt! Tuam quietem Reginæ vigilantia; tuum otium, Reginæ labor; tuas delicias Reginæ induſtria; tuam vacationem, Reginæ occupatio; tuam vitam, Reginæ pericula defendebant: tali modo orbata ſubſidio, viuis ne Luſitania? an? Meritò quidem videri potes, Eliſabetha ſuperſtite vixiſſe pariter; intereunte pariter interiiſſe.

Erepta Regina quæ Luſitania ſuperfuerint calamitates.

Intereunte Regina & noſtra interyt Luſitania.

50. Sed colligite animos AA. iterum obſecro colligite. Si Eliſabetha, dum regnauit apud Luſitanos, miſeriam huius regni felicitate commutauit: quis dubitat eandem, dum triumphat apud ſuperos, eidem malo idem præſidium allaturam? Quare quanta maxima poſſum contentione vos obſecro, & obteſtor, vt nulla pietatis, ac religionis officia aduersùs ſanctiſſimam Reginam deſeratis; hanc amate, res ipſa monet: ad hanc confugite, calamitoſa tempora ſuadent: huius memoriam veſtris animis hærentem ſtudioſè colite, ægra ac penè depoſita Reſpublica adhortatur, faceſſat ab animis impietas, ab vrbe ſcelera exigantur, in toto regno peccandi licentia comprimatur: auitæ pietatis inſtituta renouentur: meam interpono fidem, ſi qua eſt, Eliſabetham curas veſtras diligentius, quàm vos ipſos curaturam. Quod quo minus dubitetis ita reor, ita iudico, triplex ille turbo ſuperiori anno tota Luſitania debacchatus, quorum vnus ſalubritatem aëris inuaſit; alter camporum fertilitatem interclusit; tertius regni pacem labefactum iri infeliciter portendit, ſanctiſſimæ Eliſabethæ patrocinio conquieuit. Et ne vlteriùs dicendo, veſtram audiendi patientiam obtundam, Eliſabethæ, gratia apud Deum ſingulari, hic nobis ſerena luce clarior illuxit dies, in quo Solem mundo, aſtra cælo, auris temperiem, ægris vitam, terris fruges, regno pacem, templis cultum, foro leges, vrbi animam, gymnaſiis decorem, homines hominibus, denique noſmetipſos nobis reſtitutos eſſe mutuis officiis gratulamur.

Religionem erga ſanctiſſimam Reginã commendat.

ORATIO III.

De eadem Eliſabetha Luſitaniæ Regina.

ARGVMENTVM.

Prodit ſecundò Eliſabethæ Orator nobiliſſimus, ſecundus verò auſpiciis. Reginam ſuã cum Regum Magorum aſtro aptè componit: benignum veluti, ac ſalutare in Luſitaniam ſydus in demonſtratiuo genere eã prædicat. Regni euerſionem à vitiis illatã, & eiuſdem reſtaurationem à Regina factam proſequitur: deſtructum, & extructum opus luculentus commendat. Tandem Eliſabethæ erga religioſos ordines extollit liberalitatem, in qua prioribus Luſitaniæ Regibus ſingulare extitit ornamentum, & poſterioribus immortale documentum.

ANno ante ſuperiorem ſanctiſſimæ Eliſabe- 51,
thæ laudes ex me, ſi non ornatè compoſitas, certè quantum valui exculptas, audiuiſtis. Præbuit mihi argumentum nubes illa in ſpeciem columnæ conformata, quæ Hebræos ab Ægyptia ſeruitute liberatos, ad beatam vſque Palæſtinæ regionem inſtar ducis anteiuit. Vt enim illa à calamitoſo ſtatu ſeruitutis ad felicem conditionem libertatis, Hebræorum exercitum transduxit: ita oſtendi Auguſtiſſimæ Reginæ beneficio Luſitaniam ab ea calamitate, in qua penè depoſita iacebat, ad eam felicitatem, in qua poſtea diu floruit, excitatam. Hæc tunc ita fuerunt. Verùm idem mihi dicendi, idem vobis audiendi labor, hoc ineunte Ianuario contingit. Quid noui à me dicendum expectatis? vllo verborum ambitu, ne vos teneam, accipite quò vadant in hodierna actione rationes meæ. Dicam Eliſabetham, non iam veluti columnam Hebræorum, ducem nobis ad humanam felicitatem præcucurriſſe, ſed veluti ſtellam Magorum antiſtitam nobis ad diuinam felicitatem præuolaſſe. Quorſum eam iam tenetis. Antequam rem agam, quæſo illius naturam aſtri, quod Regibus præluxit, cogitetis; non dubito, quin vobis expreſſum Eliſabethæ ſimulachrum videatur: illud aſtrum non vt cætera, quæ ab occaſu in ortum rapiuntur, ab ortu potius ferebatur in occaſum; Eliſabetha, non vt cæteræ Reginæ, quæ tenebras fugiunt, lucem amant: receſſus deſerunt, ambiunt ſpectacula: detrimenta gloriæ verentur, ornamenta laudis aucupantur: non, inquam, vt cæteræ Reginæ, Eliſabetha honores fugere, diuitias ſpernere, hominum theatra euitare, imperandi maieſtatem faſtidire: ad latebras, ad ſolitudines, ad rerum omnium, quæ vllo ſunt in pretio, deſpicientiam, ſua ſponte, ſuo motu, properare. Illud aſtrum non vt cætera, quæ alterna viciſſitudine occidunt, & naſcuntur, die, noctéque ſemper lucidum, ſemper ſplendidum viſebatur. Eliſabetha non vt cæteræ Reginæ, fortunæ ludibria, inconſtantiæ ſimulacra; quæ iam florent, iam marceſcunt; iam humiles, iam ſuperbæ; iam placidæ, iam immites; non, inquam, vt ceteræ Reginæ Eliſabetha. In aduerſis ſemper conſtans, in proſperis ſemper temperans, in periculis

Regina cum Regum Magorum aſtro confertur.

Præfertur illi Magorum aſtro.

culis ſemper prouida, in laboribus ſemper impigra, in calumniis ſemper patiens, in laudibus ſemper verecunda, in omnibus nunquam alia, ſemper eadem. Illud aſtrum non vt Aquilonares vrſæ ſingulæ ſingularum præſides regionum, quarum

——regit altera Graias,
Altera Sidonias, vtraque ſicca rates,

tribus Regibus dux itineris, anteceſſit, in quibus
Anſelm. credit Anſelmus, totam Aſiam, totam Africam, totã Europam, orbem deniq; totum adumbratum. Eliſabetha, non vt cæteræ Reginæ, quæ exiguis incluſæ terminis regionum, paucis dominantur, conſulunt paucioribus, pauciſſimis aditum in cælum moliuntur; non, inquam, vt ceteræ Reginæ Eliſabetha. Aderat Hiſpanis, præſtò erat Aragoniis; conſulebat Luſitanis, Africanis prouidebat; Aſiaticis miniſtrabat, Europæis anteibat, omnibus ſuam operam, ſuum patrocinium omnibus ad æternæ beatitatem vitæ impendebat. Vultis vt hoc vltimum clariùs oſtendam, & apertiùs? Imò in ea re, ſi placet, reliquam orationem collocabo, de aſtro nihil vlteriùs dicturus! Ita iudico, ita ſentio, ita ſi quid dicendo valeo, conuincam nullam eſſe gentem tam vecordem, nullam nationem tam incultam, nullum genus hominum tam ferreum, cui ſanctiſſima Eliſabetha, in mortem lucentis aſtri non præiuerit ad ſalutem. Sed illuſtrior vt excurrat oratio, tria in capita conferetur. Date aures, Eliſabetha magnum ſiue aſtrum, ſiue ſignum, ſiue totius pro-
Regina Ethnicis præiuit ad fidem. digium naturæ, Ethnicis præiuit ad fidem, Chriſtianis ad legis obſeruantiam præcucurrit, Religioſis hominibus, ad virtutum omnium exaggeratam celſitatem prænolauit. Præiuiſſe Ethnicis ad fidem iam accipite.

52. Certum eſt, quo tempore ingruentium laborum mole, vera fides periclitatur, ſemper nouum aliquod præſidium à Deo comparari, quo ab his periculis liberetur; ita nimirum, vt ſi per falſa dogmata fiat impetus, per vera argumenta retun-
Deus contrario contrarius repellit. dantur; ſi per arma validior impreſſio, per arma quoque acerrimè propulſetur; ſi per viuendi licentiam audaciſſimi incurſus, per viuendi conti-
Chryſoſt. nentiam conſtantiſſimè reprimantur; atque ita, teſte Chryſoſtomo, victoriæ corona per contra-
Chaldæis adſcripta Aſtrologia. ria fabrefacta glorioſior eſfloreſcat: ſingula ſingulis confirmo teſtimoniis. Inter Chaldæos primos Aſtrologiæ parentes, vana ſuperſtitio orta eſt, quæ cælo atque aſtris diuinitatem affingebat; tam leuis & inanis opinatio, ad alios atque alios transfuſa Deorum multitudinem inuexit, veram fidem ſepeliuit, vnius Numinis notitiam, vel ab ipſa natura, hominum mentibus impreſſam, abdicauit. Quæ res naſcentem falſitatem premeret, ſerpentem latiùs refrænaret, latiſſimè dominantem coërceret? Vnum Deus Opt. Max. exhibet,
Abrahamus. & in totum orbem peregrinatum mittit Abrahamum, vt Aſtrologus, cùm eſſet peritiſſimus, ſyderúmque naturas exploratiſſimas haberet, vbique gentium palàm faceret, illos aſtrorum ignes
Niſſen. Deos non eſſe, ſed potiùs, vt Niſſenus philoſophatur Gregorius, præeuntes faces, quibus æterna, diuinaque natura monſtraretur; itaque quæ fides per aſtrorum ſcientiam exciderat, per aſtrorum ſcientiam, Deo auſpice, inſtauratur.

53. *Hieroſolymæ exeidium.* Vnicum in terris veræ fidei, ac religionis municipium Hieroſolymam, Babylonius quondam Imperator armata manu obſedit, crebris impreſſionibus inuaſit, miſerabili ruina expugnauit. Quis orator illius calamitatem vrbis lamentetur? Rex effoſſis oculis abducitur, ingreſſurus quidem, non viſurus Babylonem, milites lautioribus exuti veſtibus ferreas induti in catenas, acerbiſſimum in exilium ablegantur, cadauera paſſim inhumata, trunca manibus, deformia vulneribus, feris, auibúſque voranda relinquuntur. Quid plura? Auguſtiſſimum delubrum veræ fidei ſacrarium, veræ religionis domicilium, cæca temeritate violatur: rumpuntur clauſtra, perfringuntur fores, denudantur aræ, menſæ ex auro ſolido, prægraues, phialæ inſertis gemmis pellucentes candelabra opere mirabili perfecta, trabeæ, infulæ, tiaræ, & ſi qua ſunt alia ſacræ ſupellectilis ornamenta, omnia auferuntur, quidquid reliquum erat tecti, parietum, ſignorum, columnarum; totum id ſubiectis facibus conflagrauit. Quis non crederet, in tanta armorum procella, de fide, de pietate, de vnius reuerentia Numinis actum eſſe? Sed videte diuinam ſapientiam, humanæ temeritati ſingulariter obiectam. Eo ipſo die, quo hæc geruntur, Dei conſilio factum eſt, vt Darius, tanti ſceleris vltor in lucem ederetur. Qui vbi
primum in maturam ætatem adoleuit, Babylo- *Babylonis euerſio.*
nem repentinus aggreditur, muros diruit, euertit domos, obtruncat Regem, in pœnas exigit oppidanos, fertiliſſimæ vrbis ſolum ferro, flammáque depopulatur, itavt neque ſationi aptum, neque paſtioni vtile, neque habitationi opportunum, vnquam amplius videretur; vnum extitit illius vrbis monumentum ad memoriam omnium ſempiternam: intra deſidentis terræ labes (vatem conſulite Eſaiam) nocturna neſcio quæ ſpectra, laruæ, Styges, lemures antiquæ ſuperſtitionis teſtes, recentis calamitatis indices, die noctéque fremebant, ſæuiebant, vlulabant. Neque multò pòſt Cyrus Darij nepos ex ſorore, Hebræorum
reliquias iamiam interituras, liberas abire iuſſit, *Cyri erga Iudæos pietas.*
quæ de integro vrbem ponunt, ciues colligunt, fanum extruunt, & religione, & ſanctitate, & opulentia antiquo illi præferendum. Ita quam fidem armorum vis labefactauerat, tandem armorum vis in priſtinam ſanctitatem reparauit.

Atrocius bellum illud extitit, quo ſæpius audiuiſtis, à Rege Hebræorum ſeptimo Achabo ve- 54.
ram religionem laceſſitam: in quo non armis, *Regis Achab. effrænis licentia.*
non argumentis, ſed peſſimis moribus agebatur. Regi ad libidinem effuſo, ad incuriam licenti, ad impietatem temerario, ad omne vitiorum genus præeunti, imperitum vulgus ſeruiebat: pudor aberat, aderat impudentia, regnabat iniuſtitia, innocentia exulabat; graſſabantur vitia, virtutes peregrinabantur. Quò exiſtimatis tot ſcelerum cohortes tetendiſſe? Omnes ad veram fidem, non dico obſeruandam, ſed expugnandam facto agmine conſpirarunt. Ergo vera religio paulatim exoleſcit: vnius Dei cultus nequiter abiuratur; belluarum ſimulachra in Deos conſecrantur, tauri, vituli, ſerpentes, Ægyptiorum, Sidoniorúmque idola, ſeu potiùs portenta palàm in luce, in oculis adoranda proponuntur. Videtis quantum vnius Principis licentia ciuium mores profligauit? Videtis quantam fidei iacturam profligati ciuium mores attulerunt? Ita eſt, V. O. ita eſt; nutat fides, ne dicam ruit, vbi mores deprauantur. Tanto malo maturè à Deo conſul-
tum eſt. Prodit è latebris Helias non lautus, non *Heliæ mira alacritas.*
ſplendidus, non armatus: cinctu horrido, nudis plantis, aperto capite promiſſis crinibus, pallenti ore, ſulcata fronte, exhauſtis viribus, nutante greſſu, effæto corpore. Deus immortalis! quæ ſpecies belluinæ propior, quàm humanæ? Veri Numinis altaria conuulſa iam, & diſſipata, iterum

rum inſtaurat; altaria Deorum vano ritu excitata demolitur: ipſos ſcelèrum artifices, ipſos ſuperſtitionum architectos, ipſos fidei deſertores, aſſertoréſque perfidiæ ad vnum omnes perdit, interimit, extinguit. Itaque quæ fides viuendi licentiâ multorum emarcuerat, eadem viuendi innocentiâ vnius, reuireſcit.

55. Quorſum tam multa oratio? dicet aliquis. Vt intelligatis fidem, quouis modo olim oppugnaretur, ſeu argumentorum, ſeu armorum, ſeu vitiorum machinamentis, ſemper ab Eliſabetha propugnatam. Fortunatiſſimum illud ſæculum, anni ducenteſimi ſupra milleſimum, nullis hæreticorum procellis calamitoſum conſequentes anni exceperunt, tot ſectis, tot hæreſibus, tot peſſimorum hominum deliramentis infelices, vt non ſolùm viderentur hæreditaſſe omnes ab orbe condito errores, ſed eoſdem magno cum incremento ad poſteram ætatem eſſe tranſmiſſuti. Quid memorem Begardos, Gualteros, Patauinos, VVicléphos, Dulciniſtas, Fratricellos? Qui omnes eo ſeculo viuentes, quid monſtri non fouerunt? Quid portenti non excluſerunt? Quid prodigij non excitarunt? quà lethale doctrinæ virus emouere; quà amentata rationum tela intorquere; quà rebus diuinis magno ſupercilio inſultare; quà imperitam plebeculam in technas, in plagas, in laqueos impedire: vbi ruſticorum aderat infantia, ibi eorum fulminabat eloquentia; vbi deerat facultas augmentandi, ibi eorum exultabat copia diſſerendi; vbi rudium hominum ignorantia ſtupebat, ibi eorum infucata ſapientia triumphabat. Eò ventum eſt, vt fides multis in locis, in quæ maiorum hæreticorum vis incubuit, prorſus occumberet. Quid Eliſabetha, vt vanam hæreticorum amentiam, vera Luſitanorum ſapientia premeret, eluderet, profligaret? In Luſitania Muſeum inſtituit literarum, (nam vt dicam ſemel ad vtilitatem omnium curandam Dionyſij Eliſabethæque conſenſus, tam fuit geminus, ſeu potiùs tam prorſus idem; vt quidquid à Dionyſio actum dicitur, meritiſſimò Eliſabethæ tribuatur.) In Luſitania (inquam) literarum inſtituit officinam, ſi auditorem ſpectes, numeroſam; ſi magiſtrum, eruditam; ſi doctrinam, ſalutarem; ſi redditus, locupletem; ſi fauorem, quo Auguſtiſſima Regina inſtar Mæcenatis adſpirabat, præ omnibus, quæ vſquam florent Academicis, fortunatam. Quæ primùm ab Henrico felicis recordationis Principe, ſapientiæ pariter alumno, & altore; ampliſſimis aucta vectigalibus; deinde à Ioanne huius nominis tertio (Regem dicam Luſitaniæ, an parentem?) exculta legibus, inſtructa diſciplinis, ornata magiſteriis, locupletata cenſibus, ad eam excreuit maieſtatem, in qua illam modò vos habetis, exteræ nationes ſuſpiciunt, celebratiſſimæ orbis Academiæ admirantur, venerantur, imitantur. Quotus ergo quiſque eſt, qui non agnoſcat quanta huius Academiæ in propaganda fide opera conſtiterit, quantus fructus? Ex hac præmiſſi multi, qui ad Aquilonares inſulas conſcenderent, qui ad Auſtralem cardinem peruaderent, qui occumbentis Solis terminos obirent, qui naſcentis regiones, quà in Sinas excurrunt, quà in Iapponios protenduntur, quà in infinita propè regna dilatantur, peragrarent. Neque iſtud ſatis, niſi illud accederet, quod eſt caput: Iidem quà ibant, in ſanos pellere errores, falſitatis excutere caliginem; veritatis aperire ſplendorem, Deorum euertere delubra, vnius Numinis erigere monumenta, ſacroſanctum fidei inſigne in domibus, in aulis, in vrbibus, in regnis victores, triumphatores collocare; meritò vt mihi videatur concini poſſe in hæc ſæcula illud Hieronymi elogium ſingulare, *Iam Beſſorum feritas & Pellitorum turba populorum, ſtridorem ſuum in dulce Crucis fregerunt melos, & totius mundi vox vna Chriſtus eſt*. Videtis, vt fidei detrimenta per hæreticorum dementiam illata, per Luſitanorum ſapientiam ſanctiſſima Eliſabetha reſarciuit.

Peſtis hæreticorum.

Eliſabetha Academiam Conimb. inſtituit.

Ioannes Rex huius nominis tertius in Luſitania.

Hieron.

56. Quæſo vt attentè audiatis, vt nefarios fidei perduelles armis fidem oppugnantes, armis inuictiſſima Iſabella debellauit. Annus agebatur huius chiliados tricenteſimus, cùm in Aſia regnare cœpit quidam Ottomanus, ſi genus attendas, nihil; ſi mores, nequam; ſi fortunam, Gyges; ſi robur, Hercules: ſi ingenium, totus, vt aiunt, ferrum & flamma. Hic rem Chriſtianam non vno modo attriuit, plurimis modis lacerauit: clam, palàm; vi, dolo, ferro, auro; terra, mari, pedes, eques; vbique, ſemper, in Chriſtianorum lanienam ſæuiebat, in fidei ruinam æſtuabat; eius in nos odium iure quodam hæreditario in poſteros tranſfuſum, quam in impudentiam non euaſit? quam in audaciam non erupit? Pannoniam afflixit, Dalmatiam oppreſſit, Cyprum abſtulit, Coronem domuit, Neapolim ſubegit, Guletam cepit, Rhodum expugnauit, totam Aſiam, totam Europam, tanquam fatale incendium corripuit: viginti, non oppida, non vrbes, ſed regna florentiſſima à Chriſtiana ditione ad imperium tranſtulit Ottomanum. Quæ res ſuperbos hoſtium animos emolliret, fractos Chriſtianorum ſpiritus reuocaret, nulla apparebat: præſertim quia ſub id tempus *templarij milites* (ita vocant) qui pro fide acriter depugnabant, multorum ſcelerum accuſati (iure ne an iniuria: Deus arbiter eſto,) omnes publicati excarnificatíque omnes infeliciter occiderunt.

Turcarum Imperator.

Templarij milites.

57. Quid Eliſabeta, vt in tot fidei periculis ſuam, ſuorúmque virtutem commendaret? Quid, vt fidem multorum telis impetitam, paucorum armis propugnatam, ſuo quoque præſidio tueretur: Vnà cum Dionyſio militarem ordinem Chriſti nomine inſtituit, primarios viros Luſitaniæ conſcribit, auget opibus, beneficiis demeretur, omnibus ſtimulis ad bellum adhortatur; ne quem ſui muneris obliuio, vllo tempore obrepat, omnium pectori affixum iubet Crucis inſigne è rubro, albóque notatum; quod intelligant eis eſſe alacri animo ſubeundum, per hoſtiles acies inferendum, in aduerſis Barbarorum mœnibus collocandum. Felix auſpicium. Ea res ita illuſtrium virorum animos accendit, vt ex tota ferme Europa perfidiæ cultores vel exigerent, vel ad exigendos ſtrenuam operam conferrent; ita inflammauit, vt non ſolùm maritimas Africæ oras, Tingitanam, Septenſem, Mazaganicam vellicarent; ſed etiam noſtro æuo aditum penetralem in Africam molirentur; & niſi nimia felicitas, quæ cætera Imperia labefactat, nobis quoque obſtitiſſet in Marrochienſi vrbe, Luſitana, ſeu potiùs Chriſtiana vexilla triumpharent. Ita denique vlteriùs prouexit, vt à bona Aſiæ parte Turcarum fæcem prohiberent, Ethnicorum ſentinam exhaurirent, hodiéque pulſis Barbaris è regno Cunnalenſi priuatis rebus vtilitatem, publicis ſalutem, Chriſtianis ornamentum, omnibus gloriam afferrent immortalem. Cernitis vt fides aliorum armis penè obruta, ſanctiſſimæ Eliſabethæ præſidiis planè reſtituta videatur?

Regina militarem Chriſti ordinem cum Dionyſio inſtituit.

Fructus equitum Chriſti.

Atten

Digitized by Google

59\. *Regina Ludouico Imperatori coætanea.*

Attendite vlteriùs, quo pacto eadem fides multorum ſceleribus conſopita, beatiſſimæ Reginæ virtutibus excitetur. Synchronos Eliſabethæ fuit quintus huius nominis Ludouicus, qui ſibi Germaniæ imperium, contrà quàm facere debuit, vſurpauit. Hic totus è ſcelere concretus, tantam in licentiam effuſus eſt, vt maximum contra Pontificem inſurgeret; adulterinum neſcio quem, pontificiam in ſedem ſubſtitueret; legitimos Præſules diœceſium excluderet; gregarios homines, & profanos inauguraret; nuptias ritè celebratas dirimeret; coniugia nullis legibus ineunda ſtabiliret; denique omne fas, omne ius inteſtino odio aboleret; omne nefas, omnem iniuriam ab Inferis quodammodo excitaret: neque priùs deſtitit ire ſe perditum, quàm illum diuina vltio, ſubito exanimatum caſu à peccandi licentia retraheret, ſubeundiſque malè factorum pœnis deuoueret. Principis malum, vt plerumque fit, in vulgus deriuatum, quid non deuoluit in deterius? Germaniam conuulſit, Galliam perterruit. Italiam oppreſſit, turbas egit, tumultus exciuit, factiones concitauit; obedientiam in Pontificem, pietatem in Superos, obſeruantiam in Deum, fidem humanam, ac diuinam labefecit, ita vt illius hæreſeos veſtigia, etiam nunc expreſſa in Germania relinquantur. Quid Eliſabetha, vt fidem imperandi libidine à Germania expulſam, patendi ſtudio in Luſitania retineret?

Ludouici Imperatoris effrænis licentia.

60\. *Eliſabetha Pontifici Maximo obedientia.*

Quid, vt perfidiam Ludouici fidelitate Dionyſij compenſaret? Imperat Summus Pontifex, illa obtemperat: prohibet, illa abſtinet: monet, illa aſſentitur: rogat, illa obſecundat: negat, illa acquieſcit: petit, illa elargitur: minatur, illa exhorreſcit: annuit, illa volat: quamlibet in partem ſe inflectit, eodem illa parendi ſtudioſiſſima incumbit. O Reginam, diuinius obtemperandi exemplum, quàm imperandi! Quid eſt, obſecro, (vos ipſos appello arbitros,) cur nulla vnquam natio fidem ſtudioſiùs coluerit, quàm Luſitania? Nam, vt nihil interim, vel de Aſia, vel Africa: fuit aliqua perfidiæ labes in Hiſpania; aliqua ad Italiam peruaſit; nonnulla Galliam corripuit; plurima Germaniam infecit; diuturna in Anglia inueterauit. Singulas percurrite Europæ nationes inuenietis è ſingulis aliquos aliquando errores pullulaſſe. Vna Luſitania ab his omnibus immunis ſemper extitit, & illæſa. Et niſi externi quidam homines patriæ diſciplinæ tenaciſſimi obſtitiſſent, neſcio quo fato ad Luſitaniam appulſi, nullus è noſtratibus de fide vnquam deſerenda cogitaret. Vnde, quæſo, hanc virtutem, hanc conſtantiam creditis defluxiſſe? Niſi ab auguſtiſſimæ Reginæ, & virtute, & conſtantia, cuius animo leuior eſſe videbatur omnium bonorum, quàm vnius fidei iactura, Hæc, vt ſummam faciam, Hæreticorum amentiam compreſſit; hæc Ethnicorum vires emolliuit; hæc perditorum hominum amentiam refrænauit; hæc vt aſtrum ſplendidiſſimum omnibus in perfidiæ pelago errantibus ad ſalutarem fidei portum, feliciter anteceſſit.

Luſitanorum fides perpetua.

Intellige Hebræos homines.

61\. *Eliſabetha Chriſtianis præiuit ad legis obſeruantiam.*

Iam vt Eliſabetha Chriſtianis, ad legis obſeruantiam, præcurrit, beneuolè, quæſo, vt feciſtis hactenus, audiatis. Hebræorum in creando Rege conſuetudo illa fuit, vt hominem in ſolio collocarent, purpura induerent, diadema capiti imponerent, vnguentis odoratiſſimis perfunderent, legis tabulas traderent in manus; tum demum, feſtiuo plauſu, ſolemnique precatu Regem appellarent, acclamarent, ſalutarent. Quorſum inter regia inſignia legis tabulæ? Vt meminerint Reges (inquit egregiè Cyprianus) ſe iniquos eſſe non debere, non exleges: imò iniquorum hominum, & exlegum ſeueriſſimos iudices, & vltores. Huius recordata muneris Eliſabetha, quid agebat? Suos omnes in ſcelerum voraginem temerè abeuntes, ad diuinæ legis obſeruantiam, quà precibus, quà minis, quà exemplis reuocabat. Dionyſius adhuc adoleſcens, neſcio quibus voluptatum illecebris delinitus, fidem tori violabat; blandimentorum veterno conſopitus diffluebat; in omnia luſtra turpitudinis præceps, ac temerarius fundebatur. Quid inde fieri neceſſe erat? Cadebant iura, ſilebant leges, creſcebant vitia, ad ſupplicia trahebantur inſontes, ad præmia vocabantur immerentes, omnia rurſum prorſum præpoſtero ordine ferebantur. Quorſum plura? Quandiu Rex in otio iacuit voluptario, tandiu militaris ardor, diſciplina bellica, dignitas priuata, authoritas communis, Luſitania omnis, virtus pariter cum illo iacuerunt. In tanto peccandi incendio, quantum fuit in Eliſabetha ſtudium reſtinguendi! Iniuriam ſibi à Rege factam, putabat nullam: factam Deo, tam grauem, tam iniquam, vt eam vita, ſi poſſet, expiaret. Ad illam expiandam fundebat lacrymas, iungebat preces, adhibebat ſacra, omnem curam, omnem operam conferebat, & ne ratione ageret cum Rege rationis exhærede, ſingulari probitatis exemplo ad meliorem mentem incitabat. Colligebat vndique adulterinam Regis ſobolem; amanter nutriebat, vt parens; liberaliter educabat, vt Regina; ſtudioſè informabat, vt magiſtra; nullo diſcrimine ſuos, alienóſque liberos habebat, vt alumna charitatis; ſemper eadem in omnes, ſemper in ſingulos ſingularis.

Hebræorum ritus in ſuis Regibus creandis.

Cypr.

Dionyſij Regis aliquando licentia.

Eliſabethæ induſtria ad extirpanda vitia.

62\. *Athaliæ facinus inſigne.*

Athaliæ facinus ſæpiùs vel audiſtis, vel legiſtis in Regum Annalibus Solymorũ: Mortuo Ochozia, imperandi libidine æſtuabat; oberat eius votis grandis nepotum multitudo, ad quos regnum iure hæreditario veniebat. Quid faceret? Quid machinaretur? Animum humanitate exuit, crudelitate induit. Quid vlteriùs? Vt abeſſent arbitri ſui ſceleris, ſolitudinem in regia aucupatur? Quid prætereà? Clam mucronem euaginat; preſſo halitu, ſuſpenſo gradu, (quò ruituram cogitatis?) pueros regios inuadit: vnum, alterum, tertium occidit: cæteri priùs metu, quàm plaga exanimes inclamant nequicquam: præſidio nemo adeſt. Sæuire pergit, vociferantes opprimit, trahit, lacerat, truncat, iugulat, carnificinam efficit omnium miſerandum. *O fœmina!* inquit Chryſoſtomus, *ô vipera! ô ceraſtes! dracone ſæuior, atrocior leone, omni exilio exitialior!* Deiicit, vt ſurgat; mactat, vt viuat; ſæuit, vt timeatur; crudeliter laniat, vt ſuperbè dominetur. Quantò mitior Eliſabetha in alienos, quàm in proprios Athalia? Stirpem illam Dionyſij non odit, amat; nõ pellit, colligit; non mactat, educat; non duriter accipit, & parcè; molliter ſuſtentat, & ſplendidè: & quamuis ſciat ſuos filios fore ſeruos, alienos Principes; ſe ancillam eſſe, alias Reginas; nihilo tamen auidior imperandi, quàm ancillandi, eadem facilitate, qua ſemper fouendi, nutriendi, ſeruiendi familiaribus officiis Luſitaniæ ſe impedit. Ea res Dionyſij mentem ita perculit, vt de ſopienda libidine, de reſtinguenda cupiditate, de vita in melius inſtauranda cogitarit. Neque vanum extitit decretum: ad extremum ſpiritum ita vixit, vt ſicut in externo Marte hoſtibus nunquam ceſſit; ita in domeſtico congreſſu vitiis nunquam ſuccubuerat.

Chryſoſt.

Eliſabetha charitas erga adulterinam Dionyſij ſobolem.

cubuerit. Videtis, vt vna Eliſabetha præcipitem in tot ſcelera Dionyſium, ad vitæ innocentiam reuocauit. O Reginam libentium morum reparatricem! O facem ad diuinæ legis cultum prælucentem! O aſtrum ad æternæ ſalutis ſtationem feliciter antegrediens!

Tull. *Plutarch.* *Damaſc.* *Regum mores populus ſequitur.*

63\. Regis vitam tam propè ciuium mores conſequuntur, vt verum illud ſit oraculum Tullianum: *Quæcumque mutatio morum in Principibus extiterit, eandem proculdubio in populo ſequuturam.* Hinc eſt, vt qui mores Principis deprauat, mores ciuiũ deprauaſſe iudicetur: non aliter (teſte Plutarcho) atque ille, qui venenum in fonte diluit, vnde ab omnibus hauritur, venenum omnibus propinat: contrà verò, qui mores Principis benè inſtruit, ciuium mores benè inſtruxiſſe videatur: non aliter, vt egregiè Damaſcenus, atque ille, qui nauis gubernatorem ſoſpitat, omnium in ſalutem nauigantium incumbit. Ergo quantam operam ſanctiſſima Eliſabetha in excolendis ciuium moribus poſuerit, palàm eſt, ex eo ſtudio, quod in Rege ad pietatem informando collocauit. Quod vnum argumentum ad hanc rem apertiſſimè oſtendendam ſatis eſſe iudicarem; niſi Eliſabetha ad omnium ſalutem procurandam plures vias, plures rationes ſuſcepiſſet.

Regina filiũ cum patre conciliat. *Alphonſus, Dionyſij filius.* *Eliſabetha Luſitania medetur.*

64\. Cogitate ergo cum animis veſtris omnes homines, Principes, Dynaſtas, municipes, plebicolas, viros, fœminas, infantes, cuiuſque ordinis, cuiuſque ætatis, cuiuſque fortunæ Luſitanos: quidquid hactenus dixi, indictum volo, præceps dixi; ſi vel vnicus occurrat, cuius de ſalute tantula incuria ſanctiſſima hæſerit in Regina. Alphonſus in parentem impius, in germanos iracundus, in cognatos bellicoſus, in domeſticos iniurius, in exteros fraudulentus, in Rempublicam peſtis, & incendium; quid mali non aggreſſus? quid flagitij non auſus? iuueniliter exultantem ita ſubigit, ita frænat, ita emollit Eliſabetha, vt in gratiam redeat cum parente, in amicitiam cum germanis, in pacem cum cognatis, in beneuolentiam cum domeſticis, in fidem cum externis, debitum cum Republica in amorem. Viri Principes nonnulli, ſuis opibus, ſuæ famæ, ſuæ vitæ perperam conſulentes, immodico luxu decoquere, inteſtinis odiis diſſidere, nefariis cupiditatibus deflagrare. Singulos hortatur Eliſabetha: quod quiſque medicamentum exigebat, adhibet ſalutare. Quid factura? Ille ad parſimoniam redit, ille ad placabilitatem reducitur, ille ad honeſtatem reuocatur. Omnes, viuendi libertate valere iuſſa, intra leges, à ſanctiſſima Eliſabetha præſcriptas, continentur. Homunculi in Republica multi aderant extremam præcipites in dementiã, ad quam ſua quemque penuria compellebat: quidam clependo victitabant, quidam fallacias conſtruendo, quidam ſuam operam ad quælibet maleficia præſtando: ſi quis erat tam ſordidis vitæ præſidiis deſtitutus, vel laqueo frangebat gulam, vel præcipitem ſe agebat in torrentem, vel adacto mucrone intima præcordia lancinabat. Quid Eliſabetha? In ſingulas vrbes, in ſingulos vicos, in ſingulas domos, diligenter inquirit: ſi quem vſpiam nanciſcitur, qui nefario quæſtu vitam alat, caſtigat, vt par eſt, & miſerum lucellum largioribus opibus compenſat: ſi quem, qui voluntarium interitum laborioſæ vitæ anteferat, inopiam telum ingens, ſubrogata pecunia morituro è manibus extorquet. In quibuſdam Luſitaniæ oppidulis degebant homines barbari, ſylueſtres & ferini, ſine lege, ſine cultu, ſine templo, ſine curia, ſine vllo Antiſtite ſacrorum; ipſa eos ignoratio, vt malitia abeſſet, multa in ſcelera deprimebat. Rem nouit Eliſabetha: templa collocat, Curiones præficit, leges præſcribit: iacentem erigit pietatem, intermortuam ſuſcitat religionem, omnium iam penè deploratam diligenter excubat in ſalutem. Conimbricæ in extremo ponte, quem terni, bini, ſinguli, animi gratia frequentatis, versùs auſtrale latus, fuit quondam locus, domicilium turpitudinis, caſtellum impuritatis, proſtibulum impudentiæ, in quo fœminę profligatis moribus gregatim morabantur. Quæ in illum ſordes vitiorum, tanquam in ſentinam ciuitatis vndique confluxerint, neque meum eſt dicere, neque veſtrum eſt audire: cuiuſque tamen eſt facile ſuſpicari. Dolet Eliſabetha, tantam Reipublicæ voraginem patefactam, quam ſemper oppilatam omnibus volebat. Quid faciat? perpurgat locum, excludit incolas, riualium riuulos auertit; & ne vnquam vitiorum ſemina renaſcantur, pangit ſingularium lilia virtutum; ibidem enim Parthenoni D. Claræ ſuis ipſa manibus iacit fundamenta; vt in quo anteà loco dumeta turpitudinis inhorruerant, in eodem poſteà germina efflorescerent caſtitatis. Pueri recens nati, vel inopiæ, vel infamiæ cauſa, paſſim olim exponebantur: qui à nemine ſuſcepti vel decedebant, quod timendum eſt, non expiati; vel illiberaliter nutriti, licentia potiùs quàm ætate adoleſcebant. Horum, ſeu viuentium, ſeu morientium periculo longè maximo conſulit Eliſabetha diligenter: duplex conſtituit hoſpitium paruulorum, Leirienſe alterum, alterum Scalabitanum: in vtrumque redditibus amplis optimas quaſque deligit expoſititiis infantulis nutrices, vt cum lacte bonos mores ſugant, qui in nullo ætatis flexu, vnquam dilabantur, ſemper illibati conſeruentur. Videtis, vt nemo in Luſitania vnquam fuerit ſummus, infimus; diues, pauper; ignarus, rudis; vir, fœmina; ſenex, infans; quem Eliſabetha ad morum probitatem non informarit? O Reginam! Sed excurro longiùs, quàm par eſt.

Eliſabetha ſcelerum ſentinam publicam euertit. *Eliſabetha ſuis manibus Parthenoni D. Claræ cæmenta iecit.* *Regina duplex conſtituit hoſpitiũ paruulorum.*

65\. Ad vos mea ſe conuertit oratio, Religionis inclytæ corona, *melior portio gregis Chriſti*, vt appellat Cyprianus: *Ciuitas in terra cæleſtis*, vt Chryſoſtomus: *Perpetuum inter homines miraculum*, vt Bernardus. Vobis omnibus, ad ſanctitatis faſtigium ſanctiſſima Eliſabetha præuolauit. Imitari vultis in Regina regiæ contemptum dignitatis? Vix ad Superos euolarat Dionyſius, cùm iam Eliſabetha regiam à ſe abdicat ſupellectilem; pretioſam veſtem altaribus conſecrat veſtiendis; criſpantes mitellas, coronandis Diuorum ſimulacris, pellucentes gemmas, diſtinguendis ſacrorum Antiſtitum indumentis; aureos, argenteóſque torques, ſignis templorum fabricandis: ipſa lacera, pannoſa, ſcrutaria, exiguam in domunculam, ſeu paruulum abdita in ſepulcrum,

Cypr. *Chryſoſt.* *Bernard.* *Virginum encomia.*

Sepſit ſe tectis, rerúmque reliquit habenas.

Quæritis in Eliſabetha victus temperantiam? Neſciebat delicatiſſima Regina lautiores epulas, à vilioribus etiam abſtinebat. Quotam anni partem? Integrum annum in quatuor partes diuidite; putate, ac diſputate rationes: vix vnam inuenietis ieiunio vacuam abiiſſe. At cœnæ non erant admodum terreſtres; neque *ſine ſanguine*, vt aiunt. Quid in cibum adhibebat? Panem. Quid deinde? Aquam. Quid vlteriùs? Nihil. Nihil? Dixi. Tres integras anni partes? Integras Regina Luſitaniæ? Regina. Superſtite Dionyſio? Superſtite. Inter conditiſſimas dapes? Sanè. Inter regios miſſus ferculorum?

Regalem cultum exuit Regina. *Regina parſimonia.*

Verum.

Digitized by Google

Verum. Inter pollucibiles conuiuiorum apparatus? Tantundem. O rem nouam! ô miraculum! ô prodigium! Ego quidem quoties de hac ra per hoſce dies cogitabam, ita commouebar animo, vt mei memetipſum pœniteret, cui nouerim tanto interuallo Reginam præiuiſſe, quæ ſi vitæ ratio attendatur, fas erat, vt maioribus diſiuncta ſpatiis ſequeretur. In regali opulentia religioſam miramini Eliſabethæ paupertatem. Quæſo, mihi vacate, dum rem eloquor ſæpè auditam, nunquam ſatis cogitatam.

Authoris religio.

Regina peregrinatio.

Ineunte anno, quo in vrbem D. Iacobi ſe infundit omne peregrinorum genus, cōparat ſe Eliſabetha in eandem vrbem profectura? Qua ætate creditis? Sexagenaria. Qua valetudine? Incommoda. Quibus viribus? Exhauſtis. Quo tempore? Hyberno, vt exiſtimo. Quo ſatellitum præſidio? Nullo. Quanta viarum longitudine? Vltra ducenta millia paſſuum. Quàm magnifico inuecta curru? Pedes, arundineo ſubnixa baculo. Quo viatico? Illo, quod vicatim, oſtiatim mendicando colligebat. O rem iterum nouam! Reginam in publico ſolitariam! Reginam in itinere pedeſtrem! Reginam in ſuo regno mendicantem! Talem fabulam quis audiuit? Pulſabat Regina Luſitaniæ longè auguſtiſſima ter, quater pauperum tabernas: tantulam ſtipem, Numinis in gratiam, flagitabat: aliquando obolum, teruncium, panis fruſtulum; aliquando minas, iniurias, ſuperba dicta referebat: priorem ſtipem recondebat in pera; poſteriorem conſeruabat in corde: illam communem cum aliis mendiculis faciebat; hanc ſibi propriam, ſibi debitam eſſe iudicabat. Quid eſt paupertatem colere, ſi hoc non eſt? Compoſtellam ingreſſa, templum adit: & quæ olim in eo planè regia ſacrauerat anathemata; nunc mendicula ſolam exhibet paupertatem. Templo egreſſa, vrbe vagatur mendicando, & quæ ſibi victus non ſatis collegit, de demenſo ſuo, ſui ſemper ſimilis, pauperibus elargitur. Locum, in quo diuerſetur, nullum habet, quæ hoſpitio excipiebat liberali peregrinos, & ſuas cæteris ad cauponas confluentibus, ſola in gurguſtio Regina Luſitaniæ delitescit. O rem, qualem eſſe dicam haud ſcio: credite, dicere vlteriùs vix poſſum, obſtupeſco. *Paula,* inquit Hieronymus, cùm de ea loqueretur, quæ Roma peregrinata Hieroſolymam, Bethlehemiticum ſeſe abdidit in receſſum; *Paula* (inquit) *quæ vnius vrbis contempſit gloriam, totius orbis opinione celebratur; & quam Roma habitantem nullus extra Romam nouerat, latentem in Bethlehem, & barbara & Romana terra miratur.* O Eliſabetham, quò Paula digniorem, eò Paula mirabiliorem. Tui te Luſitani obſeruant: totus te orbis peregrinam ſuſcipit, obſeruat, veneratur.

Regina oſtiatim mendicabat.

Regina paupertas admiranda.

Hieron.

66\. Facile dictu erat, virtutem eſſe nullam, cuius Eliſabetha religioſis hominibus exemplum non reliquerit ſingulare. Verùm ad eam pietatem feſtinat oratio, qua ſacras Deo Familias fouit, aluit, complexa eſt: vt quæ, Reginæ ſine curis eſſe non poterat, ſaltem Religionum alumnis viam curis liberam in cælum expediret. Mitto, quos ædificauit Parthenones, quæ pomaria circumiecit, quas diuitias impendit, quibus ornamentis expoliuit. Certum eſt, nullum fuiſſe in Luſitania religioſorum hominum, fœminarúmve Conuentum, quem Eliſabetha non ſuſceperit maioribus in dies beneficiis excolendum. Si quem res frumentaria defecerat, tribuebat; ſi quotidiana alimenta, ſuppeditabat: ſi domeſtica ſupellex, conferebat: ſi veſtitus ratio, donabat: ſi in ſumptus ordinarios pecunia, ſoluebat; ſi ægrotantium præſidia, miniſtrabat: ſi veſtis ſacra, ſi pictæ tabulæ, ſi aurea, argenteáve ſigna, ſi conchyliata tapetia, ſi belluata periſtromata, ſi quid in vſus priuatos, in communes, in ſacros, in profanos, omnia plenis, vt aiunt, manibus liberaliter effundebat. Hanc beneuolentiam ſanctiſſima Eliſabetha hæreditauit à maioribus, & poſteris delegauit. Nam Luſitaniæ omnes Reges in ſactis Deo Familiis promouendis, tantam operam poſuerunt, quantam (dico liberè) nulli externi Reges collocarunt.

Regina erga religioſos Ordines munificentia.

Replicate animo religioſos Ordines, quotquot in Luſitania à prima huius regni conditione floreſcunt: ne vnum quidem inuenietis, in quo expreſsè non appareant regiæ liberalitatis monumenta. 67. Antiquiſſimus ille, qui ſacro militat ſub nomine Benedicti in ſolitudine, in receſſu, ab hominum commercio ſeuocatus, Alphonſum primum Luſitaniæ Regem, vt parentem, veneratur: qui, cùm centum quinquaginta Cœnobia in Luſitania erexerit, plurima regione Interamni huic Ordini adſcripſit. Ille, qui ſanctiſſimi Bernardi doctrinam hauſit, moréſque expreſſit, eundem nouit Alphonſum ſuæ gentis auſpicem, & patronum, qui victoria de Saraceno parta, Alcobaciæ (ita vocant) illam domum extruxit è quadrato lapide ſingularem, cenſu diuitem, opere viſendam, magnitudine auguſtam, incolarum numero tam frequentem, vt ſemper alij atque alij per vices canendo in orbem ire dicerentur; cùm non poſſet tam ingens multitudo, ſimul omnis, idem in officium conuenire. Duas illas Auguſtini Familias longè clariſſimas, Canonicorum, & Eremitarum, quanto ſtudio Luſitani Reges curauerunt? Canonicis in hac vrbe primus excitauit Alphonſus Ædem illam, Crucis nomine inſignitam, religione plenam, ſitu amplam, fontibus irriguam, tantis opibus abundantem, vt Antiſtiti illius Theotonio, vrbem integram, Leiriam, nuper ab hoſtium receptam poteſtate, tradiderit poſſidendam. Eremitas, qui, ſeu vitam, ſeu doctrinam ſpectetis, referunt, ſine dubio, in terris viuens parentis ſui Auguſtini ſimulacrum, Ioannes tertius ita fouit, vt tres clariſſimas vrbes Luſitaniæ, Olyſiponem, Eboram, Conimbricam, tribus clariſſimis huius Ordinis Cœnobiis illuſtrarit. Venio ad illa duo Orbis lumina, Dominicanis, Franciſcaníſque legibus prænitentia. Dominici alumnos probitatis doctrinæq; ſtudiis florentiſſimos, Ioannes primus ita coluit, vt parta illa victoria de finitimis hoſtibus memorabili, templum illis collocarit, cui à prælio nomen eſt tam clarum, tam elegans, tam magnificum, vt multi, ſeu in patriam ituri, ſeu in Academiam redituri, ad illud inuiſendum confluatis, tam fortaſſe curioſi, quàm, vt videre par eſt, religioſi. Numeroſa illa ſoboles Franciſci ſua diues paupertate, ſua ſterilitate fœcunda, quantum in Luſitanis Regibus præſidium inuenit? Nam, vt omittam cætera, Cœnobium Olyſiponenſe, Eborenſe, Conimbricenſe, Leirienſe, Portuenſe, Alphonſus, Dionyſius, Emmanuel, Ioannes, & ſi qui ſunt alij, collocarunt. Ille Ordo iam inde à Carmelo monte in Orbe propagatus, ſeu Eliam, ſeu quem alium præſtantiſſimum Heroa inuenerit conditorem; cùm ab aliis, tum à Ioanne tertio fatetur præclara ſe beneficia accepiſſe, qui non ſolùm prouinciam recoxit, & expoliuit vniuerſam; ſed etiam Conimbricæ illi Collegio autor fuit, quod nuper fani pulcherrimi acceſſu toti vrbi non exiguam

Alphonſus primus Luſitaniæ Rex 150. Cœnobia condidit.

Ordo D. Bened.

Ordo D. Bern.

Ordo D. Auguſtini duplex in Luſitania.

Cœnobium S. Crucis Conimbricæ.

Ioannes tertius Luſitaniæ Rex.

Ordo D. Dominici.

Ioannes primus Luſitaniæ Rex.

Ordo D. Franciſci.

Reges Luſitaniæ erga religioſos Ordines.

Ordo Carmelitarum.

Mendoça Viridarium. R conciliat

Ordo ſanctiſſimæ Triados.

conciliat venuſtatem. Illa,quæ ſacroſanctæ Triados cognomine illuſtratur. Familia auguſtiſſima, tertio Alphonſo multùm debet, qui primariam eius domum Olyſipone conſtitutam reddidit ampliorem: plurimùm Ioanni, qui ſingula eius Ordinis domicilia ad auitæ obſeruantiam ſanctitatis, non exiguis decorauit ornamentis.

Ordo ſancti Ioannis.

Illi, qui cæruleo cinctu cælorum referunt,& eximia charitate in ægrotos parentis ſui Ioannis charitatem in Deum imitantur, quintum huius nominis Alphonſum, Eliſabetámque vxorem ſui Ordinis patronos amplectuntur; quorum opera effectum, vt Olyſiponis in ſuburbio, prope Tagum,pulchra illa Domus à vicino ſacello Benedicti nuncupata, ampliſſimis vectigalibus donaretur.

Ordo D. Hieronymi.

68. Quid verò illi, Hieronymo duce, ſanctiſſimæ Profeſſores diſciplinæ? Primas opes ab India exportatas eò contulit Emmanuel, vt in primo oſtio Tagi templum poneret,Luſitanorum Mauſoleis in primis nobile, magnæ Matris auſpiciis erectum,Hieronymi alumnis, quos in oculis habebat,conſecratum: vt,quæ inde naues ſoluerent in Indiam, ſanctiſſimis virorum precibus potiùs, quàm ſecundis à tergo ventis nauigarent.

Ordo Equitum Chriſti.

Militaris ordo Chriſti Equitum, non minùs olim ad ſtrenuè pugnandum, quàm modò ad ſanctiſſimè viuendum comparatus, quid à Luſitaniæ Regibus non accepit? Dionyſius, & Eliſabetha condiderunt: Emmanuel auxit, exornauit: Ioannes ſingula attulit incrementa: conſequentes omnes Reges, non ſolùm huius Ordinis cultores extiterunt, ſed etiam Profeſſores.

Ordo Societatis Ieſu.

Huc iam ades, inter ſacrasDeo Familias dignitate minima,meritis nouiſſima, antiquitate poſtrema; omnium tamen æmula ſtudioſiſſima virtutum. Huc iam ades, ô Societas, & quæ à Luſitanis Regibus beneficia acceperis, ne loquare. Ipſa Olyſipo, ipſa Ebora, ipſa Conimbrica,ipſa Luſitania,ipſe Orbis,quantus quantus ille eſt, ipſe eloquatur. Luſitani Reges illi ſunt,qui te exceperunt naſcentem, crexerunt reptantem, vbique gentium ſuſtentatũt adoleſcentem. Illi Regum primi omnium te euocarunt ab Italia,fouerunt in Luſitania,ad Indos, ad Sinas,ad Iaponios propagarunt. Illi duplicem tibi Olyſipone Domum, nobilem Eboræ Academiam,amplum Conimbricæ Collegium tradiderunt. Illi tuum ſtudium ad informandam iuuentutem, tuam operam ad bonos mores inducendos, tuum laborem ad extremas mundi plagas fidei lumine illuſtrandas comprobarunt. Illi tot in te beneficia contulerunt, vt ea,quæ mirantur homines, à regia liberalitate profecta, (ſunt autem maxima;) tamen ſi cum aliis,quorum ſumus ipſi conſcij, comparentur, in minima acceptorum parte mihi reponenda eſſe videantur. Denique, quidquid ſumus, ſeu pietate apud Deum, ſeu authoritate apud homines,(quod quàm ſit exiguum nouimus vniuerſi;) quidquid tamen ſumus proximè, & ſecundùm Deum, Luſitaniæ Regibus acceptum gratulamur. Videtis hoc ſtudium clariſſimorum Regum? At omnium liberalitatem, ſanctiſſimæ Eliſabethæ non exæquauit tantùm, ſed etiam ſuperauit liberalitas: quæ prioribus Regibus ornamentum addidit ſingulare, poſterioribus reliquit immortale.

Reginæ liberalitas.

Hæc, vt iam vos labore ſoluam audiendi, apud Ethnicos fidem extulit, hæc apud Chriſtianos legis obſeruantiam ſtabiliuit: hæc apud Religioſos ſanctitatis ſtudium erexit; hæc apud omnes veræ felicitatis ſtudium excitauit: hac duce, vera fides propagabitur, boni mores excolentur, perfectiſſimæ virtutes eſfloreſcent, germana in terris felicitas triumphabit: ita vt, ſi aliquantulùm de humana beatitudine decidatur, ſperetur multò certiùs diuina.

Oratio IV.

Pro auſpicando philoſophici pulueris curriculo.

Argvmentvm.

Habes Dialecticam,& diſtricto ferri mucrone, & vernanti roſarum cultu horridam pariter,& amœnam: habes potiùs orationem(audeo dicere) felici Cherubini illius excultam ingenio. Enimverò Cherubinus ille,qui pro foribus beati illius nemoris excubuit,in orationis adducitur argumentũ. Quid gratius? quid venuſtius? Cherubinũ, ſi nominis etymon exquiras, picturatum, ſeu figuratum agnoſces: ita reddit Dialectica cultores ſuos, politiſſima arte depictos, pulchris imaginibus inſculptos, eximiis cælaturis variegatos: quid plura? Cherubinos reddit. Iam verò quid portendit verſatilis ille gladius, quo Cherubinus armatur, ne qua fiat hoſtilis impreſſio in loc tranquillæ felicitatis? Certè Dialectica ſapientes viros obarmat,ne qui præcipites per ſummam inſolentiam in ſacræ Religionis domicilium audeant irrumpere. En Oratoris ſcopus: hunc(fas eſt) ingredere Paradiſum: ne gladius deterreat, manibus cape,anceps eſt. 69.

CHerubinos ancipiti gladio armatos in primo aditu terreſtris Paradiſi collocauit mundi opifex, & molitor Deus; vt hominem à loco beatæ amœnitatis exulantem cæleſtium militum circumfuſa acies perterreret, ne eodem, vnde impudenter exciderat, audaciùs remigraret. 70.

Auguſt. Dionyſius.

Quid figuratè Paradiſus, quid item Cherubini myſtologicè repræſentent, duo acutiſſimi Theologi, Auguſtinus ac Dionyſius, meam in ſententiam prodidère. Paradiſus deliciarum fertilis, ſi Auguſtinum conſulatis, Chriſtianorum cœtus eſt, virtutum floribus prædiues: Cherubini pro foribus illius fortunati nemoris excubantes,ſi vobis cum Dionyſio conueniat, ſapientes viri ſunt, qui ab Eccleſia hoſtiles Hæreticorum impetus amoliuntur. Quàm ſapienter vterque æſtimarit, palàm eſt.

Eccleſia cum terreſtri Paradiſo confertur.

Nam militantis Eccleſiæ quod fingi potuit ſimulacrum, vel forma aptius, vel colore expreſſius,vel artis lenocinio ſpirantius, quàm illud diuina ſatum manu viridarium? Ille hortus, (ita quondã Ephrem exiſtimauit,) magnitudine æquabat orbem: hæc in omnes partes fuſa vbique gentium dominatur.

Ephrem.

Damaſc.

Ille, ſi creditis Damaſceno, cultore homine contentus, errantes belluas procul omnes excludebat: hæc fidelium cincta comitatu,Ethnicorum greges in exilium cogit ſempiternum.

Iren.

Ille, ſi rectè arbitratur Irenæus, ex communi terrarum eluuione vbique ſæuiente, omnia

Digitized by Google

omnia deuaſtante, ſolus euaſit illæſus, herbeſcente viriditate indutus, comante fronde opacatus: hæc Tyrannorum rabie in perniciem Chriſtianorum conſpirante, non ſolùm non emarcuit, ſed etiam vernantior adoleuit. In illo tandem, vt

Baſil.

egregiè Baſilius, puri ſine defectu Soles radiabant: in hac perpetua ſine eclipſi fides ſplendeſcit, Chriſto Seruatore annuente: *Ego rogaui pro*

Luc. 22. 32.

te, Petre, (Græco transfero ex archetypo, quæ ſequuntur,) *ne eclipſim patiatur fides tua.* At Cherubini quid potiùs, quàm expreſſa ſapientum virorum ſimulacra præferre videantur?

Cherubini, ſapientum ſimulacra.

Hieron.

Etymon, quæſo, nominis exquirite: Hebræos fontes indagate: Cherubinum (interprete Hieronymo) pictum, ſeu figuratum ſignificare agnoſcetis. Si igitur oſtendam, ſapientes viros politiſſimâ arte expictos eſſe, multis imaginibus inſculptos, eximiis cælaturis variegatos, illos cur non appellem Cherubinos? At, quid, obſecro, picturatius eſſe poteſt, quàm mens, & ratio ſapientis? Certè quemadmodum infantis mentem, artis rudem, ſcientiæ expertem, vulgus Philoſophorum appellat raſam tabulam, hoc eſt, nullis co-

Sapiens, tabula picta.

loribus imbutam: ita ſapientis animum, tanta rerum notitia illuminatum, pictam, ſeu Cherubicam tabulam, liceat appellare. Picturas quæritis? Luſtrate oculis. Ibi adeſt viridibus repræſentata pigmentis tellus ipſa, quanta, qualiſque eſt, mole ingens, ſitu diſpar, fœtu diues, nutricatione animalium ſtudioſa parens; ibi mare cæruleo colore depictum; ibi aër crocea velatus penula; ibi æther igneo fulgore candeſcens; ibi cælum errantium, & inerrantium Aſtrorum luminibus mirabili artificio cælatum. Quid plura? Ibi animalium monſtroſæ

Telluris deſcriptio.

formæ; ibi fontium gelidæ perennitates; ibi fluuiorum multiplices Mæandri; ibi gemmarum micantes oculi; ibi metallorum diuerſus fulgor; ibi arborum numeroſa proles; ibi homo rerum princeps, ac moderator cæterarum. Quæ ſigna Corinthiaca, quæ tabulæ Appellææ, quæ telæ Phrygianæ cum his imaginibus conferantur? Adde illa etiam, quæ ab artifice pingi nequeunt, cùm & corpore, & colore vacua ſint, ac nuda; illa (inquam) non ficto habitu, ſed germano; non tranſlatitio, ſed natiuo, ſapien-

Facultatum pictura.

tis in animo expreſſa inſidere. Nam Orator pictos in animo complectitur verborum ſonos; Poëta, carminum modulos; Hiſtoricus, temporum vices; Dialecticus, argumentationum formas; Mathematicus, ſyderum curſus; Phyſicus, herbarum vires; Ethicus, hominum mores; Metaphyſicus, cauſarum nexus; Theologus, τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς, quæ ſupra nos: & qui in his omnibus facultatibus excellit artifex, totus quantus eſt, totus pictus, & figuratus eſt.

71.

Iſa. 33.

Meritò vt mihi dixiſſe videatur ille diuinorum Vatum anteſignanus Iſaias, cùm de ſapiente loqueretur, *Videbit, & ſaturabitur*; ſeu, vti Hebræo continetur in exemplo, *Videbit*, hoc eſt, *ſciet, & cognoſcet.* Quid deinde? *Et mirabiliter texetur, ſeu pingetur*, quod ego ſic interpretor, non aliud eſſe ſapientis animum frui multiplici rerum cognitione, quàm ſingulari artificio totum picturati. Rem, ni fallor, haud obſcuram vlteriùs illuſtro. Mi-

Pſal. 138.

rum eſt, quantùm Regius Vates de ſua ſapientia glorietur: *Anima*, inquit, *mea cognoſcet nimis*, nam, ſiue naturæ opera, ſiue diuinæ potentiæ monumenta contemplaretur, nimium quantum cognoſcebat. Addit: *Et ſubſtantia mea in inferioribus terræ.* Haurite & hîc, obſecro, de fontibus Hebraïcis: *Acu pictus ſum,*

Singularis tapetis deſcriptio.

velut tapetum. Vidiſtis aliquando vllos tapetes mirabili varietate diſtinctos, quales Mileſij tondent, vel Seres pectunt, vel Phryges ſuunt, vel Babylonij texunt, vel Tyrij colorant; in quibus fila aurea, argentea, holoſerica, in multiplices ducta, reductáque ambages, frondeſcunt in nemora, aſſurgunt in colles, ſpatiantur in valles, lenteſcunt in frutices, rigeſcunt in cautes, liquantur in fontes, recedunt in vmbras, prominent in fulgores: quædam formantur in milites diſtrictis enſibus, cruenta fronte, anhelo pectore gladiantes: aliæ effinguntur in naues aduerſis roſtris, exploſis tormentis, eiaculatis phalaricis concurrentes: nonnulla innodantur in ceruos venatorum ſtimulis agitatos, in apros contra morſus canum ſæuientes, in leones per medias bipennes ad cædem, cruorémque hiantes: omnia tam artificioſis ductibus extrahuntur, tam ſubtilibus nodis continentur, tam occultis meatibus in quaſcumque formas implicantur, vt ingenioſior ars in imitando, quàm natura in fabricando videatur. Talia (inquam) ſtragula, tam mul-

Accommodatur ſapientibus.

ticoloribus liciis intertexta, vidiſtis aliquando? Credo ſæpiſſimè. At horum inſtar aulæorum Regij Vatis animus ſplendebat; dum in illo ſapientia viuas rerum imagines artifici penicillo efformabat. *Acu pictus ſum, velut tapetum.* Hæc, ſi placet, profanæ hiſtoriæ ſale condiantur. Ethnicorum Numina veſtibus ſim-

Deorum veſtes.

plici colore imbutis vtebantur; Mars ſanguineis, Neptunus cæruleis, Apollo aureis, Vulcanus ferrugineis, aliáque aliis, prout ſingulorum officia exigebant. Minerua, ſapientiæ præſes, vna fuit ex omnibus, quæ ſibi multicolorem cultum vendicarit: ferunt enim, eius pallam Athenis fuiſſe tali artificio picturatam, támque ſubtili ſtamine intertextam; vt quidquid bellorum vnquam contigiſſet, vna in chlamyde Mineruæ adumbratum, ſeu, vt di-

Mineruæ cultus, ſapientum ſimulacra.

cam veriùs, collocatum viſeretur. Quorſum hæc ſpectant? Planè vt oſtendant, ſapientes viros altricis ſuæ Mineruæ ingenium imitatos, rerum, quas ſciunt, imaginibus pictos eſſe, exſculptos eſſe, figuratos eſſe: quid plura? Cherubinos eſſe.

Nunc meum me dirigo ad ſcopum, in quem primùm collimauit oratio. Quemadmodum Cherubini Paradiſi aditus obſidebant, ne qua fieret hoſtilis impreſſio in locum tranquillæ felicitatis: ita ſapientes homines Eccleſiam, tanquam militari præſidio, coronant, ne qui præcipites ad audendum, ſanctiſſimæ Religionis domicilium oppugnare, ne dicam expugnare, aggrediantur. Hoc ſi quis non videt, cæcutit: ſi quis non ſentit, obdormit: ſi quis non ſapit, inſanit. Optimè Iſaias, cùm de Chriſtianæ Reipublicæ Doctoribus loqueretur, tali eos cognomento appellat, quod & cœlum ſignificet, & propugnaculum: nam, quod Vates Hebræa cecinit oratione: *Ponam iaſpidem, Soles tuos.* Interpres Latiali ſermone tranſcripſit: *Ponam iaſpidem, propugnacula tua.* Rectè quidem: nam ſapiens Sol eſt, & propugnaculum. Sol eſt, qui falſitatis tenebras diſpellit, veritatis lucem impertitur: propugnaculum eſt, quod hoſtiles impetus retundit, ciuiles animos tuetur: Sol,

72.

Sapientes, Eccleſiæ propugnaculum.

Iſa. 54.12.

Sapiens, Sol eſt.

Cyrill.

& propugnaculum. Quò mihi videtur ſacer ille Antiſtes Alexandriæ Cyrillus reſpexiſſe, cùm ait, *Sanctos Myſtagogos, pulchritudine intelligentiæ reſplendeſcentes, tanquam propugnacula impiis Sectarum inuentoribus, & ſcurrilibus Hæreticorum nugis acriter obſtitiſſe.* En illuſtratores vocat, ac defenſores. Suos, nimirum, illuſtrat ſapiens; excæcat alienos: natos alit; nothos abigit: fouet ciues; terret hoſtes: domeſticos allicit muneribus; exterios conficit vulneribus.

Cant. 1. 16.
Eccleſia florido Salomonis lecto cōparatur.

73. Mittetur fortè aliquis lectulum illum Salomonis quondam mira florum varietate coronatum: *Lectulus noſter floridus.* ſubitò mutata vice, armorum fragore circumſtrepere, militari ſatellitio ambiri, ſexaginta viris ex fortiſſimis Iſraël ad pugnam promptis, ad facinus expeditis obuallari. Quæ mutatio hæc rerum? Quid geniali toro cum Martiali puluere? Quid pacatæ familiæ cum armata cohorte? Quid florum odoribus cum ſtridoribus armorum? Rem teneo. Lectulus Eccleſia eſt, in qua ſapientes viri flores gerunt, & gladios: flores, Chriſtianorum naribus applicandos; gladios, Hæreticorum animis infigendos: dum illos placidis verbis demulcent; hos minantibus dictis exterrent. An à mea ſententia aberrat Auguſtinus? Imò eam mihi videtur expreſſiſſe, cùm ait, viros Chriſtiana ſapientia nobilitatos, quantò ſunt optabiliores Iudices in Catholicos, tantò eſſe terribiliores vindices in hæreticos. Pergite tutelares fidei patronos, ſapientes, inquam, viros, admirari. Chriſtianæ Antiſtites ſapientiæ, quaternis animalibus figurati, ſe ſe Patmæo Vati diuina myſteria contemplanti obtulêre, eo ſitu, vt & in media ſede Diuinitatis conquieſcere, & in circuitu eiuſdem ſedis excubare viderentur. Res mira! qui poterant, & ad medium conſiſtere, & ad fines dilatari; ad centrum redigi, & ad peripheriam extendi; ſedere intus, & ſtare foris; vacare in ſeceſſu, & operari in circuitu. Certè nodus eſt, quem, niſi ad myſtologicos explicatus accedatis, non ita facilè enodetis. Audite Ambroſium:

Auguſt.

Apoc. 4. 6.

Ambroſ.
Eccleſiæ Doctores.

Vtrumq; præſtant doctrinæ Principes Chriſtianæ: hærent in medio, dum pacatos Chriſtianorum cœtus virtutibus exornant; vigilant in circuitu, dum furentes Hæreticorum cateruas à nefariis incurſionibus retardant. Planè Cherubini, qui Paradiſum Eccleſiæ circumſtant, qui exitiales peſtes auertunt, qui irruentes hoſtes propulſant; qui, ne quid detrimenti fidelium cœtus patiatur, ſtrenuè præliantur. Tollite ab Eccleſia fauores Principum, non corruet; dimittite prægrandes opes, adhuc ſtabit; auferte militares vires, non expugnabitur; ſecludite illuſtres proſapias, & tunc clarebit. Vna ſi deſideretur ſapientia, quid fore creditis? Extinguetur. At hoc fieri nequit: verùm ea damna ſuſtinebit, quibus, pluſquam omnibus aliis, ſi omnia in eius perniciem conſpirent, atteratur. Contrà verò totus in Eccleſiæ ruinam coniuret Orbis, armentur in cædes Tyrannorum manus, induantur in flagitia perditorum hominum cogitatus; vna tamen non deſit ſapientia, quæ hoſtibus eat obuiam, quæ clauum gerat, quæ prouideat, quæ rem totam moderetur: timor omnis abeſto, ſapientiæ pugnatrici patebunt omnia: cœlum priùs corruet, quàm ſapientiæ vires eneruentur.

Sapientia Reipublicæ tutela.

74.
Dialectica gladius anceps.

74. Cernitis, quàm ſtrenuè ſapientes viri Chriſtianam veritatem tueantur. At, quibus armis tam acres ineunt conflictus? Planè iiſdem, quibus Cherubini vtebantur, gladio ancipiti. Gladium ancipitem, quem appellas? Certè Dialecticam. Nam gladium quis eſſe neget, cùm illa duo eloquentiæ lumina Tullius Romanus, ac Tullius Chriſtianus (ita nomino cum Hieronymo Lactantium) Dialecticam gladij nomine ſignificandam putent? Ille enim, cùm de Epicuro loqueretur, artis Dialecticæ planè rudi, & imperito, inermem, ſiue gladio exutum appellauit. Hic verò, cùm de antiquis Philoſophis ſermonem inſtitueret, quos fatetur primos Dialecticæ parentes extitiſſe, docuit non inſcitè, eos ad diſceptandum gladio quidem armatos eſſe; clypeo tamen exarmatos: hoc eſt, aptos quidem eſſe dialecticis argutiis, tanquam gladij punctionibus ad vrgendum hoſtem; non tamen eſſe efficaces doctrinæ veritate, tanquam clypei munimine, ad retorquenda argumenta. En Dialectica, gladius ab vtroque nuncupatur. Sed neutrum ſequi animus mihi eſſet, niſi maior ex diuinis Oraculis auctoritas peteretur. Noſtis probè omnes, Aaronem non ſolùm eloquendi facultate præditum fuiſſe, ſed etiam diſſerendi ſubtilitate acutum. Planè vtroque præſidio indigebat, vt rectè apud Pharaonem ſua legatione fungeretur. Nam ad beneuolentiam ſuperbi Regis promerendam, facundia opus erat; ad ſuperandam tergiuerſantis Tyranni contumaciam, Dialectica. Quare facundus planè fuit ad eloquendum, ſubtilis ad diſputandum. Hoc illud eſt, quod à Deo ſignificatur Moyſen alloquente; *Ipſe*, inquit, *erit os tuum*, nempe, pro te Rhetoricæ, atque Dialecticæ munera apud Pharaonem exercebit. *Erit os tuum.* adhuc planiùs. Erit tibi pro arte diſſerendi, vt in qua facultate claudicas, in eadem à fratre inſtaureris. Cernitis, vt oris nomine Dialectica ars intelligatur. At conſulite Hebræos codices, ex quibus elicietis non inconcinnè: *Ipſe erit gladius tuus.* En Dialecticæ cum gladio comparatio, en affinitas, en germanitas; vt nemo iam mihi ſuccenſeat, ſi Dialecticam ſub gladij typo ſuſcipiam exornandam. Gladium appello, Dialecticam, qui ſeparat naturas rerum, qui intimas penetrat in medullas, qui fabrè dolatos dolos cauillantium Sophiſtarum vno ictu præſcindit: quo ſi ſapiens dexterè, expeditéque vtatur, premi poterit aliquando; opprimi verò nunquam: quem tamen ſi abiiciat, quantauis ſapientia fulciatur, vnica aduerſariorum petitione miſerabiliter collidetur. Fingite, quæſo, in libero aliquo ſpatio ad pugnandum ludos gladiatorios celebrari: ponite media in arena generoſos milites, & ſtrenuos, ab ignauo, & imbelli tyrone prouocatos; ab illis tamen gladios extorquete; huic verò gladium in manus commodate: facite, vt vtrinque ad pugnam concurratur: vnus ille armatus vrgeat plures; iſti inermes non diffugiant: vnus premat; plures non cedant: vnus componat plagas; plures opponant minas: quo tandem exitu clauditur pugna? Certè gnaui ab ignauo, ſtrenui ab inſtrenuo, viri à fœmina, leones à formica, peſſimo mactabuntur infortunio. Quid rei hoc eſſe dicam? Nónne ſuppetebant illis pluribus in corde animi, in membris vires, in toto corpore firmitudo? Planè. Et vincuntur plures ab vno? bellatores ab imbelli? Ita res acta. Cur verò ita? Enſis aberat. Hoc præſidio ſublato occidunt animi, ruit virtus, gnauus ignauo exæquatur. Ita planè. Si tyrunculus Dialectica armatus, cum veterano Philoſopho exarmato Dialectica concurrat, quos illum induet in laqueos, quas impediet in plagas, quæ præcipitabit in abrupta? Nimirum, ille armatus gladio, hic inermis ad pugnam capeſſendam

Tull.
Hieron.
Lact.

Aaronis eloquentia, & diſſerendi ſubtilitas apud Pharaonem.

Exod. 4. 16.

Dialectica gladij munus exercet.

Dialectica ludo gladiatorio componitur.

Digitized by Google

dam prodiêre. Hinc oritur, vt quemadmodum duces diuturna militia experti gladios ab hoſtili exercitu ereptos volunt: ita Chriſtianæ fidei oſores velint omninò Dialecticam à fidelium virorum cœtu ablegatam; rati, ſicut aduerſariæ phalanges gladiis exarmatæ belli impetus nequeunt ſuſtinere; ita Chriſtianorum hominum conuentus abſque Dialecticæ præſidio intutos fore ad congreſſus cum Hæreticorum ſycophantiis ineundos.

75.

Philiſthinorũ ſingulare inuentum in Hebræorum perniciem excogitatum.

Replicate memoria, qua quondam fraude vſi fuerint in Hebræos Philiſthini; rem ſcitu vulgatiſſimam, auditu tamen feſtiuiſſimam. Curant, vt omnes omninò ab vrbe gladij remouerentur: cauent, ne qui in vrbe denuò fabricentur. Eò res ducta fuit, vt Hebræi iuuenes de nihilo minùs, quàm de bello cogitarent, languerent otio, ſtuderent voluptati, à militari labore feriarentur; cantus, citharæ, choreæ, paſſim in vrbe fuerint: gladij nuſquam erant: ſi qua inter pugnaciores rixa oriebatur; vel ſtatim reſidebat; vel pugnis, calcibus, & morſibus æſtuabat. Hæc ita erant, cùm Philiſthinus triplici armatus cuneo ad vrbẽ properat: ſonant litui, clangunt tubæ, perſtrepunt tympaniſtæ, ingruit armorum horror, bellum inclamant omnes; repercuſſæ ad mœnium cauitates, inconditæ voces reſultant, bellum.

Elegans deſcriptio hoſtilis incurſus.

Oppidani inſolito ſtridore commoti conuolant ad præſidia gladiorum: gladij non parebant. Fabriles adeunt officinas: nuſquam arma. Vetera excutiunt armamentaria: nequicquam. Secretiores domorum explorant latebras: incaſſum labor. Totos ſe fundunt, ac refundunt per vrbis angulos in quæſitionem gladiorum: irrita omnis opera. Quis horror, quæ turbatio, quod periculum neceſſe erat ex tanta armorum inopia ſequeretur? Philiſthini vrgebant; Hebræi trepidabant: illi inſultabant; iſti perferebant: illi iactabant minas; iſti offerebant preces: illi armati æquor immenſum aquæ occupabant; iſti inermes ad vrbis anguſtias coibant: inde emicabat armorum fulgor; hinc deficiebat exarmata virtus. Quid plura? Niſi miraculo res acta foret, de Hebræis nihil illo die, niſi fauilla, & cinis ſupereſſet. Vnde hæc calamitas? Aderant Philiſthæis gladij; Hebræis deerant: virtus verò, ſi inermis ſit, imbellis eſt.

76.

Mahometus, & Iulianus in Chriſtianos conſpirant.

Nunc, quæſo, attendite, quàm ſimilem in nos fraudem Chriſtianæ fidei deſertores texuerunt; quas machinas ad ſubruendam fidem excogitarunt duo iſta pluſquam viperina capita, Mahometus, Iulianus? An aperto Marte fidem abolere decreuerunt? Tentatum id ſæpè: ſed fruſtrà, ipſis etiam Angelorum cohortibus, vt verè Chryſoſtomus, noſtrum in auxilium præliantibus. An per cædes acerbiſſimas fidem profligare aggreſſi ſunt? Imò ab his etiam abſtinere aliquando voluerunt, ipſum martyrij decus, vt acutè Nazianzenus, Chriſtianis inuidentes. An exiliis, an flagris, an tormentis Chriſtianam religionem inuaſerunt? In vanum omnia. Nam, vti egregiè Theodoretus, cruor cæſorum corporum, irrigatio quædam erat, qua nouæ in Eccleſia plantæ naſcerentur. Quid ergo improbiſſimi homines machinati eſtis, vt extremam nobis perniciem crearetis? Sanè inuentum Tartareis conflatum in officinis. Quódnam, precor? Gladium, quo ſe Chriſtiani Philoſophi tuentur, nituntur ab eorum manibus extorquere, ne irruentes in ſe hoſtes valeant propulſare. Quem verò dicis gladium? Apertè dico, ac Latinè, Dialecticam: nam ſeueriſſimis vtrque legibus cauerunt, ne quis Dialecticam facul-

Chryſoſt.

Martyrij decus egregiũ. Nazianz. Theodor.

tatem primo vel à limine ſalutaret: quod perinde fuit, ac ſi vellent, & ſuperciliosè imperarent, vt inermes confligeremus cum armatis: ſi quis enim Dialecticæ imperitus congrediatur cum Hæretico promptiſſimo ad cauillandum, pugnã inibit inermis cum armato: hic cæſim, punctim, dextra, læua, premet, vrgebit, ſauciabit; ille miſer, tanquam hoſtia, ictibus ceruices porriget, coſtas plagis, pectus vulneribus, totum corpus miſeræ lanienæ. Hanc ergo in nos technam peſſimi fraudum architecti conſuerunt, id, quod re erat, ſuſpicati, ſe quidquid non potuerunt aliis fraudibus obtinere, ſublata à nobis Dialectica facilè effecturos. Ita eſt. Si iſte gladius, Dialectica, inquam, vel hebeſcit, vel retunditur, vel à Chriſtianorum manibus extorquetur, boni Superi! quæ hæreſum colluuies, quæ errorum phalanx, quæ vitiorum caterua ad Paradiſi huius, ſeu Eccleſiæ munitiones conuellendas, velut agmine facto, conſpirabunt? At, ſi Cherubini, ſapientes, inquam, viri Dialectica, tanquam gladio, armati primos Eccleſiæ aditus tueantur; irruant licèt ſerpentes venenati, inſultent foribus, anhelant virus, euomant faces, toto ex pectore, tanquam ex Ætneo barathro, incendia iaculentur: omnes eorum inſultus, fracti, irriti, ac peſſundati vno veluti ſpiritu difflabuntur.

Dialectica gladius Chriſtianos tuetur.

77.

Dialectica gladius anceps.

Quæritis, cur non modò gladium; ſed etiam gladium ancipitem appellem Dialecticam? Certè, quid reſpondeam, anceps ſum; ita multiplex mihi ratio mentem ſubit. Mitto cæteras, hanc accipite. Memineritis, gladium ancipitem, ſeu *diſtomum*, vt vocant Græci, eſſe illum, in cuius medio capulus eſt, à quo duplex haſtile hinc, & inde duos faſtigiatur in mucrones. Addite, ea forma eſſe figuratum, vt in dextram, vel ſiniſtram manum æquè benè commodetur. Neutrum vobis figmentum videatur. Vtrumque eſt oraculum ex ſacris Hebræorum Iudicum Annalibus acceptũ, quos ſi diligenter euoluatis, tandem inuenietis, Aodem ducem ambidextrum conflaſſe ſibi gladium ancipitem; hoc eſt, in duas cuſpides deſinentem, quem medio tenus, vbi capulus erat, apprehenſum in Eglonis Moabitæ viſcera recondidit. Hinc ergo, vobis vt ſatisfaciam, mihi aditus aperitur. Nam, vt anceps gladius in vtramuis manum iactatur non inuenuſtè: ita Dialectica ad vtramuis ſcientiam, ſeu diuinam Theologiam, ſeu humani iuris peritiam excolendam, quàm aptiſſimè adhibetur. Anceps gladius. Vtra manu vultis Eccleſiæ militare? Dextrâne, an læua? Theologica, an iuridica? Dicitis dextera, ſiue Theologica. Ergo arripite hunc gladium, qui aptiſſimè in dexteram quadrat. Dicunt aliqui, læua, ſeu iuridica. Ergo & illi gladium iſtum apprehendant, qui cum læua non incongruè cohæret: anceps eſt. Certè vniuſcuiuſque ſcientiæ Primates magnum ſui præſidium hoc vno in gladio poſuerunt. Et quidem de Theologis, tam antiquis, quàm præſentibus, nemo dubitat, cùm & eorum ſcripta, dialecticis argumentis plena, omnium manibus atterantur; & horum diſputationibus dialectica feſtiuitate aculeatis theatra Academica iucundiſſimè applaudant. Iam verò vtriuſque Iuris Primipili quantam in hac gladiatura operam & induſtriam collocarunt? Cùm & Gratianus Pontificij metator Iuris, & Vlpianus Cæſarei fundator peritiſſimus, vt alios præteream propè infinitos, dialectica in palæſtra diligenter, & grauiter inſudauerint: Platonis fortè iudicio excitati, cuius illud fuit de hac re decretum, acceſ-

Iud. 3.

Dialectica apta ad omnes ſcientias comparandas.

Gratianus, & Vlpianus Dialectica cultores.

ſum ad ciuiles artes interclundendum eſſe omnibus, qui de arte Dialectica nihil anteà prælibaſſent. Merito vt expoſtulare poſſim cum noſtratibus Luſitanis, qui, tanquam inuenuſti palæſtritæ, inſalutata Dialectica ad Iuriſprudentiam tranſiliunt: &, quod minùs ferendum eſt, anteq uàm legitimam ætatem conſequantur, neſcio quas immunitates à Cenſoribus conſcientiæ ambire ſolent exeundi à minoribus ſcholis, & ad maiores commigrandi, quas vt obtinent, valere iubent Dialecticos, & ſuperiorem Academiam planè virilem, ſuo congreſſu efficiunt penè puerilem. Quid, ſi hoc noſceret Plato, quàm id ferret indignabundus, qui Dialecticam tanti faciebat, vt nemini ſua in Republica aditum ad illam aperiret, niſi ei, qui triginta ætatis annos expleuiſſet, & nunc (ô vices temporum! ô rerum vices!) triginta annos natus ad Dialecticam audiendam, non dico grandis vir, & intempeſtiuus eſt; ſed planè depontanus, & capularis ſenex eſt. At hoc libenter patior, illud ferre non poſſum: nam puer ephebus, qui adhuc eſſe poterat cum crepundio, iam erubeſcit videri cum Porphyrio. Sed mitto querimonias, ne tempus laudationi perexiguum importunis accuſationibus transfigatur.

Platonis mos erga Dialecticos.

78\. Ad vos, Auditores mei, ſi qui adeſtis, quos diligo, antequam video; quos ſaluto, antequam agnoſco; quos fero in mente, antequam habeo in ſchola: ad vos, inquam, mea ſe conuertit peroratio. Ludum vobis hodierno die gladiatorium aperio: præmoneo tamen, ſeueréque prædico, ne quis gladiatorij ludi nomine deceptus mihi afferat in ſcholam, vel ſub brachio gladiolos, vel intra veſtem pugiunculos, ves in marſupio cultellos. Remittite hæc ſicariis, laniis, ac popis: à vobis ingenuis, benè natis, liberaliter enutritis, procul iſta eſſe debent, procul: nam, qui citò enſem arripit, citò abiicit: qui extra tempus quærit, in tempore amittit: qui leuiter vagina exuit, timidè in vaginam induit. Erit,

Arma ſcholaſtica interdicta.

Virgil. *-----ne accerſite, tempus,*

quo pro aris, & focis cum laude ſtrenuè decertabitis. In illud temporis ſeruate animos, quos à maioribus veſtris hæreditario iure accepiſtis. Interim non eſt, cur illos in leues pugnas, in iuueniles rixas, in vmbratiles concertatiunculas exhauriatis. Aliter noſtra nobis gladiatura exercenda. Dialecticæ gladium vobis in manus porrigam; non vt in mutua vulnera, gigantea periti dexteritate, inuoletis; ſed, vt placatiſſimos nugantium Sophiſtarum laqueos vno ictu reſcindatis: quod feliciùs vt contingat, mihi, & vobis indico leges. Audite meas. Quidquid rei veſtræ fuerit, à me, quanta potero ſedulitate, curabitur, ſeu veſtram ad doctrinam, ſeu, quod caput eſt, veſtram ad probitatem exigatur. Nec labori parcam, nec ſudori: totum me torquebo, & extorquebo, vobis vt tantulam doctrinæ guttulam inſtillem: guttulam, inquam: nam imbres quærite aliunde, mihi ſatis fuerit pumicem non eſſe. Iam verò, vt aliqua ſtillula Chriſtianæ pietatis veſtri animi intingantur, libens me in vndas mergam, & immergam decumanas. Facultas fortè conſulendi ſaluti veſtræ aliquando me deficiet, voluntas nunquam. Vtinam Præceptorem haberetis, qualem veſtra, tum merita, tum ingenia poſtulabant: verùm aliqua bona fauſtitas veſtrum memet intulit in obſequium; ſiquidem non otiãdum mihi eſt, neque languendum; ſed algendum, ſed æſtuandum; eò impenſiùs, quò mihi ſunt vires ingenij, doctrinæque remiſſiores. Felices labores meos, ſi per eos ad Philoſophiam plures hoc quadriennio transferantur; multò tamen feliciores, ſi vel vnus ex meis Auditoribus, per eoſdem ad Chriſtum transducatur. Vnius ego in aucupio ad meliorem vitam, quidquid moleſtiarum ſubire potero, quidquid valetudinis exhaurire, quidquid ſanguinis profundere, quidquid ſpiritus exhalare, totum id benè collocatum eſſe exiſtimabo. Qua in re nullam à vobis gratiam inire volo: hoc enim ſuo iure vendicant, & officij mei ratio, & Societatis noſtræ, cui totum me tradere in diſciplinã cupio ſanctiſſima inſtituta. En partes meæ: veſtras iam accipite. Vnum à vobis exigo, habete reliqua. Quodnam illud? Voluntatem. Ingenium non requiro: ſcio enim iam expertus, in Luſitana iuuentute quantum ſit acumen. Nam Olyſiponenſes, vt à primis ordiar, totos mihi videtur natura, tum ad omnia ſumma, tum ad ſtudia literarum ſolerti manu compegiſſe. Conimbricenſes, & quos Monda vicinos alluit, mira diſcurrendi facilitate, feliciratéque vtuntur. Interamnenſes amœniſſimo ſolo, in quo nati ſunt, videntur mihi eſſe ad philoſophandum amœniores. Transtaganis nemo dixerit ineſſe aliquid pingue, vel adipale; hæc illorum agris conueniunt; ingeniis ſubtilitas, & acumen. Regio verò Transmontana magnis iure ſe iactat alumnis, qui è ſummis montibus, vltra quorum culmina ſuo ſurgunt acumine ingenij, lucem patriæ fœnerantur. Denique tota Luſitania ingeniorum fertilis, & ferax eſt: quare ingenium à vobis non requiro, quod vel inuiti offeretis: requiro voluntatem: nemo nõ ſpontaneus militat Dialecticæ. Superiores Facultes cogitatis? Agite dum, capeſſite, patent fores, feliciter abite. At minuuntur Auditores? minuantur. Deſeritur gymnaſium? deſeratur. Langueſcunt ſtudia Philoſophiæ? dummodo mea culpa id non contingat, quid iſtud curem? Non erit, quem exerceas ad Dialecticam? id ego meis adſcribam commodis: faciam de quadriennio compendium; præterquam quòd vnus, vel alter nunquam deerunt, qui ſi voluntariam mihi nauent operam, ingentis inſtar conſeſſus videbûtur. Itaque, Auditores, rem agamus. Rationes veſtras ſubducite. Si malè eſtis in Dialecticam animati; ne me, ne vos in ipſo limine exanimetis: ad maiorem Academiam dextero pede commigrate. Quod non eò dico, quòd parui pendam vos habere Auditores: ſi iſta mihi mens eſſet, amens eſſem. Teſtor, & palàm teſtor, nihil mihi glorioſius eſſe, nihil mihi poſſe, eſſe felicius, quàm ſemper veſtris progreſſibus, & ad literas, & ad virtutes deſeruire. Sed ideò dico, quòd veſtram voluntatem præponam meæ; potiúſque ducam, me veſtra præſentia multò iucundiſſima defraudari, quàm vos noſtra Dialectica multò moleſtiſſima fatigari. Sin aliqua vobis ſcintillula ineſt perdiſcendi Dialecticam; vobis, quæſo, voluntaria opera ſtudete. Ne vos terreant laruales formæ Lernæis capitibus ſeptemplices, quæ primùm ingreſſis minitantur. En gladius Dialectica: acuite, vibrate, exercete: quid formidatis? Ducem vobis præſto, ac Laniſtam. Præludamus.

Miri Oratoris erga ſuos Auditores officia charitatis.

Societatis Ieſu inſtitutũ.

Luſitania ferax ingeniorum.

Olyſiponenſes.

Conimbricenſes.

Interamnenſes.

Transtagani ingenioſi.

Transmontani.

⁂

ORA

ORATIO V.

Pro Dialectica vtilitate ſequenda.

ARGVMENTVM.

Ergo libero Oratoris fidem, & præluſionem annecto, aliàs alibi annectendam, quæ potiùs velitatio, quàm Dialectica oratio erat inſcribenda. Non abs re tamen adulterinam frontem induit, quæ adulterinos colores Sophiſticæ exuit, ceruſſam, & pigmẽta abſtergit. Hic lectionis ſcopus: Sophiſta enim mentito, quo indutus erat, habitu ſpoliatur. Dialecticus verò ſimplici toga ornatus, & veris coloribus animatus, veram, ac germanam Philoſophiam profitetur: ſine fuco, ſine inuolucro faciem ſuam oſtendit.

SEmper optimis, inquit Hieronymus ad Ruſt.
79. Hieron. *mixta ſunt peſſima.* Auro ahenum miſcetur,
pharmacum veneno conditur, virtutem vitium
comitatur. Hinc oritur, vt homines vicinitate rerum
decepti, probra, quæ rebus peſſimis debentur,
in res optimas ſoleant detorquere. Sic au-
Mala permixta bonis. rum tanquam aurichalcum, pharmacum tãquam
merum toxicum, virtus tanquam vitus animorum
nonnunquam vituperantur. Non eſt immu-
Dialectica encomia. nis ab hac lege Dialectica: imò, ſi quid aliud, ob-
noxia illi in primis eſt. Nam, cùm ipſa ſit magiſtra
veritatis, errorum expultrix, bonarum artium Regina,
ſingularis ingeniorum illuminatrix; denique,
vt Clemens ait Alexandrinus, *hominum ad*
Clem. Alex. *diuinam ſapientiam manuductrix*; tamen pediſſequam
habet fraudulentam, mendacem, verſipellem,
vno verbo, præſtigiatricem: quibus eam nominibus
afficiunt Auctores infrà citandi. Quænam
illa eſt? Planè ars ſophiſtica. Vnde prouenit,
vt contumeliæ, quæ in artem ſophiſticam ab
Sophiſtica vituperia. antiquis Patribus, ſcholaſticiſque Doctoribus non
immeritò iaciuntur; illæ ipſæ in Dialecticam propter
vicinitatem, quam habet cum Sophiſtica, refundi
videantur: & quemadmodum omnes eò
conſpirant, vt Sophiſtica ab ſcholis, ab animis, ab
hominum memoria in totum abdicetur; ita planè
videntur exoptare, vt eidem exilio innocens
Dialectica in ſempiternum tempus addicatur. Nam,
Molin. vt benè notat Mol. 1. 2. quæſt. 14. art. 13. antiqui
Patres, ſi quod [illegible] in republica ſerpere,
& graſſari cœptum animaduertunt, tam acriter
in illud inuehuntur, vt etiam in ea bona, quorum
in confinio illud eſt, inuehi, atque inſilire videantur:
rati cum peritiſſimis Chirurgis, potius eſſe ſanam
carnem & illæſam candenti ferro perſtringere,
lancinare, vſtulare, quàm tabidam ac putrem
relinquere intactam, ex qua in totum corpus
vis morbi effundatur, nonniſi extremo fato
Antiqui Patres in Dialecticam ſophiſticam excanduerunt. medicanda. Quare neminem mouere debent ea,
quæ videntur antiqui, tum Scholaſtici, tum etiam
Patres aduersùs Dialecticam prodidiſſe; cùm
conſtet, eorum animos aliò ſpectaſſe, & à Dialectica
quidem minimè alienos, in ſolam Sophiſticam
grauiter excanduiſſe: quam iure merito putabant
non ſolùm inutilem eſſe ad ſcientias comparandas,
verùm etiam maximè pernicioſam.
Vnde primùm exordior argumentum ad neceſſitatem
Dialecticæ abſtruendam reſpectu ſcientiarum
acquirendarum. De hac enim parte ſolùm
diſſeram, cùm velim acrior videri in confirmandis
propriis, quàm in refutandis alienis: contra Lact. Firm.
quod fecit Lactantius; vt eapropter non imme- Hieron.
ritò ab Hieronymo vngue cenſorio perſtringa- *Dialectica neceſſitas.*
tur. Ita igitur conficio argumentum. Ars ſophiſtica
adeò pernicioſa eſt ſcientiis comparandis, vt
omnem ad illas aditum intercludat: ergo Dialectica
adeò neceſſaria eſt, vt ad nullam commodè
ſine eius ductu accedatur. Conſequutio videtur
bona: & ſi inter Sophiſticam, ac Dialecticam vera
oppoſitio intercedit, omninò certa eſt, dummodo
ad congruentem formam reducatur, quod
facilè fieri poteſt: eruitur enim ex loco à repugnantibus,
in quo formalis fieri ſolet argumentatio,
teſte Philoſopho 2. Topic. 3. Et probatur:
quia ſimilem in modum argumentatur Ariſtote- Ariſtot.
les 1. Poſt. dum aſſumens, nihil eſſe falſius, quàm
oppoſitum primi principij, rectè infert: *Ergo nihil
eſt verius, quàm ipſum primum principium.* Nec
diſſimili vtitur argumento D. Thom. 2. 2. q. 104. D. Thom.
art. 2. cùm ait, *ſpeciale inobedientiæ peccatum non
committi, niſi cùm quis præcepto, quà præceptum
eſt, Superioris aduerſatur.* ex quo rectè concludit,
communiter ab omnibus receptus: *Ergo ſpecialis
virtus obedientiæ non exercetur, niſi cùm quis exequitur
Superioris præceptum, præcisè quà tale eſt.*
Imò & Chriſtus Dominus ſimilem argumentandi
formam aliquando vſurpauit. Satis ſit lo-
cus ille Ioan. 10. *Si non facio opera Patris, nolite* Ioan. 10.
credere: ſi autem facio, operibus credite. Vbi probat
illud, quod proximè dixerat: *Ego & Pater vnum
ſumus.* Probatio autem eſt huiuſmodi: Diuerſitas
operationum inter me, & Patrem, ſi fortè daretur,
ſufficiens vobis occaſio eſſe poterat incredulitatis
veſtræ, hoc eſt, non credendi, me, & Patrem
eandem eſſe eſſentiam, idémque principium
operandi ad extra: ergo identitas operationum
inter me & Patrem, quæ de facto datur, vt vos ipſi
experimini, ſufficiens vobis ratio eſſe debet ad Theodor.
credendum, me, & Patrem vnum eſſe. Ita enim Cyrill.
poſt Theodorum, Cyrillum, Leontium, Auguſti- Leont.
num, Bedam, Euthymium, interpretantur recen- Auguſt.
tiores ibid. Caietanus, Toletus, Maldonatus. Miſſa Beda.
igitur conſequentia, Euthym. Caiet.
Probo illud antecedens, nimirum, Sophiſti- Tolet.
cam pernicioſam eſſe ad ſcientias comparandas, Maldonat.
primò ab auctoritate. Nam Baſilius, qui in Dia- 80.
lectica adeò excelluit, teſte Nazianzeno oratio- Baſil.
ne 20. de eius laudibus, vt iis, qui cum eo diſpu- Nazianz.
tabant, facilius eſſet è labyrinthis ſeſe extricare,
quàm argumentorum eius laqueos effugere, ſi
quando res ita poſtularet: Baſilius, inquam, in
cap. 15. Iſaiæ, vocat Sophiſtarum dogmata, fluxa
ac decidua, nec potentia conſiſtere. Vnde in cap. 2.
eiuſdem Prophetæ ait, illa expreſſa fuiſſe in muris
Hierichuntinis, qui non tormentorum vi, ſed
tubarum quaſi vnico flatu corruerunt. Et in
cap. 16. ſentit, artem ſophiſticam fuiſſe adumbratam
in vrbe Moabitide Heſebon. Primò, quia
Heſebon, quæ interpretatur *diſceptatio*, prædicitur
à Propheta ſuas plagas in æternum deploratura:
Sophiſtica verò, quæ tota diſceptatrix eſt, in perpetuis
lacrymis iacebit, cùm eius alumni apud
Inferos ſuis ſe mucronibus conſequentiarum iu- Sap. 5. 3.
gulabunt, *pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus
gementes, ac dicentes intra ſe: Ergo errauimus.*
Secundò, quia arua ſuburbana Heſebon, latiſſimè
in omnes partes excurrebant: ideò tamen erant
infœcunda, vt ne leues quidem ſtipulas enutri-

Digitized by Google

demoliuntur vineas, corrodunt pampinos, defricant gemmas, atterunt ſtolones, racemos deuorant, omnem vigorem, ac decorem vinearum labefactant: hoc eſt, iſtos greges Sophiſtarum prendite, conuincite, circuncludite; ne mendacia ſerant, & errores; & in horto amœniſſimo veritatis dumeta excitent, & ſpineta falſitatis. Videtis, quantũ Sophiſtica afferat nocumentum ad ſcientias comparandas? Quis crederet, ex tam fictitiis machinamentis tantam poſſe ſcientiarum calamitatem proficiſci? Hoc ipſum facere non poſſum, quin exemplo alio illuſtrem.

83\. *Ægyptia plaga per ciniphes illata.* Exod. 8. 19.

Inter Ægyptias plagas vna per ciniphes illata adeò acerba fuit, vt cùm Pharaonis Magi reliquis non cederent, ab hac ſe ſtatim victos faterentur: *Digitus*, inquiunt, *Dei eſt hic.* hoc eſt, maior hîc aliqua virtus latet, quàm cui nos reſiſtere poſſimus. Quid hoc eſt? Nónne Magi ſanguinem ſanguine, ranas ranis, dracones draconibus repulêre? Cur etiam hanc peſtem alia ſimili non euitarunt? Caietanus, credo, ad literam, licèt non meum ad inſtitutum: *Voluit Deus in minimis deficere Magorum virtutem; vt ſi quando in maximis valeret, intelligerent Ægyptij, eam à Deo datam eſſe, non innatam; ex diuina liberalitate conceſſam, non ex humana hæreditate poſſeſſam.* Philo Iudæus, ad mores, niſi fallor; & præter id, quò tendo: *Voluit item Deus, Ægyptias minimo ſupplicio ſuccumbere, vt maximis ſuppliciis cederent; vno digito Dei punientis collidi, vt totam manum Dei ſæuientis formidarent. Nam, ſi digitum Dei leuiter ſauciantẽ tota non potuit ſuſtinere Ægyptus; manum integrã Dei in plagas efferueſcentem, quo pacto vnus ſuſtinebit homunculus?* Origenes allegoricos ſequitur explicatus: ſed quibus mea ſententia ſtabilitur: per ciniphes enim Sophiſtas intelligit: *Hoc animal*, inquit Origenes, *pennis ſuſpenditur per aëra volitans: ſed adeò ſubtile, ac minutum eſt, vt viſum, niſi acutè cernentis, effugiat; corpus tamen, cui inſederit, acerbiſſimo terebrat ſtimulo, ita vt quem volitantem videre quis non valeat, ſentiat ſtimulantem. Non aliter Sophiſta*, &c. Quare, ſicut illud animal leue, paruum, pene nullum, adeò tamen pernicioſum fuit Ægypto, vt vel Magos, vel Philoſophos perturbaret, indéque viribus repelli non poſſet humanis: ita Sophiſtarum genus difficile, moleſtum, importunum, adeò eſt veræ ſapientiæ inimicum, vt eos, qui ad illam peruenerunt, deturbet; qui in illa proficiunt, eludat; qui de illa profitenda cogitant, remoretur. Pernicioſi planè homines, & infeſti. Date igitur illud antecedens, vel ſola auctoritate permoti; nimirum, Sophiſticam ad ſcientias comparandas pernicioſam eſſe. Vnde infero: Ergo Dialectica ad eaſdem acquirendas eſt neceſſaria. En primum, & poſtremum pro hac parte argumentum. Vnicum eſto. In quo fateor ingenuè, plus fuiſſe verborum, quàm neruorum. Date veniam. *Quam quiſque norit artem, in hac ſe exerceat.* Ego, ſi quam noui (noui autem nullam,) ſi quam, inquam, noui, loquendi fuit, non diſſerendi. Ex illa hoc præceptum adhuc memini, nimirum, *perſuaſori leniùs velitandum eſſe cum auditore perſuaſo.* Veſtrûm autem nemo eſt, qui iamdiu non ſit in hanc opinionem excitatus, Dialecticam eſſe neceſſariam, & perneceſſariam ad cæteras ſcientias comparandas.

Caiet. — *Philo Iud.* — *Origenes, & ex eo Auguſt. ſerm. 87 de tempore.* — *Nota Auctoris modeſtiã, poſtquam per aliquot annos Rhetorem egit.*

Quid ergo vehementiùs agam cum pacato? inclementiùs belligerem cum pacifico?

***

ORATIO VI.

In Baccalaureorum examinibus.

ARGVMENTVM.

Inoffenſus planè clypeus Philoſophiæ priuatas domos defendit, integras vrbes protegit, ampliſſima regna cuſtodit, vniuerſum deniq; terrarũ orbem tuetur. Hæc vtrinſq; ſapientiæ exempla demonſtrant. Tandem Philoſophiæ candidatus hoc clypeo protectus deſcendit in arenam, victoriam ſpe præſumit. Certè parmã nemo abiiciat, qui ad palmam nititur: nemo enim relicta non benè parmula coronatur in triumpho.

SVperiori anno, cùm philoſophicum curriculum ingreſſus ſum, Auditores meos, ſi fortè meminiſtis, armaui gladio: num clypeo armabo alienos? Erit aliquis ex optimis Candidatis, qui indignè ferat ſibi clypeum, aliis gladium deferri, ſuſpicatus clypeum minoris eſſe virtutis argumentum, quàm gladium. Hanc illi ſuſpicionem ingeret celebre illud dictum, credo Scipionis Africani: (diu enim eſt, ex quo legi, neque interim mihi fuit otium relegendi.) Obtulit bonus quidam miles ſuo Duci Africano clypeum, quem aduersùs omnes ictus munitiſſimum eſſe prædicabat. Quid Africanus? Libénſne ſuſcepit? Induit alacer in ſiniſtram? Gratulabundus cumulato pretio rependit? Nihil ſibi minùs perſuaſit. Imò toruus, & ſeuerus, *Tibi*, inquit, *bone miles, cum tuo munere; ego dextera v..or, non læua: gladio mihi opus eſt, non clypeo.* Ita ſe mihi opponunt generoſi Candidati: Hóccine tu nobis offers clypeum, meræ imbecillitatis argumentum? Timidis hæc dona remitte: nobis, quos ad philoſophica certamina parens ſapientia melioribus auſpiciis inaugurat, gladios, & miſſile ferrum. Parciùs, optimi Candidati, parciùs. Virtutis nullum eſt accommodatius inſigne, quàm ſcutum. Adeſte parum, dum id probo: antiquam ad rem me confero. Occidit bellico in conflictu gemina illa virius aquilarum virtute maior, & leonum virtus, Ionathæ, & Saülis: cum Principe ac Rege, optimi quique militum corruerunt: cum militibus bellica præſidia omnia conflagrarunt: funebre Vates Regius miſera in ſtrage concinit Epicedium: quid primum in eo queritur? quid deplorat? An ſceptrum regiis manibus excuſſum, hoſtilibus pedibus attritum? An purpuram natiuo ſucco decolorem, infuſo cruore ſaturatam? An diadema Saülis capiti direptum, equorum vngulis colliſum? Nihil iſta. Maiorem iacturã lamentatur: *Ibi abiectus eſt*, inquit, *clypeus fortium, clypeus Saülis!* Ac ſi querebundus ingemiſcat: O clades! ô pernicies! ô calamitates! In totum exercitus robur hoſtilis furor deſæuiret; in reliqua belli inſtrumenta militaris procella detonaret: vnus ſupereſſet clypeus Saülis, ſalua mihi eſſe omnia viderentur: nunc autem abiecto clypeo ſpes abiicitur, languent animi, proſtrata mihi omnia videntur eſſe, & perculſa. Cernitis, in clypeo quantùm ſit momenti? Ergo ſtrenuis debetur clypeus, non ignauis: fortium inſigne eſt, non imbellium, clypeus fortium. Pergite mihi ſtudere, dum 84.

Scipionis Africani celebre dictum. — *Clypeus, fortitudinis argumentum.* — *Ionathas, & Saul pariter occidunt.* — 2. Reg. 1. *Clypeus Saülis.*

Laconicum

Laconicum exemplum Laconica oratione perſtringo.

85. *Mater Lacæna.* Lacæna quædam mulier filium ad bellum profectum clypeo obarmauit. Quam precem exiſtimatis addidiſſe? Vt cautè incederet? Vt vitæ conſuleret? Vt iuuenilem audaciam temperaret? De hac re ne verbum quidem. Quid præcepit? *Cum hoc*, inquit, (dimetrum reddo Auſonij,) *aut in hoc redi*? *Auſon.* Noſtis ſententiam planè auream? Nondum ſatis, vt exiſtimo. Adeſte animis: faciam, vt agnoſcatis. Græcorum conſuetudo illa fuit, vt qui in prælio dimicando fortiter cecidiſſent, eodem, quo prælati fuerant, in clypeo ad ſepulturam efferrentur: quod ſolemne, exterorum etiam rituum non ignarus Mantuanus, ſua in Æneide expreſſit, cùm de Pallante Arcadum Principe à Rutulis interfecto, à Troianis parentato, ita cecinit: *Mantuan.*

Impoſitum ſcuto referunt Pallanta frequentes.

Lacæna ad filiū elegans exhortatio de clypeo ſeruando. Iam ergo & ille dimeter Spartanæ fœminæ recantetur: *Cum hoc*, inquit, *aut in hoc redi*. Ades, mi fili: ad bellum mitteris: præbe te, & meum, & Lacedæmonium. Proba virtute tua, & matrem tibi eſſe viraginem Spartanam, & patriam virorum educatricem. Hunc tibi trado clypeum: mentem erige, ſume animos. Omnia de te ſpolia hoſtes ferant: clypeo, caue ſis, nunquam te expolient. Manus tibi, & brachia reſcindantur: patere. Clypeum à te reuelli nunquam patiare. Animus à corpore tibi exigatur: clypeo nunquam læua denudetur. Leuior eſt vitæ, quàm clypei iactura. Redi, ita precor Superos, & fortunatus redi: ſed hac lege: *Cum hoc, aut in hoc*. Viuus cum hoc, mortuus in hoc: neque viuus, neque mortuus ſine hoc. Hoc tibi ſit vincenti ſolium, hoc tibi ſit cadenti feretrum, hoc tibi triumphanti monumentum, hoc tibi expiranti Mauſoleum. *Cum hoc, aut in hoc*: nunquam ſine hoc. Deſinitis iam mihi iraſci, optimi Candidati? Cernitis in clypeo virtutis inſigne, fortitudinis trophæum? Creditis à me honori veſtro conſultum eſſe, dum clypeo vos armo ad philoſophicum certamen? Ita credite, ita iudicate.

86. *Quid ſapientia diuina cum clypeo.* Sed, quid Philoſophiæ cum ſcuto? Iam id aperiam: vnum in primis ratum volo, vtramque ſapientiam, tam profanam, quàm diuinam, clypeo armatam eſſe. Age, & profanam intuere. Nónne Pallas ſua ægide clypeata è Iouis cerebro, proſiliuit? Sed diuinam altiùs contemplare. Nónne æterni Patris ſoboles, filia Regis *circumamicta varietatibus*, vt diuinus Vates poëtatur, ſeu, vt Hieronymus Græco è fonte haurit, *ſcutulis exornata* ſplendeſcit? Planè ita eſt. Vtraque mihi videtur ſapientia ſuo ſibi iure clypeum vendicare. *Hieron.* Sed, quos in vſus armatur clypeo? Rem aggredior. Scutum è toto armorum genere vnum eſt, quod ad tuenda omnia corporis membra fabricatur. Caput galea, thorace pectus, lorica femur, alia corporis membra aliis armorum generibus muniuntur: ſcutum verſatur pariter omnium in præſidium, omnium flectitur ac reflectitur in tutelam. Adeſt pectori, ambit latera, ſeruat caput, totum corpus protegit, ac circundat. En Philoſophiæ ingenium, en officium. Omnes defendit, & quod magis mirabimini, inoffenſa. Quam domum? quam vrbem? quod regnum ſapientia non tuetur? *Pindari domus ſeruata in incendio communi.* Domum? Teſtor Pindari penates, qui in media Thebarum calamitate incolumes perſtitère. Vrbem? Teſtor Lampſacum Helleſponti, ad quam tuendam vnius Themiſtoclis ſapientia plùs contulit, quàm ad euertendam validiſſimæ Perſarum incurſiones potuerunt. Regnum? Teſtor in Africa Numidiam: prope Aſiam, Ægyptum: intra Europam, Græciam, Siciliam, Italiam, Hiſpaniam, vt de aliis taceam prouinciis, quas non tam potētia, quàm vna ſapientia, obiecto contra omnia tela clypeo, conſeruauit. Quod ne vobis dictu facilius videatur, quàm probatu, eas mecum regiones animis peragrate. Numidiam feruidus ingenij Maſiniſſa, & feruidus æui, vt Poëta canit, non pugnando, ſed philoſophando diuturna in pace ſuſtentauit. Ab Ægypto vterq; Ptolomæus, Claudius, & Philadelphus; hic non armis, ſed libris ſtudendo; ille non caſtra, ſed aſtra, meditando; hoſtiles iniurias arcuit, & repreſſit. Athenæ ſola Periclis ſapientia ſtetère, ſine illa certum in interitum ruituræ. Sicilia, non Dionis imperio, ſed ingenio, extremam perniciem euaſit, quam illi circumfuſæ hoſtium claſſes machinabantur. *Quæ, & quot ciuitates ſapientiæ auxilio ſteterint.* Italia ſuo ſe collidens pondere, vltimum ſæpè abiret in occaſum, niſi Fabij, Catonis, Fabritij, & aliorum, non tam Imperatorum, quàm Philoſophorum; nō tam armis, quàm conſiliis tegeretur. Te verò, ô Hiſpania, à telis hoſtium quis protexit, à belli periculis quis defendit, è lethi faucibus iam penè hauſtam quis eripuit, niſi illa, quæ ſuis ſemper vigilat, & militat alumnis, Philoſophia? Mitto alia, quibus id confirmare poteram, exempla. Vnum accipite feſtiuiſſimum.

Colonus, Philoſophia, & militia iuxtà bonus, Ferdinandi, Hiſpani Regis, exercitum ducebat apud Barbaros Ramaicenſes. 87. *Ferdinandi Regis Hiſpani exercitus.* Cui agreſtes homines, & ferini, nec prece, nec pretio ſuppeditabant alimenta: rati totum exercitus robur fallaci arte potiùs, quàm aperto Marte abolendum. Neque illos opinio fefellit: nam eò ventum eſt, vt Hiſpani milites ferendis corporibus, nedum armis impares viderentur. Marcebant ora, languebant artus, crepabant viſcera, labababant genua, vires ſucco, & ſanguine exhauſtæ tabeſcebant. Quid Colonus? Rapto viueret? Deerant raptoribus rapinæ. Capeſſeret viam in Hiſpaniam? Ad viam deerāt viatores. Incurſiones ageret in hoſtes? Animas agebant milites præ fame. Quid conſilij? Pati. Quid remedij? Perire. Quid ſolatij? Mori, & exanimari. O vitæ, Philoſophia, dux, & clypeus ſingularis! Quæ diſcrimina à tuorum ceruicibus militaris induſtria non auertit, tu ſola tui obiectu clypei repuliſti. Nouerat Colonus, Aſtronomiæ peritiſſimus, Lunam iam iam eſſe defecturā: mittit ad Barbaros legatum, vt ſibi quamprimùm commeatus ſubminiſtrarent: ſin minùs, certò ſcirent, totum contra eos cælum obarmandum; & huius rei ſignum, niſi crederent, in cælo proximam ſub noctem affuturum. Legatum excepère Barbari cum plauſu: cum exploſione remiſère. *Luna defectus.* Nocte tamen intempeſta, ſiue religio, ſiue ſuperſtitio ad id eos impuliſſet, ſydera inſpiciunt, cernunt Lunam pleno orbe ſinuatam paulatim expalleſcere, ſuo fulgore hebetari, ac tandem terra caligine incubante, toruum, minacémque aſpectum exhibere. En illud eſt, exclamant, illud eſt irati Numinis oſtentum. Quas pœnas tam dira cæli facies minitatur? Caue, caue, quiſquis ades: procul omen eſto: tam ferale aſtrum procul eſto. Vix prima cælo aurora ſe reddiderat, cùm Barbari à feritate in humanitatem reſtituti, certatim, pro ſua quiſque parte, humeris onerant cibaria lauta, ſplendida, opima; & ad Coloni, cæterorúmque militum genua prouoluti: En vobis, inquiunt, commeatus: ſi parci videbuntur, aderunt largiores: ſolùm, quas meruimus, iras offenſi

offenſi Numinis deprecamur. Subita annona refecti milites annos ſibi promittunt longiores; & qui mortem in ſingula momenta expectabant, illo cibo, tanquam nectare, recreati, ſibi fore videntur immortales. O clypeum domorum! ô tutelam vrbium! ó præſidium regnorum, Philoſophia! Te auſpice, te duce, nec vana fides, domus, regna, nullis laborum procellis labefient.

88. Sed me incautũ Oratorem, qui cùm ſuſceperim Philoſophiam oratione illuſtrandam, obſcuraui; & cùm poſſem immenſas illius vires prædicare, attigi propè nullas. Dixi, priuatas domos à Philoſophia defenſas: nihil dixi. Integras vrbes philoſophico ſcuto ſartas, tectáſque fuiſſe: dixi parũ. Ampliſſima regna vno Philoſophiæ patrocinio ſecuriùs cuſtodita, quàm ſi muro ſeptẽplice clauderẽtur: adhuc non dixi multùm. Quò ſe vlteriùs tua vis, ô Philoſophia, extẽdit? Eſt amplius, quod defendas? O rem mirã, & niſi diuinum aliquod Oraculum anteiret, incredibilem! Luſtrate oculis immenſa terrarum ſpatia, quà ſurgunt ad Arctos, quà cedunt ad Meridiem, quà tendunt ad Ortum, qua ſpatiantur ad Occaſum. Cernitis eam molem, crebram domibus, frequentem vrbibus, regnis, vt ita loquar, conſtipatam: totam eam ſapientia ſuo clypeo tegit, ac tuetur. Mirum narras, & incredibile: Oraculum niſi proferas, non ſequetur audientium fides Oratorem. Audite, non Delphicum, ſed Dauidicum: *Quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt*; ſeu, vt Hebræo elicio de archiuo, *quoniam Dij ſcuta terræ*. Quis ignoret, diuinæ ſapientiæ Profeſſores à Vate in eo carmine decantatos? Scuta igitur appellat, non domus, non vrbis, non regni, ſed terræ. Scuta terræ: quia nulla plaga eſt adeò ab humano ritu aliena, quam ſapientiæ præſidium non defendat. Nec mirum, ſapientes homines à Vate ſcuta terræ appellatos, cùm ab eodem Dij nuncuparẽtur: *Dij ſcuta terræ*. Nam Deus ſcutum eſt: vnde illud eiuſdem Vatis hemiſtichion: *Miſericordiam & veritatem diligit Deus*; ſeu, vti Hebræo inuenietis in archetypo, *Sol, & ſcutum Deus*. Ita igitur ordior argumentum. Deus ſcutum terræ eſt, concedetis. Sapiens Deus eſt, nõ abnuitis. Colligite, Dialectici, veſtrum eſt hoc munus: ergo ſapiens ſcutum eſt terræ.

Totum Orbem ſapientia tuetur.

Pſ. 46. 10.

89. Magnum profectò videri debet, ſapientes homines, dum viuunt, vniuerſo terrarum Orbi defendendo gnauiter excubare, poſtquam tamen in cineres abiẽre, adhuc agere excubias, adhuc arcendis malis inuigilare, adhuc ſe terrarum clypeos exhibere, hoc vnum incredibiliter admiror. Res tamen ita habet. Philoſophi, quando vrget neceſſitas moriendi, corpus exuunt, non inficior: clypeum, quo terras tueantur, exuere nunquam poſſunt: viui, & mortui in ſuorum ciuium tutelam armantur clypeo. Neque ſolùm de iis loquor, qui Chriſtianam Philoſophiam coluerunt; hi enim, quò res noſtras inter homines laborioſiùs curarunt, eò illas inter Superos feliciùs negotiantur: ad eos quoque mea oratio ſpectat, qui humanæ ſapientiæ cultores extiterunt. Vos, cineres, vbicumque adeſtis, ſapientum; vos appello clypeos ciuitatum. Vos, arida oſſa, & exeſa, quacumque ſub tellure deliteſcitis, vos appello arma, & monumenta regnorum, vos vrnas, vos tumulos, vos inania ſepulchra Philoſophorum, vos appello inexpugnabilia propugnacula terrarũ. Tota ferè Aſia Cæſar olim Auguſtus, victor, & triumphator equitabat: facto agmine Alexandriam tendit, cingit vrbem, quatit muros, extremas in anguſtias adigit oppidanos. Parum aberat, quin portas frangeret, mœnia labefaceret, domos euerteret, fana compilaret, tota vrbe ampliſſimis ſpoliis prædiuite frueretur: cùm ſubitò noua ratio mentem ſubit in medio æſtu præliandi: State, inquit, milites, & ceſſate. Milites primùm non curare, ſed alacriùs vrbis inuehi in ruinam: State, inquam, ingeminat Auguſtus, & à bello abſtinete. Quid iſtud, inquiunt milites, eſt præcepti? In re confecta ſegnes erimus, qui fuimus in aggredienda bellicoſi? Aliud Auguſtus agit, vi & ferro euertenda vrbe inſiſtamus. Siſtite, ter iam admoneo, exclamat Imperator; ſiſtite, arma ponite, retrocedite, vrbem incolumem relinquite, & illæſam: ſic volo, ſic iubeo. Nouum conſilium, inquit miles, ne dicam importunum: vincere ſcis, ô Cæſar, victoria vti neſcis; quam tibi vrbem fortuna obtulit, relinquis? quas tibi diuitias militum virtus peperit, contemnis? Alexandriam Aſiæ caput, Orientis decus, totius mundi ampliſſimum emporium, cùm iam poſſides, renuntias? Impiger es ad bellum, ô Auguſte, piger ad triumphum. Cur ceſſas, cur deſiſtis, cur obſidione vrbem ſoluis, quam ſtatim ditione coërcebis? Boni conſulite, ô milites, inquit Imperator; bonum conſulite factum meum. Subiit mihi animum vnius Philoſophi, Ario nomen fuit, qui in hac vrbe vixit, recordatio. Ea mihi flammas reſtinxit, iras emolliit, totum pectus ſerenauit. Nefas duco Philoſophi patriam, domicilium, ſepulturam, nefandis cædibus cruentare. Malo ab Alexandrinis victus videri, quàm vincere Alexandriam, ne cogar cum altrice vrbe, alumni Philoſophi cineres violare. Non timeo, mihi credite, non timeo viuorum gladios: timeo clypeos mortuorũ. Philoſophus vnus mortuus vrbem ſeruat, quam tot milites viui non ſeruarunt: vnus de vobis inuictis victor exit: vnus de me triumphatore Aſiæ triumphat. Cedite, vrbem ſoluite, pugnandi auiditatem coërcete, vt philoſophandi dignitati conſulatis. O cineres, pluſquam milites! ô feretrum, pluſquam ferrum! ò vrnam, pluſquam arcem! ô cadauer, pluſquam aggerem! ô clypeum, & viua & mortua in læua formidandum!

Sapientes vel mortui ſunt Orbis propugnacula.

Cæſar Auguſtus Alexandriæ pepercit.

Quid ampliùs potuit erga Deum Dauidis ſanctitas, & religio? Solymam quondam Aſſyriorum Imperator Sennachiribus oppugnabat. Aderant hoſtiles acies, manu validæ, fortuna tumidæ, numero infinitæ, ingenio ipſis etiã belluis duriores. Contrà Solymæi viribus imbelles, caſibus attriti, copiis diminuti, moribus in naturam degeneres belluinam: vno verbo ab Aſſyriis omnis metus, ab Hebræis omnis ſpes penitùs exulabat. Quid in rebus deſperatis effectum creditis? Ecce tibi inter armorum crepitus, inter telorum miſſus, inter hoſtium plauſus, intẽr ciuium eiulatus: ecce tibi de cælo perſonat, non tonitruum, ſed oraculum: *Protegam vrbem hanc propter David.* Nec mora: armatus è cælo deſilit in Aſſyrios bellator. Boni ſuperi! quot funera inter hoſtes, quot gaudia inter ciues? quot cadauera per agros, quot clypei pro Hebræis? Continuò incolarum lacrymæ exareſcunt; hoſtilis cruoris flumina inundant; ſemianimes Hebræi reuiuiſcunt; immortales, vt ſibi videbantur, Aſſyrij moriuntur. Tam ſubitam vrbis libertatem, tam præſens Numinis patrocinium, tã firmum contra hoſtiles acies ſcutum, quis parauit, niſi profectò ille regius ciuis, ille, qui iamdudum conditus, in tumulo viuam adhuc ſpirabat ſanctitatem? O parem ſanctitati Philoſophiam! ô parem Philoſophiæ ſanctitatem! Quod olim Hieroſolymæ præſtitit vnius Regis demortui ſanctimonia; hoc ipſum vnius Philoſophi defuncti ſapientia contulit Alexandriæ. 90.

Imperator Aſſyriorum Solymam oppugnat, & expugnat.

4. Reg. 19. 34.

Sed

91. Sed, quis me beneuolentiæ veſtræ flatus tam feliciter prouexit, vt hactenus ad illum ſcopulum orationem meam impingere nequaquam pateretur? Agite, quæſo, & ad illum paulisper meme impellite, non vt ibi naufragium quærat oratio, ſed quietem. Illa ſedes, optimi Candidati, ſcitis, quænam eſt? Eſt turris Dauid. *Mille clypei pendent ex ea.* Prendite feliciſſimè: ſed prendite clypeati, ſed prendite diſciplinis inſtituti, vel ſi Hebræorum adyta adeatis, eſt turris Dauid conſtructa ad diſciplinas. Clypeis armatur illa turris à diſciplinis. Prendere illam vultis? prendite feliciſſimè, ſed prendite diſciplinis inſtituti: tot in ea fulgurent clypei, quot Philoſophi. Parmam nemo abiiciat, qui nititur ad palmam: quæcumque ad vos librentur iacula, declinate: ſi contra varietatem iaciantur, veritatis præſidio reiicite: ſi contra Ariſtotelem collimentur, Ariſtotelis patrocinio repellite. Si contra veſtrum ad Philoſophiam Ductorem torqueantur, totis viribus retorquete. Totas ad eum defendendum vires debetis, qui totas ad vos inſtituendos vires effundit. Animo nemo cadat in hoc certamine, ſeu tela ingeminentur, ſeu clamores. Clamores ſi qui ingeminent, ne timete: ſunt fulgura ſine cuneo. Illis Philoſophiæ clypeos ne obiicite: adſunt turri, in qua irriti euaneſcant, quamuis eos fore polliceor moderatos; ſumus enim indices, non rabulæ. Tela ſolida, præacuta, & amentata, ſi qua fuerint, hæc timete. Dexterè verſate clypeos, vt caueatis: adeſte cauti, antemonco: ne fortè pedibus, vt aiunt, mittemur, plagas capiti reponamus. Tot vobis adſint ſcuta, quot verba, tot lumina, quot ſcuta: oculatos habete clypeos, ſiue oculos clypeatos, vt & oculis præuidere, & clypeis retorquere tela valeatis. Relicta non benè parmula nemo cedat clypeo perforato, animam potiùs relinquite, quàm parmam; pectus perforari potiùs ſinite, quàm ſcutum. Promittitis ita facturos: Feliciter auguror. Viciſtis, & ſi maius deſideratis auſpicium, triumphaſtis.

Cant. 4.4.

Turris Dauidica.

Oratio VI.

Pro auſpicandis eiſdem examinibus.

ARGVMENTVM.

Triennis Philoſophiæ curſus cum trienni Salomonis curſu, ſeu nauigatione confertur. Et quid vel aptius, vel dignius? Salomonica claſsis, & tempeſtatibus, & felicitatibus inſignis: philoſophica ſuas etiã ſuſtinet tempeſtates, ſuas numerat felicitates. Salomonica in patrios tandem portus triennio exacto feliciter remigrauit, ſpoliis onuſta, mercibus plena, omni diuitiarum genere abundans: philoſophica poſt triennem nauigationem non minores venditat diuitias, merces exponit pretioſiores. Accede: ſi venales fuerint, eme.

92. FElicitatem Salomonis innumera propè illuſtrarunt monumenta, quæ ſi expendere vellem vniuerſa, neque mihi ad dicendũ verba ſufficerẽt, neque vobis ad audiendum patientia ſupereſſet. Vnum ſeligo è multis, futurũ omnibus, vt ſpero, nouitate gratum, varietate iucundũ, gratuitate ita acceptum, vt dignum hoc theatro, hac luce, hoc ſplendore hominum, veſtra denique beneuolentia videatur. Illa ſe mihi offert armata claſſis, quæ ſub Rege Salomone tertio quoq; anno nauigabat in Ophir, Indicam regionem, ſiue illa ſit, quam *Peru* vocant; ſeu, quod potiùs exiſtimo, Aurea Cherſoneſſus (*Malacam* nuncupatis) Luſitanorum expugnata viribus, nobilitata trophæis, præſidiis vſque adhuc cõſeruata. Facite, quæſo, vt mihi nauigationem illam deſcribenti, veſtræ humanitatis beneuolentiſſimus Fauonius blãdiatur. Tempus aderat (fingite vos non aliud, quàm Octobris Calendas extitiſſe) quo illa triennis nauigatio parabatur. Ecce tibi in æſtuario ſarciri naues, in vrbe expediti milites, aptari ſarcinas, pulſari tympana, euntium, redeuntiúmque congreſſu omnia littora circõſtrepere. Ad hæc deſignabatur dux ætate grandis, conſilio maturus, experientia edoctus, qui nauigationi præſideret. His ita procuratis, ſtato die miles ad nauẽ cogebatur, ciuitas ſpectandi ſtudio excita ad littus cõfluebat, tubarũ clangor vtrinq; editus, & in medio aëre colliſus, in omnes partes ſonantior fundebatur. Ergo paſſim dabantur vela, è ſummis antennis vexilla emicabant, tota claſſis vittata, tota comata, multis redimiculis temerè ventilatis paulatim è portu recedebat. Quid, obſecro, in mari, quid in terra non viſendum? In mari celeuſma nauticũ, in terra ciuilis gemitus: in mari ſalutantium geſtus; in terra bene imprecantium nutus: in mari crebrũ vale, vale; in terra frequens ſalue, ſalue. Sic vtrinque defixis obtutibus ſui ſuos reſpiciebant, pater filios, frater germanos, amici amicos, nonniſi poſt triennium reuiſendos. Donec tandem magis, magiſque inuecta in altũ claſſis ſe à proſpectantium oculis auferebat. Nunc, quæſo, ſi minus oculis, certè animis fugientem à terra claſſem proſequamur. Quos labores adit, quæ pericula, quas Syrtes vnica patientia ſuperandas? Perterrebat in primis nauigantem illa immenſitas vndarum, nullis quàm cælo terminis definita, cælum vndique, & vndique pontus.

Salomonis Indica expeditio.

Aurea Cherſoneſſus dicitur Malaca à Luſitanis.

Pulchra claſſis vela facientis deſcriptio.

Nautarum pericula.

93. Offerebant ſe militi intuenti multa cælo, ſalóque prodigia: hinc balænarum informes formæ; illinc aſtrorum ferales vultus: hinc rauci ſonores futuræ tẽpeſtati præludentes; illinc offuſæ nebulæ venturi imbris auguratrices: hinc maris æſtus crebra reciprocatione ferueſcentes; illinc candentes faculæ toto æthere confertiſſimè digladiantes. Pergite, quæſo, fortunam claſſis obſeruare. Paululum progreſſa, ſubitò aliquando ſilebant flatus, hærebant vndæ, quieſcebant armamenta, mare ipſum dormiebat: denique moueri nihil, ſtare omnia videbantur: & quamuis nautæ, contis, remíſque nauem trudere niterentur, conatus irriti; perdebant operas, ne hilum quidẽ proficiebant. Tanta in malacia, quod tædium, quæ nauſea, quod faſtidium militum animos non tentaret, & ab ſpe optati portus obtinendi non dimoueret? Sed videte inconſtantes maris vices. Subitò, tanquam è profundo ſomno venti, fluctúſq; euigilantes, pro ſe quiſq; debacchari: turbines hinc inde in prælia coniurant; gurgites alterno niſu acriter colluctãtur; ardeſcentium pugnas procellarum tonitrua, tanquã Martiales tubæ vehementiùs accendebãt. Inter hæc, nauium latera collidi, crepare antennas, refigi gubernacula, abrũpi vela, omnia deſperari; denique milites firmiter ſtatuere, eadẽ in pericula nunquam ſe ampliùs, ſi euadant ſemel, redituros. Conſequitur tandem, Deo dante, ex pertinaci tempeſtate tranquillitas ſecuta: nauigant iam felicibus Zephyris Palæſtini: gaudent in periculum vitam adduxiſſe, vt eadem è periculo vendicata iucundiùs perfruantur. Sed iterum, ô malorum viciſſitudo! Neſcio quo fato, ſeu quo infortunio,

Tempeſtas maris.

in

in vadoſa & ſcopuloſa loca nauis impingit: ſuberant nimirũ doloſæ cautes, fallentes aggeres arenarum, inſidiatrices ſaxorum moles, inter quas repercuſſum mare implacatius æſtuabat, quidquid nauium excepiſſet, miſera ruina labefacturũ. Hos inter vortices deprehenſi incauti milites, quid facerent? Quò confugerent? quam fidem implorarent? quibus ſe Dædaleis remigiis tam periculoſo è labyrintho expedirent? Verùm diu colluctati tandem euadunt, libero æquore potiuntur, alióſque vndarum tractus, atque alios emenſi, tandem ad Ophir optatam regionem feliciter appellunt.

Appellit Ophir Salomonis claſſis.

94. Ergo in littus emicant, parentis terræ amplexu iucundiſſimè fouentur, quærunt gazas, veſtigant opes, cõmutant merces, omnes Indicas diuitias ad nauigia conuertũt. Sed in hoc ſtudio occupatis reſtabat adhuc extrema periculorũ linea ſubeunda; vt non mari tantùm, ſed terra quoque ſtrenuorũ militũ virtus probaretur. Sunt in Ophir (teſtantur multi) prçalti montes, multis ſpecubus excauati tã fertiles, tam optimi, vt non hortenſes herbas, non floſculos geniales; ſed auri laminas, argenti bracteas mirabili fœtura ex ſe parturiant: quibus theſauris ſuum natura præpoſuit ſatellitium. Quod putatis? Leones, gryphos, & dracones; quas feras, dicũt, pro illarum foribus cauernarum diurnas, & nocturnas excubare: & ſi quem miſerũ nanciſcuntur clanculùm irrepentem, non ſolùm mordicant, ac vellicant; ſed integrum, ac ſolidum heluantur. Hæc monſtra Hebræi, ſeu vi domuerint, ſeu dolo ceperint, ſeu aliquo medicato bolo conſopierint certè, Deo auſpice, ſuperarunt; & ab eorum dentibus illæſi, ab vnguibus incruenti, à cornibus expediti, quidquid auri, & argenti voluerunt, voluerũt autem plurimum, è cauernoſis ſpecubus in naues exportarũt. Quibus diuitiis delicias aliquas addiderunt, ſimias, pſittacos, pauones; rati illas quoque belluas, & volucres exoticas in ſuorum ciuiũ voluptatem expetendas. Nauibus ita oneratis in patriam remigrant, in quam poſt varios caſus triennio exacto feliciter inuehũtur. Ruit ſuis conuulſa ſedibus ciuitas vniuerſa ad excipendos aduenas, gratulantur aduentum, conſolantur de laboribus, felices exitus imprecantur. Milites, vt ſuorum laborum erigant trophæa, excitent monumenta, publico in theatro, in luce procerum, in oppidanorũ omnium conſpectu, proferunt illos auri, argentíque theſauros, ſibi, ſuis, Regi, patriæ denique vniuerſæ profuturos: externas quoque delicias in lucẽ promunt; ſimias ſuis cippis catenatas feſtiuiſſimè geſticulantes; pſittacos vnumquemque eorum, qui aderant, vocali oratione ſalutantes; pauones multiplici gemmantium pennarum apparatu ſuperbiẽtes: quæ omnia ſinguli cum incredibili ſenſu voluptatis intuentur; fauſtos, fortunatóſque dicunt ter & ampliùs eos labores, qui tot opes, tot honores, tot voluptates patriæ pepererunt.

In patrios portus remigrat Salomonis claſſis.

95. Quorſum hæc Auditores optimi? Rem audite eadem, quæſo, beneuolentia, qua me hactenus audiuiſtis. Nihil mihi viſum eſt ad hodiernã actionẽ propius accedere potuiſſe, quàm illa triennis nauigatio Salomonis tẽpore inſtituta. Replicate memoria, quæ dixi, & quàm conueniant cum iis, quæ dicam, facilè agnoſcetis. Tribus abhinc annis parata eſt in hoc Lyceo nobilis expeditio ad ſapientiam quibuſcunque in tenebris terrarũ deliteſceret, inquerendam. Deligitur in primis nauigationis præſes, qualem vos nobiles Candidati, deſiderare potuiſtis: qui vos aluit, rexit, erudiuit, informauit; tanta facilitate, vt parẽs; tanta ſeueritate, vt Princeps; tanta doctrina, vt magiſter; tanta pietate, vt religioſus veſtrarum animarũ negotiator. Ducem alacres milites inſequuntur, literariæ nauigationi arma comparẽt, libros emunt, aptant calamos, digerunt codices, pluteos concinnant: quidquid neceſſarium eſt ad longã illam nauigationẽ, diligenti opera moliuntur. Et iam Calendæ Octobris illuxerant, cùm omnes eam in exedrã conueniunt, ex qua cum bonorum omniũ votis, precibus, & ſtudiis vela pandunt, & nauigationi ſe committunt, triennium duraturæ. Pergite, fortunati excurſores, (ita mihi videtur aliquis è portu ſalutaſſe abeũtes,) pergite, felices exploratores ſapientię: luſtrate maria, obſeruate ſydera, naturę arcana indagate; quidquid cœli, terræque amplexu continetur, ignorationis inuolucris circumtectum detegite, euoluite, explicate. Futurũ erit poſt triennium vt partas diuitias ampliſſimo in cõſeſſu oſtẽdatis; & quidquid laborum, periculorúmque in ea nauigatione ſuſcepiſtis, benè collocatum iudicetis. Sed videte, quàm multi labores eam nauigationẽ arduam, ac difficilem reddiderunt. Soluunt è portu ingenioſi adoleſcentes, antea ſolùm aſſueti pratis eloquentiæ, Poëtarum viridariis, Apollinis, Muſarúmque nemoribus; cùm ſubito ſe offerunt oculis quædam interminata ſpatia vndarũ; hoc eſt, illæ vniuerſalium, prædicamentorúmque naturæ, illa immenſitas nulla menſura limitata, illa complexio nullo complexu coërcita, illa infinitas nullis finibus circumſcripta; vbi quidquid rerum vbique eſt, vnum Deum ſi excipias, ſiue ſubſtet, adhæreat, ſiue modo aliquo nomenclaturam conferat, ſub vno aſpectu collocatur. Quis non deficeret, non reformidaret, non omnino frãgeretur, cùm videret per tot ac tam amplas regiones ſibi eſſe peruagandũ?

Sed eo terrore depulſo, animóque ad maiora obfirmato, en illa ſe obiiciunt, ſeu ſpectra, ſeu prodigia, ſeu planè monſtroſa ſigna, præſaga futurorum, præteritorum monſtratiua, formalia, inſtrumẽtalia. Candidatis quidem Dialecticæ feralia videbãtur, & larualia. Nam, quæ aues oſcines, quæ volucres præpetes, quæ ſiniſtra cornix, qui cometæ triſte fulgurantes tam minaciter vnquam terruerũt, quàm hæc ſigna egregios adoleſcentes exagitarunt? Verùm hæc monſtra tutò prætergreſſi, maiores adhuc ſubeunt moleſtias nauigandi, velint, nolint, deuorandas. Nimirum, delabuntur in eas propoſitiones de futuro contingenti, quæ cùm determinatam veritatem non oſtendant, neutrã in partem abire intellectum patiuntur. Quem in locum boni iuuenes delati, tanquam in paludem torpentibus aquis congelantem, quas nauſeas, quas moleſtias, quæ faſtidia nauigantium in Indiam nõ indicarent, potiora? Quidquid moleſtiarum exorbẽt nautæ, cùm venti ponunt, pigrantur vndæ, & in lento luctantur marmore tonſæ; totum id facile eſt, nec inſuaue, ſi cum eo faſtidio comparetur, quo inertes animi affligantur, dum inter dubias de futuris euentibus connexiones hærent ancipites, nutant incerti, vacillant fluctuantes. Sed, quia nauigantium labores nouis ſemper laboribus importunè catenantur; cernite, quæſo, ex illa malacia, & inertia, quàm acres turbines, & procellæ conſequantur. Noua exoritur argumẽtationum tempeſtas, in qua contrariæ, contradicentéſque propoſitiones, ſuis quæque ordinibus diſpoſitæ tanquam tranſuerſi venti in ſpatioſo mari præliantur. Iam verò illi vortices conuerſionum, nunc in partem, nunc in totum mutua reciprocatione commeantium, quæ maria non ſulcant, quas naues non hauriunt, quæ ingenia non torquent, quam rationem extra rationis gyrum non compellunt?

Triennis Philoſophiæ nauigatio cum trienni Salomonis nauigatione confertur.

96. Dialectica monſtra.

97. Ad hæc argumentantium clamores tales ſæpenumerò erumpunt, ac ſi in Sicania officina malleorum ictus audirentur, ſeu colliſæ inter ſe nubes toto æthere detonarent. Quas procellas vel Æneas, vel Vlyſes vel Iaſon, pertulit grauiores? At finiſne hic periculorum? hæcne extrema laborum meta fuit? Nequaquam. Labor oritur ingenioſis adoleſcentibus eò periculoſior, quo occultior. Nam, ſicut improuidi nautæ incidunt in latentes ſcopulos, ad quos miſerabiliter impacti naufragantur: ita illi incedunt in elenchos, vbi cauillorum architecti, fallaciarúmque artifices, tendunt laqueos, parant inſidias retiáque ſubornant, in quæ incauti iuuenes, nihil tale metuentes, ſubitò ſe impediunt; & quò ſe ab illis volunt liberiùs expedire, eò implicatiùs conſtringuntur. Tam ſolertes dolos, tam fraudulentas technas, tam fallacia machinamenta, quis non, obſecto, perhorreſceret, magis etiam, quàm Syrtes Libycas, in quibus externa bona, non ingenia periclitantur? Hæc omnia diſcrimina, egregij Candidati, cùm Dialecticam ita auidè arripuiſtis, mihi ſuperare viſi eſtis. Sed quos labores exantlaſtis, cùm ad Philoſophiam acceſſiſtis? Planè tam difficiles vt ſuos ſi cum illis conferant Hebræi, qui appulſi ad Ophir immanes illas belluas expugnarunt, eorum certamina ludicra, veſtra ſeria videantur. Illi præualidos gryphas domuerunt; fateor: immanes dracones; non inficior: leones ad prædam, rapinámque hiantes; id quoque libens do. Vos tamen, quas chimæras, quas ſphinges, quos Erymanthæos apros ſuperaſtis, cùm inertiam, voluptatem, & amorem feriandi ſubegiſtis; quæ vos peſtes planè exitiales à labore in otium, à ſcientia in errorem, à luce veritatis in falſitatis tenebras impellebant? At memineritis, ne ingrati ſitis, cuius beneficio tot pericula euaſiſtis. Veſtri, nimirum, ſapientiſſimi Doctoris patrocinio, qui veſtrum curſum mira dexteritate temperauit, nunc legendo oras, nunc obligando vela, nunc totas habenas feliciter emittendo. Vnde effectum reor, vt cùm in illa Salomonis nauigatione multi ſæpè deficerent, quos in mari tumulabant; in veſtra claſſe plerique, qui nauigationem extorſi fuerant, ſalui & incolumes conſeruentur. Ego, ſub optimo patrono expugnantis montes aureos ſapientiæ, diuitias comparaſtis, ornaſtis animos, excoluiſtis ingenia, tandem nauigatione trienni feliciter peracta ad hanc ſtationem, bona ſtella duce, appuliſtis vbi vos gratulabunda præſtolatur Academia, Rector illuſtriſſimus intuetur, dignas veſtris meritis laureas præſtiturus.

Argumentantium doli, ac fraudes.

98. Promitte igitur in portu merces: aurum, argentúmque exponite in theatro: ſapientiam diuturno labore conquiſitam vtriuſque ſcholæ defigite in conſpectu. Norint omnes, vos non ſolùm vobis, ſed etiam Luſitaniæ vniuerſæ, per labores, per ſudores, per algores profuiſſe. At vbi pauones, vbi pſittaci vbi ſimiæ, quas ex Ophir Palæſtini deportarunt? Hiſne etiam mercibus onerata veſtra claſſis portum tenuit? Pauos certè mihi videmini attuliſſe. Nam, cur pauos non appellem, qui tam multicoloribus aulæis parietes expingunt; qui tam graui inceſſu ſe afferunt in theatrum; qui cùm placent, criſpant colla; cùm adſpiciuntur, expandunt alas; cùm laudantur, plumas toto corpore explicant oculatas; cùm ſui admirabilitatem faciunt ſpectatoribus, mille trahunt varios aduerſo Sole colores, Pauones ſunt. Iunonij alites, faceſſite. Vnum tamen moneo, quando in illo ſaxo explicueritis veſtram eruditionis ſupellectilem tot plumis, tot oculis, tot luminibus variegatam, ſi fortè contingat, vt excidat verbum aliquod inuenuſtum, glabrum & implume; memineritis vos pauones eſſe, quibus natura tribuit informes pedes, ne de reliqui corporis pulchritudine inſolentiùs, quàm par eſt, gloriarentur. Homines eſtis, quorum eſt errare aliquando: nihil humani à vobis alienum putetis. At pſittacóſne etiam attuliſtis? Id nos poſteà expendemus: interim non diuino. Scitis tamen, quos appello pſittacos? Qui cùm multum loquantur, nihil intelligunt; vocem referunt humanam, cognitionem retinent belluinam; quidquid à magiſtro didicerunt, vano ſtrepitu funditant, nulla intelligentia complectuntur. Sed iam auguror harum mercium nihil in veſtra claſſe. Nullus in eo ſaxo pſittacus audiatur; verus, germanúſque Philoſophus auſcultetur. Quid verò de ſimiis? Vlláſne portatis? Abſit, vt iſtud credam: neque enim, vt ſimia cippum obtinet; ita Philoſophiæ Canditatus ſaxum illud occupabit. Nam ſimiæ, cùm homines videantur, nihil ſunt minùs, quàm homines: vibrant oculos, inflant buccas, motant caput, torquent corpus, ſurgunt, exiliunt, flectuntur, ridiculis argutiis geſticulantur: at verò Philoſophi placidi, ſedati, immoti ſenſa animi aperiunt, veras ſententias expromunt, ſerta verba, æquato rationis examine trutinantur: philoſophari enim ſciunt, nugari neſciunt. Tales verò, optimi Candidati, verbis parcos, doctrina vberes, geſtu graues, modeſtia præmatura, experientur Auditores, laudabunt Iudices, fouebit Academia, Luſitania vniuerſa omnibus ſtudiis proſequetur.

Academia ſuperior & inferior.

Pauonis conſideratio.

ORATIO VII.

Pro auſpicandis Philoſophiæ diſputationibus.

ARGVMENTVM.

Prodit diſcipulus in arenam contra omnium aduerſariorum tela, vno Philoſophiæ clypeo præmunitus: molles Pythagorici pulueris milites condemnat, generoſos Ariſtotelici commendat. Inter militaria, & philoſophica certamina duplex apponit diſcrimen. Hieronymum, & luciferianum pulcherrimum deducit in congreſſum, & quamuis Luciferianus ab Hieronymo victus deſcedat, haud indecoro puluere ſordidus reputatur.

PYthagoricæ doctrinæ ſectatores nihil magis cauebant, quã gymnaſticos congreſſus, quàm 99.
argumentorum conflictus, quàm Philoſophorum diſputantium theatra. Præceptori ſuo aderant attentis animis, arrectis auribus, ſopitis linguis, omnia auſcultabant, arcano in pectore omnia recondebant. Quærebãt nihil, nihil inueſtigabant; & vt ſibi omnem percontandi, reſpondendíque ſpem adimerent, totum quinquennium linguam, veluti loquacitatis ream, ſilentij carcere obſidebant; vno ſe clypeo cõtra omnia aduerſariorum iacula tuebãtur, illud ſcilicet, reddẽtes, ὁ αὐτὸς ἔφα, ipſe dixit; nullum ſibi patrocinium præſentius fore arbitrati, quàm tanti Philoſophi oraculum: quaſi vnius viri auctoritate potiùs quàm rationum pondere, ipſa

Pythagora oraculum.

Pythagoricū ſilentium damnatur.

ipſa veritas firmior niteretur. Ego interim, pace tua dixerim, Philoſophorum clariſſime, & antiquiſſime Pythagora, reſponſum non approbo. Nam diuturnumm illud ſilentiū quid aliud, quàm ignorantiæ detrimentum? illa parcitas loquendi quid, niſi egeſtas intelligendi? neceſſe enim fuit, vt omnium animis ignorationis caligo incubaret; cùm & rudiores principiis malè intellectis multa perperam deriuarent, & neutri ſuis erroribus, quos nihil minùs eſſe putabant, quàm errores, diſputando mederetur. Valeat igitur Pythagoricus auditor, qui, dum amat tenebras, dum odit lucem, dum aciem timet, & congreſſum, ſuarum prodit ſpeciem falſitatum, & neſcire pudens prauè, quàm diſcere mauult. Non ita germana Philoſophia ſuos inſtituit Candidatos: vix eos ſinu excipit, iam elicit in arenam: vix balbutientem efformat linguam, iam acuit ad diſſerendum: vix melioris doctrinæ lacte nutrit, iam acribus argumentorum telis deuorandos exponit.

100. *Lacænarum in educandis filiis con[...] [...] optima.*

Lacænas mihi videtur Philoſophia genitrices imitari, quæ ſolæ viros parere dicebantur. Quibus deliciis ſuos fœtus creditis aluiſſe? Molli fouebant in amplexu? plumeis deponebant in ſtratis! pontificiis paſcebant menſis? byſſinis veſtiebant indumentis? leuiſſimis exercebant in choreis? vernantes educebant inter hortos?

Horatius.

Non his iuuentus orta parentibus.
Infecit æquor ſanguine Punico.

Quid ergo? A prima ætate ducebant in aciem, diuidebant ordines, acuebant in pugnas, cæſtu, pancratio, pugilatu exercebant: notabant deſides, laudabant impigros: excitabant omnes, viriles animos puerilibus in membris nutricabant: qui plùs ſudoris funderet, beatus erat: qui plùs ſanguinis, beatior: qui totam pertinaciter animam dimicando expiraret, beatiſſimus. Victis plagas, victoribus coronas, vtrique maiores ad pugnam ſtimulos admouebant. Ita planè ſuos exercet alumnos ſapientia. Non otioſo educat in receſſu, ſed contentioſum prouocat in certamen: non inter ſilentia Pythagorica; ſed inter certamina philoſophica: non in tenebris, ſed in luce, vbi quò plùs colligitur pulueris, eò plùs meretur & laudis. *Nemo enim nitidus*, vt benè Ambroſius; *ſed puluerulentus coronatur.* Taceat igitur Pythagoricæ alumnus diciplinæ, ſuáque taciturnitate conſopitus, non tam contempletur veritates, quàm errores nundinetur: at Ariſtotelicæ auditor Philoſophiæ intrepidus emicat in certamen, artem Marte promouet, ſapientum alitur ſpectaculis, fauentium ſtudiis enutritur, ex pugnis fortiter pugnatis acrior inardeſcit. Sed, quâ dexteritate vtitur diſſerendi? Vim facientem vi repellit; dolo ambientem dolo capit; fugiendi vias occupantem more alitis eludit; ſuo quemque tempore opportunè captat, ſtratagemata militandi, vel præliandi exercet. Nunc excurrit vltrò, nunc commeat retrò, nunc declinat obliquè, nuſquam abſens, vbique præſens; ita vt priùs congredi, quàm gradi; priùs vociferari, quam loqui; priùs ſcire, quàm dubitare videatur. Nec ancipites belli exitus pertimeſcit, certam ſibi victoriam pollicetur; Philoſophus enim diſputando, nec elanguet, nec ſuperatur. Quod apertiùs vt illuſtrem, expendite, quæſo, quodnam ſit inter militaria, & philoſophica certamina diſcrimen.

Sapientia in nutriendis ſuis alumnis ſeueritas.

Ambroſij elegans ſententia.

101. *Duplex diſcrimen inter militaria. & philoſophica certamina.*

Duplex, ni fallor, diſcrimen longè maximum agnoſco. Nam in primis bellico in congreſſu efferantur quidem animi, exeruntur vires, flammeſcunt intimis in præcordiis ſtudia decertandi; fateor. Verùm, ſi Martis exitus diutiùs nutat, ſi in longum trahitur victoria, ſi plures per horas pertinaci labore dimicatur, quis languor virium? quis defectus ſenſuum? quæ mutatio accidit animorum? Fluunt artus, labant pedes, languent brachia, frigent animi, hebeſcunt ſpiritus; videndi, audiendíque ſenſus intermoritur; totum corpus ſuopte pondere ad terram alliditur exanime; & captandis de cœlo auris non ſolùm deficiunt vires, ſed etiā crebro anhelitu ilia diſſoluuntur. Non ita philoſophico in conflictu: ſed quò pertinacior pugna, quò diuturnius certamen initur, quò argumentis, defendentiſque animi implacabiliùs tumultuantur; eò vires ingenij vtrinque emicant acriores; politur lingua, acuitur ſenſus, excolitur acies, attenuatur mens; tota ratio clarior ſplendeſcit: quæ errorum tenebræ in ſpeculationis otio animis offunduntur, eædem in diſputationis æſtu ab animis diſſipantur. Felix pugna quæ vires non adimit, ſed addit; animos non pungit, ſed vngit; vulnera non facit, ſed ſanat; detrimentum non importat, ſed lucrum.

Primum diſcrimen.

Hinc alterum diſcrimen agnoſceris inter pugnas Mineruæ, & Bellonæ. Concurrant hinc, & inde duæ acies pares animis, armis ſimiles, viris & viribus æquales; vtrinque ſtrenuè prælientur, animosè irruant, cautè cedant, opportunè conſiſtant, mutuis ſe incurſibus frangant, molliant, lacerent, perfundent. Totum id fieri poſſe, non inficior: vnum tamen nego, vnquam euenîſſe, aut aliquando euenturum, vt ab vtraque parte victoria, & triumphus reportetur: neceſſe enim eſt, aut vtramque laceram, ingloriam, mutilatámque abire; aut ſi vna felieiori Marte vſa, victrix euadit, alteram perculſam, victam, & proſtratam remanere. Itaque vnius gloria eſſe ſolet alterius contumelia; vnius decor, alterius cruor; vnius plauſus, alterius eiulatus; vnius victoria, alterius ruina; vnius triumphus, alterius interitus. Nec niſi per cædes, ſtragéſque hoſtiles, victrices aquilæ exiliunt & triumphant. Longè aliter ſe habent duo philoſophico in puluere bellatores; ſibi inuicem obſiſtunt, aduerſantur, renituntur; tela torquent, & retorquent; inſtant, vrgent, fremunt, efferueſcunt. Sed, quis victus tandem cadit? Neuter. Quis victor ad lauream conſurgit? Vterque. Mirum hoc alicui videbitur: mirari deſinat, rem exemplo dum illuſtro. Prodière quondam in diſceptationis duellum Luciferianus, & Hieronymus. Ille hæreſis labe infectus, hic veræ fidei lumine illuſtratus: conſeritur bellum, ardeſcit pugna, librantur rationum pondera; argumentorum momenta expenduntur, ſonant voces, & tonitrua: ſcintillant oculi, vt fulgura; difficultates augentur, vt imbres iaculorum: clamant, ſudant, anhelant, mutuis ſe petitionibus validi pugnatores premunt, lancinant, & cruentant. Quis non credat Hieronymi ante pedes victum ſpoliatúmque Luciferianum tandem corruiſſe? Corruit quidem, ſed inuictus; palmam dedit, ſed non perdidit; amiſit pugnam, ſed non victoriam. Nouus planè belli exitus, & inauditus: ſed ita contigit. Poſtquàm Luciferianus Hieronymi verbis circumuentus, elabendi viam nullam agnouit, manus dedit, colla ſubdidit, ſaniorem ſe reſtituit in mentem; neque ſe victum erubuit profiteri, ſed neque ſe victorem potuit denegare. Viciſti, inquit, Hieronyme, fateor, viciſti. Sed non exiſtimes, te ſolùm viciſſe: vicimus; vterque noſtrùm palmam refert,

Secundum diſcrimen.

Duellum inter Hieronymum, & Luciferianum.

Luciferianus ab Hieronymo victus, & de erroribus victor.

tu mei, ego erroris. Vtinam mihi ſemper ſic diſputare contingat, vt ad meliora proficiens, deſeram, quod male tenebam.

102. *Leges philoſophici pulueris.* Et vterque decertator philoſophico in duello victor euadit; vnus ſuperat aduerſarium; aduerſarius triumphat de errore: & quò magis falſum vero, quàm homo homini aduerſatur; eò glorioſiùs, qui errorem, quàm qui hominem vincit, coronatur. Vt philoſophicum prodeam in congreſſum, vires ad diſſerendum tenues mihi adſunt? Fateor, ita eſt. Nec maiores habere ſolet, qui prima ſub Dialectica ſtipendia promeretur. At in hoc duello vires non extinguuntur, ſed acquiruntur; animi non euaneſcunt, ſed acreſcunt; acies non hebetur, ſed excitatur; & quas intelligentiæ vires non obtinui audiendo, inueniam diſputando. Strenui mihi obſiſtunt aduerſarij, duorum incurſionibus ſuſtinendis imparem geſto animum? Id quoque non inficior. At quocumque belli exitus euadat, victoriam non deſpero. Nam, ſi ab omni me calumnia, quam ingerent, vendicabo, (quod tamen ſperare vel erit arrogantiæ, vel amentiæ;) ſi, inquam, ab omni offenſione immunem me eripiam, & illæſum, victor ero: ſin autem, quod eſt certo propius, Doctoribus, Magiſtriſque ſapientiſſimis acutiſſimè arguentibus ſuccumbam; illi de me victoriam reportent; ego de erroribus victor triumphabo. Honoratior diſcendam ab illis victus, quàm illi de me victores. Illi etenim me imbellem aduerſarium vincent; ego acriores, & immaniſſimos hoſtes profligabo. Quare, ſi cum manifeſto iacturæ periculo militares pugnæ conſeruetur; æquum eſſe non debet, vt cum certa ſpe vtilitatis, philoſophici congreſſus timeantur.

Oratio VIII.

De Sapientiæ laudibus.

ARGVMENTVM.

Sacratiſſima veteris Teſtamenti Arca ad anniuerſariam ſapientiæ commendationem pulchrè aſſumitur, Arca, ſcilicet, Aaronis virgam, quaſi in pignus Hebraici imperij, continebat: ecquid ad orbem moderandum aptius ſapientia? Arca cœleſtis roris nectar ſeruabat incorruptum: ecquid dulcius ſapientiâ? Arca legum diuinarum tabulas cuſtodiebat: ecquid, ſiue ad condendas, ſiue ad cuſtodiendas leges præſtantius ſapientia? Peroratio eleganter excurrit in vtilitates maximas, quæ à ſapientia in Luſitaniam emanarunt.

103. *Olyſiponenſis iuuentus alacriter Octobre ineunte Lyceum repetit.* GRatulari non ſatis poſſum Olyſiponenſi iuuentuti, quæ vno, vel altero menſe ab ſtudendi labore feriata, tanquam longo temporis interuallo à gymnaſiis auulſa, Octobri demum ineunte Lyceum repetit, intermiſſi laboris munera renouat, & inſtaurat, tanta alacritate animorum, quantam hic frequentiſſimus conſeſſus, hoc ab omnium oculis expirans ſtudium, hæc in omnium frontibus expreſſa lætitiam declarat. Verùm, cùm habere gratiam non poſſim, quantam debeo: operam tamen, quam potero, præſtabo maximam, vt noſtra hæc de ſapientiæ laudibus inſtituta oratio omnium animis deſeruiat, omnium auribus blandiatur: non quidem verborum pondere, quod in me video, quàm ſit leue: non maieſtate ſententiarum, quæ quàm ſit exigua, probè ſcio: non eruditionis apparatu, qui inopioſus quàm ſit, ac propè nullus, haud ignoro: non denique vlla præſtantia Oratoris, quem natura impolitum, artificio vulgariter excultum, iam aliàs non ſine faſtidio audiuiſtis: ſed vnius dignitate argumenti, quod vel anguſtè propoſitum audietur, exiliter tractatum placebit, humiliter explicitum oblectabit. Non enim mihi eſt in animo ex Humanitatis compo ſyluam colligere ad dicendum; ex Philoſophorum monumentis materiam aucupari ad orandum; quæ niſi verbis diſtinguatur, ſqualet; niſi illuminetur ſententiis, languet; niſi numeris concludatur, horret; niſi ab Oratore cum dignitate efferatur, (quod à me video, quantum abſit,) torpet, iacet, & emoritur. Ex amœniſſimo ſacratum Literarum viridario ſapientiæ laudandæ argumentum meam in orationem deriuabo; quod nullo fuco illitum ſplendet, nullis floribus aſperſum effloreſcit, nullis coloribus diſtinctum purpuraſcit. Mihi igitur, ſi beneuolas aures præbeatis, non leuia, ſed firma; non ludicra, ſed ſeria; non humana, ſed diuina; non figmenta, ſed oracula audietis. Age verò, quid commemoras? quid enarras? quid expromis? quo & ſapientia ſatis dignè illuſtretur, & auditorum animi ad ſapientiæ ſtudium cum aliquo ſenſu voluptatis incendantur.

Arcam illam memoro, pleniſſimum religionis adytum, locupletiſſimum theſaurum ſanctitatis, ampliſſimum cœleſtium arcanorum monumentum, Diuinitatis ſacrarium auguſtiſſimum; ſapientiæ non fictum, ſed veris expreſſum coloribus exemplar: quam Hebræi populi moderator, ſupremi Numinis ductus imperio, fabricandam curauit, vt initium à Deo fœdus cum hominibus hoc certiſſimo pignore ratum, atque firmum in ſempiternum tempus conſeruaret. Quantam verò affinitatem habeat cum ea, quam laudamus, ſapientia, hoc non Dædaleo, ſed diuino fabricatũ ingenio monumentum; vos ipſi, vt ſpero, concedetis, ſi non modò oculos ad ea, quæ externa ſunt; verùm etiam ad ea, quæ interna, mentis aciem cõuertatis. Tria ſunt, quæ in Arca, tanquam in ditiſſimo theſauro incluſa ſeruabantur. Virga, non Mercurij, non Quirini; ſed illius, qui longè clariſſimus fuit, ſapientiæ pariter, ac pietatis Antiſtes, Aaronis: eſca non Saliares, non Sybariticas in menſas; ſed in hominum delicias, inſtar tenuiſſimi roris, lautè, copioſéque è cœlo miniſtrata: lex non Lycurgi, non Solonis firmata iudicio, ceratiſque in tabulis, vt mos erat, preſſa leniter ad exigui prædicationem temporis; ſed ipſius Numinis lata conſilio, iam in ære, iam in marmore, altiùs inciſa ad memoriam omnium ſempiternam. Quis non miretur tot diuitias, pluros quàm Pactoli opes, maiores quàm Pelopis talanta, pretioſiores quàm Lydias arenas, vna in capſa contineri? At in virga, imperij dignitatem exprimi; in eſca, mentis delicias effingi; in lege, virtutis obſeruantiam adumbrari; horum omnium cultricem, & conſeruatricem eſſe ſapientiam, tam appoſitis conuincam teſtimoniis, vt qui inficiari pergat, cerebroſus, ne inſanus dicam, videarur.

Margin notes (right column): 104 *Arca veteris Teſtamenti, ſapientiæ exemplar.* — *Tria ſeruabat illa Arca.*

Quid

105. Quid amygdalus, vnde virgam deciſam eſſe palàm eſt, potiùs repræſentat, quàm imperium? Vt enim illa præcocis naturæ arbor nouos germinum oculos brumali tempore expandit, quorum nonnulli maturè iam faſtigiati immodicis imbribus atteruntur; multi iam feliciter expliciti, ventis pertinaciter flantibus, verberantur; plurimi tunc primum lacteſcantes frigoris inclementia aduruntur; rari admodum ab his iniuriis immunes, ab his calamitatibus illæſi vſque ad maturitatem conſeruantur: ita planè imperium, cùm primùm verticem attollit, & rerum geſtarum gloria efflorescit, ſtatim inuidia laborat, odiis carpitur, curis conficitur, periculis minuitur, inſidiis frangitur, metu extabeſcit, inteſtinis factionibus diſſipatur. Iam verò ipſa virga ab arbore auulſa, modò arida, nuda pomis, ſucci expers, viriditate ſpoliata; modò euentu prorſus admirabili exuberans in gemmas, erumpens in flores, diffuſa in ramos, pulcherrimos in fœtus intumeſcens; quid aliud oſtendit, quàm imperium alterna rerum viciſſitudine agitatum; nunc pronum ad ruinam, nunc erectum in ſpem æternitatis; iam cladibus perculſum, iam commodis reſarcitum; modò vi Martis penè labefactum, iterum ab ipſis lethi faucibus proſperam in fortunam reſtitutum? Cùm ergo fugacius, & inconſtantius, quàm imperium nihil ſit; ſola ſapientia eſt, quæ diuturnum efficit, & immortale. Tolle è medio ſapientiam, florentiſſima regna è ſummo faſtigio ad interitum rapientur: hanc iterum repone, ignobiles reſpublicæ, exiguis ab initiis magna capient incrementa.

Imperij firmitas à ſapientia.

106. Adeſte, quæſo, animis, Auditores ampliſſimi, & quacunque orbis ſpatia protenduntur, oculos circumferte: quantum cogitatione aſſequi potueritis, ſecula anteacta in memoriam reuocate. Videtis, quot imperia, cùm ad orientis, tum etiam ad occumbentis Solis plagas aliis, atque aliis temporibus extiterint: quot regna tam ſub Auſtro, quàm ſub Aquilone iam inde à primo orbis ſtatu ad hoc vſque ætatis effloruerint? Mecum igitur ſingula diligenter expendite: & ſi vel vnum inueneritis, aut diuturnitate regnandi præcellens, aut imperandi finibus auguſtum, aut diuitiarum gloria opulentum, aut rerum geſtarum amplitudine decantatum, in quo ſapientia, tanquam rerum publicarum conſeruatrix, principem locum non tenuerit; non modò orationem meam vti caſſam, & inanem ſibilo, & conuitio explodite; ſed me ipſum quoque magis veteratorem, quàm Oratorem eſſe iudicate. Primùm ergo Ægyptum intuemini, regionem planè adeò vetuſtam, vt terræ parens, adeò illuſtrem, vt cœli imago ab antiquis diceretur; ſoli vbertate tam inſignem, vt quod Sicilia Romæ, ipſa totius mundi granarium eſſet populorum multitudine tam frequentem, vt viginti milia vrbium haud ſanè ignobilium ſuo quaſi amplexu contineret? Regum perpetua ſerie ſibi inuicem cohærentium tam felicem, vt ampliùs trecentos vſque ad Amaſim numeraret; cùm ab illo adhuc plurimi ſequerentur. Videtis huius regionis dignitatem? Suſpicitis ſplendorem? Amplitudinem demiramini? At ſapientia eſt, quæ primùm natam excepit, impolitam effinxit, creſcentem nutriuit, adultam auxit, ſeneſcentem excoluit, matura iam annorum canitie tuitam quàm diutiſſimè conſeruauit. Ibi enim cœleſtium ſphærarum metatores, arcanæ Philoſophiæ parentes, difficilium ænigmatum artifices, ſymbolicæ doctrinæ architecti, bonorum artium Antiſtites, iacentium literarum creditores, Reges ſapientia exculti, ſapientes regia dignitate inſignes floruerunt.

Orbis imperia conſiderantur.

Orbis imperia à ſapientia diſtinguntur, ac eadem conſeruandant.

Ægyptiorum imperium.

Iam in Syriam animos intorquete, vbi Aſſyriorum imperium otioſè contemplamini; quod exiguis ortum principiis, non exiguis finibus incluſum continetur; ſed ad orientem Solem effuſum, ad occumbentem propagatum, ad Aquilonem extenſum, ad Meridiem productum, non modò terrarum plagas ditione; ſed etiam, vt à ſacro diuinæ mentis Interprete Daniele memoratur, cœleſtes oras ſui nominis fama occupauit. Potuítne tam illuſtri ab imperio exulare ſapientia? Accreſcere ſine ſapientiæ præſidio tanti imperij vires potuerunt? Sanè qui iſtud, aut in vulgus audeat effutire, aut ſecum tacitus arbitretur, amens eſt. Ergo Chaldæis, natura ad ſcientiam natis, ingenio ad ſtudium effictis, primas Aſſyriorum Reges deferebant. Quidquid illi definirent, certum; quidquid præciperent, iuſtum; quidquid prohiberent, malum; quidquid ominarentur, diuinum iudicabant. Denique tanta fuit eorum gratia apud Reges, fauor apud ſummos viros, dignitas apud infimos ordines, autoritas apud ſenes, admiratio apud iuuenes, apud omnes commendatio, vt ab illis ſapientes viri, vbicunque terrarum extitiſſent, Chaldæi poſtea vocarentur. 107.

Aſſyriorum imperium.

Aſſyriorum Reges primas ſapientibus deferebant.

Quid de Perſarum imperio commemorem? Adeóne peregrinus quiſquam ab hiſtoriis, vt illius diuitias ignoret, nemini mortalium ignotas? Mitto alia Perſici apparatus argumenta. Regium, quæſo, in cubile penetrate, ſtragulis veſtibus excultum, belluatis periſtromatis adornatum, conchyliatis tapetibus expictum, vermiculatis operibus interpunctum, omnibus ſummi artificij cælaturis variatum. Lectum ipſum intuemini, in quo non tam molles culcitras, leues plagulas, Phrygianas veſtes, textiles ex auro, argentóque puluinos curioſis oculis perluſtrare, quàm illud regij capitis ceruical, ita veteres dicebant locupletiſſimum theſaurum, cui dormientes Reges incubabant. Iam verò illa vitis ex auro fabrè facta, quæ è lacunari in omnes partes nimia fundebatur, patulis opaca frondibus, flexuoſis adminiculata clauiculis, aureis iugata perticis, clariſſimis inſerta gemmis, omnibus ſummi pretij lapillis ignita, tanto artificio, vt racemos veris compactos acinis videre ſibi quiſque videretur, quantum erat Perſicæ opulentiæ monumentum? At nihil tam ingentes Perſarum opes ab inſidiis immunes conſeruauit, niſi illa ipſa, quæ conflauit, ſapientia tueretur. Certum enim eſt, neminem apud Perſas, quæcunque in eum, vel à natura, vel à fortuna dotes confluxiſſent, regiam in ſedem cooptatum, niſi, qui ſapientiæ ornamentis inſtitutus reliquis omnibus anteiret. Iacebat inter eos generis amplitudo, nihil domorum lautitia pendebatur, non admodum corporis vires requirebant, haut multùm de matura ætate cogitabant; illa, quam Euripides imperio dignam affirmauit, præſtantiſſima forma, tanquam merus fucus, adulterinus color, periculoſiſſimus veternus ab imperio arcebatur. Sola ſapientia erat, quæ viros genere ignotos, conditione ſeruos, fortuna miſeros, valetudines infirmos, ætate iuuenes, corporis habitu inuenuſtos ab infima plebecula in regiam dignitatem vendicabat. 108.

Perſarum imperium.

Perſæ Regem, non niſi ſapientem eligebant.

Vocat me iam Græcorum illud imperium, vt ſacer appellauit Hieronymus, vocaliſſimum: quòd illius fama longè, latéque diffuſa, non mo- 109.

Græcorum imperium.

dò finitimas gentes: ſed illas etiam, quæ locis erant diſiunctiſſimæ, ad obſequium traxit, ad deditionem impulit, ad perpetuam ſeruitutem inuitauit; glorioſus ſibi fore exiſtmantes, famulari deformatas habitu, tam illuſtri imperio ſeruire, quàm regiis inſignibus decoratis quibuſcunque nationibus imperare. Cuius rei teſtes appello non modò Aſiam vniuerſam, Græcorum imperio liberaliter obſequentem; verùm etiam pugnaciſſimas Africæ, atque Europæ nationes, partim ad dolos concinnandos ſuopte ingenio eruditas, partim ad omnem fortunæ aleam cæco impetu effrænatas; quæ omnes Græci nominis formidine perculſæ, viros ad Alexandrum de pace ineunda legauerunt; vt quas ille imperio reluctantes virtute ſua facilè pedibus premeret, eaſdem ſaniori vſas conſilio, ſua ſapientia incolumes conſeruaret. Quid ergo huius imperij famam naſcentis aluit, florentis euulgauit, mortui iam ac deplorati, etiam nunc in luce collocat, in omnium oculis defigit; niſi illa, quæ obliuione non deletur, vetuſtate non exeditur, tenebris non obſcuratur, morte ipſa non extinguitur, ſapientia? Quæ ſi vſquam aliàs hoſpitium, certè apud Græcos domicilium collocauit: ibi enim duæ illæ vrbes optimarum artium altrices Lacedæmon, & Athenæ floruerunt, è quibus tantus ſe ſplendor in omnem Græciam effudit, vt quod homini duo lumina, idem ipſæ Græcorum imperio præſtitiſſe dicerentur. Mitto illam porticum Zenonis pluribus Philoſophis frequentem, quàm emblematis diſtinctam: illam Platonis Academiam iucundioribus doctrinæ floſculis redimitam, quam arboribus nemoroſam: illud Ariſtotelis Lyceum clarioribus ſapientiæ documentis illuſtratum, quàm irriguis fontibus interſectum. Palàm ſit, quidquid honoris, quidquid gloriæ, quidquid vtilitatis hoc imperium comparauit, potiùs ciuium doctrinæ, quàm militum armis tribuendum: præſertim cùm ipſius imperij moderator Alexander, ad hoſtes ſubigendos, ad ciues propugnandos malle ſe optimatum rerum ſcientia, quàm potentia præcellere, apud Plutarchum fateatur.

Lacedæmon, & Athenæ.

Plutarchus in vita Alexandri Magni.

110. *Romanorum imperium.*

Sponte ſua fertur oratio ad illud Romanorum imperium, tantò reliquis omnibus glorioſius, quátò Sol minoribus aſtrorũ luminibus clarior ſplendeſcit: cuius tantæ fuerunt opes, vt, ſi credamus Appiano, quotquot natura parens intimo terræ viſcere incluſit, in Romanorum ſinum prodiiſſe videantur: tam ingentes vires, vt, ſi vel hoſtis iudicio Annibalis rem ipſam arbitremur, Romana virtutis, non niſi Romanis viribus ſuperetur: iam lata, extenſáque poſſeſſio, vt ſi Maronem audiamus, nullas metas, nullos fines nouerit; ſed iiſdem, quibus Solis curſus, regionibus, ac terminis incluſa teneatur: tam vegeta in tam florenti ætate diuturnitas, vt ſi illum auſcultemus, qui ab eloquentia Tertullius debuit appellari, eundem exitum, quem Orbis, Roma habitura ab antiquiſſimis viris prædicetur. Quotus verò quiſque erit tam perfricti oris, tam effuſæ audaciæ, tam profligatæ verecundiæ, qui huius imperij gloriam, aliorſum quàm in ſapientiam iudicet referendam? Certè (vt alia eius ornamenta prætermittam) Romanum imperium, quantũ quantum fuit, totũ ſapientia fuit. Nullus ibi ordo erat à ſapientia vacuus, nulla domus à literis diſſoluta, nulla ætas ab ſtudio feriata, nullum negotium tam operoſum, in quo litteris otium non vacaret: nullum otium tam remiſſum, in quo cum ſapientia negotium non eſſet. Cæſar inter armorum ſtrepitus, tubarum clangores, cadentium, occidentiúmque militum ſingultus maius à libris, quàm ab armis præſidium capiebat. Lucullus inter nauigandum, licèt modò nauis fluctibus ſolueretur, modò armamenta ſæuis conuulſa turbinibus rumperentur; modò naturæ vi tempeſtatis perterriti de ſe ac ſalute ſua deſperarent, periculorum immemor, totus ſtudio intentus quieſcebat. Quid Auguſtus, etiam cùm ſolutum à curis animum otiari oportebat? balneas ingreſſus, iucundiſſimis liquoribus perfuſus; miro voluptatis lenocinio recreatus, libris tamen diligenter lectitandis, imò & ingenioſè componendis inſudabat. Parens ille eloquentiæ, cùm ſe ad ſuburbanum agrum, ad villam Tuſculanam, animi gratia, colligebat, quid agebat? Non minus ſanè curarum laxamentum, quàm literarum incrementum; non minùs cum foro diuortium, quàm cum ſtudio commercium aucupari videbatur. O imperij conſeruatricem ſapientiam! ô regnorum præſidium immortale! quæ non modò Romano imperio, ſed omnibus, quæ in orbe viguerunt, firmitatem conciliaſti, ac decorem.

Romani imperij gloria ſapientiæ referenda.

Vidiſtis, vt clariſſima Orbis imperia cum ſapientia efflorеſcente effloruerint, cum adoleſcente adoleuerint? Atqui, niſi multa iam foret oratio, pronum mihi eſſet oſtendere, hæc omnia cum ſapientia corruente pariter corruiſſe. Illud vnum Hebræorum imperium, cæteris omiſſis, argumento eſſe poteſt, quod, dum à Salomone omnibus ſapientiæ dotibus inſtructo regebatur, dignitate præſtans, opibus abundans, ditione auguſtum, pacis munere fortunatum eminebat: idem ad Roboamum deuolutum, iuuenem inertem, nullius diſciplinæ alumnum, nullius doctrinæ candidatum, in caſum iuit, in præceps ruit, inteſtinis præliis conflagrauit. 111.

Hebræorum imperium Salomone auulſo corruit.

Venio ad alteram orationis meæ partem, multò tamen, quàm primam, breuiorem; in qua, ſicuti apud Ateam cœleſtes dapes, ita apud ſapientiam veras animorum delicias conſeruari audietis. Quid eſt, obſecro, quod ad voluptatem propiùs accedere videatur, quàm diuinum illud nectar è cœlo in Hebræorum epulas effuſum? cuius ſi nouitatem contempleris, admirabundus exclames: Quid eſt hoc? tanquam ſi exoticum eſſe condimentum deprehendas, nullum in cœnam aliàs inuentum, quamuis diligenter exquiſitum: ſi pulchritudinem ſpectes, videre tibi videaris rorem in pellucidos orbes conglobatum, floſculos miro candore intermicantes, gemmas ſummo artificio expolitas: ſi ſaporis lautitiam attendas, quidquid vnquam artis, & naturæ veſtigauit induſtria ad torpentis gulæ faſtidium excitandum, totum id vno in ferculo ſentias mirabiliter incluſum: iam pauos Samios, Phrygias attagenas, Colchicos phaſianos edere te putes: iam Tarteſſias murænas, oſtrea Tarentina, acipenſeres decumanos tibi dari in cibum credas: modò glandes Ibericas, nuces Ponticas, palmas Idumæas apponi coràm arbitreris: modò Attica bellaria, adorea tregemata, florem nectaris, medullam mellis exiſtimes deguſtare. Quid magnificentius? Quid diuinius fingi poſſet? Valeant adiiciales dapes magno impendio præparatæ, pontificiæ cœnæ incredibili luxu inſtitutæ faceſſant omnes: conuiuia ab Antonio indicta, vbi tot fercula, quot ſunt ferculorum nomina, apponi dicebantur, ab hominum memoria penitùs abdicentur: vnum hoc conuiuium tam eſt amplum, ac tam ſplendidum, vt omnia honeſtiſſimæ voluptatis blandimenta

Hebræorum nectar.

Varia gulæ irritamenta.

Marci Antonij conuiuium lautiſſimum.

menta complectatur Verùm, vbi exiſtimatis tam iucundas epulas diu conſeruari potuiſſe? In agriſne effuſas, ac diſſipatas?

112. At vbi primùm die iam adulto meridianus calor nullo flatu temperatus augebatur, quamprimùm immodico æſtu tepefactæ ſoluebantur. Vbi tandem? priuatíſne in tentoriis ſecluſas? At ſi quis ad rem auidior, quàm par erat, earum vel tantulam portionem proximam in diem conſeruabat: ecce tibi cœleſtis illa infici pulchritudo, fuligine candor obtegi, ſapor cum nidore commutari, tota denique ſitu obduci, tota obrui ſqualore, tota in vermes ſolui, in corruptionem abire in nihilum poſtremò exhalari. Vbi ergo, cùm nihil reliquum eſſe videatur? Sola Arca erat, in qua incluſæ dapes, neque Solis ardore ſoluerentur, neque vllo naturæ vitio contabeſcerent; ſed recentes, & incolumes ſe in poſteram ætatem conſeruarent. Ita planè res habet, Auditores humaniſſimi: ita planè. Veſtræ qualeſcumque erunt voluptates, (erunt autem, ita credo, honeſtiſſimæ,) niſi ſapientiæ regionibus circumſcriptæ teneantur, quàm citiſſimè defloreſcent. *Seneca indicium de incredibili ſui aui luxu.* Quod, quæſo, non ex me tenuiter, ſed ex Seneca luculenter audiatis. Vides, inquit, hominem auro, gemmiſque baſilicè exculptum, madentibus concinnorum fimbriis eleganter calamiſtratum, longo famulantium virorum ordine circumſpectum? Intueris ædes magnificentiſſimè extructas, laquearia pretioſis lapillis, tanquam ſtellis collucentibus cælata, parietes & auro, & coloribus ad miram ſpeciem illuſos? Cernis opipara conuiuia, geniales hortos, celebres ludos, feſtiuos plauſus, delicatiſſimos concentus? Quid miraris? quid ſtupes? pompa eſt, fucus eſt, inanis decor eſt. Videntur iſtæ res non poſſidentur; cùm parent, fugiunt; cùm placent, volant; cùm rident torquent; cùm florent, marcent; cùm adſunt, fallunt; cùm titillant, perimunt; cùm ſtare putantur, repentè dilabuntur. Cur ita? Quia in cedrina illa pyxide ſapientiæ non continentur, quæ rebus ſuopte nutu ad interitum ruituris diuturnitatem præſtat; vel, ſi dicere per vos licet, æternitatem. O eximiam ſapientiæ conſtantiam, in qua res fragiles roborantur, fugaces retinentur, eſca ſine hamo, voluptas ſine periculo, oblectamenta ſine ægritudine capiuntur.

113. *Sapientia cõuiuium.* At ne in extrema oratione veſtra me deficiat audientia, omnibus indico cœnam, omnium, quas vllas ætas vidit, celeberrimam. Parate ſymbolos, niſi abire vultis incœnati. Septem ſunt, *Conuiua ſapientiæ.* quos ſapientia in hoc bonarum artium Lyceo ad epulas inuitat: neque plures inuitare æquum eſt, iuxta vetus illud verbum: *Septem conuiuium, nouem conuitium.* Eorum aſſymbolus nemo venit: *Rhetor.* ſuas omnes afferunt collectas. *Rhetor* omnium primus ſyntheſi texturæ non vulgaris exornatus, manu altera gerit calathiſcum plenum iucundiſſimis eloquentiæ floribus, quibus conuiuæ, vt olim mos erat, coronentur: altera myrothecium Iſocraticum, vnde nitidi ſermonis promantur vnguenta, in epulantium capita de more aſpergenda; vnde petantur ſales feſtiuæ orationis, *Mathematicus.* quibus reliquæ dapes condiantur. *Mathematicus* habitu augurali venerandus citharâ tenet; & cùm muſicam doceat, maximum in conuiuiis oblectamentum, neruos pulſat, numeroſè modulatur.

Virg. 1. Æn.

Iam canit errantem Lunam, Soliſque labores:
Vnde hominum genus, & pecudes, vnde imber & ignes
Arcturum, pluuiáſque Hyadas, geminóſque Triones.

Dialecticus. *Dialecticus* cùm habeat ferè nihil, quod in cõmune conferat, chironomum ſe fore pollicetur non inurbanum, epularum ſtructorem non ineuenuſtũ: quippe propoſitas dapes diuidendo, definiendo, argumentando in fruſta diſcerpit, tam leui appulſu digitorum, vt cùm ſingulas contingat, ab omnibus abſtinere videatur. *Ethicus.* *Ethicus* cenſoria virga ad incredibilem maieſtatẽ compoſitus, nõ temerè pro ſortis alea, ſed conſultè omnium ſuffragiis archipoſiam conſequutus, iubet leges inter pocula; conſulit moribus inter epulas; prouidet, ne quid tumultus inter voluptates excitetur. *Phyſicus.* *Phyſicus* naturã diligenter perſcrutatus rerum omnium, quæ mundi amplexu continentur, primos ferculorum miſſus inducit, adeò quidem vberes, & opimos, vt quidquid retibus cogi, aucupio falli, venatione indagari, quidquid infra, vel extra Lunam, aliquam in animis mouere poteſt illecebram voluptatis, totum id exhibeat epulandum. *Metaphyſicus.* *Metaphyſicus* diuinas illas mentes extra corporis molem poſitas contemplatus, ſecundas menſas importat, non quidem ex Hyblæo melle; ſed ex nectare, & ambroſia conditiſſimas, quibus præſtantes illæ naturæ ſempiternum in æuum perfruuntur. Quid *Theologus?* *Theologus.* Vnus planè inſtar omnium, quod totius conuiuij caput eſt, liberaliter ſubminiſtrat: vtque alias ſcitiſſimi ſaporis dapes prætermittam ab ingenioſo artifice laboratas, auguſtiſſimum illud Numen (quis nõ miretur? quis *Sacrum Eucharistiæ Sacramentum.* non obſtupeſcat?) in ferculi ſpeciem conformatum omnibus proponit, non quidem fugiendum, ſed fruendum; non timendum, ſed amplectendum; non videndum, ſed ſuauiſſimè deguſtandum. O inanes delicias! ô fucoſas illecebras! ô abiectiſſima voluptatum lenocinia, quibus plerique mortalium deluſi, & in belluinum viuendi ritum efferati ab his animorum oblectamentis auertuntur. Valeant, adoleſcentes optimi, æternúmque valeant adiiciales dapes, magno impendio præparatæ; pontificiæ cœnæ, incredibili luxu inſtitutæ faceſſant omnes; nocturnæ comeſſationes teterrimam popinam inhalantes ab hominũ memoria penitùs abdicentur; reliqua malorum irritamenta, ſi qua vigent inter vos, quod meliùs vertant Superi, ſaltem ab alumnis ſapientiæ ſempiternum in exilium compellantur. Vnum hoc conuiuium ſapientiæ tam eſt amplum, ac tam ſplendidum, vt omnia honeſtiſſimæ voluptatis blandimenta complectatur.

Sed iam eſtis omnes, vt opinor, incitati ad audiendum, quo iure ſapientiam legum ſeruatricem appellarim. 11 *Sapientia legum ſeruatrix.* Diutiùs ne vos teneam, rem habete. Nemo ignorat, quibuſcunque rebus aliquid efficitur, iiſdem potiſſimùm conſeruari. Nam res omnes (vt à communiori natura ducatur exemplum) cùm ex quaternis qualitatibu[s] cæterarum principibus coaleſcant, non alit[er] conſeruantur, quàm ſi illæ inter ſe perpetu[o] in concordiam copulentur: vbi vna in eo cho[ro], vel ſopitur, vel ardentiùs ſolito excandeſcit, [h]o[r]a nulla, quin totius corporis ſtructura diſſ[o]lua[]tur. At, quis ita erit in extremam dementia[m] [pr]æcipitatus, qui ad leges condendas multar[um] rerum notitiam non requirat: Certè veter[es] [i]lli legum molitores ea fuerunt præditi ſap[ien]tia, vt non humanam ſolùm, ſed diuinam hab[er]e crede[r]entur. *Minos, Lycurgus, & Pompilius leges ab oraculis acceperunt.* Minos enim Cretenſis in Dic[t]æam montem Iouis incunabulum ſubinde ing[reſſ]us. Numinis colloquio ſe frui, & ab eo la[tas] leges accipere

pere dictitabat. Lycurgus, Delphicum ad Oraculum profectus, ab Apolline ſe doctum ſimulabat, quidquid legum Spartanis tradidiſſet. Pompilius, in Aricino luco delitescens, mentiebatur ſe Mineruæ monitu eas leges promulgare, quæ reipublicæ forent in primis ſalutares. Quorſum tamen commentitia, cùm veriſſima exempla præſtò ſint? Moſes in Sinæ verticem euadens denſa caligine circunfuſum, & crebris ignibus inter nubes coruſcantem, non ab humana, ſed planè à diuina ſapientia expreſſit eas leges, quæ Hebræis traditæ noſtra in ſecula, veluti per manus redundarunt. Cùm ergo ad ferendas leges nimiùm quantùm valeat ſapientia; iam videtis, quantùm ad conſeruandas valitura? Tollite è republica ſapientes viros; ignaros inducite, & imperitos; de legibus proculdubio actum erit; omnes ſine diſcrimine impune violatæ interibunt. Vt enim ſine gubernatore clauus præſidium habere nullum poteſt, quominùs ad ſcopulos nauis allidatur: ita leges, niſi à ſapiente viro tractentur, conferre ciuibus nihil poterunt, quominùs per omnes ſcelerum voragines deuoluti ad interitum rapiantur.

Moyſes à diuina ſapientia ſacras leges expreſſit.

115. *Virga Moſaica.*

Subeat, quæſo, animo virga illa, qua Moyſes, veluti ſceptro inſignitus, traditis ſibi à Deo copiis ducem ſe præſtitit. Quid eſt obſecro, tam à legibus immune, ab imperio tam ſolutum, adeò à natura alienum, quod illa, ſapientis manu gubernata, facilè non exequatur? Si vel prædura ſaxa contingat; aquam elicit, perennis fluuij more decurrentem: ſi mare quamlibet efferueſcentibus vndis intumeſcens vnico ictu percutiat, coituros inter ſe fluctus ita diuidit, vt hinc, & inde contrarias in partes retrouerſum compellantur: ſi leui quodam motu auras verberet, modò cœlo Cimmerias pluſquàm tenebras offundit; modò nubes atra caligine concretas in aquas ſoluit; iam tonitrua ciet, iam ardores nubium expreſſos conflictu iaculatur: iterum Soles reuocat, fugat nubes, tranquillat ventos, ſerenitatem inducit: nihil denique eſt, quod illi, tanquam ſceptro, non ſtudioſè famuletur. Verùm, vbi virga ſapientis manu elapſa, in humúmque proiecta, neque arte, neque conſilio mouetur, Deus immortalis! quàm ſæui in faciem draconis induitur, quantum in imis præcordiis virus includit, quàm tetrum ab oculis venenum exſpirat, qualem à toto ore ſæuitiam anhelat, quanta voracitate minores ſerpentes heluatur? Quorſum mea euadat oratio, iam cognoſcitis. Si ſapienter tractatur imperij clauus, ſi iura non imperitè diſponantur; nemo eſt, qui præceptis iubentis obſiſtat, legibus opponatur, minimo nutui aduerſetur, dicta omnia ſunt, & facta: nihil enim eſt difficile, quod ſapienter imperatur. Vbi tamen reipublicæ gubernaculum ſapientis è manu extorquetur; proh Superi! quæ labes, quæ pernicies exiſtat? quis gurges? Quæ vorago conſequatur, neceſſe eſt? Transuersè aguntur omnia; occidit pudor, triumphat audacia, libido dominatur: omnia vitiorum genera graſſantur, omnes virtutum cliones in exilium compelluntur. Sceptrum denique iſtum nihil minùs videtur, quàm ſceptrum; nihil priùs repræſentat, quàm colubrum ſuorum ſanguine ciuium ſaginatum; in communem patriæ ſalutem atrociter ſæuientem; in totius labem, & perniciem ſanctitatis immaniter ſibilantem. O immenſum ignorationis pelagus, quo virtutes omnes obruuntur! O fortunatiſſimum theſaurum ſapientiæ, penes quem veterum leges,

Virga in ſerpentem conuerſa.

Quàm facilè ſtabit imperium ſapiente.

cæremoniæque maiorum inuiolatæ conſeruantur? Habetis, Viri ornatiſſimi, clariſſimum ſapientiæ exemplar, ſi non viuis, certè veris coloribus expreſſum. Videtis, quæ in illo opes incluſæ deliteſcant: quæ ab illo vtilitates in hominum genus copioſè deriuentur. Vigeat ergo noſtra in Luſitania (ita Deum obſecro, reliquóſque Cœlites obteſtor) vigeat ſapientia. Stabit proculdubio imperium, veræ animorum deliciæ vernabunt, ſanctiſſima legum inſtituta permanebunt; nihil erit, quod ad perfectiſſimi felicitatem ſtatus requiratur.

Sapientiæ opes.

Sed planiùs vt audiatis, quæ vtilitates, non dico in cæteras mundi plagas; ſed in hanc vrbem ex ſapientia redundarint; diligenter, quæſo, attendite, quo pacto Arca illa in fortunatam oram lacte ac melle manantem inferatur. Ventum erat ad fluuium totius Idumææ celeberrimum; ſeorſim verò diuinis Litteris cantatiſſimum Iordanẽ: qui per id temporis niuibus è Libano ſolutis intumeſcens tam longè latéque effundebatur, vt nullis ripis circumſcribi, nullis molibus coërceri poſſe videretur. Vbi tamen illi, quorum humeris diuinum illud monumentum nitebatur, primam Iordanis vndam illato pede contigerunt; ecce tibi (ô rem ad omnium admirationem ſæculorum memorandam!) fluctus omnes magno impetu à capite defluentes retroaguntur; & quia diuina quadam vi prorſum ire vetabantur; aliis verò à tergo vndis propellentibus, rurſum omninò cedere non valebant; in immenſos aquarum cumulos paulatim glomerantur, & tanquam obiecta crepidine, ne miſerandam diffluant in ſtragem, à Deo ſuſtinentur: illi verò, qui ab eo loco verſùm mare excludebantur, partim ſubterraneis hauſti voraginibus ſubſidunt, partim celeriori curſu, quàm vnquam aliàs, in mare delabuntur: ita vt quà paulò antè efferueſcentes vndæ intumuerant, liberum ſpatium relinquatur, quo non Arca modò, ſed copiæ vniuerſæ quadrato agmine incedentes ad vlteriorem ripam deducantur. Nunc, quæſo, Auditores humaniſſimi, ab Idumæa in Luſitaniam, à Iordane in Tagum, ab Arca inſapientiam cogitationes veſtras reuocate. Vbi primùm ſapientia in Luſitaniam, à qua longè priùs exularat, gradum mouit: vbi Henricus felicis recordationis Princeps è Ioanne primo tertio loco natus Mathematicis diſciplinis operam tribuit, & honorem: vbi Alphonſus, Ioannes, & Emmanuel Luſitaniæ Reges auguſtiſſimi, quorum res geſtas cum admiratione poſteritas intuetur, in eam mentem ſunt impulſi diuino aliquo afflatu, vt literarum ſtudium excolerent, vt Aſtrologorum fierent Mecœnates: quid Tagum memorem? quid Iordanem? Oceanus planè ipſe Syrtibus præcluſus, hoſtibus efferueſcens turbinibus verticoſus, infinita propemodum aquarum mole, longè, latéque ſpatiatus ita ſternitur Luſitanorum claſſibus, ſapientia duce, nauigantibus ita coërcemur, vt non modò videatur ſuperbiam frænare ſuam, verùm etiam aquarum facto diuortio in diuerſa littora refluere, ſicco alueo naues excipere, via inter aquarum cumulos mirabiliter tendente, Luſitanos toto æquore circumferre, in extremas mundi oras feliciter exportare. Quòd ſi tubæ illæ ſeptem Arcam fœderis præeuntes, & incredibili ſonitu concrepantes, eas vires habuerunt, vt firmiſſimæ vrbis mœnia, ſuis veluti conuulſa fundamentis dederent in ruinam; quid mirum eſt, totam Orientis Solis regionem Luſitanorum imperio ceſſiſſe,

116. *Sapientiæ vtilitas maxima.*

Iordanis fluuius.

Retroagitur Iordanis impetus.

Henricus Luſitaniæ Princeps.
Alphonſus, Ioannes, Emmanuel, Reges Luſitaniæ.

Tubæ Arcam præeuntes.

Orientis imperium Luſitano ceſſit imperio.

ceſſiſſe, vbi primùm ſeptem illæ artes, quæ in liberum ho.ninem conueniunt, non concitato ad arma clangore, ſed compoſito ad harmoniam concentu omnium Indorum aures compleuêre? O vim! ô dignitatem! ô beneficam in hominum genus ſapientiæ naturam; cui cum reliquæ Orbis gentes multùm debeant, certè Luſitani plurimis nominibus debitores ſe eſſe profitentur.

117. Meminiſtis, Salmon quid egerit, vt beneficia ab Arca in parentem Dauidem collata aliqua ex parte compenſaret? Templum illud religione auguſtum, magnitudine immenſum, artificio viſendum, diuitiis portentoſum, operibus nunquam ſatis admirandum excitauit, in quo Arca ſolemni pompa collocata, ad totius ſplendorem, & vtilitatem imperij ſeruaretur. Quàm iucunda, Auditores optimi, Henrici Luſitaniæ Regis meum ſubit animum recordatio! Qui cùm videret infinita propemodum eſſe beneficia, quæ apud parentes ſuos poſuerat ſapientia, gratiam à ſe referendam duxit. Hoc bonarum artium Lyceum, hoc domicilium ſapientiæ, amplum quidem, multò tamen amplius futurum, niſi illum nobis fortunæ inuidia eriperet, fabricandum curauit, non quidem in obſcuro loco, ſed in celeberrimo totius Orbis emporio, vt cùm exteræ nationes Olyſiponem confluentes, Luſitaniam ſapientiæ muneribus florentiſſimam agnoſcerent, certè non ingratam eſſe vbique terrarum prædicarent. Quid agitis, adoleſcentes egregij? ad vos enim extrema conuertitur oratio: quid agitis? quò mentes, quò cogitationes veſtræ receſſerunt? Itáne, vt indulgentiſſimam parentem, de vobis, de patria, de Orbe tam præclarè meritam, neſcio quibus capti lenociniis deſeratis? Incumbite per Deum immortalem in ſtudium literarum, diligenter incumbite; & cùm Arcam illam non alibi, quàm in templo collocatam eſſe videatis, ſic habete, ſapientiam non niſi cum virtute coniunctam inueniri litterarum palæſtras, quas aditis, virtutum quoque eſſe omnium officinas: quare ſapientiam ſi requiritis, virtuti ſtudeatis, neceſſe eſt. Frequentate, ita vos Deus amet, hæc non damnandi, ſed abſoluendi tribunalia, ad illas aras diuinis epulis recreandi ſæpiùs confugite, pietatem colite, morum licentiam coërcete. Veſtri omnes labores in ſapientia acquirenda collocati, erunt proculdubio Deo chari, parentibus iucundi, amicis vtiles, hoſtibus metuendi, vobis honeſti, reipublicæ vniuerſæ ſalutares.

Templum Salomonis.

Henricus poſtremus Luſitaniæ Rex Lyceum condidit Olyſiponenſe.

In litterarum ſtudium animos prouocat.

ORATIO IX.

De Sapientiæ laudibus.

ARGVMENTVM.

Debora Hebræorum moderatrix ſapientiſſima, admirabilis extitit ſapientiæ imago. Enim verò, vt Regina regios ſapientiæ habitus, & dignitatem ampliſſimam oſtentauit, ita etiam vt fortiſſima militū ductrix inuictum ſapientiæ robur adumbrauit; vti vel ipſo nominis auſpicio, ingenioſa quaſi apis, ſuaue ſapientiæ ingenium ſignificauerit. Habes igitur in Debora & imperium, & ingenium ſapientiæ. Vtrumque noſter Rhetoricæ Profeſſor in Lyceo Olyſiponenſi ſuo quidem penicillo ad viuum expreſſit. Lineæ ſummæ tenuitatis, quas per tabulam ducit, ne tibi viſus effugiant, quam enim colorum claritas oculorum aciem perſtringat, huiuſque pictura claritas ſuauis eſt, allicit potiùs, quàm offendit. Attolle oculos, oculi pictura tenentur.

Auctor operis in Lyceo Olyſiponenſi Rhetoricæ Profeſſor.

ADmirabilem ſapientiæ dignitatem, ingenioſámque ipſius naturam tacita cogitatione contemplatus, liberalem Reginæ formam laureatis victoriarum inſignibus decoram, diuinis propè ingenij viribus præcellentem mecum animo effingebam. Cuius tantus decor, tantáque pulchritudo, tanta totius oris ad grauitatem compoſitio mentis oculis affulſit, vt parum abeſſet, quin me in ipſo orationis aditu longè à meo ſenſu dimoueret, quàm vt poſſem hanc ſolemnem litterarum commendationem veſtra beneuolentia feliciter auſpicatam felici aliquo exitu terminare. Diu igitur in huius contemplatione imaginis ſine ſatietate immoratus, non ſine admiratione defixus, in tale conſilium ductus ſum, vt eandem orationis penicillo adumbratam veſtris oculis exhiberem; certam in ſpem erectus, fore vt neque alio in argumento noſter labor meliùs collocetur, neque alio dicendi genere veſtris auribus indulgentiùs blandiatur. Iam itaque me comparo ad viuam illam, & ſpirantem ſapientiæ imaginem, regio habitu inſignem exprimendam: vos quæſo & obteſtor, comparate voſmetipſos ad ea, quæ dicturus ſum, tanta attentione audienda, vt in illis cogitationes veſtræ mihi defixæ videantur. 118.

Regius habitus ſapientiæ.

Sumo in manibus tabulam politiſſima arte læuigatam: colores, pigmenta, fucos, oculorum in picturis illecebras acceſſo; id eſt, ſententiarum lumina, verborum lepores, figurarum delicias exquiro; & iam prima lineamenta deſcripturus, ad illam eximiæ pulchritudinis ſpeciem, quæ mihi in mente inſidet, oculos conuerto, vt ab ea ſimilitudinem ducam; cùm ſubitò tantum ex ſe fulgorem in me vibrat, vt perſtricta videndi acie, mihi ſpes omnis infringatur, induſtria langueſcat tantis operis, non modò abſoluendi, verùm etiam inchoandi: meritò iam vt credam, ſapientiam, in qua formanda, tot verborum artifices tot Logodædali vires omnes collocarunt, à me vno adumbrari primis eloquentiæ rudimentis malè initiato recuſaſſe: non ſecùs atque Imperator ille Macedo indiſcreta veriſimilitudne pictus ab Apelle, miro artis lenocinio fictus à Lyſippo, exprimi ſe ab aliis interdixit. Quid ergo conſilij ſuperſit? Quò animum intendam à prima operis molitione reuocatus? Multa mihi terrarum ſola peragranda ſunt, ſi vſquam ſe offerat ſapientiæ imago, in ſolario, vt aiunt, in luce, in conſpectu omnium deſigenda. Illud vnum præmoneo, vnde orationem auſpicatus ſum, eam, vbicumque gentium deliteſcat, regio habitu decoram, glorioſiſſimis trophæis inſignitam, ſingularibus ingenij præſidiis circumſpectam eſſe. 119.

Alexander ab Apelle depictus.

Primùm ergo Aſiam vniuerſam colluſtro, ſingulas eiuſdem prouincias exploro, quæ ibidem anteactis ſæculis Reginæ floruerint, mente pertracto, an aliqua verum ſapientiæ præferat exemplar, otioſè contemplor. Ecce tibi in ea vrbe, quam inſanæ operum moles, inmortali poſterorum recordationi legauerunt, Babylone, inquam, 120.

Digitized by Google

Semiramis, Regina Babylonis.

quam, emporio totius Orbis longè maximo, Semiramis Reginam ad incredibilem maieſtatem compoſita procedit. Age verò, Regina Babylonis ampliſſima, quanta tuæ dignitatis argumenta præbuiſti? Quàm teſtata tui ingenij monumenta collocaſti? Amplitudinem tuam non modò ſceptrum & purpura, verùm etiam regnum bonis à te legibus temperatum edocebit: ingenium verò prædicabunt vel ipſi muti nemoroſo vertice frondeſcentes propter penſiles vernantium hortorum amœnitates, fornicatis parietibus impoſitas tanto artificio, vt nequaquam miraculo eximantur. Ampliſſimus mihi videbatur hic typus, in quo effictam ſapientiæ dignitatem, expreſſum ingenium, ſub omnium oculos proferrem. Verùm petulantes Reginæ mores, infinitiuam vrbis licentiam altiùs contemplatus, Fugite, inquam, ex hac vrbe, adoleſcentes optimi, fugite; peſſimus in ea luxus dominatur, prorupta audacia exultat, ſcelera omnia & vitia graſſantur, quæ nihilo ſeciùs veſtros animos occupabunt, quàm olim ſtrenuiſſimos Darij milites diutiùs ibidem commoratos inuaſerunt.

121. Aliò itaque animum intorqueo, cùm primùm in Syria, inclytæ fertilitatis plaga, obſeruanda Reginæ ſpecies occurrit, quæ manu altera diſtrictum gladium, altera Homeri Iliada præferebat. Agnoſco inſignia: Zenobia profectò illa eſt; niſi meos ſenſus ludificatur auguſtior eius forma, quàm mortalis. Deſideratiſne illuſtrius ſapientiæ ſimulachrum? Fingi planè, neque ipſius opera naturæ elaboratius vllum poteſt. Quid enim intuendo, melius ſapientiæ dignitatem, & imperium cognoſceris, quàm Zenobiam in totam ferè Aſiam euaginato mucrone fulgurantem? Quauis in pictura oculos iucundiſſimè depaſcite: concedetis proculdubio in nulla clariùs illuſtratum ſapientiæ ingenium fuiſſe, quàm in Zenobia, quæ ſelectiſſimos ex Iliade flores in corollas, in faſciculos, non tam ſenſibus applicandos, quàm rationi admouendos ſolertiſſimè congerebat. Cæterùm, ô caſum infelicem, & peracerbum! ſuccumbit aliquando Zenobia fortunæ, imò & Romanorum viribus occumbit, ſuperatur, Romam abducitur, in miſeram ſeruitutem compellitur; vſque ad extremum ſpiritum inglotia perſeuerat. Hoc vnum iam efficit, quominùs ex illius ſimilitudine ſapientiam effingam. Non enim cedit, non frangitur, non vincitur, non eneruatur ſapientia: nemini ſubiecta, in omnes imperium exercet: nunquam à ſuo ſenſu dimota omnes in ſuam ſententiam inducit, nullius honoris indiga, in omnes gloriam diſpenſat. Quid faciam? Quò me conferam? Quam ineam ſapientiæ laudandæ rationem, cùm neque poſſit illis effigies ab infantiſſimo Oratore dicendo exprimi, neque à curioſo indagatore totam Aſiam peragrando inueniri? Pergamne ad Africam vanis Deorum ſimulacris locupletam? An potiùs curſum inflectam in Europam propter politiores ritus, ſignis, tabuliſque excultam? Nuſquam terrarum, nuſquam viuam ſapientiæ formam comparabo. E cœlo petenda illa eſt; è cœlo, vnde ingenioſo antiquitatis commento à Socrate fuit in terras auocata. Quòd ſi neque cœleſtes orbes tantæ pulchritudinis ſpeciem clariſſimis aſtrorum luminibus repræſentatam complectantur, ex auguſtiori ſacrarum Litterarum penetrali, ſub omnium conſpectum educatur ſapientia, vbi à Deo expreſſius efficta, quàm ars humana conſequi valeat imitando, exhibetur. Date, obſecro, hanc veniam, Auditores, ſi in pleno humanitatis argumento largiores diuinitatis opes noſtra vobis oratio cumulare videatur. Agite verò, quæ vobis in mentem venit Hebræi populi moderatrix? Quæ Princeps? Quæ Regina? cum qua ſapientiam conferendam eſſe iudicetis. Vnam ego e pluribus cooptaui, cuius, meo quidem iudicio, tanta eſt cum ſapientia cognatio, tanta coniunctio, vt nunquam aliàs duæ res in maiorem ſimilitudinem coëant, in propiorem neceſſitudinem conſpirent. Debora quidem illa eſt, Debora diuino Spiritu afflata, cœleſtium arcanorum interpres, in ſuprema imperij dignitate conſtituta, tanta victoriarum gloria inſignis, vt non immeritò dicatur ſubter palmam patulis diffuſam ramis diuturnam ſedem collocaſſe: tam acri ingenio excellens, vt non inconſultè ac temerè Debora nuncupetur, id eſt, Apis, qua nullum animal finxit natura ſolertius, nullum ingenioſius formauit. Deus immortalis! quanta ex Deboræ dignitate ſapientiæ dignitas effloreſcit! quantum ex illius ingenioſa natura, huius diuina propè ingenij ſubtilitas illuſtratur! Quæ duo mox vbi expediam, optatiſſima veſtræ humanitatis aura prouectus perorabo

Socrates à cœlo in terram ſapientiam auocauit.

Zenobia, Aſiæ Regina.

Zenobia victa Romam in triumphum ducta eſt.

Debora, Hebræorum moderatrix.

Reginam ego appello ſapientiam, neque vlli, quàm Deboræ, ſimiliorem eſſe contendo. Nemo mihi ex conferriſſima hominum frequẽtia obloquatur. Nemo continentem orationem interpellet. Quid hoc, inquis, nugarum eſt? Cur Reginam voces ſapientiam? Illam quidem regiis planè inſignibus deſtitutam? Vbi regnum; vbi purpura, vbi corona? vbi ſceptrum? vbi tecta auro, eboréque fulgentia? vbi parietes belluatis peripetaſmatis conueſtiti? vbi lecti conchyliatis periſtromatis adornati? vbi fœminarum ancillantium multitudo? vbi virorum famulantium greges? vbi nobilium accedentium, recedentiúmque congreſſus? vbi reliquus ſplendidiſſimæ aulæ apparatus? Ludicra ſanè hæc Regina eſt: nec niſi in feriantium puerorum circulis inuenta. O inanem tenuiſſimi hominis, & incertiſſimi querimoniam! Quid primum ad regiam dignitatem in ſapientia requiris? Regnúmque? Mihi iam auſculta, quicunque es: peream, niſi aut ſiniſtram exuas de ſapientia opinionem; aut viri nomine indignus, omnium, qui adſunt, calculis iudiceris. Intende, quæſo, oculorum aciem, quantùm maximè intendi poteſt, in infinitam propè terrarum molem: nónne admiraris camporum immenſitates, accliuitates collium, montium altitudines, ſpeluncarum receſſus, vallium planities, littorum, orarúmque excurſus? Atqui longiùs, latiúſque patet ſapientiæ regnum. Metire, ſi potes, vaſtiſſima Oceani ſpatia: libra, ſi vires ſuppetunt, vndarum cumulos, terræ incubantes: explora, niſi factu difficillimum videtur, demiſſa bolide pelagi voragines: an non ingenti admiratione commoueris, interminatam ferè in omnes partes maris vaſtitatem peruagatus? Atqui vlteriùs ſe protendit ſapientiæ regnum. Erige oculos in infinitam aëris regionem, vndequaque circumfuſam: intuere ſupremam ignis oram, conflatum ex reliquis naturis globum ſuo ambitu continentem. Nunc quid tuum animum non percellit tam ingens aëris huc illuc commeantis latitudo, nullis penè terminis anguſtata? tam immenſus ignis amplexus, nullis propemodum regionibus circumſcriptus? At amplioribus metis definitur ſapientiæ regnum. Euade iam vlteriùs, euade, & cœleſtibus ſphæris, ſi minùs corpore, animo ſaltem

122. Prima pars.

Telluris deſcriptio.

Maris deſcriptio.

Aëris regio.

Ignis amplexus.

Sphærarum cœleſtium conſideratio.

euagare

euagare. Vidéſne orbes illos ſplendidiſſimis aſtrorum ignibus collucentes, ſingulòs, quò longiùs à noſtris oculis ſemotos; eò ampliore capacitate ad volubilitatem rotundatos? Supera tandem globum illum, qui extrema ora eſt, & determinatio mundi; citima parte nullis angulis inciſum, nullis anfractibus lacunoſum; extima verò ad ſtabilitatis præſidium quàm grata ſpecie figuratum! Nónne omninò obſtupeſcis, cùm primum animum ſubit ſpectabilis illius orbis conformatio, nulla ſpatij circumſcriptione definita? Atqui ad hanc & mundi extremitatem ſuum ſapientia

Sapientia regnum. regnum propagauit? O immenſum ſapientiæ regnum, non iis modò, quibus Solis curſus, regionibus ac terminis incluſum; verùm etiam in eoſdem fines extenſum, quibus mundi vniuerſitas continetur! O eximiam ſupremi Numinis liberalitatem, quæ larga & plena manu, eas locorum infinitates ſub vnius ſapientiæ imperium, ditionémque ſubiunxit! Quid ais iam, liuidę ſapientiæ obtrectator? Ancillaréne vocabis ampliùs ſapientiam, cuius latiſſimum regnum intueris? Regnum, inquit, video: quam in eo ſapientia poteſtatem exerceat, non agnoſco. Attende, obſecro, paulìſper: ne tibi vllus ſuperſit cauillandi locus, iam efficiam.

123. *Philoſophia regnum.* Imò ſapientia vna eſt, cuius nunquam terra imperium recuſat. Hîc præſertim illa pars Philoſophiæ, quæ diſſimiles rerum motus, diuerſáſque naturas inueſtigat, dominatur. Iam ipſius terræ ſitum, poſitionémque perpendit: quo pacto ſingulæ illius partes in ſocietatem amicè coniurantes ſuis motibus ad infimum locum adhæreſcant; quàm ardui aſſurgant montes; quàm molliter faſtigientur colles; quàm humiliter ſuccidant valles; quàm latè campi expatientur. Eam verò in penitiſſimas terrarum latebras, quæ niſi dominatrix ſapientia inuadit? Hîc illa omnium prima incidit in fertiles auri, & argenti venas, in perlucidos amnium vigores, in reſidentis terræ ſinus, partim incendiorum fomite obturatos, partim incluſo ac reluctante ſpiritu commotos:

Terra motus. vnde flammarum ſcatebræ erumpunt, montium labes exiſtunt, vrbium ruinæ conſequuntur.

Mathematices regnum. Altera verò ſapientiæ pars, quæ diſciplinas Mathematicas complectitur, quantum habet in ter-

Ptolomæus. ram dominatum? Teſtem ego appello Ptolomæum: reliquos item eiuſdem facultatis alumnos teſtes appello, qui terram vniuerſam ita peragrant, ita ambiunt, ita luſtrant, vt non modò illam milliaribus diſcriminēt, paſſibus præfiniant, digitis exæquent; verùm etiam granis hordeaceis dimenſam patriantur. Ille verò Syracuſanus

Archimed. Archimedes, quantum iuris ſibi arrogat in terram? qui ſi locum aliquem extra hunc globum nanciſcatur, vbi pedem figat, viréſque intendat; facilè à ſe totam hanc molem ponderibus libratam ſuis diuulſam iri pollicetur. Quid porrò ma-

Philoſophia nauigia excogitauit. re? ad eius furorem eludendum ſapientia nauigationis inuentrix, primùm naues compegit ex ſubtilis, ſequacíſque naturæ virgis opere textorio ſolidiſſimè connexis: deinde verò diuerſis diuerſa contulit; vela Icaro; malum, & antennas Dædalo; gubernaculum Typhi; ſicque aliis alia, & totam eam machinam fabricauit, quæ deſæuientis pelagi ſuperbiam frænaret, fluctus conſtringeret, tumores coërceret, merces, ab aliis nationibus in alias moribus & linguis deiunctiſſimas, duplici ad ſingulas redeunte fœnore conuectaret.

124. Perge ergo, Regina ſapientia, & reliquas infra ac ſupra Lunam regiones moderare. Aërem

peruagatur ſapientia, quà nimiis Solis ardoribus æſtuantem, quà intemperata frigotis ſæuitia obrigentem: illac amicitiam eum igne copulantem; hàc verò concordiam cum aqua ineuntem: modò præ ſerenitate fuſum, & extenuatum; modò præ intemperie conſtipatum, & concretum: iam horridum procellis, fulminibus coruſcum, tonitruis bacchantem; iam placidiſſimis auris delinitum, pulcherrima luce colluſtratum, vitalem ſpiritum afflantem intuetur. Ad ſuperius verò ignis domicilium appulſa, quid non tractat, quid non regit, quid non moderatur ſapientia? Diligentiſſimè inueſtigat, quare nulli fulgores ex tanta flammarum perſpicuitate noſtris oculis offundantur; cur in tanta celeritate ignis ſe in gyrum conuertentis, frequentiùs, & liberiùs igneæ faculæ in terram non deſiliant; quamobrem in ſumma illius naturæ edacitate tanta parſimonia obſeruetur, vt ne ſemiuſtus quidem proximus, orbis relinquatur. Quid tandem cœlum, vndique patens & apertum? Nónne ſe ipſum in ampliſſimo ſapientiæ regno contineri gloriatur, cùm ſuas opes, ſuas delicias in illius ſinum liberaliter effundat? Adite mecum obſecro, Auditores humaniſſimi, Regiam illam Caroli V. Impera- *Caroli Imperatoris ſphæra.*

toris multò ornatiſſimam. Octauum illud, ſeu potiùs vnicum orbis miraculum intuemini; ſphæram eam dico, Dædaleo planè artificio conſtructam; diuino propè ingenio fabrè factam, in qua cœleſtes obes inter ſe mirabili nexu illigati, partim errantium, partim inerrantium aſtrorum ignibus diſtincti, tam firmis & æqualibus ſpatij diuerſi rapiantur, vt modò Lunam in vmbram terræ incidentem, modò Solem Lunæ oppoſitu caligantem; iam inſtitutiones, iam progreſſiones ſingulorum, omnium denique motus pro rata portione æquabiliter incitatos repræſentent. Cœlum planè diceris in terram deriuatum, eò maiori commendatione, quò breuioribus circulis incluſum; neque in cœleſti illa domo quippiam admirationis inueniri, quod in hoc opere perfectiſſima arte abſoluto requiratur. Nimirum, tantam habet ſapientia in ſuperiores orbes poteſtatem, vt non modò ſingulos propriis locis conſtitutos moderetur; verùm etiam omnes ſuis tanquam è ſedibus excitos infra Lunam anguſtioribus ſpatiis concludat. O vim incredibilem! ô potentiam inauditam! ô imperium ſingulare!

Sed iam ab his rebus, quæ mentis ſunt exper- 125.

tes, ad hominem, qui rationem habet ex diuina *Quale ſapientia in homines imperium.*

natura, orationem transferamus. In hunc & regiam poteſtatem ſapientia exercet. Huius animum ita ſcientia de moribus gubernat, vt eum ad rempublicam ſuſtinendam Politica inflammet, ad familiam adminiſtrandam Oeconomica erudiat, ad vitam è virtute effingendam vna Ethica informet. Impolitam ipſius mentem Dialectica ita fingit, vt eam reddat ad formas diſtinguendas Diuiſio ſolertem, Definitio ad naturas explicandas abundantem, Argumentatio ad rationes colligendas efficacem. Balbutientem eiuſdem linguam loquendi facultas ita acuit, vt illam Grammatica ad orationem emaculandã bonis præceptionibus inſtituat; Humanitas ad dictionem excolendam prædiuite rerum ſupellectile exornet; Eloquentia ad intimos audientium ſenſus titillandos optimis dicendi characteribus illuſtret.

Adhuc

Digitized by Google

Adhuc tamen terrena neſcio qua contagione noſtra ſe oratio inuoluit. Auocate iam à communi oculorum conſuetudine cogitationes veſtras, & nobiliſſimum illum beatarum mentium, *Beatorum conſideratio.* conſeſſum, quem Angelorum appellaris, veſtris oculis admoueri fingite. Quanta nobis lux, quantus ſplendor oriatur, ſi naturam illam nulla vitiorum labe aſperſam, nulla fæce corruptionis imbutam, ab omni mortalitatis conſortio ſegregatam cogitetis? Quis non miretur in tanta multitudine concentum, in tanta diſſimilitudine concordiam, in tanta generis præſtantia facilitatem? *Plato.* Nunquam profectò diuinus ille Plato tam præclaros ciuium ordines in ſuam Rempublicam importabit. O dignitatem ſapientiæ, cui obtemperare glorioſum exiſtimant, vel qui imperio digni iudicantur. Illi, illi etiam Spiritus, ad quos delata eſt mundi adminiſtrandi poteſtas, ſapientiæ regno includuntur; inter eos libera ſeruitute obſeſſos, vel ſeruili libertate donatos *Metaphyſica regnum.* ſpatiatur Metaphyſica, triumphat, & exultat: quoſdam præfecit ſingulis ſphæris cœleſtibus in orbem agitandis, quoſdam contemplationi inſiſtentes ab eo munere exſoluit: omnes corporea concretione liberos, temporum iniuriis immunes, extra interitus aleam ſepoſitos contemplatur. Quid ampliùs eſt in mundo præter illum, qui ſuo complexu coërcet mundum? Illum, inquam, rerum omnium opificem ac molitorem Deum, cuius omnia nutus obſeruant, mandata exequuntur? In illius ergo adytum ſanctitate & re- *Theologia regnum.* ligione obſeruandum, ſe ſe ingerit Theologia, non tam libidine regnādi incenſa, quàm ſeruiendi ſtudio inflammata. Ibi ſimplicem illam naturam triplici hypoſtaſi præfixam, ſine vlla diuiſione conſiſtentem veneratur: ibi Deum humanitatis conſortem, hominem diuinitatis partici- *Sacra Eucharistia.* pem agnoſcit: ibi auguſtiſſimum illud Numen, quantum quantum eſt, tenuiſſimo externarum qualitatum amictu obuelatum confitetur: ibi ad inexhauſtum illum totius perfectionis fontem, è quo res omnes ſuum principium mutuantur, & in quem veluti in finem vltimum, recurrunt, votis omnibus adſpirat.

126. Itaque vni Deo ſapientia deſeruit; reliqua *Mira ſapientiæ dignitas.* omnia vni ſapientiæ famulantur. O Reginam imperij finibus ampliſſimam! O regnum tam longè, latéque effuſum, vt non alterius quàm ſapientiæ maieſtate compleatur! Et audeat quis Reginæ appellationem per ſummam indignitatem ſapientiæ denegare? Nemo, ita reor, ita credo, niſi in extremum dementiam abiret, vel leuiſſima dubitatione perſtringetur, quin hoc illi nomen optimo iure debeatur. Teſtimoniáne deſideratis antiquorum cum ſapientibus regiam dignitatem copulantium? Accipite illam *Tullius.* totius Italiæ vocem, qua Ciceronem, propter eloquentiam, Regem prædicabat, illud totius *Demoſth.* Græciæ præconium, quo Demoſtheni, propter dicendi vim, Regis nomen deferebat: illud Stoïcorum conſenſum, quo ſtultos omnes, ſer- *Perſæ nullum creabant Regem, quin ſapientem.* uos; ſolo ſapientes, Reges appellabant: illa Perſarum inſtituta, vt nemo Rex, niſi doctrina admodum excultus, crearetur: illud Ægyptiorum inſigne, vt in regio ſceptro oculum inſererent, qui ſenſus eſt, ſi Ariſtotelem conſulamus, ſapientiæ: illam denique Poëtarum conſpirationem, qui cùm reliqua Numina Veneris imperio ſubdidiſſent, tamen in Mineruam ſcientiarum præſidem, Muſáſque ſtudiorum fautrices nihil ei iuris detulerunt: vt planè indicarent, ſapientiam, eiúſque alumnos ita excellere, ac dominari, vt nullius imperio ſubiicerentur. Quid? ſi Reges in ipſos imperium eſt, non Ioui, vt Poëta *Horat.* fabulatur; verùm ſapienti, vt mihi videtur Ari- *Ariſtoph.* ſtophanes indicaſſe, cùm virum ſapientem, optimum citharœdum appellauit?

127. *Elegans citharœdi deſcriptio.* Adeſte, quæſo, animis, ſicuti hactenus adfuiſtis; interim dum vnum vobis ob oculos propono cithariſtam, tantùm non modò in reliquos homines, verùm in ipſum Regem imperium ſortitum, vt mirabiles in eo animi commotiones excitaret. Fuit quondam apud Henricum Re- *Henricus Rex, cognomento Bonus.* gem, cognomento Bonum, neſcio qui citharam pulſandi peritiſſimus, qui à Rege aliquando exoratus, primùm fides grauiter remiſſas fracta, &, nutabunda digitorum viciſſitudine percutiens, tam inuſitatæ ſeueritatis concentum elicuit, vt Regi quendam veluti ſtuporem iniecerit, lacrymas excuſſerit, totum vultum incredibili mœſtitia compleuerit: ſubitò verò digitis celeriter incitatis, neruíſque ad plauſum hilariter ac feſtiuè commotis, molliores, vegetioréſque ſonos in illius aures induxit, quibus Rex tanquam illecebris inuitatus, non modò hauſtum dolorem ſepeliuit, verùm etiam maximo niſu exultabundus in ſaltus, geſtúſque erupit: poſtremò chordis ad vehementiores modos acriter pulſatis, neſcio quid horridum, & incultum ad Regis aures illapſum, quod illius animum tanta immanitate efferauit, vt rationis minimè compos fremeret, deſæuiret, magnam ſatellitum ſtragem ederet, maiorem haud dubiè facturus, niſi congeſtæ vndique à militibus puluinarium moles furentem retardarent. Videtis vnius citharœdi poteſtatem? At in ea, obſecro, adumbratum viri ſapientis imperium agnoſcite. Eſt, *Sapientiæ poteſtas ad animos commouendos.* inquit Ariſtophanes, vir ſapiens, optimus citharœdus: vt enim huius opera pro multiplici cantus lenocinio, multiplices in Regis animo effectiones commouit, ita etiam diuerſa viri ſapientis documenta ad diuerſa ſtudia Regem alliciunt, & inflectunt; præcipitem in audaciam refrænant; effuſum in libidines coërcent; proiectum in crudelitatem retardant; ignauum ad res arduas accendunt. Ita Periclem Anaxagoras, Timotheum Iſocrates, Dionem Plato, Epaminondam Lyſias, Alexandrum Ariſtoteles, à vitiis abduxerunt, ad virtutem inflammarunt. Nihilominùs Reges propter inſitam rerum omnium cognitionem, quam illi propter hæreditariam à maioribus poteſtatem metuerunt, appellandi ſunt.

128. *Debora ſapientia.* O Debora! diu enim ſine te noſtra oratio, magnam ſibi dignitatem ex tua amplitudine ſapientia confleuit: maiorem tamen adhuc ſplendorem ex tuæ virtutis gloria conſequetur. Reginam Debora, moderatricémve Hebræi populi agebat. Quid exiſtimatis? Illámne imperio ad licentiam, honoribus ad voluptatem, diuitiis ad luxuriam abuti ſolitam, deliciis vacaſſe? mollitudine defluxiſſe? madentes cincinnorum fimbrias geſtaſſe? frontem calamiſtri notatam veſtigiis habuiſſe? multis delibutam vnguentis inter odores ambulaſſe? Procul abſit à vobis ea cogitatio. Fœmineo in corpore virilem animum occultabat; parcè ac duriter vitam traducebat; *Regina Debora virtus eximia.* pro ſolio multis gemmis artificioſè ſtellato, ſolum ipſum herbis tantùm agreſtibus veſtitum cooptabat; pro laquearibus auro pulcherrimè illuſis, palmam diffuſa ramorum opacitate luxuriantem obtinebat; omnibus vt eſſet exploratum,

tum, ſibi, quæ luxum in totum abdicaſſet, palmámque egregium in victoriarum inſigne extuliſſet, alacriorem animum eſſe, ad populum tuendum, quàm ad corpus ſaginandum; ad hoſtes ſubigendos, quàm ad mores effrænandos; ad patriam colendam, quàm ad vitam propagandam. O viuam ſapientiæ imaginem! Vbi ſunt illi modò, ſi qui ſunt, iniqui rerum æſtimatores, qui ſapientiam mollem, & effœminatam vocant? qui Luſitanam iuuentutem in his ſtudiis malè collocatam arbitrantur? Quaſi verò ex hoc capite noſtri gladij hebeſcant, vires eneruentur, ſpiritus ſopiantur. Reiicite, ô pudor! ô nefas! reiicite eam calumniam in iſta blandimenta, quibus, pace dicam veſtra, plerique hominum animi his temporibus obruuntur. Illa, illa armorum acies retundunt, virtutis ignes extinguunt, auiti roboris memoriam veſtris animis ablegant: ſapientia in vtranque aurem quieti non indulget, pollucibiliter non obſonat, Phrygianis veſtibus non excolitur, non denique (quod dixit Comicus) *pergræcatur*: illa militibus audaciam confert, ducibus ſolertiam conciliat, ignauis fortitudinem ſubdit, ſtrenuis virtutem roborat; omnibus verò per confertiſſimos hoſtium cuneos ingreſſa victoriam pollicetur.

129. *Barachus dux ſtrenuus.* Subit animum dux ille ſtrenuiſſimus Barachus, cuius vellem nomen præterire, ne vocabuli aſperitate teretes audientium aures læderentur: qui munitiſſimis copiis præfectus, miſſúſque à Debora contra Sizaram, prælium initurus ea lege ſibi obtemperandum eſſe dixit, dummodo eiuſdem expeditionis comitem Deboram haberet; ſin minùs, animum ſe deficere ad præclarum illud facinus ſubeundum. Obtinuit: Debora comitatus ſimul hoſtem laceſſiuit, fregit, euertit, in fugam compulit, palmam ex certamine reportauit. Ita eſt, Viri ornatiſſimi, ita eſt: præſtantiſſimi Imperatores ſuis viribus diffidunt, niſi ſapientia condiantur; vnius verò ſapientiæ patrocinio innixi, nulla bellorum atrocitate deterrentur, victoriam plerunque, vel acerrimo ex conflictu conſequuntur. Euripidem audite: Παρεξάγει λόγος, ὃ καὶ σίδηρος. quibus verbis prædicat ad bellandum, ad vincendum minùs validam non eſſe ſapientiam, *Pyrrhus Rex.* quàm ferrum. Quid Pyrrhus Epirotarum Rex? Ingenuè fatetur, plures vrbes à Cyneæ diſertiſſima oratione expugnatas, quàm ipſe vnquam armata manu ſubegiſſet. Tantum eſt ſapientiæ cum mollitudine diuortium, tantum eiuſdem cum virtute commercium, meritò vt veteres illi Poëtarum anteſignani in vnam Palladem ſcientiarum, & bellorum ſtudium conferrent.

130. *Secunda pars.* Longiùs progreſſus ſum, dum regiam ſapientiæ dignitatem illuſtraui, quàm putabam: ignoſcite tamen, non enim potuit immenſum illius regnum minori verborum ambitu definiri. Sed iam ſapientiæ ingenium quale ſit, eadem, obſecro, attentione, quam mihi hactenus præbuiſtis, *Apis conſideratio ingenioſa.* ad extremam orationem audiatis. Deboram apud Hebræos apem ſignificare; apem verò apud Ægyptios ingenioſæ ſedulitatis hieroglyphicum præferre, neminem ignorare arbitror, qui diuinas, humanáſque literas, vel è primo limine ſalutarit. Agite verò, quid eſt in ape, quod ſingulare non ſapiat ingenium: diuinum non redoleat artificium? Quis non miretur in parua mole, in gracili corpuſculo, in inſectis membris, tenui modo fiſtula cohærentibus, tam ſedulam curam, tam pertinax ſtudium, tam exercitum laborem? Sub Auroram gemino vnius, vel triplici bombo, tanquam buxo aliquo excitatæ prouolant omnes ex alueario: & qua ſe offerunt pubeſcentes herbarum tori, vernantes florum puluini, emicantium fontium ſcatebræ, liberrimo vagantur inceſſu. Iam carpunt floſculos ex fatiſcente paulatim calyculo erumpentes; iam pedibus egerunt herbas ſuauiſſimos odores exhalantes; iam puros latices ex perenni fontium ſcaturigine iucundiſſimè delibant: iam ſugunt cæleſtem illum rorem frondium lanugine inſidentem, iucunda viriditate conſpicuum, in ſubtiles orbes conglobatum, gemmas cœlo expolitas imitantem. Quòd ſi ventos, & imbres augurentur, ſuis fundatæ ſarcinulis in eundem, quo egreſſæ fuerint, alueum reconduntur: quem primùm amarioribus ſuccis *Vide infra lib. 8. n. 105.* contra minorum vermium auiditates, quodam veluti tectorio illinunt, ceram figunt, pilarúmque integerinis à ſolo concameratis fulciunt, tandem ſuauiſſimo nectare conſtipant. Quis non *131. Apes ſunt ſapientiæ hieroglyphicum.* videt Deboræ, ſapientiæque ingenium in apibus mirabiliter expreſſum, ne iam dicam adumbratum? Debora quidem cœleſtium rerum ſtudio prouecta, procul à ſenſibus abdacta, totam mentem ad diuinam illam, præſtantémque naturam aſſidua meditatione conferebat: ibi, vt in ſpeculo, non modò ſacra myſteria intuebatur, verùm etiam abditiſſima rerum futurarum penetralia circumibat, arcanum deſtinatricis prouidentiæ ordinem colluſtrabat, res aliquando in lucem prodituras, multò antè præcinebat. Quid verò ſapientia? Iiſdem planè veſtigiis inhæret. Apis *Sapientiæ ſolertia.* marinæ more, modóque pulcherrimo in viridario colludentis, ſingulis naturæ ſacrariis obeundis ſtrenuam operam impendit, nihil non videt, nihil non explorat, quod natura parens gremio ſuo complectatur: támque perſpicaci intuitu inueſtigat rerum omnium affectiones inter ſe mirabili vinculo colligatas, ex iiſdémque euentus neceſſaria lege deducendos, vt iam à primo ſatu diuinatricem vim habuiſſe, expreſſiſſe, & arripuiſſe videatur.

Rurſus Debora animum colligens à diuturna contemplatione feriatum quid agebat? Inſtar apis ſuo in alueario gnauiter operantis ceram formabat, & fingebat. Non hoc fabulare eſt, quod narro. Conſulite ſacrarum Literarum Antiſtites, apud quos inuenietis, ſolemne Deboræ fuiſſe multùm *Debora cereos conficiebat, qui religioſiſſima fana illuſtrarent.* operæ collocare in lychnis, cereiſque conficiendis; quibus inflammatis, dies, noctéſque religioſiſſima fana illuſtraret. O ſingularem Reginæ pietatem! ô Deboram, apum Reginæ vel hoc nomine præferendam, quòd illa à labore immunis oritur; tu verò ne minimam quidem diei partem effluere ſine labore patiaris. Chriſte ſancte! quàm viuum, quàm expreſſum ſapientiæ ingenium mihi ob oculos obuerſatur! Ipſos planè cereos, lucernas planè ipſas, ne lucubrationes dicam, tantummodo lucernam redolentes, vna ſapientia operatur. Nónne Plato, nónne Pindarus, quibus *Plato. Pindar.* infantibus, ſolutiſque in ſomnum, apes mirabili futuræ ſapientiæ portento in ora fauos intulerunt, multiplicem doctrinam, in libros tanquam ceram in cereo, conformarunt, vt Ethnicorum genti ſplendorem aliquem afferrent? Quid ex noſtris Ambroſius ſimili prodigio, atque illi *Ambroſ.* ad ſapientiam inauguratus? quid Hieronymus? *Hieron.* quid Chryſoſtomus? quid Auguſtinus? Nónne *Chryſoſt.* omnes, cùm primùm hauſtam ex contemplatione *Auguſt.* rerum ſapientiam in libros coagmentarunt, quoſdam veluti cereos extulerunt, qui diuini amoris igne inflammati, errorum tenebras, vitiorum caligines

Digitized by Google

ligines ab hominum mentibus longè lateque diffuſa luce veritatis amouerent?

132. *Immane cuiuſdam ſcelus.* Audite,quæſo,quod olim contigiſſe, locupletiſſimi Authores prodiderunt. Prædo quidam nefarius,totus ex malitia concretus, fuiſſe aliquando perhibetur,qui in extremam dementiam præcipitatus,auguſtiſſimum templum depopulatur, ſacrarium inuadit, pyxidem aperit; aurum quidem eripere non dubitat; ipſum verò ſacroſanctum Chriſti Corpus (quis non paueat?) illotis manibus atterit,tandē per ſummum ſcelus quoddam in aluearium deturbat, quò nemini pateret acceſſus. O profuſam audaciam! ô effrænatam licentiam! Quid tamen apes? *Apum diuinum opus,* Ampliúſne per alueum curſitare? petulcis pedibus laſciuire? labem aliquam ſā̄ctiſſimæ Hoſtiæ aſpergere? Nihil vobis minus veniat in mentem. Ecce tibi omnes confertim aduolant, officioſiſſimè circunſtant, religiosè venerantur, bombis ad harmoniæ legem temperatis proſequuntur. Interim nonnullæ ex ſelectiſſimis herbis ceram conflant, ex cera capſulam compingunt, tanto ingenio tornatam,vt interiùs plana cùm eſſet,exteriùs tamen multis operibus filicata diſtingueretur, in qua diuinum illud Sacramentum per ſpeciem honoris obeuntes præcipua quadam obſeruantia reuerentur. Quò hæc ſpectent iam videtis. Improbi Hæreticorum greges,qui non modò delubra ſanctiſſimis religionibus conſecrata nefariè compilant,ſacras Diuorum ſtatuas ſceleratiſſimè demoliuntur,aduersùs Chriſtianorum ritus noua in dies ſingulos contumeliarum genera producunt; verùm etiam(proh ſcelus! proh impietas!) diuinum Euchariſtiæ myſterium dē̄tatis libellis, verbis aculeatis ſeueriſſimè perſtringunt; diuini Numinis virtutem prædicant,quæ tanti difficultatem miraculi ſuperauit; ſapientiam commendant, quæ ignotam illam rationem influendi in hominum animos inuenit; bonitatem admirantur,quæ tam liberaliter in nos cœleſtes opes, exhauſtis, vt ita dicam,diuinæ largitatis fontibus, congeſſit. Denique tanquam ceram multifariam molitam,& ſubactam in cereos figurent; ſingularem veritatis doctrinam diligenter excuſſam colligunt in libros oratoriis luminibus illuſtratos, diuinæ charitatis facibus accenſos, qui alias *Hæreticorum fallaciæ.* Hæreticorum mentes falſitatis nebula occæcatas nouo quodam retexunt ſplendore, alias prauis erroribus mordicus adhærentes plurimis argumentis conuincunt,ipſum verò longè maximum Chriſtianæ religionis Sacramentum non modò debitis obſequiis amplectuntur; verùm etiam omnibus ſtudiis ab Hæreticorum conſutis dolis, & conflatis mendaciis tuentur. O mirum ingenium! ô præſtans artificium! Vtinam mihi tempus, vobis audiendi patientia ſupereſſet ad reliquas vtilitates proſequendas, quæ ex tam ingenioſis ſapientiæ operibus in hominum genus exeunt,& promanant.

133. Quid tandem eſt, in quo aut Debora ab ape, aut à Debora ſapientia abiungatur? Debora quidem, tanquam apis, quæ purgantis ſe aëris ſuccum quibuſdam veluti folliculis collectum, & in liquorem ſuauiſſimum decoctum ad hominum voluptates effundit,comparatam rerum omnium ſcientiam in leges mira ſuauitate conditas digerebat, quibus ita Hebræum populum iudicabat, *Sapientia ſuauitas.* vt in neminem maleuolentiæ virus euomeret, omnes ad perfectam ciuilitatem compoſitos incredibili iucunditate permulceret. O expreſſum ſapientiæ ingenium! Neſtoream hîc ego vocem requiro,ex cuius ore melle dulciori fluebat oratio, ad ea oblectamenta explicandā, quæ ex perennis ſapientiæ fontibus Attico melli præferendis in hominum mentes deriuantur. Quanta, boni Superi, dulcedine perfruuntur illi omnes, qui à reliquis voluptatum illecebris auocati ad vnius ſapientiæ delicias animum appulerunt! Vos ego teſtes adhibeo, qui religione pariter, & ſapientia reliquis prælucetis. Vos, inquam, qui adhuc pueri,neſcio, quo perfectæ voluptatis illicio inducti,prima Latinitatis tyrocinia poſuiſtis; ætate grandiores, maiori iucunditatis incitamento prouecti Philoſophiæ tænia decoraſtis; tandem dicendi facultate maturi animum ſuapte ſponte incitatum ad arduum Theologiæ ſtudium contuliſtis: quo in vertice bonarum artium collocati, iucundiſſimum vobiſmetipſis humanarum, diuinarúmque rerum ſpectaculum exhibetis. Ecquid,per Deum immortalem! ſapientia iucundius? ecquid dulcius? ecquid ſuauius humano generi tributum iudicatis? quæ tanta legum ſuauitate hominum vitam moderatur, vt ſine acerbitate in virtute contineat, ſine offenſione à vitiis refrænet,ſine ſatietate voluptate perfundat? Ex ipſo veſtro oculorum intuitu agnoſco; qualem apud vos tacita cogitatione ſententiam feretis;nempe,vnicum doctrinæ pabulum Saliaribus epulis præſtare; attritum Philoſophorum pallium Attalicis veſtibus antecedere; nocturnas ſapientium vigilias immoderatis heluonum comeſſationibus præire.

Magna ſunt, adoleſcentes optimi, qui in hoc Lyceum nobis operam daturi cō̄fluxiſtis, magna 134. *Dimouendus animus à blanditiis.* ſunt diſciplinarum oblectamenta. Meræ nugæ; futiles & inanes blanditiæ,quæ ex corporum lenociniis capiuntur. Hæc fugite, hæc execramini, hæc diris omnibus deuouete, quæ hominem ad belluinum viuendi ritum Circæo tanquam poculum abiectum,in quoddam miſeriarum piſtrinum per ſummam turpitudinem detrudunt. Sin autem procliues eſtis ad delicatiores inceſſus, ad elegantiores cultus,ad molliores delicias, ad effuſas in aliqua intemperantia libidines, animum eiicite ſapientiæ comparandæ,ne in primum quidem illius veſtibulum pedem inferetis.

Nulli fas caſtum ſcelerato attingere limen.

Reuocate in memoriam Iudicem illam,& Imperatricem Hebræorum,vt à qua ſumpſi exordium, in eadem terminetur oratio. Qualem, obſecro, viuendi rationem elegiſti,ô Debora? Quàm puram,quàm ſanctam,quàm ab omni corruptionis macula vacantem? O verè apem, quæ floſculos omnes cùm delibet; illibatum tamen virginitatis florem ita ſeruat, vt ſola fœtus facere, non producere dicatur. Tu cœlibem vitam egiſti,ne minima quidem libidinis noxa violatam:tu mē̄tem ab omni petulantia integram, ab omni obſcœnitate illæſam conſeruaſti:tu virorum aſpernata coniugia,vnius vxor ſplē̄doris ſacris Literis nuncuparis,eo ſupremi Numinis conſilio, vt mirabilis ſapientiæ cum virginitate coniunctio exprimatur. O pulchram germanitatem! o geminam pulchritudinem! Vbi ſapientia virginitati *Sapientia, & virginitas comites.* decorem,virginitas ſapientiæ honeſtatem conciliat; alterius vtraque ornamentis inſtructa clarior effloreſcit. Non aliter, quàm nubes præcipiti iam die, dum à Sole,cuius peruiæ ſunt radiis, *Nubis ſimilitudo.* ſplendorem mutuantur, eidem quoque iucundiorem ſpeciem rependunt. Fortunatum ego appellarem hoc Muſeum, felicem Olyſiponem, beatam ſemel,atque iterum Luſitaniam vniuerſam

Digitized by Google

ſam, ſi omnes, qui ad ſapientiæ dignitatem adſpirant, caſtitatis etiam pulchritudinem deperirent. Quare vos oro, vehementérque obteſtor, Auditores humaniſſimi, eóſque ſeorſim, quibus noſtra, hoc anno, laborabit induſtria, vt in virtutis pariter, atque doctrinæ ſtudium incumbatis, torpentem ſitu, ac deliciis mentem ad ſalutarem Dei timorem excitetis; contractas ſcelerum noxas minimùm quidem menſtrua Confeſſione eluatis; diuino Euchariſtiæ conuiuio languentem animum ritè conformetis; omnia pietatis officia ſtudioſiſſimè colatis; tum demum cogitationes veſtras in ſapientia acquirenda collocetis. Te verò, Chriſte ſanctiſſime, hominum tutor & parens, miſerorum præſidium ac decus, ſapientium gloria & corona: cuius è præſenti Numine, ſicuti auſpicium hodierna die ſumpſit oratio, ita reliqua parte anni contentiones noſtræ capient incrementa: te, inquam, quibus poſſumus, votis obſecramus, vt noſtrum hoc anno ad virtutem & ſapientiam curſum feliciter proſequaris. A te, qui ſapientiæ fons es, & ſanctitatis, vberrimi ſcientiarum amnes, nulla vitiorum colluuione turbidi, in huius Lycei alumnos deriuentur: vnde rurſus in alios atque alios deducti tota vrbe cum incredibili animorum ad virtutem acceſſu effundantur.

Elegans ad virtutem colendam exhortatio.

ORATIO X.

De auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramẽto.

ARGVMENTVM.

Tota ſacra, & diuina eſt, quam olim Rhetoricæ Profeſſor auditori ſuo habendam commiſit: eam accipe ſanctiſſimorum Patrum nectare plenam, & ambroſia: harum enim dapum haud imperitus iam tunc erat promus condus. Duas habet partes: in prima apponitur Euchariſtiæ Sacramentum, vt epulum valdè ſplendidũ, & pretioſum: in ſecunda, vt ſine pretio, & vulgare; pretioſum, quia nullo pretio exæquatur; vulgare, quia ſine vllo pretio confertur; quaſi verò hæc menſa non haberet maieſtatem, ſi tantam non haberet communitatem. Peroratio tota in Iudæos venuſtè conflatur, veluti in tanti huius conuiuij perfidos contemptores, & irriſores ſpurciſſimos.

135. DIuinam erga homines beneficentiam nulla res magis conſignatam poſteritati reliquit, & expreſſam, quàm illud auguſtiſſimum, & eucharisticum conuiuium, quo reficiuntur hominum, non corpora, ſed mentes; non vires, ſed virtutes nutriuntur. Nam, cùm nihil eſſe poſſit hoc diuino epulo pretioſius; nihil tamen effectum eſt à Deo hoc diuino epulo vulgatius. Rem miram! Quæ duo in rebus humanis difficillimè coniunguntur, ea in hoc diuino munere mirabiliter cohærent. Quid eſt, obſecro, in mundo pretioſum, quod vulgò nobis obſeruetur? Quid vulgare, quod vllo in pretio habetur? Aurum pretioſum eſt; fateor: gemmæ pretioſæ ſunt; id quoque non inficior: ſed quas in latebras hæc à natura reconduntur, vt ab hominum oculis auertantur? Contrà verò Apinæ, ac Tricæ vulgares ſunt, ac triuiales; nemo neget: ſed illarum pretiũ quale eſt? Ipſa viliores vilitate huc illuc agitantur. At hoc diuinum munus pretioſum eſt, vulgare eſt. Ne, quæſo, quia pretioſum eſt, reformidetis: ne, quæſo, quia vulgare eſt, abiiciatis: ſed potiùs ad illud acquirendum, quia vulgare eſt, ſpem erigite; ad illud conſeruandum, quia pretioſum eſt, vires intendite. Agite verò, quàm pretioſum ſit, conſiderate: deinde, quàm vulgare ſit, intelligetis.

Auri, & gemmarum pretium, operæpretium non eſt, verbis demonſtrare: nihil pretioſius apud homines, quàm aurum, quàm gemmæ inuenitur. 136. Si quid eſt auro illuſum, gemmis ſtellatum, abſint licèt reliqua, pretioſum iudicatur: ſi quid aurum nudum eſt, ſi quid gemmarum expers, quamuis reliqua non deſideres, vile creditur, & incultum. Hoc pretium, quantum quantum illud eſt, totum in hoc diuino ferculo repetitur. Aurũ eſt, & margaritum. Quid pretioſius? Sic enim diuinus ille Salomon, diuinæ & humanæ litteraturæ Antiſtes, hoc cæleſte conuiuium appellauit, gemmulam carbunculi in ornamento aureo. At quam gemmam? pretioſiorem proculdubio, quàm illa fuit, quam barbara Regina Cleopatra in ſcypho dilutam ad oſtentationem ſui luxus Antonio propinauit. Hæc enim, vt inquit Plinius, cùm maximè ſingulare, ac verè vnicum naturæ opus fuit; illa tamen eſt ampliſſimum diuinæ largitatis monumentum: & ſicuti natura ſuas omnes diuitias illum contulit in vnionem; ita diuina liberalitas ſuas opes, quàm multæ illæ ſunt, in hac vna gemma colligauit. Nam, quæ multa beneficia in homines à Deo emanarunt; ea omnia in hoc vno beneficio mihi videntur mirabiliter incluſa: & quas amoris ſignificationes ſingula beneficia prodiderunt, eas omnes hoc vnum beneficium ſignificantiùs expreſſit. Tria ſunt diuina erga homines beneficia præter cætera pretioſa. 137. Primum, cùm ſupremus mundi Opifex hanc vniuerſitatem rerum innumerabiles diuitias ſuo amplexu continentẽ, cælum ſyderibus collucens, terram multiplices fructus germinantem, mare aquarum immenſitate circumfuſum; aëris, & ignis regiones capaciori ſinu ambientes; denique omnia, quæ ſunt, quæ vigent, quæ animantur, ſingulari artificio è nihilo eſt architectatus. Magnum beneficium! pretioſum munus! Alterum accipite. Cùm idem omnium molitor Deus, hominum naturam, in omnium calamitatum cœno ſordidatam, ad eam dignitatem excitauit, quæ nihilo differret à diuina: ita, vt homini pariter, ac Deo, diuini honores deberentur; & qui homo longiſſimè à Deo aberat, ad Deum proximè accederet; & in quo ſolio diuina natura dominabatur, in eodem dominaretur & humana. Amplum, & inauditum beneficium! Singulare, & pretioſum donatiuum! Tertium audite. Cùm idem, & rerum conditor, & reparator ſe Beatorum dedit in conſpectum, viſendum clarè, amandum vnicè, in omnem æternitatem poſſidendum; tanto in otio, tanta in quiete, tanta in ſecuritate, vt neque vlla ſpectacula ab ea contemplatione auertant, neque vlla oblectamenta ab ea charitate dimoueant, neque vlli motus turbulenti ab ea poſſeſſione deturbent. Ingens, & pretioſum munus! Diuinum ſupremæ liberalitatis monumentum! Videtis hæc tria dona? Suſpicitis pretium? Admiramini dignitatem? At ea omnia in cæleſti Euchariſtiæ conuiuio includuntur. In primis enim illud mundanæ conditionis beneficiũ, felicius, & auguſtius in hoc epulo continetur.

Prima orationis pars.

Euchariſtia gemma carbunculi à Salomone dicta.

Hæc gemma vincit gemmam Cleopatræ.

Euchariſtia diuinæ largitatis monumentum.

Tria Dei erga homines beneficia.

Tria Dei pretioſiora erga homines beneficia sũt in Euchariſtia.

Digitized by Google

Tunc elementa fuerunt in ſuas quæque naturas mirabiliter conformata: nunc eadem in diuinum Chriſti corpus mirabiliùs transformantur. Neque mirum id videri debet: nam, ſi diuino Verbo loquente, vt egregiè philoſophatur Damaſcenus, omnia creata ſunt; quid mirum, ſi eodem ſe in cibum adhibente, omnia recreentur? Quid verò de illo dicam beneficio, quo humana natura ſociata creditur ad diuinam? Illud quoque in hoc ſacro edulio luce clariùs elucet: nam quiſquis ad hoc epulum accedit, diuinitate donatus recedit. Admiramini? obſtupeſcitis? Ita dico: & ſi cum proteruis agam, facilè conuincam. Si quando ad ſacras epulas vti homines acceſſiſtis; ea tamen pietate, qua par erat, prælibaſtis; mihi credite, naturam exuiſtis humanam, diuinam induiſtis; Deos vos eſſe exiſtimate, non homines; mortis ſupplicio immunes, immortalitatis præmio donatos. Ea cauſa eſt, quare diuinus ille Dionyſius communionem Deificam appellat, hoc eſt, Deum facientem. Nouit enim vir ſanctiſſimus huius alimenti tantam vim eſſe, ac virtutem; vt non ſolùm hominem vegetum efficiat, ſed diuinum. Et quidem, ſi nutrimenta, quò ſalubriora ſunt, eò maiorem corporibus tribuunt virtutem; quis miretur, ſi hoc ferculum, cùm diuinum ſit, ipſam quoque hominibus conferat diuinitatem? Ergo quicumque Deus eſſe cupis, huc accede, hîc epulare (Damaſceni verbis vtor) Deus hîc efficere. O dignitas! ô pretium! ô diuinitas!

Damaſc.

Dionyſ. 138. Communio Deifica quid ſit.

Iam verò diuina illa liberalitas, qua ſe Deus hominibus exhibet ſpectandum, quanta eſt? quàm incredibilis? Ea tamen ab hoc munere non excluditur; in quo quidquid in cæleſti patria viſendum eſt, totum id hominibus liberaliter confertur. Vnde parcè & anguſtè mihi videtur dixiſſe Cyprianus, cùm hoc diuinum ferculum, portionem vitæ æternæ appellauit. Nam portio eſt, vltra quam aliquid eſt: at verò in ampliſſimo illo conuictu Beatorum, vltra has delicias, vltra has epulas, vltra hæc oblectamenta, quæ nobis in hac menſa proponuntur, nihil eſt: hoc vno epulo mens ipſa paſcitur, voluntas recreatur, ſenſus omnes incredibiliter exhilarantur. Quare, cùm ad has epulas acceditis, credite, vos non ſolùm portionem vitæ æternæ emendicaſſe, ſed omnes vitæ æternę delicias veſtris animis excepiſſe. Videtis, vt hoc vnum beneficium cætera omnia vel ſuperet, vel exæquet, vel, vt dicam veriùs, complectatur? O munus præter cætera pretioſum! Meritò iam mihi videtur Regius Vates ceciniſſe, Deum, cùm hoc apud homines poſuit beneficium, cùm has epulas condixit, cùm iſtud ſui amoris monumentum excitauit; ſingulare mirabilium ſuorum μνημόσυνον condidiſſe. Habetis quàm pretioſum munus nobis à Deo in hoc epulo conferatur. Iam verò quàm vulgare idem ſit, beneuolè, quæſo, audiatis.

Dei liberalitas in Eucharistia.

Cyprian.

Eucharistia, portio vitæ æternæ, parcè dicta.

Reg. Vates.

139. Vulgarius nihil eſſe poteſt, quàm id, quod ne venale quidem eſt; ſed vllo ſine pretio comparatur. Sic aura viuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis, vulgatiſſima dicuntur. Quis enim vnquam pretio auram emit, vt auram duceret? Terram, vt in terram cederet? Mare, vt in mari fluctuaret? Littus, vt ad littus eiceretur? Inaudita iſta ſunt, ſcilicet, quod vulgare eſt, auro non quæritur, ſua ſponte ſe ſe offert. En vobis, quàm vulgare ſit illud conuiuium, quod in primis pretioſum eſſe demonſtraui. Auro non emitur; ſine pretio inuenitur. Mihi non credite, oraculo tamen credite. *Venite*, inquit diuinus Vates. Quorſum verò? Ad mercandum, ad nundinandum. *Emite.* Quo pretio? Quo argento? Prorſus nullo. *Abſque argento, & abſque vlla commutatione.* Quas merces? Quas opes? *Vinum, & lac*, hoc eſt, diuinas illas epulas, de quibus loquimur, vino, & lacte, imò nectare, & ambroſia dulciores. Pretioſum ſanè munus pariter, & vulgare. Pretioſum, quia nullo pretio exæquatur, vulgare, quia vllo ſine pretio confertur. Scire vlteriùs cupitis quàm vulgare? Mihi, obſecro, beneuolentes ſtudete. Illud ego vulgatiſſimum eſſe reor, quod vbique eſt, quod ſemper inuenitur. His omnibus nominibus hoc cœleſte conuiuium vulgare eſt. Vbique in primis eſt. Quis dubitet? Veteris religionis ſacrificia in quas anguſtias cogebantur? Vna tantùm fiebant in prouincia, vna in vrbe, vno in templo: cætera terrarum loca profana erant, nullis ſacris inaugurata. At hoc cæleſte ſacrificium vbique eſt. Quam vrbem? Quod oppidum? Quem vicum in tota ferè terrarum mole reperietis, vbi hoc cœleſte miraculum non adſit? Adite religioſa templa, auro illuſa, gemmis diſtincta, multis opibus abundantia: adeſt. Recurrite ad exigua ſacella, inter ſtramineas caſas affixa, nullo laqueari ſuffulta, omni ſpoliata apparatu: adeſt. Peragrate rectas vias, quibus precariæ pompæ deferuntur, multis frondibus inumbratas, multis floribus redimitas: adeſt. Pergite ad ægrotantium hoſpitia, peſtifero infecta tabo, teterrimum odorem inhalantia: adeſt. Luſtrate militum hyberna, ſeu æſtiua, bellico tumultu perſtrepentia; viſite tabernacula carbaſeis intenta velis: adeſt. Abiicite vos ad humile ſtabulum, quod olim in hanc rem Seraphicus ille Pater Franciſcus cooptauit, rudibus obſeſſum animalibus: adeſt. Quid vulgarius? Ipſas quoque Oceani vndas penetrate, ibi quoque inuenietis hoc celeſte munus priſcis ſæculis ſolitum deportari; ibíque à nonnullis ſperatur etiam in poſterum deportandum. Meritò vt mihi videatur ſacerrimus ille Vates exclamaſſe, *A Solis ortu vſque ad occaſum*, hoc puro ſacrificio æterno Numini libatum iri. Cernitis, vt vbique eſt? Cernite iam vlteriùs, vt ſemper eſt. Nónne hoc ſacrificium iuge eſt? Sic ex Danielis oraculo accepiſtis: ergo ſemper eſt. Ex antiquis ſacrificiis matutinum alterum, alterum veſpertinum eſſe dicitur: reliquum temporis ſpatium à ſacris feriatum erat, & immune. Hæc tamen Hoſtia, ſicuti vtriuſque ſacri vim expleuit; ita vtriuſque tempus occupauit; matutina eſt, & veſpertina: imò perdiam illam liber appellare, & pernoctem: quia neque nox vlla eſt tam intempeſta, neque dies vllus tam profanus, in quo diuinæ illæ dapes non proponantur epulandæ. Perſarum Regem Aſſuerum ſæpiùs audiuiſtis diuitiarum gloria præcellentem extitiſſe, quas vt omnium defigeret in conſpectu, conuiuium parauiſſe, quàm potuit ſplendidiſſimum; quod non in horas incluſit; ſed in ſeptem integros dies dilatauit. Magna continuatio ferculorum! Fateor. Sed quàm exigua illa iudicabitur, ſi diuini huius conuiuij perpetuitas ſpectetur? quanta illa eſt dierum paucitas, ſi hæc annorum numeroſitas attendatur? Diuturnius conuiuium illud fuit, quo Hebræorum exercitus recreatus, vaſtam, & incultam ſolitudinem peragrauit: quadragenos circiter annos liberaliter impenſum, nunquam defuit, ſemper extitit. Quis non miretur tantam epuli perennitatem? At hoc

Secunda pars orationis.

Vulgare Eucharistia cõuiuium.

Iſai. 56. 1.

Cur vulgare dicatur hoc epulum.

Eucharistia conuiuium vbique apponitur.

140. *D. Franciſcus vbi collocauerit Euchariſtiam.*

Pſ. 49. 1.

Hoc conuiuium ſemper durat.

Aſſueri ſplendidiſſimum conuiuium.

Hebræorum conuiuium.

Digitized by Google

hoc cœleſte conuiuium longiùs excurrit, diutiùs perennat. Quot iam annos? quot luſtra? quot ſæcula? quot chiliadas his diuinis epulis conuiuamur? Quo tandem fine hoc cæleſte conuiuium claudetur, niſi eo pariter, quo & Orbis? Huius conuiuij typus eſt æternus ille ignis, quo diuinum quondam altare adolebatur. Vt enim ille nunquam poterat conſopiri; ita hoc nunquam poterit aboleri. O diuinum epulum, quod nunquam deficit, ſemper ſufficit: nunquam tollitur, ſemper reponitur: nunquam ſatiat, ſemper explet. Vidiſtis, vt vbique eſt: vidiſtis, vt ſemper inuenitur. Videte, vt ab omnibus poſſidetur. Quis, obſecro, fortunæ tam extremæ vnquam fuit, quem, ſi vellet, hæc fercula non nutrirent? Quis tam delicato faſtidio extitit aliquando, qui ſummam non ſentiret in his dapibus illecebram voluptatis? De hoc cibo *edunt pauperes, & ſaturantur.* Ita Regius ille Vates. De hoc cibo incredibiles delicias hauriunt ipſi Reges. Ita Iacobi vaticinium.

Cæleſtis conuiuij perpetuitas.

Ignis ille æternus, Eucharistiæ typus.

Diuina Eucharistia ab omnibus poſſidetur. Pſ. 21. 27.

141. Quid plura? Claudi, cæci, debiles, abiectiſſimæ ſortis homunciones ad has epulas admittantur; mihi credite, impranſi non abibunt. Quid, ſi dicam, ſceleratis quoque hominibus hoc cæleſte conuiuium patere? Ita dico. Grauiter mihi videntur hoc ipſum prodidiſſe duo illi, aureo alter ore, alter ſermone, Chryſoſtomus, & Chryſologus.
Chryſoſt. Quid Chryſoſtomus? *Mirum eſt ex hoc conuiuio, ne ipſum quidem expulſum eſſe proditorem.* Quid
Chryſol. Chryſologus? *Venit vita ad conuiuium, vt ſecum faciat conuiuere morituros.* Significantius nihil dici poterat. Cur exiſtimatis, Seruatorem Christum improborum hominum conuiuia frequentare voluiſſe; niſi vt ab improbis hominibus hoc ſuum conuiuium frequentaretur? Niſi fallor,
Ambroſ. hæc Ambroſij mens eſt: *Non deſignatur,* inquit, *eorum conuiuio, quibus daturus eſt Sacramentum: quaſi libens ad improborum epulas accedat, ne improbi ab illius epulis recedant.* Cernitis, vt nemo ab hoc conuiuio excludatur. Magnum conuiuium, ſed vulgare, ſed commune! Audite iam clariſſimum Chryſoſtomi oraculum, & cæterorum, quæ audiſtis facite iacturam; libens patiar; hoc vnum altè infixum in animo adhæreſcat.
Chryſoſt. Quàm aptè in hanc rem Chryſoſtomus? *Non ſinit,* inquit, *hanc menſam eſſe Dominicam, qui non ſinit eſſe communem.* Aureum planè dictum! Ac ſi nullam hæc menſa haberet maieſtatem, niſi tantam haberet communitatem. O epulas pretioſas & vulgares! Sed quomodo, inquit Iudæus, poteſt hic (ô perfidia!) tam pretioſas epulas cum tam vulgari obſonio condire? Quomodo? Neſcis, quomodo? O ignoratio! Quæris, quomodo? ô curioſitas! Ambigis quomodo? ô
Cyrill. peruerſitas! *Quomodo tu,* inquit Cyrillus, *flagris dignus non es, qui cùm de Deo loquaris, rogas, quomodo?* Quòd ſi vſque adeò pergis inſanire, vt ſæpiùs inſuſurres iſtud *Quomodo?* mihi ades tu, tecum volo imperitiâ velitari. Dic, amabo, quomodo tu ex Ægypto exiuiſti? Neſcis? Quomodo ſceptrum Aaronicum ex arido reuireſcit? Neſcis? Quomodo vberes fontes è ſilice emanarunt? Neſcis? Quomodo pellucidi fontes in ſanguinem abierunt? Neſcis? Quomodo vaſtum pelagus in contrarias partes retroceſſit? Neſcis? Plane neſcis? Et tamen hæc omnia facta credis? Ergo mitte tuum illud *Quomodo*, tam importunum. Scias factum à Deo aliquid, quod neſcias, quomodo. Quòd ſi vos ea pietate in Deum, quæ par eſt; ea religione in fidem, qua oportet; quæ-

In Iudæos illustris peroratio.

ritis ex me, *Quomodo?* ſic accipite: Amando fecit Deus, quod nemo intelligat inquirendo, quod quilibet conſequatur venerando.

ORATIO XI.

De D. Antonio Luſitano.

ARGVMENTVM.

Grauis admodum eſt, & declamatoria: vtrũque dicẽdi genus ipſiſſimus copulauit Orator, in cuius lingua, incorrupta Antonij lingua intaminatis fulget honoribus. Cùm igitur Deus maximus nobis Antonij linguam perpetua hæreditate legauerit, totus eſt in natura incorruptæ cauſis inueſtigãdis. Tempeſtiuum ſatis, atque peropportunum argumentum: eo, ſcilicet, tempore, quo peſtilens lues per Luſitaniam in dies graſſabatur, & aër corruptus mortalibus ægris ſpiritum denegabat. Collegium igitur Conimbricenſe Antonio ſacellum conſecrat, ſimulacrum erigit, multa prece ambit, honores indicit, & Oratorem offert, qui ſanè exorauit; quaſi verò incorrupta Antonij lingua aëris corruptionem expelleret, & ſalubrem cæli temperiem reuocaret.

SI *mihi ſint linguæ centum, oraque centum*, vt 142.
cecinit Mantuanus; ſi cuncta corporis mei Virgil. 2.
membra vertantur in linguas, vt inquit Hiero- Gregor.
nymus: ſi linguis hominum loquar, & Angelo- Hier. epiſt. ad Euſtoch.
rum, vt ait Paulus; nullam partem conſequi po- 1. Cor. 13.
tero earum laudum, quæ debentur ſacroſanctæ Antonij linguæ: quæ cùm tacet, loquitur; cùm obit, viuit; cùm ſepelitur, reſurgit; cùm abire in cineres putatur, vitalem redire in pulchritudinem videtur. Tuam ego eloquentiam, Præſul Illuſtriſſime, & Ampliſſime, quem ſingularem nouit Luſitania, vidit Conimbrica, Societas noſtra experta eſt, & Paſtorem, & Prædicatorem, *qui*, vt inquit Nazianzenus, *quod lingua pingit, vita non expungit: cuius*, vt inquit Cyprianus, *efficacius eſt vita, quàm lingua teſtimonium: quem*, vt inquit Gregorius, *dicentem vita commendat, & quod loquendo præcipis, oſtendendo adiuuas, vt fiat:* tuam, inquam, eloquentiam auguſtam verbis, virtutibus auguſtiorem hîc deſidero, quæ ſola eloquentiam Antonij ſententiis pariter, & factis mirabiliter conditam illuſtraret. Interim, quod ſingulariter dicendo facilè obtineres, beneuolè audiendo fac, vt aſſequamur.

D. Alphonſus Albuquerque, Epiſcopus Conimbricenſis. Nazianz. Cypr. Gregor.

143. Quæro igitur, cur ex omnibus ſanctiſſimi Antonij membris ſola lingua incorrupta, ac penè viuens perſeueret? Primùm, aliter contingere debuiſſe, oſtendo paucis: vnicum ita conficio argumentum. Corruptio infligitur à Deo in peccati pœnam: nullum membrum eſt, quod frequentiùs, & grauiùs delinquat, quàm lingua: ergo lingua potiùs, quàm membra cætera, videtur in cineres abitura. Conſequentia bona eſt. Confirmatur. Vt alij, quàm alij grauiùs peccant, ita grauiùs puniuntur. Hinc illud: *Potentes potenter tormẽta patientur, & fortioribus fortior inſtat cruciatio.* Sap. 6. & iterum de ſuperba illa Baby-

Orationis argumentum. *Cur ex omnibus Antonij membris lingua manſerit incorrupta.*

lone,

Digitized by Google

lone, Apocal. 18. *Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentũ, & luctum.* Quæ in loca Bernardus, (Bernard.) *Iuxta qualitatem culpæ, pœnam ſuſtinebit vnuſquiſque gehenna.* Ergo pariter in ſingulis hominibus, vt alia membra, quàm alia grauiores admittunt culpas, ita acerbiores ſubeunt pœnas: vt verum illud ſit Sap. 11. (Innocent.) *Per quæ peccat homo, per hæc & torquetur.* vbi Innocentius, *Singula*, inquit, *membra pro ſuis peccatis ſingula ſuſtinebunt tormenta; vt in eo puniantur, in quo peccauerunt.* Quare, ſi lingua grauiùs peccat, grauiùs puniri debet; & ſi peccati pœna eſt corruptio, citiùs corrumpi.

144. *Corruptio pœna fuit peccati.*

Illa igitur maior propoſitio, corruptionem peccati fuiſſe pœnam, illuſtratur. Corruptio triplex eſt: prima, qua quis abit in nihilum: ſecunda, qua animus à corpore ſeparatur: tertia, qua cadauer in terram ſoluitur. Omnes à peccato ortas oſtendo facilè. Primam, qua quis abit in nihilum. (Aug tract. 1. in Ioan.) Auguſtinus: *Nihil ſunt homines, cùm peccant.* (Anſelm. lib. ſolil. c. 5.) Anſelmus: *Quoties à bono deuias, nihil efficeris.* (Bernard. 5. de conſ. cap. 10.) Bernardus: *Peccato in nihilum redacti ſumus.* Ezech. 28. *Peccaſti, nihili factus es, & non eris in perpetuum.* Paulus 1. Cor. 3. *Si habuero fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Secundam corruptionem, qua animus à corpore ſeparatur, (Nazianz.) *peccati filiam* vocat Nazianzenus. Patet Gen. 2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* (Auguſt.) Auguſtinus: *Non lege naturæ mors infligitur, ſed lege peccati.* Eleganter Oſeas 13. peccata appellat *venas mortis*: quia, (Hieron.) *quemadmodum*, inquit Hieronymus, *per venas terræ aqua deducitur, ita etiam mors per peccata in orbem deriuatur.* Non minùs eleganter Paulus ad Rom. 6. *Stipendia*, inquit, *peccati, mors.* Nam, vt explicat Caietanus, (Caiet.) *Sicuti pugnanti militi debetur ſtipendium, ita etiam peccanti homini debetur mors, ſeriùs ocyùs ſine dubio ſoluenda.* Tertiam corruptionem cadaueris in terram à peccato proficiſci, hæc oſtendunt. Peccauit olim Tyriorum Princeps: quas illi pœnas cæleſte minatur oraculum. Ezech. 28. *Dabo*, inquit, *te in cinerem ſuper terram in conſpectu omnium videntium te.* Peccauit Hebræorum populus: quod illi ſupplicium Iſai. 33. prædicit? *Erunt*, inquit, *populi, quaſi de incendio cinis.* Peccauit infidelium multitudo: quem illi exitum Malachias 4. portendit? *Calcabitis*, inquit, *impios, cùm fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum.* Peccauit (vt iam libeat fontem ipſum veſtigare) parens humani generis Adamus: quod illum abripuit infortunium? Geneſ. 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Palàm igitur iam eſt, omnem corruptionem è peccato, tanquam è primo fonte emanaſſe.

145. *Lingua frequentiùs peccat.*

Supereſt, vt minor illa propoſitio confirmetur, linguam frequentiùs, & grauiùs, quàm membra cætera peccare. Frequentiùs, non eſt dubium. Ideò Iacobus epiſt. ſua 3. linguam vocat *vniuerſitatem iniquitatis*: quia, vt inquit Baſilius, (Baſil.) *Multiforme eſt lingua peccatum: & vita noſtra referta eſt linguæ delictis.* Quare diues ille, qui à Lazaro implorat auxilium, vt refrigeret linguam ſuam, Lucæ 16. quem, vt loquitur Chryſologus, (Chryſol.) *gehennæ flamma complectitur, & totus poſſidet ignis inferni*, ſolius linguæ æſtibus deſiderat ſubueniri. Quæ cauſa? Cyprianus. (Cypr. *Lingua flagitia.*) *Inter omnes corporis partes magis os eius, & lingua eius dat pœnas; quia plus lingua, & ore peccauerat.* Peccat igitur lingua frequẽtiùs. At peccare grauiùs quis dubitet? Certè non (Auguſt.) Auguſtinus, cuius illud eſt oraculum: *Grauiora ſunt vulnera linguæ, quàm gladij.* Non (Chryſoſt.) Chryſoſtomus, cuius illud verbum eſt: *Lingua nihil improbius, quolibet enſe immanior.* Non Bernardus, qui maledicam linguam vocat *gladium ancipitem, imò tricipitem, cuius vno ictu trium ſæpenumerò vulneratur charitas, læditur conſcientia. Neque verò*, addit Bernardus, (Bernard.) *huiuſmodi linguam ipſo etiam mucrone, quo Dominicum latus confoſſum eſt, crudeliorem dicere verearis: ſiquidem Chriſtus ſuum ſibi latus lancea voluit aperiri, ne tu alienum tua lingua vulnerares.* Dicet aliquis: Hæc de improborum lingua dici poſſunt, non de iuſtorum? Sed occurrit Hilarius: (Hilar.) *In optimis etiam hominibus linguæ promptiſſimus lapſus eſt.* Ergo lingua etiam iuſti pronior eſt peccato. Quid dico, lingua iuſti? Addo & Angeli. Bernardus: (Bernard.) *Vtilis eſt frater, qui loquitur, ſapiens eſt, religioſus eſt, ac timens Deum eſt: plus dico, Angelus eſt: etiam ſic caue tibi, ne audias, vnde lædaris. Nec perſonam tibi velim eſſe ſuſpectam, ſed linguam. Maria non in Angelo, ſed in ſermone eius, ne angelicum quidem verbum ſine diſcuſſione præteriens cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio.* Ergo, cùm omnium linguæ promptiſſimæ ſint ad peccandum, & cùm peccati pœna ſit corruptio; nulla prorſus lingua eſſe debuit à pœna corruptionis immunis. Hæc pro hac parte, longiùs, quàm par erat; breuiùs, quàm res ipſa poſtulabat.

146. Certum tamen eſt, non de nihilo fuiſſe Dei conſilium, qui nobis Antonij linguam perpetua hæreditate legauit. Igitur trigeſimoſecundo anno à ſanctiſſimi viri obitu, aperitur capſa, in qua ſacrum corpus conditum ſeruabatur: parent membra cætera ſoluta in cineres; vna lingua ſucci plena, & ſanguinis, viuere viſa eſt, & ſpirare. Aderat totius Ordinis Antiſtes Bonauentura, (Bonau.) excipit in manus cæleſtem theſaurum, gaudio delibutus fundit vbertim lacrymas, *longo tandem poſt tempore fatur.* (Virgil.) *O lingua benedicta, quæ Deum toties benedixiſti, atque alios benedicere docuiſti!* En prima cauſa, cur Antonij lingua incorrupta conſeruetur, & illæſa. Deum ſemper benedixit. Iobum ab imis vnguibus vſque ad ſummum verticem capitalis hoſtis lethaliter vlcerauit: linguam tantùm reliquit incolumem, vt colligitur ex 19. *Derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos*, id eſt, interprete D. Thoma, (D. Thom.) *omnibus aliis officiis membrorum ceſſantibus, ſolum mihi remanſit loquutionis officium*; vel, vt clariùs interpretatur Hieronymus, (Hieron.) *ex omnibus aliis membris vnam mihi linguam reſeruauit.* Quo merito, quo iure lingua tantùm ſuperſtes fuit? Deum ſemper benedixit? Nam, vt benè Auguſtinus, (Auguſt.) *Lingua, quæ Deum maledicit, ſemper minuitur; lingua, quæ Deum benedicit, ſemper augetur.*

147. Cauſa altera. Antonij lingua fuit prædicatrix veritatis: ergo æterna eſſe debuit, non caduca: nam rectè Ambroſius: (Ambroſ.) *Quæ vera ſunt, æterna ſunt.* Achan de anathemate prædæ Ierichuntinæ furatus eſt *regulam auream*, ſeu, vt habent LXX. & Chaldaicus Paraphraſtes, *linguam auream, poſuitque eam in tabernaculo ſuo.* Ioſue 7. Huius ſceleris quas pœnas dedit? Ipſe lapidatur, lingua flammis aboletur. *Hæc lingua*, inquit Origenes, (Orig.) *vana eſt Rhetorum eloquentia, qua qui vtitur in concionando, vanus eſt*, quia, vt loquitur Cyprianus, (Cyprian.) *venerationem venatur.* Meritò igitur lingua vanitatis euaneſcit. Non ſic lingua Antonij, non ſic lingua fuit veritatis. Meritò vt à Vate Regio Pſalm. 79. interprete Hieronymo appelletur, (Hieron.) *Cedrus Dei. Cedrus*, inquit Plinius (Plinius.) 13. nat. 5. *non floret, ſed fructificat.* Vnde Dauid 91. *Iuſtus*, inquit

Digitized by Google

quit, *vt palma florebit, & ſicut cedrus Libani multiplicabitur.* Cedro fructus attribuit, non flores. Lingua igitur Antonij cedrus erat; non florebat, tamen fructificabat; quia veræ doctrinæ ſementem faciens maximarum virtutum fructus colligebat. Verè cedrus, quæ exedi non poteſt, non corrumpi: ſic Antonij lingua corruptionis expers eſt, æternitatis typus eſt.

148. Rationem adiungo tertiam. Hæc lingua erat Arca fœderis, erat virga Aaron, erat gladius Dauid, erat ſedes Dei, erat clauis cæli, erat areola aromatis, erat rationale iudicij, erat pignus patrocinij nobis in Antonio nunquam defuturi: ergo corrumpi non debuit, ſed intacta conſeruari. Oſtendo ſingula. Erat Arca fœderis: quia, quemadmodum ex Arca cæleſtia dabantur oracula: ita Antonij lingua diuinæ mentis aperiebat arcana. Meritò vt quadret in eum, quod de Achitophele ſcribitur 2. Regum 16. *Quaſi ſi quis conſuleret Deum, ſic erat omne conſilium Achitophel.* Ergo, quemadmodum Arca facta eſt ex lignis ſethim imputribilibus, Exod. 25. ita Antonij lingua incorruptibilis naturæ eſſe debuit. Erat virga Aaron. Illa virga percuſſit ſilices, effudit aquas: hæc lingua percuſſit corda, excuſſit lacrymas. *Illa,* inquit Chryſoſtomus, *diuiſit flumina: hæc fregit iniquitatem terræ.* De hac enim Iſai. 11. *Percutiet terram virga oris ſui.* Ergo, ſi illa ab arbore auulſa iterum fronduit, iterum germinauit; quid mirum, ſi hæc à reliquo corpore ſeparata, nobiſcum viuat, nobiſcum colloquatur? Erat gladius Dauid. *Ille gladius,* Chryſoſtomo teſte, *caput amputauit Gigantis*: hæc lingua hoſtis fregit Tartarei ceruices. Ergo, ſi Dauid poſuit illum gladium in tabernaculo ſuo, vt eſſet illi ornamento, 1. Regum 17. cur Chriſtus hanc linguam in Eccleſia ſua non conſeruet, vt illi conciliet venuſtatem? Erat ſedes Dei. Cælum ſedes Deo eſt, quia *enarrat gloriam eius*, Dauid 18. Hæc lingua ſedes Deo fuit, quia ſemper eius laudes prædicauit. Ergo, ſi cælum non corrumpitur, cur hæc lingua corrumpatur? Erat clauis cæli. *Clauis cæli*, inquit Chryſoſtomus, *fuit lingua Eliæ; iubet enim, & clauditur cælum: erat poſtmodum, & aperitur.* Clauis cæli proculdubio erat lingua Antonij, quæ verba ſiſtebat, verbo effundebat pluuias. Ergo, *ſi lingua Eliæ adhuc incorrupta immortalitatẽ prædicat mundo,* vt inquit Epiphanius; lingua Antonij adhuc viuens, adhuc virens, cur in nobis non excitet ſpem æternitatis? Erat areola aromatis, Cant. 6. *Areola aromatis,* inquit Gregorius, *lingua eſt Prædicatorum. Aroma,* inquit Vatablus, *doctrina eſt Scripturarum.* Rurſus aromatis mira virtus eſt ad cadauera conſeruanda: vnde præcepit Ioſeph ſeruis ſuis Medicis, vt aromatibus condirent patrem, Geneſ. 50. Ergo Scripturarum, quibus ſemper vtebatur Antonius, mira fuit efficacitas ad eius linguam ab omni corruptionis labe eximendam. Erat rationale iudicij. In illo rationali veritas erat, & doctrina, Exod. 28. in hac lingua irrationabili quidem, vt inquit Ambroſius; ſed rationabilem vocem exprimente, nihil aliud, quàm doctrina, & veritas cernebatur. Illud rationale, quadrangulum cùm eſſet, ſtabile credebatur & firmum: ergo hæc lingua quadripartita, Euangeliorum doctrina figurata, ſemper debuit ſupereſſe; nunquam verò aboleri. Erat tandem pignus patrocinij, quod nobis ſemper præſtat Antonius. *Si enim,* inquit D. Leo, cùm de Petro loquitur, *hanc pietatis ſuæ curam omni populo Dei vbique præſtat: quantò magis alumnis ſuis vbique ſemper*

D. Antonij lingua erat Arca fœderis. — *Erat virga Aaron.* — *Erat gladius Dauid.* Chryſoſt. — *Erat ſedes Dei.* — *Erat clauis cæli.* Chryſoſt. — Epiphan. — *Areola erat aromatis.* Greg. Vatabl. — *Erat rationale iudicij.* Ambroſ.

impendet. Huius ergo beneficij quod aptius pignus nobis dare poterat Antonius, quàm linguam: vt oſtenderet, ſuam linguam, ſuam vocem, ſuas preces, ſuorum Luſitanorum traditas eſſe, ac dicatas in ſalutem. *Gaudeat ergo terra noſtra*, inquit Ambroſius de Nazario loquutus, gaudeat Olyſipo, triumphet Conimbrica, Luſitania vniuerſa hilaretur, *nutrix cæleſtis militis, & tantarum parens fœcunda virtutum; quæ eundem habet apud Deum, & alumnum, & patronum. Imò,* ſubdit Ambroſius (illius fermè verba ſunt, propriis tantùm nominibus in rem noſtrã variatis) *imò totus exultet Orbis: nam, licet* Antonius Patauinus *ſit priuilegio ſepulchri*; Olyſiponenſis, *conditione incunabuli*; Conimbricenſis, *ſorte educationis*; *omnium tamen eſt cõmunione ſuffragij: non enim clauditur locis, quod effunditur meritis. Omnibus lingua illa data eſt in pignus, vt pro omnibus Deum oret. In vno Zacharia,* idem ait Ambroſius, *totus ad Deum populus loquebatur.* In vna lingua Antonij tota Olyſipo, tota Conimbrica, tota Luſitania, tota Italia, totus Orbis ad Deum loquitur, ſine dubio audiendus. — Ambroſ.

Nondum mihi videor principem cauſam attigiſſe, cur Antonij lingua perſeueret incolumis. 149.
Date aures, & ſi longior eſſe videar, date veniam. Nam, cùm in noſtro choro primarius deſideretur choragus, mihi ad dicendum duplo maius ſpatium præſtitiſtis. Chriſtianam fidem Luſitanorum opera in extremas oras propagandam, eorumque hortatu Ethnicorum animis inſerendam, iam inde ab heroïcis illis temporibus Iſaias 11. prædixit: *Volabunt*, inquit, *in humeros Philiſthiim per mare, ſimul prædabuntur filios Orientis.* Nam, vt benè Genebrardus interpretatur, Auctor nuperus in re nupera, *Ethnicis ad fidem transducendis Portugalenſes in ſuis ad illos populos nauigationibus inſeruiunt.* Ergo in Luſitania eſſe debuit quædam veluti Prædicatorum officina, ex qua prodirent, tanquam Angeli veloces ad gentem conuulſam, & dilaceratam; ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius. Hæc autem officina vbi eſt? Planè in hoc Collegio, quod eo conſilio ædificandum curauit Auguſtiſſimus Luſitaniæ Rex, Ioannes III. vt hinc, tanquam è ſeminario, ad Indos, ad Sinas, ad Iaponios, quotannis mitterentur, qui diuinæ legis dogmata omnium animis ſeminarent. Hic igitur futuri Prædicatoris excoluntur mores, componuntur ſenſus, franguntur appetitus, omni virtutum, & ſcientiarum genere animus exornatur. Tandem lingua acuitur, & expolitur, vt ſit non modò vocis organum, ſed etiam calamus ſcribæ; hoc eſt, vt non effundat tantùm in aures ſonos ſtatim perituros: ſed inſcribat etiam in imis cordibus verba nunquam expungenda. Planè Concionatorum officina, quæ vt augeretur, & meliores in dies prædicandi artifices educaret, ſapienter à Deo conſultum eſt. Nam noſtratem Prædicatorem Antonium nobis propoſuit imitandum: eius linguam ſaluam eſſe voluit & incorruptam, vt ſemper diſcamus, quo pacto prædicandum ſit, ex lingua, quæ cùm ſemper viuat, ſemper docet. Hoc illud eſt, quod Sophon. 3. promiſit; *Reddam populis meis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini.* hoc eſt, proponam populis meis, quos cooptaui in ſocietatem filij mei, labium electum, id eſt, linguam electam, linguam puram, linguam ſanctam; vt inuocent omnes in nomine Domini, vt iam non vtantur eloquentia Tulliana, neque ſubtilitate Tertulliana; ſed in oſtenſione ſpiritus, & veritatis, vt inquit Paulus, annuntient teſtimonium

Ratio alia, cur D. Antonij lingua maneat incorrupta. — Genebr. in Pſal. 76. — *Collegiũ Conimbr. à Ioãne III. Luſitaniæ Rege ædificatum.*

150. *Ignatius Martinus ſanctitate, & prædicatione clarus.* Chriſti. Meritò igitur noſter ille egregius Prædicator, quem honoris cauſa nomino, Ignatius, qui cùm totam Luſitaniam vitæ probitate inſigniret, hoc Collegium ſeorſim mortis felicitate illuſtrauit: meritò,inquam, Ignatius, cùm videret hanc Prædicatorum officinam, rebus cæteris ad dicendum paratiſſimam, cenſuit hoc vnum præſidium minimè defuturum, nempe, Antonij ſimulacrum, cuius in viuendo ſanctitatem, in dicendo efficacitatem ſequeremur. Meritò huius officinæ præſides, & magiſtri hoc illius conſilium maturandum eſſe cenſuerunt; vt quam prædicandi facultatem profitebantur, eam, hoc adiuti præſidio, ſuis alumnis faciliùs inſtillarent. Meritò mihi videmini, vos omnes huius actionis Auditores, hanc celeritatem omnibus calculis comprobare; quippe qui Antonio ad prædicandum duce animati vobis audetis ex prædicatione veſtra vberiores fructus polliceri. Iam verò, quanta alacritas ad annunciandum Euangelium pacis inceſſerit huius Collegij Prædicatores, ex hac erga ſanctiſſimum Antonium pietate quis nõ videt? Illum ego appello teſtem, qui paucis abhinc diebus noſtri omnium è complexu ad Superos feliciter emigrauit; qui iam iam emoriturus, nutanti capite, pallenti ore,frigenti corpore, tamen linguam ita habebat expeditam,vt ex Chryſoſtomo,ex Ambroſio,ex variis Scripturarum locis multa grauiter,& copioſè prædicaret. O Antonij lingua, quæ non infantes modò, ſed penè mortuos facis eſſe diſertos.Ergo,ſingularis præco veritatis Antoni, cui dicamus hunc diem, hoc ſimulacrum, hoc ſacellum, hoc Collegium, huc ades:eſto nobis Seraphinus ille propheticus: linguam tuam, veluti ardentem calculum, noſtris impone linguis, vt ab omni prorſus iniquitate expurgentur: fac, ne illud audiamus, quod peccatori dixit Deus: *Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum*: fac, vt ſermonem tuum, quaſi ardentem faculam, quod de Elia ſcribitur, illi omnes imitentur, qui in hac officina Prædicatores efformantur: fac, vt noſtratum Prædicatorum eloquentia, in tua lingua, tanquam in ſemine æternitatis, vt appellat Ambroſius, æternùm viuat, æternùm effloreſcat: fac, vt nullum cordis, & linguæ diſſidium in nobis ſit, ne, cùm aliis prædicauerimus, ipſi reprobi efficiamur.

Pſ.49.16.

Ambroſ.

ORATIO XII.

De eodem D.Antonio.

ARGVMENTVM.

Antonij poteſtas in quatuor elementa aptè deſcribitur, miraculis illuſtratur, & confirmatur. Enimuerò ignem voraciſſimæ naturæ belluam frænauit: de finitima aëris regione triumphauit: pelagus in ſuam ditionem ſubegit: terram denique ſibi fecit ſtipendiariam. Vniuerſum igitur Orbis imperium ſub Antonij iacet imperio. Felix Luſitania, quæ non ſolùm moderatorem, ſed tutelarem ſibi vendicat Antonium. Omnia Rhetor optimus Auditori ſuo dicenda commiſit.

151. Felicem, ac ter, & ampliùs felicem Luſitaniam. Beatam, & multis nominibus beatam Olyſiponem. Fortunatiſſimam, atque omnium, quæ florent, vrbium fortunatiſſimam Conimbricam! Ad quarum feracitatem ſoli, ſalubritatem cæli, hoſpitalitatem ſali, rerum omnium, quas deſideres,felicitatem, nouus quidam cumulus acceſſit, non humanæ beatitatis, ſed diuinæ. Inſolentis orationis exordium, niſi meus me fallit animus,in veſtris nouam audiendi auiditatem concitauit. Quam tu,inquitis, iacentis patriæ,ne dicamus, penitus ſepultæ, fortunam memoras? Quid in afflictis rebus, ac propè deſperatis non calamitoſum? Qua ſpe cadentes erigis,malè animatos conſolaris, retines, ne labent vacillantes? Quid inueniſti inter tot fortunæ ictus, fortunatum? quid inter tot gloriæ detrimenta, glorioſum? O Heroëm Luſitaniæ pariter alumnum & altorem! Antonius ille eſt, Antonius omnium maximarum virtutum præſidio munitus, qui Conimbricam beat, Olyſiponem felicitat, Luſitaniam vniuerſam,quàm ampliſſimis decorat ornamentis. Quantùm gloriæ Luſitanorum armis partum eſt,(eſt autem plurimum;) totum id exiguum & inane eſt, ſi cum ea gloria conferatur, quæ ex clariſſimis Antonij virtutibus in patriam redundauit. Longè, latéque Luſitanorum ſe virtus fundit; longiùs tamen ac latiùs vnius Antonij poteſtas dominatur. Illorum imperium, vt nimiùm ſe extendat, terrarum ſpatiis definitur: huius vis ac dominatus, ne totius quidem Orbis amplexu continetur. Quod dum breuiter oſtendo, date aures: ac dum orationi vela pando, & in totum Orbem Luſitanorum trophæis illuſtratum celeriter,excurro, ſecundiſſimo veſtræ beneuolentiæ Fauonio adſpirate.

Luſitania felix propter Antonium.

D. Antonij imperium.

152. *Quatuor mundi partes.* Nemo eſt,qui ignoret,terrarum ſitum quatuor in partes diſtributum, totidem cæli partibus reſpondere; Africam ad Auſtrum recedere; Europam vergere ad Aquilonem; ad orientem Solem Aſiam extendi; nouum,vt appellant, Orbem ad occumbentem ſpectare. Nemo item eſt, qui à patriis hiſtoriis adeò peregrinetur, qui ſæpiùs non audiuerit, in has ſingulas mundi partes Luſitanorum colonias deductas, ditionem extenſam, imperium propagatum. Si Aſiam ſpectatis, quid niſi Luſitanorum monumenta apparebunt? tot vrbes, tot prouinciæ, tot regna, Taprobana, Samatra,Aurea, Cherſoneſſus, Luſitani nominis gloriam teſtabuntur. Si ad Africam oculos inflectatis,quà Tinrigana regio, quà Septenſis, quà Maſaganica, quà vrbes aliæ florentiſſimæ Luſitanorum munitæ præſidio, omnium impetus barbarorum ſtrenuè excipiunt, ſtrenuiſſimè retundunt. Si ad nouum Orbem cogitationes veſtras reuocetis, quid ibi antiquius ſe offeret intuentibus, quàm Braſilia, vbi Luſitanorum veſtigia ſuperſunt, non preſſa leuiter ad exigui prædicationem temporis, ſed altiùs infixa ad memoriam omnium ſempiternam. Iam verò ſi ad Europam libeat animos intorquere,Deus immortalis! quis fulgor, quod lumen, quæ amplitudo oritur? Siquidem in tam exiguis terrarum finibus, neque maior rerum opulentia, neque ſanctior legum obſeruantia, neque auguſtior in ſuperos religio vnquam floruit, quàm in hac ipſa, vbi viuimus, vbi nati ſumus, vbi noſtri nominis memoria ſecundo numine perennabit Luſitania. O imperium longè maximum, non aliis, quàm Luſitanorum viribus ſuſtinendum! Admiramini, vt par eſt, ditionis amplitudinem, potentiæ maieſtatem?

Luſitanorum imperium in quatuor Orbis partes propagatum.

Digitized by Google

ieſtatem? At mihi, obſecro, tantiſper per ſilentium vacate: efficiam, vt hoc ipſum Luſitanorum imperium auguſtiſſimum iudicetis, ſi cum illo comparetur, quod vnus ſibi Antonius vendicauit.

153. *Mundi elementa.* Quid terræ moles, aliorum corporum amplexu circum ſe fundentium incluſa, niſi punctum acutiſſimam oculorum aciem effugiens videatur? Hanc ſuperincumbentium aquarum veſtitas capaciori ambitu conſtringit: æquabiliter effuſum mare ſuperior aëris ſphæra ſinu multis partibus amplior circumſcribit: aërem latiſſimè commeantem tandem illa flammarũ regio nullis penè terminis anguſtata continet, & coërcet. Intra tantam corporum immenſitatem, ſeu potiùs infinitatem terra vnius inſtar atomi deliteſcit. Quantò igitur illa interminata ambientium ſphærarum latitudo amplior, quàm totius Orbis terræ ſpatiatur; *Antonij in quatuor elementa poteſtas.* virtus Antonij, quàm omnium Luſitanorum imperium latiùs ſe effundit & extendit: Illi enim, quamuis in omnia liberè excurrant; tamen eiuſdem terræ limitibus circumſcripti in anguſtiſſimum poſſeſſionis gyrum compelluntur. Antonius terram, quacunque patet, premit imperio: maris nullius iugum patientis contundit iras: aërem licenter euagantem, nutu regit: ignis edacitatem, ne omnia pariter deuoret, compeſcit: quidquid infra Lunam eſt, ſupercilio moderatur.

154. Ad ſingula, quæſo, animum intendite; ex ſingulis non mediocrem voluptatem haurietis: & vt altè repetam à ſummo Orbis faſtigio, audite, vti ignem voraciſſimæ naturæ belluam frænauit. *Antonius de igne triumphat.* Honeſta fœmina pia quadam religione in Antonium non vulgariter affecta, concionantem auditura proficiſcitur, filio, quem vnicum lactabat, intra ædem præcluſo, non ſub alterius tutela, quam Antonij, cuius operam omnibus auxiliariam credebat ſibi quoque minimè defuturam: forte accenſo foco pendebat deſuper ahenum, in quod infantulus, dum improuidè hac, illac repit, præcipitem ſe agit, ita vt foras ſe proripere, neque ſciret, neque poſſet. Quid exiſtimatis contigiſſe? Vigebat ignis, flamma exultabat, aqua in lebete bullabat, feruefcebat, æſtuabat: puellus (ô rem ad omnium memoriam ſæculorum prædicandam!) quaſi lauatum ad balnea veniret, aut animi gratia in hypocauſtis deſudaret; inter ebullientis calidæ ſcatebras feſtiuiter colludebat. O eximiam Antonij virtutem ac propè ſingularem! quæ vna flammarum vires conſopiuit, ne infantem ſuo præſidio commiſſum abolerent.

Iam, qui ignem ſubegit omnia voraciter heluantem, attendite eadem, qua cœpiſtis, beneuolentia, quo pacto de finitiua aëris regione victor etiam triumphauit. In æquata, apertáque planitie ad frequentem multitudinem orationem Antonius habebat: *Antonius de aëre triumphat.* omnium animi eò iam iam erant impellendi, vt rebus humanis valere iuſſis vitam, moréſque ex virtutis præſcripto conformarent. Ecce tibi, caſúne, an Tartarei hoſtis maleuolentia, incertum; toto cœlo ſpiſſæ nebulæ funduntur, quæ in teterrimas coactæ nubes diem adimunt, Cimmerias tenebras obtendunt Hæc adhuc ita erant, cùm repentiuo tonitru rumpuntur nubes, exprimuntur ignium ardores, ventorum furiæ debacchantur, aquarum perpluit tanta copia, quanta maior nec in ſublime cogi, nec in terras effundi poſſe videretur. Auditor intempeſtiua territus tempeſtate diſceſſum meditatur, hac illac diuerſus abire parat, & in fugam ſeſe conii-cere ipſa pluuia fuſiorem. *Abſit, (* inquit Antonius: *) nemo hinc ſe auferat, veſtigio omnes hæreant in eodem: cæteras res poſteriores ponite, meam in dictionem aures intendite: haud dubium, quin vobis à cœlo clementiùs, quàm putatur, conſulatur.* Res mira! Procella ſæuire pergit, multiplicari fulgura, tonitrua exaudiri, turbines tumultuari, nimbos in ſingula momenta largiores continenter effundi; ea ſolùm area, quam Antonius, & quæ Antonio aures dabat, multitudo occupauit, halcyonea tranquillitate fruebatur. Videtis, vt ipſi quoque aëris tractus Antonij non viribus, ſed votis ſtudioſè obſequantur, & quem ille poſtulat, officioſiſſimè præſtent famulatum? O imperium non humani iuris, ſed diuini, cuius in conſortium Deus ipſe Antonium diuinæ bonitatis conſortem cooptauit!

A cœlo iam in mare ſenſus veſtros, quæſo, 155. *Antonius de mari triumphat.*
auocate: palàm vobis erit, hoc non minùs, quàm illud, clariſſimi Heroïs, non dico imperio, ſed nutui paruiſſe. Prope littus, vbi mare multiplici vndarum colliſione efferueſcit, cœleſtis doctrinæ Præco ſingularis aliquando conſedit; & cùm plebem duro & immiti ingenio ad pietatem non ſatis emolliret, ſuam alior ſum trahit dictionem; piſces, qui ſoli neſciunt inter animantes manſueſcere, euocat in littus, ad colloquium inuitat; vti rebus diuinis audiendis ſuam operam commendent, adhortatur. Quis crederet, aliquem ita dicendo valiturum, vt tam rudes auditores erudiret, tam indociles edoceret, tam inexorabiles exoraret. Omnis ſubitò maris tumor ſeſe frangit, molliter criſpantur vndæ, placido æſtu ripæ alluuntur; piſces ex abditiſſimis ſpecubus, in quos illos natura detruſit, & compegit, foras emicant, in ſumma aqua gregatim enatantes confertiſſimè denſantur; ſuis quique ordinibus, vt maiores, aut minores erant, potiuntur; omnes in dicentem intendunt oculos, perpurgant aures, fauent, applaudunt, geſticulantur: tandem fauſta cum prece abire iuſſi, colla ſubmittunt, pinnas explicant, hilaritudinem oſtentant, obſequium pro anathemate rependunt: denique moderatoris ſui ex conſpectu ſenſim abducuntur, manifeſtariis indiciis teſtati, ſe in poſterum, vel minima voce euocatos tanti Oratoris, vel potiùs Imperatoris iuſſui affuturos? Ecquid maius? ecquid glorioſius fingi poterat? Vos ipſos appello teſtes. Sanè inuenietis, nulli vnquam Duci obæratos famulorum greges tam peramanter obſequutos, quàm liberaliter Antonio indomitæ, & effrænes belluę ancillantur.

Agite verò, & ipſius terræ in alumnum ſuum 156. *Antonius de terra triumphat.*
obſeruantiam, & ſtudioſam ſeruitutem contemplamini. Non dico, qua facilitate Antonius ſteriles & emaciatos agros fœcundaret; mutantis ac deſidentis terræ labes coërceret; ſolidos montes in immenſum ſupercilium faſtigiatos imis quateret fundamentis; terram denique totam ſuis libratam ponderibus, ſuis nutibus ad infimum adhæreſcentem, media orbis ſede, ſi opus eſſet, amoliretur. Vnum illud admirari ſatis nequeo, vel mortuos, quibus terra ſuo iure dominatur, ab eiuſdem faucibus ereptos, & in vitales auras vnius imperio Antonij reſtitutos O vim incredibilem! ô potentiam admirabilem! quæ terrarum molem ita verſat, vt intus pariter ac foris imperet, & aheneos Inferorum obices infringat! Magna eſt Antonij poteſtas, magna eſt: & quæ ſola omnium veterum Heroum poteſtatem exæquare videatur.

Antiqui

Digitized by Google

Antiqui illi Heroës, dominationis ſuæ regiones ſortiti, certis terminis claudebantur, vltra quos non licebat euagari. Daniel Babylonicæ fornacis incendium ita compreſſit, ita ſepeliuit, vt flamma innocuo lapſu circum humeros, circum pedes ambulantis funderetur. Elias ita cœli plagas in ius ſuum vendicauit, vt illius ad arbitrium modò cœlum vernare, modò hyemare videretur. Moyſes Erythræum mare ita ſubegit, vt cedentibus vtrinque fluctibus facilem ſibi viam in vlteriorem ripam aperiret. Saül tantum habuit in terram dominatum, vt vel è penitiſſimis illius viſceribus Samuelis animum in apertam lucem euocaret. At verò Antonius terræ, mari, cœlo, igni dominatus, omnium imperium ſuo hauſit imperio, omnium poteſtatem ſua poteſtate ſuperauit. O clariſſimum totius Orbis domitorem! felicem Conimbricam! beatam Olyſiponem! fortunatam Luſitaniam, cuius fama ob egregia Luſitanorum facinora ſolis terrarum ſpatiis propagata, modò, ob ſingularem Antonij virtutem, iiſdem, quibus Solis curſus, regionibus ac terminis incluſa continetur. Ergo, ſanctiſſime Antoni, qui totius Orbis clauum moderaris, tuæ Academiæ, tuæ vrbis, tui regni, in quo natus es, in quo nutritus, in quo adultus, patrocinium ne dimitte. Fac, ampliſſimum imperium ne vnquam ruat, Luſitani nominis gloria ne vnquam aboleſcat, priſtinæ virtutis exempla ne vnquam dilabantur. Ades altrici tuæ tot laborum procellis laboranti; ne ingratus alumnus videare: ægram foue, iacentem ſuſcipe, depoſitam conſolare, ad feliciorem aliquem ſtatum erige deploratam: vt cùm in ea virtutis tuæ ieceris fundamenta, ipſa in te felicitatis ſuæ faſtigium collocatum eſſe fateatur.

Dan. 3. Exod. 14. 1. Reg. 28.

Oratio XIII.

De D. Franciſco Xauerio.

ARGVMENTVM.

Chryſoſt.

Nihil eſt, inquit Chryſoſtomus, Doctore frigidius, qui verbis tantùm philoſophatur, non exemplis; neque enim hoc Doctoris eſt, ſed hiſtrionis: fabularum actor dicitur, non diuinarum rerum buccinator. Verus Doctor, qui vita ſanctimoniam cum doctrina legibus coniungit. Talis extitit Magnus Heros, in multis quidem virtutum monumẽtis: bonus verò Author tria tãtùm ſe legit cõmendãda: aſperitatẽ Xauerij in ſeipſũ; pietatem in homines; charitatem in Deum. Tu autem nitere, vt paribus figas veſtigia curis. Hæc Authoris diſcipulus.

157. *Vita exemplum reddit homines immortales.*

Diuorum exempla, monumenta quædam ſunt, quæ nunquam patiuntur eorum dicta præterlabi, facta interire, memoriam aboleri. Non moritur, qui honeſtè viuit; non decidit, qui egregiis operibus excellit; obliuionis in tenebras non abit, qui ſingularium clareſcit lumine exemplorum. Imò illa, quæ ocyſſimè marceſcit eloquentia, ſi incultiſſimis exemplorum hortulis effloreſcat, non perit, ſed perennat. Ea cauſa eſt, quare beatiſſimum Heroa naſcentis & obeuntis Solis ornamentum longè maximum, Franciſcum, etiamnum liceat viuum intueri, præſentem venerari, dicentem exaudire. Ille, quia iamdiu expirauit, adhuc ſpirat; illa vox, quæ iamdiu obmutuit, adhuc loquitur; illa oratio, quæ iamdiu exiuit, adhuc redit, illa eloquentia, quæ iamdiu perorauit, iterum exorditur. Scilicet, illius vis omnis ad dicendum non erat mollibus oratoriæ vnguentis delibuta, quæ elumbem, fluentem, curuatámque efficiunt dictionem; ſed erat exemplorum oleo, tanquam cedrino perfuſa, cuius illud eſt ingenium, vt quidquid imbuat, conſtituat immortale. Age verò, quæ virtutum monumenta à Viro ſanctiſſimo deprædicas excitata? Vtinam quàm multa illa ſint, mihi dicere liceret, ſi minùs poſſem illuſtrare: plura enim vnus Franciſcus excitauit, quàm omnes ſimul Oratores valeant recenſere. E plurimis tria ſeligo; aſperitatis in ſe ipſum; pietatis in homines; charitatis in Deum: ea nobis Franciſcus poſuit monumenta, quæ nulla poſſint annorum ſerie labefactari.

Quis vnquam atrocius in hoſtes bellum, quàm Franciſcus in ſe ipſum comparauit? Primùm, ſuum ipſe animum, corporis incluſum vallo, ad extremum ſpiritum acerbiſſima preſſit obſidione: omnes aditus obſtruxit, omni commeatu interdixit, omne voluptatum præſidium amouit. Iam verò illas ſenſuum portas, quæ ad mentis arcem ferunt, ita clauſit, vt ahenis pluſquàm repagulis munitæ viderentur. Oculos, cùm externa ſola nouitatum feraciſſima peragraret, non in vana ſpectacula reſerabat; ſi quando exoticæ deliciæ ſe dabant in conſpectum, vel ſtatim auertebat, vel ad nimiam ſeueritatem conformabat. Guſtandi ſenſum maximè voluptarium ita domuit, ita ſubegit, ita compoſuit, vt neſciret, quid potio diſtaret dulcis ab amara: dies ſingulos ieiunum tranſegiſſe, non eſt mirum: quaternos & ſeptenos pluſquàm humanum: ad quadragenos in ſolitudine perſtitiſſe epulis vacantem, propè diuinum. Quid in ipſo tactu? qui cùm toto corpore fuſus ſit, plurimarum rerum affrictu læditur, ac vulneratur. Non dico, quos frigoris, caloriſque appulſus imbecillo corpore exceperit: taceo, quas ſaxorum, ſyluarúmque aſperitates nudis plantis ſuperarit: omitto, quæ in loca ventis peruia, rupibus prædura, pluuiis obiecta ſe receperit detectis membris cubiturus: prætereo, quàm in ſe zonis cilicinis, crudis loris, hamatis flagellis exercuerit lanienam. Vnum memoro, quòd, licèt aliis acerbitatum omnium faſtigium eſſe poterat editiſſimum, tamen Franciſco extitit primum ſuorum laborum rudimentum. 158. *Xauerius in ſe ipſum crudelis.*

Leuiculam quandam gloriam, quam olim hauſerat in currendi, ſaltandique palæſtra, vbi perinde clarus fuit, atque in Elide quondam Olympionices extiterunt; illam, inquam, vanam iactationem abire ſibi noluit impunitam. Crura funibus retortis ſtrictim ita colligat, vt cedat introrſum nexus, tumeſcat extrorſum caro, rumpantur vtrinque venæ, circum liuentes puſtulæ concreſcant. Quid in tanto dolore vir ſanctiſſimus? torpere? pigrari? non incedere? non erigi in pedes, vt ſedentaria medicina tumor quoque reſideret? imò longam ſe in viam dat, vt agitatio corporis recrudeſcente vulnere dolorem quoque acriùs reſricaret. Ergo bonam itineris partem iam emenſus ex nouo cruciamenti genere ſentit nouos dolores renouari, ſed patitur; carnem exedi, ſed contemnit; tabum extillari, ſed per 159. *Crura funiculis retortis ligauit.*

Digitized by Google

permittit; purulentam ſaniem coïre; ſed diſſimulat; totum corpus præ dolore extabeſcere, ſed tolerat viriliter ; adeò vt prius animus defuiſſe videretur corpori animando, quàm dolori perferendo. Eò res adducta eſt, vt media in via ſubitò rueret exanguis, & eneruis. Accurrunt ſocij; mirantur ruinam; ſuffuſum pallorem, deiectos oculos interclcuſum ſpiritum exeipiunt, leuant, tractant, explorant, mali cauſam ſubiti agnoſcunt. Medicus accerſitur, vulnus inſpicit, malum expendit, quidquid remedij eſſe poterat, inueſtigat; tandem plagam renuntiat inſanabilem. O virum planè fortem! O animum humano celſiorem! O virtutis monumentum inaudinatum! Nempe vt leuem animi noxam Franciſcus medicaret, plagam corpori impoſuit nullo remedio medicandam. Sed ſicut cauſa vulneris diuinus fuit ardor animi inproprias culpas ſæuientis; ita planè æquum erat, vt diuinitùs peteretur medicina. Poſtridie eius diei Franciſcus plagam viſit; mirum dictu! illos funiculorum nodos inuenit extrictos, ſaniem expreſſam, vomicas depletas, obductas cicatrices, reſtitutam in integrum ſanitatem. Ita contigit, vt nouum illud aſperitatis genus in nouæ miraculum ſanitatis mutaretur.

Xauerius in alios benignus.

Iam videte, quàm ſe præſtitit aliis clementem, qui ſe ſibi tam præbuit immitem; quanta in alios charitate ſuam in ſe aſperitatem temperauit. Quacunque Franciſcus ibat, de ægrotantium valetudine, de miſerorum egeſtate, de morbis præcipitantium ſe in ſcelera diligenter inquirebat. Nunquam patiebatur vllius morbo ſuam operam, vllius paupertati ſuam induſtriam, vllius criminibus ſuum præſidium defuiſſe. Æger ipſe aliorum morbos ita miſerabatur, vt ſemper dolenti aſſiſteret, faſtidienti incumberet, morienti aſſideret. Quà ſternebat lectos, quà eluebat ſordes, quà expurgabat domos: horum vulnera parcentibus digitis preſſare, & circumductis faſciis molliter redimere: illorum fluentes artus
12 plumeis culcitris fulcire, & molliſſimis deſuper ſtragulis fouere: aliorum deficientes ſpiritus ſuffuſa frigida reducere, & ſcutellis dulcicolæ potationis reuocare: ſi quem inueniebat luridis confectum membris, fœdiſque exulceratum plagis, non tantùm manu, ſed ore etiam expurgabat, & ſui ſtomachi teneritatem nauſeantis, frequenti cogitatu de Chriſti vulneribus frangebat.

160. *Xauerij ſtudium circa aliorum ſalutem.*

Iam verò illius de ſalute animorum ſtudium quantum fuerit, ex vno, quod ſubiicio, exemplo agnoſcetis. Inter nauigandum quendam Franciſcus adhortatur ad animum Confeſſione eluendum: ille effronti audacia negat ſe facturum. Littori appulſum monet iterum de contractis ſceleribus expiandis, antequàm meritę à Deo pœnæ exigantur: ille tam propriæ negligens ſalutis, quàm Franciſcus diligens alienæ, ſalubriter monentem iterum repellit; vtque magis redeundi ad ſe locum intercludat, impiè ac ſuperſtitiosè deierat, nunquam ſe illius conſilio pariturum. Quid Franciſcus? De illius bono iam deplorati curam ponat? Imò aliam in ſe recepit acriorem. Tertiò hominem amicè tentat, verbis blandis alloquitur, familiaribus obſequiis euocat in receſſum, vbi ſuis dictis factíſque nulli arbitri adeſſent; ſequitur ille non ignarus; vterque arcanas ſe in ſyluas pariter includunt. Franciſcus coràm prouoluitur in genua, retorquet in tergum pallium, apparet ſeminudus. Rem nouam! Expromit flagra, acriter ſe verberat, terga vibicibus inſcribit, plagis exarat, vulneribus cruentat? fluit guttatim, ſed vbertim emanat ſanguis. Quid plura; funes, manus, veſtes, ſyluæ, & qui aberat aduerſarius, ſcelerum molitor, effuſo cruore imbuuntur. *Hæc in me*, inquit Franciſcus, *ſupplicia incumbunt, vt quæ tuo capiti debentur, à te propitio Numine auertantur.* Quis tam ferreus eſſe poterat, quem tam nouũ ſpectaculum non moueret? Certè vnus ille, qui aderat ſpectator, rei nouitate incredibiliter commotus, flere, obſtupeſcere, veniam precari, certiſſimum ad meliorem frugem receptum polliceri. Videtis eximiam Franciſci in omne genus hominum charitatem? *Certè illius beneficentiæ*, vt ſanctiſſimi Hieronymi verbis vtar, *totus erat anguſtus Orbis.* Hieron.

Vt tamen, Auditores ampliſſimi, huiuſce charitatis amplitudinẽ meliùs percipiatis, mecũ ipſam Orbis vniuerſi amplitudinem cõſiderare debetis. Enim verò hæc ſumma fuit in Xauerio, ita vt ad omnium gentium ſalutem natus fuiſſe videatur. Quippe cui adeò cordi fuit variiſſimas regiones peragrare, diuerſa maria traiicere, diſiunctiſſimas terras perluſtrare, barbaras nationes adire, remotiſſimas gentes penetrare, rudes & incultos populos inſtituere, infinita propè laborum genera, & periculorum exantlare, vt hoc ei non caſu eueniſſe, ſed à natura inſitum fuiſſe exiſtimemus. Qua verò animi contentione? quo impetu mentis, quo ſpiritus ardore huic ſe ſtudio addixit? qua flamma rapiebatur? quo vrebatur igne? quo amoris æſtu exardeſcebat? Erat intra pectus incendium diuinitus illapſum, quod cùm illis anguſtiis contineri non poſſet, erumpebat, & in omnes partes latiſſimè fundebatur. Hinc admiranda illa celeritas, quas per totum terrarum Orbem volitauit: hic enim plures gentes adiuit, quàm cæteri nouerunt; plura regna vidit, quàm cæteri audierunt; plures prouincias luſtrauit, quàm cæteri concupiuerunt; plures regiones peragrauit, quàm cæteri legerunt; plures portas & inſulas penetrauit, quàm cæteri cogitarunt; cuius vita ad hominum ſalutem non pecuniæ ſtudio, ſed paupertatis amore; non quietis cupiditate, ſed laborum tolerantia; non priuata vtilitate, ſed communi ſalute eſt traducta.

126. *Prouinciæ quas Xauerius luſtrauit.*

Quis vnquam, aut obeundi negotij, aut conſequendi quæſtus ſtudio, aut comparandæ gloriæ cupiditate, tam breui tot loca adire, tantos curſus conficere potuit, quàm celeriter noſter Xauerius ſolo impetu animi ductus, & alienæ ſalutis ardore nauigauit? Qui luſtrauit Europam, & in ea Galliam, Italiam, Germaniam, Hiſpaniam, Luſitaniam prouincias (ciuitates enim percurrere immenſum eſſet) peragrauit, Oceanóque emenſo, ne deeſſet Africa, Monſabiquio, Milindio, Socotora ex itinere aditis, Aſiam eſt ingreſſus, & Goa, in quam primùm appulit; oram Piſcariam contendit, à Piſcaria Trauancorium, inde Manariam, à Manaria Ceylanum, ab hoc Meleaporam, inde Macalam: à Macala Amboynum, ab hoc Ternaram, inde Mauricam: à Maurica Indiam rediit; ab India ſoluit in Iaponiam, ibíque obiit Cangoximam, Amangucium, Meacum, Bungum, eodémque itinere remenſo in Indiam reuerſus eſt: vnde in Sinas profectus infinitatem Aſiæ ſuis paſſibus fuit emenſus, vlteriuſque progrederetur, niſi aut ipſum vita aut Orbis defeciſſet. Huc ille toto impetu ferebatur, huc omnes cogitationes ſuas referebat, in hoc totus inſudabat, vt Chriſto quamplurimos ſtipendiarios faceret, & emancipatos. Ita tamen, vt quacumque pertranſiit,

tranſiit, virtutum etiam ſuarum exempla reliquerit; neque minùs homines verbis pertraxerit, quàm exemplis allexerit. Itaque non pedum tantùm, ſed virtutum etiam adorantur veſtigia; non preſſa leuiter ad exigui prædicationem temporis, ſed fixa ad memoriam omnium ſempiternam. Nunquam eum à ſalute animorum difficultates maximæ obiectæ retardarunt, nunquam longiſſimæ peregrinationes reuocarunt, nunquam fœdiſſimæ tempeſtates deterruerunt, nunquam vaſtiſſimæ ſolitudines refrænarunt, nunquam hoſtiū impetus immaniſſimi repreſſerunt, nunquam innumeræ periculorum ſpecies à curſu, impetúq; animi remoratæ ſunt. Neque ignis illius ardorem, aut ventus obruit, aut tempeſtas oppreſſit, aut Oceanus reſtinxit. Omnia veluti continenti quodam incendio corripuit, quo vniuerſum terrarum orbem inflammauit. Proh Deus immortalis! tantáne vnius hominis incredibilis ac diuina virtus, vt tantis rebus par eſſe potuerit?

163. *Xauerij in Deum charitas eximia.* Sed, quid eloquar de eiuſdem in Deum pietate? Certum eſt eius animum ita in Deum ſæpenumerò excitari, vt corporea ſentiendi facultate nulla prorſus vteretur. Adulta hyeme montes brumali niuium canitie obrigebant: Franciſcus ita diuino ardore æſtuabat, vt nudis plantis, ſine vllo frigoris ſenſu, ſe in algentes niues temerario lapſu præcipitaret. Æſtiui calores vias arena obrutas ita excoquebant, vt ſi quis ſummam plantam leuiter admoueret, ſtatim illam retraheret expilatam: Franciſcus ſui immemor, ſolius Dei memor, nudos pedes altè in humum deprimebat; neque ſentiebat ex calida arena ſemiuſtulatos reuocari. Vaſtæ ſolitudines ſentibus ac vepribus horrebant, defoſſis ſtimulis ac muricibus cingebantur: Franciſcus illac iter ingreſſus præacutos ſe inducbat in aculeos, lacerabantur venæ, cruentabantur pedes, & à ſe totus abductus, transfuſúſque in Deum, miſeram in ſe fieri carnificinam nō videbat. O ſingularem æſtuantis animi ardorem! O diuinum pietatis in Deum monumentum! O prodigia virtutum omnibus miraculis præferenda! Nam, vti egregiè Cyprianus, Ethnici homines, quia mirati fuerant in Franciſci miraculis gloriam, multò magis mirabantur in moribus diſciplinam. Ego verò mirari deſino, cùm à cœleſti illa flamma, qua incendebatur, ita conſumeretur, vt nihil aut doloris, aut moleſtiæ ſupereſſet. Itaque amoris æſtu exardeſcente, licèt ei diuinitùs variæ, terribiléſque pœnarum formæ, horrendáque & maxima tormentorum genera obiicerentur, quæ viſa alterius etiam fortiſſimi animum frangerent, ipſe infractus & conſtans incredibili quodam ardore ductus plura ſitiebat & diuino æſtuans afflatu exclamabat, *Non ſatis eſt, Domine, non ſatis eſt.* Cœleſtis enim illa flamma laboribus alebatur, & dura omnia, & aſpera temperabat, doloréſque, cruciatus, & tormenta immaniſſima deuorabat. Eædem pectoris anguſtiæ, quæ cœli delicias non ceperant; vitæ huius miſerias maximas, acerbiſſimáſque pœnas capiebant. O charitatis incendium admirandum! O amoris æſtum inauditum! O incredibilem vim ardoris, qua non Orbis iſte tantùm, quem colimus; ſed innumerabiles alij ardere potuiſſent!

Cyprian.

164. Quanquam mihi alia huiuſce rei cauſa longè verior videatur, Chriſtum Dominum ſe laborum comitem Xauerio adiunxiſſe, maiorémque illorum in ſe partem tranſtuliſſe. Quod in diuino illo ac domeſtico prodigio factum eſt palàm, viſu, auditúque mirabili. Ferunt enim in Xaucrienſi caſtello ligneam Chriſti è cruce pendentis effigiem antiquiſſimam toties ſanguineo ſudore manaſſe, quoties Xauerio in India grauius aliquid acciperet, & ex collata temporum ratione, totidem, quot in India vixit, annis obſeruatum eſt: quaſi verò idem dolor ambobus communis eſſet, partémque Xauerius, partem Chriſtus Dominus ſuſciperet, ne alter ſine altero pateretur. Eóq; ipſo anno, quo ille eſt mortuus, omnibus feriis ſextis de diuino illo ſimulacro idem ſudor ſanguineus vberiùs defluxit: vt manifeſtiùs appareat, Chriſtum ei laboranti nunquam defuiſſe, cùm aut Xauerio patienti condoleret, aut demortuo parentaret. Hæc illa ſunt exempla, quibus Franciſcus ſua non modò verba exæquabat, verùm etiam anteibat: hæc orationi vires afferunt, auditori fidem faciunt, doctrinæ conciliant dignitatem, Oratorem conſeruant etiam apud homines immortalem. Reliquum eſt, Auditores ampliſſimi, vt à vobis, quanta poſſum animi contentione obtixè orem, condámque, vt quæ audiſtis exempla, eadem paribus veſtigiis ſectemini; qua via Xauerio immortalitatem compararerit, hac vos etiam ingrediamini. Hunc itaque nobis imitandum proponamus: adumbremus in nobis illa, quæ viuis in ſe coloribus expreſſit, neque nos illum ducem, magiſtrámque pudeat habere, à quo diſcere glorioſum eſt; illius impreſſa veſtigia adorantes pariter, & ſubodorantes ſectemur, vt exacto hoc vitæ curriculo, & tam breui ad cœlum gradu veluti ex virtutibus facto, aſcendamus.

Admiranda Chriſti effigies.

ORATIO XIV.

De Societatis amplitudine.

ARGVMENTVM.

Laborum tolerantia, & beneficiorum magnificentia in Societate exornāda, de primatu certant: vincit magnificentia beneficiorum: Reges Orbis ad Societatem amplificandam donis largiter affluentibus conſpirant: triumphant Luſitani, quos omnes Ioānes huius nominis tertius victor ſupereminet. Hæc Auditor Auctoris.

SOcietas per Ignatium eiuſdem Parentem amantiſſimum, Hiſpaniæ decus, totius Orbis ornamentum longè maximum, ſecundùm Deum ab exiguis initiis excitata eò creuit, vt dubio viarum anfractu ſuperato, ancipiti itinerum ambage explicata, immenſis propemodum terrarum ſpatiis emenſis in tot Orbis partes penetrarit, vt facilius ducas, quas non incolat recenſere, quàm vbi gentium immoretur enarrare. Hoc cùm ita habeat, quæret aliquis, quæ cauſa tanto extiterit incremento: Duas præcipuè aſſigno; beneficio in Societate collocata; labores ab eâdem exantlatos; his Societas oppreſſa non ſuccumbens, oppugnata non deficiens, profligata non interiens, iterum victricis inſtar palmæ ſurſum niti, caput tollere, vires denuò reficere: illis molliter nutrita, vt teneræ quædam plantæ humore præterlabentis aquæ, ita adoleſcere, viuere, efflореſcere, vt ſi oculos ab ea auerteres pauliſper, & iterum retorqueres, vel omninò non agnoſceres, vel agnoſcens 165.

Societas Iesv, inſtar palmæ, laboribus magis aſſurgit.

Digitized by Google

ſcens quaſi miraculum ſuſpiceres. At cùm vtraque Societatem adoleſcentem incredibiliter iuuarint; beneficia tamen laboribus contendo præiuiſſe. Nullum credo hac de re diſſidium vobiſcum mihi eſſe. At veſtrum à vobis conſenſum iniuſtè ne videar extorquere, ſed meritò exorare; date animos, dum oſtendo Societatem beneficiis ad hanc rerum omnium felicitatem, in qua huc vſque floruit excitatam. Verùum ne multus ſim, illa tantùm breuiter percurram, à Deo, à Romanis Pontificibus, à Regibus, tum in Ignatium, tum in Societatem, liberaliter collocata.

166. Poſtquàm in prima mundi iuuentute immenſa vis aquarum ruptis nubibus in terras exonerata omnes ferè mortales (ad decem ſi excipias) in luſtra turpitudinis elapſos, ſimul cum totius Orbis ruina miſeranda perdidit, interemit & extinxit; quid factu difficilius eſſe poterat, quàm tantum humani generis exitium reſarcire? Immenſum ſanè opus: at, quod remedium à diuino Numine huic iacturæ creditis comparatum! Vnam exhibet miſericordiam, quam Ambroſius, diuinæ flumen eloquentiæ, Chriſtianæ columen ſanctitatis, in Iride credit adumbratam; (& vt ſemel dicam, tam proprium eſt diuinæ miſericordiæ beneficia effundere, vt rectè pro iiſdem accipiatur.) *Arcus*, inquit Ambroſius, *in ſignum clementiæ Dei, hominibus in terra conſiſtentibus apparet*. Nempe, ratus Deus Opt. Max. remedium præſentius fore nullum ad humanum genus propagandum, quàm vnam miſericordiam beneficiorum operatricem: ita quæ iactura per aquas laborum ſignificatrices mortalibus fuerat illata, per Iridem beneficiorum indicem, Deo auſpice, reparatur. Videtis, quæ ſit vis beneficiorum è fonte diuinæ miſericordiæ emanantium? Sanè. Quæ igitur ratio dubitandi eadem vi Societatem ad hanc magnitudinem euaſiſſe, cùm tot Ignatius à diuino Numine exceperit beneficia? Quod enim beneficium diuinius, quàm arcana rerum cœleſtium myſteria vno penè temporis momento, quæ nequeunt diuturnis ſpatiis veſtigari, liquidiſſimè perſpicere? Perſpexit. Quod beneficium diuinius, quàm hac in vita Superorum, & ipſius humanæ ſalutis Aſſertoris conſpectus frequentes vſurpare? Vſurpauit. Quod beneficium diuinius, quàm ægritudine oppreſſum medicina diuinitùs petita ad priſtinam ſanitatem ſubito miraculo conualeſcere? Conualuit. Quod beneficium diuinius, quàm multos in vltima vitæ periodo conſtitutos, de quibus Medici actum iam eſſe nunciabant, ad integram valetudinem cœleſti ope reuocare? Reuocauit. Quod beneficium diuinius, quàm quendam, qui gula fracta ſupremum anhelaſſe credebatur à mortis faucibus ereptum, vt de contractis flagitiis pœniteret, iterum vitæ reſtituere? Reſtituit. Iam verò eius animum (quod non exiguum eſt diuinæ largitatis monumentum) ita ſæpiſſimè diuino amore æſtuare, vt vlla abſque ſentiendi facultate à terra ſublimis viſeretur; non eſt mirum: dies integros in rebus diuinis congitabundum tranſegiſſe; pluſquàm humanum: ad ſeptenos epulis vacantem quaſi truncum ſtetiſſe; propè diuinum. Quæ cauſa eſt, quare veræ religionis, veræ fidei ſacrarium, Eccleſia, à minimis auſpiciis (oculis ſi credimus) excitata, in tantam magnitudinem excreuerit, vt gentes ad Auſtrum, Aquilonémve ſepoſitas vel diſtinctas ad cadentem, ſurgentémve Solem nationes ſuo ambitu contineat, ſuis imbuat præceptis, ſuis legibus exerceat? Auream Chryſoſtomi auſcultate eloquentiam. *Eccleſia*, inquit, *in cœlo radices fixas habet potius, quàm in terra.* Quorſum ait Chryſoſtomus, Eccleſiam inſtar arboris radices in cœlo potiùs egiſſe, quàm in terra? Quia cœlum ita credo, veræ miſericordiæ nouerat officinam. Vnde meritò mihi videtur Regius Vates ceciniſſe: *In æternum miſericordia ædificabitur in cœlis.* Quaſi verò exiſtimaret Chryſoſtomus, nõ alibi, quàm in cœlo, hoc eſt, in diuina miſericordia, Eccleſiæ prima niti fundamenta: hìc enim cùm perennes beneficiorum riuuli exundent, non poteſt fieri, quin Eccleſia ibi conſita in miram altitudinem excreſcat. Hic de Eccleſia. Verùm eadem prorſus ratione Societati credo accidiſſe: cauſſa enim tam ſubitæ eius adoleſcentiæ ea eſt, quòd Ignatius, eius radix, potiorem ſuæ ætatis partem in cœlo tranſigebat, & è diuinæ miſericordiæ fonte ibi emanante beneficia non vno modo, ſed plurimis; non ſemel, ſed ſemper; non vno in loco, ſed vbique hauriebat: meritò vt huc natum videatur illud Ambroſij Elogium ſingulare, *Plena ſemper & redundantia ſunt diuina beneficia, non exiguo cõſtricta numero, ſed vberi bonorũ coacernata congeſtu*. Ex quo fit, vt quò plura à Deo in Ignatium proficiſcantur beneficia, eò ampliora Societas ſentiat incrementa. Habetis, vt Societas diuinis beneficiis excreuerit.

Ambroſ.

D. Ignatius Societatis Ieſu Fundator beneficiis diuinis accumulatus.

Chryſoſt.

Pſalm.88.3

Ambroſ.

167. Iam verò beneficiis, quæ Summi Pontifices apud Ignatium poſuerunt, quæ poteſt par oratio inueniri? Nulla ferè cæteris Familiis Deo ſacris tribuerunt, quæ in Societatem non effuderint. Illi ſemper ſe Ignatij, & ſociorum propugnatores præſtiterunt. Improbi quidam homines Societatem odio proſequebantur; illi amore amplectebantur: contemnebat, illi obſeruabant: oppugnabant, illi propugnabant: vellicabant; illi fouebant? tela intorquebant; illi retorquebant: ab Inferis excitatam dictitabant; illi è cœlo elapſam prædicabant. Societas nondum nata, iam eorum beneficio iuſſu Italiam obire, iam Hiſpaniam peruadere, iam in Indiam conſcendere, iam diſiunctiſſimas alias Orbis plagas peragere. Illi Societatis ſtudium ad iuuentutem informandam, labores ad veram fidem propagandam, operam ad bonos mores inducendos, doctrinam ad rude vulgus edocendum, ſapientiam ad amentata Hæreticorum tela retorquenda comprobarunt. Iam verò Romæ, quæ pars, quæ tribus, qui vicus illorum beneficio à noſtris infrequens? Tanta eſt ibi Societatis frequentia, vt meritò ille alius, neſcio quis cuidam Societatis Domum quæritanti, vbique eſſe, nullibi deeſſe reſpdonderet. At Gregorius tertius decimus Societatis verus Parens, cuius ſuauiſſimam recordationem anni excipient conſequentes, qua erat in noſtrates beneuolentia, & amore: Romę Collegium erexit cæterorum, quę poſteà in Italia floruerunt, fundamentum, opere auguſtum, magnitudine viſendum, cenſibus opulentum, incolis frequentiſſimum: ſingula denique ſi ſpectes, opus tanto conditore dignum iudicabis. Et iam in tota Italia ad Societatis incrementum nihil opus eſſe ratus, in Iaponia Collegium regio planè ſumptu curauit extruendum, cui vltimam manum poneret, vti primam, niſi factis mors interueniret. Hæc ſunt, & multa alia, quorum magnitudinem temporis exiguitas non capit, Pontificum in Societatem liberalitatis monumenta Societatis Pontificum beneficiis dilatatæ non ficta, ſed vera argumenta.

D. Ignatius Põtificum & Regũ auctus beneficiis.

Gregor. XIII. erga Societatem munificus,

Collegiũ Romanum.

168. *Reges Luſitani in Societatem liberales.* Iam ad ea beneficia maximè feſtinat oratio à Luſitaniæ Regibus, vt interim alios omittã, quorum nomini hi officiunt, in Societate collocata; quæ tam largiter effuderunt, vt crediderim, & affirmarim, nullũ vnquam fuiſſe nec Dynaſtam, nec Principem, nec Regem, nec Cæſarem, qui eorum in Societatem liberalitatem, non dico ſuperarit, ſed ne quidem exæquarit. A me nihil dictum arbitremini: indictum volo. Nego in tota terrarum mole vllum vnquam cuiuſque ingenij virum extitiſſe (pecuniæ quamuis auidum) qui tantum diuitiarum cuperet, quantum vel vnus Luſitaniæ Rex in Societatem liberaliter profudit. Hoc non tantùm oratio conuincat: Olyſipo, Ebora, Conimbrica, Luſitania, Angola, Braſilia, Goa, Iaponia, Orbis denique vniuerſus hoc proclamat, deprædicat, buccinatur. Luſitaniæ Reges ſunt, quos diuinus Vates Iſaias Societatis (ita liceat interpretari) nutritios fore pollicebatur:
Iſai. 49.23. *Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ.*
Ioãnes tertius Luſitaniæ Rex. quippe Ioãnes huius nominis tertius) Regémne te dicam Luſitaniæ, an Societatis parentem, & altorem?) naſcentem Societatem primò amanter excepit, vt parens; reptantem erexit ſedulè, vt pædagogus, adoleſcentem, vt Rex aluit liberaliter. Ille Societatem ex Italia breui terrarum limite incluſam in Luſitaniam euocauit, fouit, coluit, obſeruauit. Ille Olyſipone Domum auguſtiſſimam; Conimbricæ hanc molem, quam Luſitania ſuſpicit vniuerſa; Goæ Collegium, naſcentis Solis ornamentum fabricauit. Ille Societatem ad Angolam, ad Braſiliam, ad Orientis regiones, quà in Sinas excurrunt, quà in Iaponios protenduntur, quà in infinita propè regna dilatantur, ſummo ſtudio tranſmiſit. Quid plura? Quà noſtris rem frumentariam tribuere, quà ſuppeditare alimenta, quà donare veſtes, quà domeſticam conferre ſupellectilem, quà in ſumptus ordinarios ſoluere pecuniam? Et vt hac in re Ioannis beneuolentiam coniiciatis, vnum non omittam, quod hoc in Collegio euenit, omnibus tamen forſan inauditum, propter nouitatẽ periocundum, propter liberalitatem admirandum.

169. *Ioannis Regis liberalitas incredibilis.* Cùm noſtros domeſticæ ſupellectilis inopia, Rege inſcio, vrgeret; Luſitanæ Societatis per id tempus moderator Regem adit: qua fiducia Patrem alloqui par erat, defectum indicat, orat, exorat; pecuniam tribui Rex iubet: quantam creditis? Aureorum mille? Parum, id eſt, bina, terna, quaterna millia? Inopes opes iſtæ ſunt, ſi cum regia illa liberalitate comparentur. Viginti, triginta, quadraginta millia? Satis quidem ea ſumma, non tantùm parco, ſed etiam effuſiſſimo Regi videretur. At Ioannes non his liberalitatis finibus circumſcriptus, in ampliores beneficentiæ campos ſpatiatur. Quid præbuit? quid contulit? quid donauit? O prodigium liberalitatis! obſtupeſco, vix præ admirabilitate poſſum dicere. Centum mille aureorum. Centum? Ne obolo quidem minus. Et niſi Societatis modeſtia, ac frugalitatis tantum accipere donatiuũ recuſaſſet, tanta religioſam paupertatem tanta liberalitate non reparari, ſed labefactari; ampliores ille gazas largiretur. O rem iterum, atque iterum inauditam! O miraculum largitatis nullis vnquam ſæculis excitatum! Quis vnquam talem fabulam audiuit? nempe, vt tantulæ inopiæ conſuleretur, tanta pecunia funderetur. O Regem Macedoni datori vrbium conferendum, ne dicam præferendum! Iam verò de Auguſtiſſimo Ioannis nepote
Rex Sebaſtianus. Sebaſtiano quid commemorem? qui non ſolùm auitam maieſtatem, ſed etiam in Societatem beneuolentiam expreſſit. Huius enim beneficio nouem Societatis Collegia amplis dotata vectigalibus, tum in Luſitania, tum in Braſilia, tum in India conſtiterunt. Sed, quid eloquar de Henrico? *Rex Henricus.* Cuius in Societatem liberalitatẽ quamplurima teſtantur monumenta. Ille Olyſipone Collegium auguſtiſſimum, Eboræ Academiã celeberrimam ſumptu planè regio conſtruxit; & plura alia in Societatem contulit beneficia, quæ nẽ longus videar, omitto.

O quàm benè de te poteſt concini, ô Societas! illud Iſaiæ vaticinium: 170. *Iſai. 60.16.*
Suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis. ſeu, vt alij clariùs interpretantur, *& diuitias Regum comedes.* Vt enim cibo humana corpora maximè adoleſcunt: ita tu Regum beneficiis, quaſi lacte in hanc magnitudinem creuiſti. Quòd ſi in tota Luſitania tantam tui admirabilitatem excitaſti, id mihi Luſitanorum Regum beneficiis iure merito videtur referendum: quod idem Vates Iſaias expreſſit Eccleſiæ cultores allocutus, vel vt meam in rem oraculum deriuetur, Societatis Profeſſores: *In diuitiis,* inquit, *eorum* (de Regibus ſermo erat) *eritis admirabiles.* *Iſai. 61.6.* vel, vt ſignificatiùs loquar cum vlgati, *In gloria eorum ſuperbitis.* Si enim Regum liberalitas ſe in noſtros homines effudit, vt dubitare poſſis non immeritò, illiſne religioſam inopiam releuarit, an regiam ſuperbiam conciliari? At ab Henrico Luſitaniæ pariter Rege, & Pontifice, omnes ferè Præſules clariſſimi hanc in Societatem beneuolentiam hæreditarunt, inter quos te, Præſul Illuſtriſſime, principem meritò appellarim, *Alphonſus Albucaſtrus, Epiſcopus Comes Conimbricenſis.* cuius frequenti conſuetudine, regiáque liberalitate quantum hoc Collegium, hæc prouincia, Societáſque omnis decoretur, Luſitania teſtatur vniuerſa; mihi verò tenui & ieiuno Oratori non licet recenſere. Videtis, quantum Societas Principum virorum beneficiis ceperit incrementum? Ea, ſcilicet, eſt beneficiorum vis, vt quidquid efficiant, maius efficiant & auguſtius. Cui rei præcipuum eſt Societas argumentum: illa enim quidquid vel magnitudinis, vel dignitatis habet (quod quantum ſit, aliorum potiùs ſit arbitrium, quàm meum) Dei, Pontificum, & Regum beneficiis occupauit.

ORATIO XV.

Pro Ioanne Baptiſta.

ARGVMENTVM.

Magnus Baptiſta auſpicatò naſcitur: patriam exhilarat vniuerſam: paterna domus delicias aſpernatur: horrentis ſyluæ receſſus penetrat: aſperrimam vitæ rationem profitetur: crudeli ſetarum capillitio indutus venit tandem aliquando in hominum conſpectum: in vitia & factis, & verbis excandeſcit. Hæc Auditor Authoris.

OMnium virtutum ſchola, magiſterium vitæ, ſanctitatis forma, norma iuſtitiæ, virginitatis ſpeculum 171.

Digitized by Google

ſpeculum, pudicitiæ titulus, caſtitatis exemplum, fidei diſciplina, maior homine, propior Angelis, legis ſumma, Euangelij ſanctio, Apoſtolorum vox, ſilentiũ Prophetarum, lucerna mũdi, præco Iudicis, præcurſor Chriſti, metator Domini, Dei teſtis, totius medius Trinitatis. Ioannis Baptiſtæ Oraculum eſt quod cecinit aureo eloquentiæ exundans flumine Chryſologus, quo neque elegantius quicquam dici poterat, nec verius. Et quia ſentio illius maieſtate veſtros animos ad reliquam dictionem non mediocriter excitatos, mitto longiùs exordiri. Immenſum laudum campum aggredior, nullis finibus incluſum, nullis terminis circumſcriptum, in quo dum liberè vagatur oratio, mihi audeo polliceri, nunquam à veſtra beneuolentia deſerendam.

Chryſolog. ſerm. 86.

Vitæ ſanctitas & doctrinæ veritas coniuncta.

Vitæ ſanctitas & doctrinæ veritas in eo, qui imperitam multitudinem ſuſcepit informandam, ita debent copulari, vt neque abſit à ſanctitate veritas, neque à veritate ſanctitas diuellatur. Alterius vtraque præſidio munita confirmetur. *Erubeſcit*, inquit Hieronymus, *doctrina, quam propria conſcientia reprehendit: perdit auctoritatem dicendi, cuius ſermonem opera labefactant*. Ergo, cùm ſanctiſſimus Ioannes rudem & incultam plebem in tot ſcelerum voragines abeuntem ad pietatem reuocarit, eum fuiſſe oportebat, in quo vitæ integritas, & doctrinæ ſanitas dubia ſemper victoria certare de primatu potuiſſent. Agite verò, & mirabilem totius vitæ candorem, quo enituit, contemplamini: ſub extremam orationem in clariſſimos doctrinæ radios, quibus vitiorum caliginem animis offuſam diſſipauit, oculos intendite. Quid antiquius in Ioanne, quàm morum probitas, quàm vitæ innocentia, quàm omnium chorus ſplendidiſſims virtutum? Quo tempore exiſtimatis Ioannis animum cœleſtis gratiæ, & diuinæ munificentiæ imbribus patuiſſe? quoto ætatis anno rebus humanis valere iuſſi, ſe à patria, à domo, à parentum ſuauiſſimo amplexu abdicaſſe? quibus ſanctitatis incrementis ad aliud faſtigium euaſiſſe; quo neque maius, neque illuſtrius quicquam inter homines videretur? O rem nouam, & non modò anteactis ſæculis, ſed futuris etiam ſingularem!

Hieron.

Ioannis ſanctitas ab incunabulis.

172. Materno incluſus vtero, cæleſtibus ſpatiabatur aulis; Cimmeriis pluſquam tenebris inuolutus, iucundiſſimo colloquio fruebatur; natiuis membranis colligatus, præ lætitia quaſi ludicram ageret hiſtrioniam exultabat. Quis non hæreat attonitus? Quis admiratione defixus non obſtupeſcat? Ioannem antè vixiſſe Deo, quàm ſibi; antè perueniſſe ad cœlum, quàm tangeret terram; antè accepiſſe diuinum Spiritum, quàm humanum; ante rapuiſſe cœleſtia dona, quàm corporis membra; antè ad ſuum Regem, quàm ad ſuum corpus acceſſiſſe. Prima ſunt hæc Ioãnis rudimenta, quę tamen aliorum eſſe poterãt faſtigia editiſſima. Sed quis curſus; quis progreſſus? Naſcitur diuinus puer, patria exultat, domus hilaratur; ſterilitatis ignominia eluitur; fœcunditatis gloria excreſcit; multa parentis ora in gratiam naſcentis ſoluuntur in vocem; confluunt gratubulandi vniuerſi; finitimæ regiones incredibili gladio delibutæ exiliunt, & triumphant. Quid deinde? Molliſſimè nutritur, lautiſſimè depaſcitur, delicatiſſimè induitur, indulgentiſſimè ornatur, omnibus illecebris, omnibus officiis retinetur, in ampliſſimam domum, in locupletiſſimam hæreditatem cooptandus? Quis non crederet vnius animum pueri tot blanditiis delinitum, eò auocandum, ne vnquam de vita parcè, aut duriter inſtituenda cogitaret? Ita planè res haberet, ſi illis ſe deliciis traderet ex animo; ſi lactari ſe, & ineſcari iucundo, ſed lethali blandimentorum veterno pateretur.

Lætitia in ortu Ioannis.

At ſanctiſſimus Ioannes inter opes inops, inter epulas ieiunus, inter ſerica ſcrutarius perſiſtebat. Turbæ aderant; ille ſolus: certabatur iocis; ille ſerius: perſtrepebant fabulæ; ille mutus: apponebantur fercula; ille ſiccus: fundebantur circum lenocinia; ille frugi: omnia voluptatum incendia æſtuabant; ille incolumis, & illæſus. O puerum non voluptatis alumnum, ſed altorem pietatis. Verùm probè nouerat, quanto in periculo verſabatur; hominem eſſe ſe intelligebat; humani à ſe nihil alienum; rem difficilem non innodari inter nodos, inter retia non irretiri, non illaqueari inter laqueos, inter flammas non vſtulari. Ergo ſecuriorem viam aggreſſus, & à loco ſcopuloſo, ac difficili altiorem meditatur. Quinque annos nactus querebatur, ſe quaſi Neſtoriam ætatem intra domeſticos lares conſumpſiſſe. Ne minimam quidem iracundiæ fauillam ſenſerat animo exoriri; iam de illa ſopienda cogitabat. Nullos ſuperbiæ motus nouerat in imo corde tumultuari; iam ad illos ſubigendos animum intendebat. Nullis libidinum illecebris expertus fuerat intimos ſenſus commoueri; iam ad eas coërcendas perdius, & pernox excubabat. Priùs medicamenta quærebat, quàm vulnera; priùs palmam, quàm pugnam; priùs victoriam, quàm congreſſum; non reſpicere poſt culpam, non ſurgere poſt ruinam, non ſanari poſt ægritudinem ſatius eſſe arbitratur, ſed ne vnquam deſiperet, nę vnquam rueret, ne vnquam ægrotaret, multò antè præcauebat. O prudentiam maiorem puerili, imò & ſenili præferendam! 173.

Ioannis parſimonia.

Ioannis prudentia.

Itaque paterna ſe domo aufert, parentum beneuolentiam eludit, populi æſtimationem fruſtratur, omnium eripitur è conſpectu, abdit ſe in ſylnas, horrentia ſeſe implicat in dumenta, ſolitarios penetrat in receſſus. Sed videre ſpectaculum omnium, quæ Circenſes caueæ, aut Olympici agones vnquam præſtiterunt, longè maximum; ad cuius nouitatem non modò homines ſi adeſſent; verùm ipſi quoque Superi incredibili gaudio mihi viderentur triumphaſſe. Puer eleganti forma, tenera ætate, ingeniolo liberali, in rupem præacutis vndique ſaxis munitiſſimam procedit; vbi veterem exuit; nouum induitur in ornatum; cingulum bullis aureis diſtinctum, pretios baccatum gemmis deponit; fluentem ad talos chlamydem, auro textili crepantem, deloricat, atque abiicit; thoracem aureis fibulis ſtellatum diſcindit, & à ſe longè propellit; bombycinas periſcelides ſuis ligaminibus eleganter lemniſcatas detrahit, & proculcat; calceos ex aluta ad miram elegantiam confectos plantis excutit, ac diſpellit; cætera veſtimentorum lenocinia, quibus ab indulgentiſſimo parente excoli & expingi credendus eſt, omnia proterit, ac ſpernatur. Quas exuuias creditis ſibi ex tam florido cultu reliquiſſe? O rem diuinam, miram, & ad totius memoriam poſteritatis prædicandam! Horrentem ſaccum, hirſutam pellem humeris circumdat; nudis plantis, aperto capite, manibus in Crucis ritum decuſſatis, tota 174.

Ioannes abdit ſe in ſylnas.

Ioannes molliſſimas veſtes exuit, & aſperas induit.

ſollicitudine vagatur, excreſcunt vngues, promittuntur crines, expalleſcunt ora, ſulcatur facies, hebetantur oculi, gracileſcunt artus, colliduntur genua; totus illuuie obruitur. Feram dixeris, non Ioannem.

175. O nouum ſpectaculum, ſed viſendum! O factum inſolens, ſed diuinum! At in hac viuendi aſperitate numquid deliciarum ſuppetabat? quis victus? quis totus? quæ occupatio? quod negotium? Res mira! Nihil adhibebat in cibum, præterquàm neſcio quæ arentis naturæ, & torridæ cartilaginis inſecta; nihil in potionem, niſi rotis guttulas aërij, quas è ſummis frondibus ſtillatas hianti ore excipiebat. Lectulum horrida præbebat humus, non molliſſimis culcitris ſubſtratum; ſed quà ſaxis, quà vepribus contectum. Solis, frigoriſque appulſus non vmbraculis propulſabat; ſed in aperto æquore nudis artubus ſuſtinebat. Ingruebant imbres, ſæuiebant turbines, verberabat grando, macerabant niues, gelu omnia cohorrebant, turbulentæ poteſtates toto cœlo præliabantur: Ioannes hyemis atrociter debacchantis diritatem ſua patientia molliebat. Ruſus æſtiui calores ſiccabant fontes, liquabant cautes, omnia denique graſſante incendio conflagrabantur; Ioannes cœli iniurias æſtuantis ferendo fortiter, acrioribus telis ſuſtinendis ſe ſe reddebat in dies promptiorem. Efferatæ vndique minabantur belluæ, vndique venenatæ perterrebant; quà luporum vlulantium voces, quà ſerpentium exſibilantium ſtridores perſonabant; hinc furentes vrſi excitabant ora, illinc atroces pardi acuebant vngues; omnes iam iam in miſeram lanienam præludebant; Ioannes, tanto in diſcrimine ſui immemor, vacare Deo, effundi in preces, ſolui in lacrymas, ex alto pectoris receſſu trahere ſuſpiria, deprecari vindictam, pronum in ſupplicia Numen ſupplicibus votis ſerenare. Sic ad eum ſanctitatis apicem euaſit, quo ſublimior inter homines non erat.

Ioannis pœnitentia.

Ioannis erga Deum religio.

176. Eam vitæ innocentiam tulit, vel obtinuit, qua purior in terris nulla omnino viſebatur. Ex tam ſedulo pietatis cultore, quæ doctrina in hominum animos emaneret, niſi quæ diuinam veritatem proximè attigiſſe videretur? Cœleſti vocatu prodit è latebris Baptiſta; à ſyluarum receſſu commigrat in hominum cõceſſum. Deus immortalis! quis concurſus, quæ multitudo, quæ frequentia, non minori ſpectandi, quàm audiendi ſtudio confluebat? Mirabatur cultum belluino, quàm humano propiorem; horrida ferarum capillamenta; demiſſas ad imos talos fimbrias cincinnorum; mercatum corpus, & quaſi elephantico corio circumiectum; cohærentem nudis oſſibus ſtaturam; exhauſtis viribus, caſſabundo capite, lapſante greſſu, oculis hebateis, colore muſtellino; mortis denique, non hominis ſimulacrum. Magnum mundi miraculum appellabant homines, vel certè cœleſtem aliquem præconem, qui diuina apud homines legatione fungeretur? & quò noua hominis ſpecies mirabilior vnicuique videbatur, eò maiora prodigia ab illo nunciatum ſperabat.

Ad Ioannem hominum cõcurſus.

177. Age verò, ſanctiſſime Ioannes, qui ſanctitatem vſque adeò coluiſti, nudam veritatem nullo fuco illitam, nullo ſuaui liquore medicatam, ſparge in aures, in animos infunde. Quam dicendi rationem ingreſſum fuiſſe iudicatis? Non indulget auribus, animis non blanditur; fulminare diceres, ac tonare: adeſſe id ætatis quo panchreſtum ægritudinum medicamentum nemini denegaretur: meminiſſe vipereum ſcelerum venenum omnium animis ſerpere, & graſſari nuſquam fidem eſſe, nuſquam pietatē; intermori iuſtitiam, deripere caſtitatem, exulare religionem, omnium virtutum comitatum aboleri reſipiſcerent vniuerſi, ſi pergerent incaſſum ruere, in præceps ire, in omni vitiorum genere volutari; certò ſcirent, diuinam vltionem quàm citiſſimè affuturam, quæ peccandi licentiam puniret. Neque ſolùm in multitudinem imperitam dicere auſus eſt; Regem aggreditur, caſtigat verbis, in maxima poteſtate minimam licentiam eſſe oportere, ne imperio ad voluptatē abutatur, ſtroma dibaphóne inuoluat: Regem eſſe inſtar ſpeculi, in quod homines intuentes, mores componere aſſueſcunt, ne vita peſſimè inſtituta ad viuendum cæteros peſſimè adhortetur.

Ioannis doctrina.

Ioannis ſermo in Herodem.

O eximium veritatis Doctorem, qui nec ideò deſtitit admonere, quòd in ſe Regis odium, plebis maleuolentiam, omnium feritatem tranſmouere! O lucernam pariter flagrantem & collucentem! O ſingularem actorem rerum, oratorémque verborum; qui cum vitæ ſanctitate ſanitatem doctrinæ mirabiliter coniunxit! Eia, ſanctiſſime Ioannes, qui facem omnibus ad ſalutem prætuliſti; nunc etiam te ducem præſta, cuius inhærentes veſtigiis ſalutis portum teneamus. Tu, Lucifer ſplendidiſſime, diuinum poſt te Solem quàm citiſſimè naſciturum indicaſti, qui mundi tenebras dimoueret: nunc iterum tuis natalitiis redeuntibus diuinum aliquod præſidium feliciter ominare, quo peccandi licentia conquieſcat, ſcelerum labes eluatur, totius Orbis tempeſtates ſerenentur.

Ioannes quaſi Lucifer diuinum Solem prænuntiat.

ORATIO XVI.

Pro auſpicandis Philoſophiæ menſis.

ARGVMENTVM.

De lege Academica anniuerſarias inſtaurat Philoſophiæ menſas, conuiuium lautiſſimum apponit, dapes infert delicatiſſimas, & more ſympoſiaco conuiualem excitat quæſtionem ex ditiſſimo Auguſtini penu depromptam, ex qua in ſuos Auditores feſtiuam deducit commendationem, eiſq; veluti bellariis menſas claudit. Si famelicus es, ingredere conuiuium lautitiis, ac deliciis affatim inſtructum. Fas etiam menſas conſumere. Virgil.

APex ingeniorum Auguſtinus artificioſam mundi architecturam contemplatus, cùm plurimis elogiis eam poſſet decorare, vnico contentus, carmen appellauit. Quid, obſecro, mundo cum carmine, Orbi cum voce, cœlo cum ſono, cum exiguo metro, quid immenſæ moli ſimilitudinis intercedit? Hæc prima vobis ſit in hoc cænaculo quæſtio conuiualis, cui ſoluendæ, quia imparem me cognoſco, veſtrum prouoco ad ingenium; oróque, vt inter nos de more ſympoſiaco, vltrò citróque amicè diſputetur. Dicite, quid vobis videatur; deinde, quid mihi occurrat, audietis. Ita planè feſtiuior euadet diſcrepatio, ac priſtinæ nobis aderit dies curiæ, conuiuium Tuſculanum. 178.

De Auguſt. lib. 11. ciuit. 18.

Mundus, carmen.

Digitized by Google

lanum. Agite verò, quid cenſetis? quorſum tetendiſſe Auguſtinum exiſtimatis? Veſtrum de hac re iudicium mihi videor ſic audire. Ingenioſè, inquitis, Auguſtinus mundum carmen appellauit: vt enim in carmine, ſi teres, ſi rotundum ſit, verba verbis concinunt, ſyllabæ ſyllabis reſpondent, pedes pedibus cohærent, ſigna ſignificatis aptantur, omnia omnibus connectuntur; nihil aſperum in eo eſt, nihil hiulcum, rude nihil apparet, nihil anhelum, ſed totum fluit ad numeros, totum animorum influit in delicias: ita in hac rerum vniuerſitate, ſumma infimis, vltima mediis, calida frigidis, arida humidis, grauia leuibus, firma mobilibus, ſingula ſingulis, tam concordi diſcordia, ac diſcordi concordia amicantur, vt nihil in ea diſpar, nihil inconditum, æquis omnia legibus temperata, paribus omnia liberata ponderibus, quàm aptiſſimè inter ſe concilientur. Accipio veſtram mentem qui planè Auguſtini mentem attigit. Aliò profectò non abiit Auguſtinus, quàm quò ipſi collimaſtis. Mundum appellat carmen, quia ſuo artificio carminis artificium, ſuo concentu carminis concentum imitatur. Cœleſtis plaga vndecim conflata ſphæris, quid, obſecro, eſt aliud, quàm politum, terſúmque hendecaſyllabum, totidem ſyllabis efflorеſcens? Regio infra Lunam quaternis conſtituta elementis, vt appellant, quid vobis aliud videtur, quàm grauiter decurrens Anapæſtus ſonitum in aures inuehens quadrupedantem, totam molem ex vtroque mundo, ſupero, atque infero coëuntem; ſex dierum ſpatiis à Deo fabricatam. Exaëmerónne appellem, an hexametron? Iam verò hominem, mundi principem, & mundum alterum, mole paruum, virtute magnum, in morem carminis à Deo conditum nemo neget; cùm diuinæ Antiſtes eloquentiæ Paulus affirmet: *Ipſius*, inquit, *factura ſumus*. Græco exponite de myrothecio, qui Græcas colitis Athenas: *Ipſius*, inquit, *poëma ſumus*. O heroïcum ab heroïca Dei ſapientia poëma! O carmen, cui pangendo non Apollineus afflatus, ſed diuinus Spiritus, ſuper aquas volitans, iam inde à naſcentis mundi exordio incubabat!

Cur Auguſtinus carmen mundum appellarit

179. *Auctoris mês de Auguſtini ſententia.*

Veſtram de Auguſtini mente ſententiam audini. Nunquid meam audire vultis? At quidquid à me dici poterat, veſtro acumine præoccupaſtis. Sed quoniam ea lege dixiſtis, vt ex me quoque viciſſim audiretis, morem gero, medios inter ſtrepam anſer olores. Carmen non eſt aliud, quàm quædam laus verborum phaleris, & lenociniis incluſa. Græcos euoluite Poëtas, euoluite Latinos; in quibuſcunque libros carminum inueneritis, eoſdem inuenietis libros laudum appellatos. Nec aliud ſolemne ſacri quondam Vates tenuerunt. Nam Dauidicum illud opus, quod à nobis liber carminum nuncupatur, Hebræi librum laudationum inſcribebant. Hinc ergo mentem elicio Auguſtini. Mundum appellat carmen, quia totus quantus eſt, totus diuinæ bonitatis laus quædam eſt. Cur exiſtimatis à regio quondam Vate vocem Domini ſuper aquas, ſuper nubes, ſuper ignem, ſuper cœlos, ſuper nemora, ſuper vitulos, ſuper omne id, quod eſt, quod viget, quod mouetur, exanditam? Baſilium auſcultate: *Quia vniuerſa creatura ſuum depradicat Creatorē.* Nec ſi mihi deeſſet Baſilij auctoritas, Dauidicum teſtimonium defuiſſet: quia *in templo eius*, inquit, *omnes dicunt gloriam*. Luſtrate cœleſtes orbes, explorate terreſtres fines, media inter ſpatia peragrate: nihil à vobis inuenietur, quod à diuinis laudibus ferietur. Optimè Nazianzenus, *Magnus diuinæ maieſtatis præco mūdus eſt.* Quaſcunque enim in partes accommodetis aures, clariſſima diuinæ ſapientiæ præconia audietis. Imò ſilere omnia, ſola diuinę bonitatis encomia perſonare videbūtur. Aptè in hanc rem Hieronymus: *Totius mundi vna vox Chriſtus eſt. Vna vox*, inquit: quia in hanc diuinæ laudationis vocem tanta contentione res omnes erumpunt; ac ſi de cæteris omnibus taceretur. Videórne vobis Auguſtini mentem aliqua ex parte aſſecutus? Credo non negabitis; neque ipſe, ſi nunc adeſſet, nobis iret inficias Auguſtinus, qui præclarè dixit aliquando, mirabilem à Deo conſtitutam in hoc mundo, non vocum, ſed rerum; non verborum, ſed factorum eloquentiam: quia omnia, dum tacent, ſonant; dum vigent, clamant; dum videntur, eloquuntur; dum ſe produnt, ſupremi artificis ſapientiam teſtantur.

Baſil.

Pſal. 28. 9.

Nazianz.

Hieron.

Quorſum tamen iſta? inquirat aliquis. Dico breui, meos vt extremùm alloquar auditores. Fuiſtis, optimi Philoſophiæ Candidati, toto quadriennio ſolertiſſimi mundi indagatores: eſtote iam deinceps imitatores. Vana non moneo, improba non inculco. Mundi, inquam, eſtote imitatores. Quem mundus in ſuis motibus concentum ſeruat, hunc vos in veſtris moribus obſeruate. Credite cum Platone naturæ æquabilitatem in rebus omnibus contendere, vt naturæ contemplatores eandem in ſuis factis æquabilitatem exequantur. Facite, vt ſicut in mundo cœlum terris imperat; ita in vobis ratio appetitui dominetur. Curate, vt ſicut in cœlo Sol nullis terrenæ concretionis fæcibus imbuitur; ita in vobis hauſta per hos annos diſciplina, nullis prauarum affectionum inquinamentis obruatur. Cernitis, vt aſtrorum lumina nunquam ſeneſcant, vt cœleſtes orbes nunquam à ſuis motibus orientur, vt noua ſemper tempora alterna totius mundi fœcunditate renaſcantur: ergo & in vobis nunquam virtutum ſplendor exoleſcat; nunquam benè viuendi actiones intermittantur; nunquam illa, quæ in animis expreſſa geritis, pietatis ſimulacra obliterentur. Tacentem orbem aſpicitis, & eloquentem; tacentem, quia vocis expers eſt; eloquentem, quia diuinarum laudum teſtis eſt: hæc in vobis taciturna eloquentia, hæc in vobis eloquens taciturnitas efflorеſcat. Factis loquimini, operibus exclamate, eſtote vita, ſi lingua non poteritis, oratores; *efficaciora* enim *ſunt*, vt egregiè monuit Cyprianus, *vitæ, quàm linguæ teſtimonia*. Nec vobis illud è memoria diffluat, aut dilabatur, quod grauiter expreſſit Cypriani magiſter Tertullianus: *Philoſophus*, inquit, *tunc auditur, cùm videtur: etiamſi eloquium conquieſcat, habitus ſonat, ab occurſu ſuo confundit vitia.* O egregiam philoſophantis hominis maieſtatem, non oratione Philoſopho opus eſt, vt aliorum ſcelera reprehendat. Ipſa coram Philoſopho vita erubeſcunt; ipſa, cùm Philoſophus in medium venit, malefacta è medio ſubtrahuntur; ipſa, cùm Philoſophus oculis obiicitur, flagitia ex animis abolentur. Tales ergo vos intuentibus, qualem ſe vobis mundus exhibet, exhibete. Mundus carmen eſt mirum in ordinem expolitum, carmen eſt in diuinam laudem artefactum; hoc ergo facite, vt & mores veſtri ad virtutem exæquentur, & in diuinam laudem feliciter dirigantur. Hæc alumnos meos moneo, ne vt ignauus Poëta, in extremo actu obdormiſcant. Non quòd de futuris eorum factis vlla mihi ſuſpicio inhæreſcat:

180. *Elegans ad Auditores ſuos excurſio.*

Aſtrorum, & Auditorum comparatio.

Cyprian.

Tertull.

Digitized by Google

Talia enim doctrinæ, ac virtutis monumenta per hos annos poſuerunt, vt ſperem nullis ea temporum incurſionibus diruenda. Nam, cùm initio huius quadrigennij numeroſam ſcholam excepiſſem; ecce tibi eorum plurimi, antequàm naturam luſtrent, gratiam perſentiſcunt; antequàm mundum explorent, mundo renunciant; antequàm è ludo exeant philoſophico, ſeria religioſæ vitæ ſtudia aggrediuntur. Teſtor religioſos Ordines, qui adeſtis, in quorum ſe nonnulli diſciplinam tradidêre. Fuit aliquis, qui tuos, ſanctiſſime *Dominice*, ſeſe abderet in penates: fuêre, qui tuos, beatiſſime *Antoni*, ſe in receſſus penetrarent: non defuit, qui tuis, Auguſtiſſime *Auguſtine*, penetralibus clauderetur: extitit, qui tuos ſacerrima propago è *Carmelo*, adytus ſalutaret. Agnoui, qui tuis, diuinæ *Triados* diuina Domus, inſtitutis ſubderetur. Habui, qui ad veſtram militiam, Chriſti inſignibus decori, ſe militaturus aggregaret. Memini, qui tuos alumnos, Sanctiſſima *Deipara*, uno de nomine Marianos nudis pedibus ſequerentur.

Auditores qui varios Religioſos Ordines ingreſſi fuerũt.

181. Denique, pluribus ne vos teneam, nullum ferè eſt religioſæ vitæ in hac vrbe viridarium, ad quod aliquis è noſtro plantatio ſurculus non abiret; & qui nos in cæteros Ordines liberales exhibuimus, in noſtrum fuimus non auari. O benè fortunam iuuentutem, quæ priùs ad virtutis faſtigia contendit, quàm Philoſophiæ tyrocinia collocaret. Qui mihi reliqui è toto numero fuêre, ita morum ſuauitatem cum ſtudiorum auiditate ſociarunt, vt mecum ad Philoſophiam ſequerentur, mihi ad pietatem anteirent; inter ſe amicè fœderati, Præceptori ſtudioſè obſequentes, res diuinas pro ſua quiſque parte certatè obeuntes. Ex tot floribus, quos fructus non ſpero? Certè deſpero nullos. Abſint, Deum precor, atque Cœlites abteſtor, téque præſertim, Magna parens, Alma *Virgo*; abſint intempeſtiui turbines, ne intumeſcentes gemmulæ marceſcant, ne erumpentes floſculi elidantur; ne benè nata ingenia, antequàm feliciter adoleſcant, importunè exanimentur. Quibus optatis ſi pares, vt ſpero, euentus congruant, auguror feliciſſimè, auguror magnos ab his incunabulis in publicam vtilitatem prodituros Hippocrates, Galenos; ingenioſos non defore in hoc ludo in totius regni ſplendorem Scotos, & Aquinates; egregióſque ex hac ſchola tibi in tuum decus, Luſitania, affuturos Baſilios, Ambroſios, Auguſtinos. Quæ ſi, vita comite, ego videro, ô me felicem! Labores meos honores veſtri coronabunt.

ORATIO XVII.

In laudem hiſtoriæ.

AVDITOR.

182. GRatulari non ſatis debemus ſtudiis humanitatis, quæ non modò nos ab eis ignorationis tenebris, quibus circumfundimur, in quandam veritatis lucem, & ſplendorem educit; verùm etiam ampliſſima præteritarum rerum cognitione quàm iucundiſſimè oblectatur. Quid enim accidere poterit hominibus iucũdius, quàm animorum cogitationes in ſæcula anteacta retroflectere, totáque antiquitate curioſis oculis diuagari? Quanta cum voluptate diuerſarum gentium ritus, ac cæremoniæ percipiuntur? Quanta auiditate animorum anticipes bellorum euentus inter alios, atque alios Reges temerè exultantes auſcultantur? Quanto denique oblectamento ſurgentium, ac reſilientium regnorum viciſſitudines, factæ præter ſpem optiones Imperatorum, deturbari per ſummum nefas hæreditario imperio clariſſimi Heroës, omnia omnium ſæculorum monumenta cedrinis notata membranis agnoſcuntur? At hiſtoria vna eſt, quæ in eis humanitatis ſpatiis tam ampla rerum ſpectacula, tam iucunda theatra antiquitatis ſtudioſæ iuuentuti præbet inuenda. Hiſtoria vna eſt, cui qui ſummam operam impendunt, quamuis ætate ephebi; conſilio tamen & maturitate ſeneſcant. Hiſtoria vna eſt, cuius conſuetudini qui ſe adiungunt, licèt ſenilibus ſulcati rugis; pueri tamen adhuc eſſe videantur. Rectè enim Tullius, *Neſcire*, inquit, *quid, antequàm natus ſit, acciderit, eſt ſẽper eſſe puerum.* Sed quid opus multa oratione ad hiſtoriæ laudes prædicandas, cùm M. Tullius in compendium contulerit ſingulares, dum hiſtoriam appellauit *temporum teſtem, lucem veritatis, vitam memoriæ, magiſtram vitæ, nunciam vetuſtatis?*

Hiſtoria poteſtas.

Cicero

E quibus præconiis illud vnum ampliſſimam ſupellectilem, gazámque locupletiſſimam ſubminiſtrat; ad prædicationem hiſtoriæ immortalem, nempe hiſtoriam, *magiſtram eſſe vitæ, morum gubernatricem.* Vndenam meliùs Reges ſingularia expromerent documenta ad ſui imperij gloriã, & rectè factorum amplitudinem in maius promouendam, quàm ex hiſtoria, in qua paſſim incurritur in eos, qui multiplici virtutum genere regnorum fines ad extremas oras protulerunt? Sin verò nominis ſplendorem totius poſteritatis recordationi conſecrarunt, vel commendarunt; vnde ſtrenuiſſimi quique duces leges haurient aptiores ad aliorum militum virtutem beneficiis cumulandam, aliorumve ignauiam ſuppliciis coërcendam, quàm ex hiſtoria? vbi ſæpenumerò inuenitur præſtantium virorum robur ad maiora in dies facinora prouectum; ſegnium verò, ac torpentium imbecillitas inhoneſtis pœnis ad gloriam excitata. Vnde potiùs milites famæ & honoris nimiùm appetentes egregia facinorum exempla prægustabunt; quibus tanquam incitamentis ad res arduas acriter aggrediendas incendantur, quàm ex hiſtoria? vbi res præclarè geſtæ, obitáque ſtrenuè munera militaria, non ad exigui prædicationem temporis, ſed ad memoriam poſteritatis ſempiternam litteris conſignantur. 183.

Hiſtoria, honoris incitamentum.

Age verò, quæ ſunt vnicuique ſedulò præcauenda, quæ dedecoris labes euitandæ, quæ fortunarum, vitæque diſcrimina prætereunda, ex hiſtoria, tanquam ex altiſſima ſpecula ediſcuntur. Iam verò flagitia per ſummam libertatem, ac licentiam admiſſa hiſtoria, inſtar grauiſſimi Cenſoris, liberè quoque & licenter obiurgat. Hinc eſt, quòd Demetrius ille Phalereus Ptolomæo Regi ſæpiùs daret in aures, vt libros lectitaret. Nam, cùm de vitiis vereantur amici admonere, ne qua in re Imperatoris animum offendant; ea omnia hiſtoria, qui erubeſcat, demonſtrat; quin vacillet, pronunciat; quin vereatur, apponit. Quid, ſi dicam, nullo alio præſidio ducem euaſurum fortiorem, quàm eo, quod ex hiſtoria mutuatur? Audiuiſtis iam, ni fallor, ducem illum Romanorum longè maximum Lucullum, vel abipſo hoſte Mithridate omnibus, quomcunque ſæculorum 184.

Demetrius Phalereus, de quo Strabo lib.9.

Hiſtoria libertas.

Lucull.

Digitized by Google

Cicero.

lorum Imperatoribus anteferri At ſi Tullio credidis, vt par eſt, ex veterum libris aſſiduè lectitandis, obſeruandiſque maiorum factis, ad eam imperij gloriam euaſit. O eximiam hiſtoriæ commendationem! quæ cùm omnes res præclarè editas dilaudet; nulla tamen prædicatione ſatis dignè efferatur: cùm omnium vtilitatibus deſeruiat, nullo ſtudio pro dignitate excolatur. Agite tamen, Auditores humaniſſimi, & in vnam hiſtoriam, quod veſtri erit acumen ingenij, concinnatis verbis, phaleratis argumentis incurrite; illud verò pro certo habeatis, vnius hiſtoriæ tantam eſſe dignitatem, vt ſicuti nulla laudatione augetur, nulla quoque vituperatione minuatur.

Vide ſuprà lib. 5. probl. 41. n. 119. & probl. 48. n. 130. & prob. 52. n. 137.

ORATIO XVIII.

In laudem Poëticæ.

AVDITOR.

185. QVæ duo in rebus humanis difficilè admodum coniunguntur; ea in vna Poëtica tantam in ſocietatem coëunt, vt vix vnquam à ſe inuicem diuellantur. Sola enim Poëtica facultas è multis artibus, quas hominum genus laborioſè exercet, & vtilitatem parit, & honorem. Qui ergo ingenuo ac liberali præmio honoris incenduntur, qui vtilitatis ſtudio inflammantur, ad ea, quæ, breuiſſimo vſus orationis compendio, enarrabo, (non memorabo,) aures animúmque appellant: fiet proculdubio, vt acrioribus ſtimulis incitati ad Poëticæ ſtudium rapiantur. Sed iam, vt meliùs Poëticæ dignitas perſpecta ſit, & explorata, ſapientiſſimi veterum libri conſulantur, apud quos vel diuina quædam Philoſophia, vel quædam humana Theologia, Poëtica nuncupatur. Sicuti enim humano ingenio expoliri cœpta, diuino perficitur inſtinctu; ita ad eam dignitatem euaſit, vt dubitare poſſis non immeritò, hauſtáne è diuinæ, an humanæ induſtriæ fontibus in terras deriuetur.

Poëtica dignitas.

Et quidem ille, qui Philoſophus humanus, ſi naturam attendas, ſi rerum omnium cognitionem ſpectes, diuinus meruit appellari; Plato, inquam, acerrimi vir ingenij, Poëtarum genus ab hominum conſortio abdicandum, & inter Superos cenſuit referendum. Neque ad eam ſententiam temerè & inconſultè prolapſus, cùm eandem ab illo Philoſophorum facilè principe, in alios, atque alios, totiúſque antiquitatis ſapientiſſimo Socrate emanentem transferret; qui ſolitus erat crebris vſurpare ſermonibus, Vates non niſi diuino quodam ſpiritu incitatos ſingularia videndi documenta hominibus prodidiſſet: vt iam neque falsò dixiſſe videatur Ouidius, neque proteruè:

Plato.

Socrates Poëticam amauit.

Ouidius.

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo:
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

186. Quare neque ſibi plus æquo per inſolentiam arrogant, neque poſſeſſionem inuolant alienam, qui Poëticæ ſtudio conſpicui, honores ſibi propè diuinos exiſtimant deferendos, dum ſacros ſe & diuinos cupiunt appellari. Videtis iam, quantus Poëtarum honos efflorescat, cùm tanta propinquitate diuinam cognationem attingant: At quis ille eſt adeò amuſus, qui Poëticæ commendationem exſibilat, & explodit, negátque quicquam illi ineſſe poſſe dignitatis, quæ omnia confictis dolis adumbratiſque ad veritatis ſpeciem mendaciis inuoluat? Fallitur tamen ille impudenter, peſſiméque fallitur, qui Poëticæ nihil commercij cum veritate vnquam fuiſſe arbitratur. Imò hæc vna eſt, ex qua egregij ſapientiæ Antiſtites firmiſſima teſtimonia ſuis inſerenda lucubrationibus mutuentur. Ex Homero, tanquam locupletiſſimo ex theſauro veritatis, Ariſtoteles, Philoſophorum Alpha, carmina vſurpauit, per quæ ſuam de natura rerum ſententiam multò efficit illuſtriorem. Ex Marone, Perſio & Horatio tria illa Chriſtianæ religionis lumina longè clariſſima, Lactantius, Hieronymus, & Auguſtinus lectiſſimos quoque carminum flores delibarunt; quos tanquam aurium illecebras, animorúmque aucupia ſuis ſcriptis adhiberent

Vide lib. 7.

Poëtica dignitas maxima.

Ariſtoteles carmina amauit.

Lactant. Hieron. Auguſt.

Quid? nónne ex Epimenide, Arato, & Menandro ſacerrimus ille cœleſtium arcanorum Interpres Paulus, verſus aliquos aptè, & appoſitè deriuauit, quibus peſſima vitæ inſtituta non modò reprehenderet; verùm etiam ad mitiorem, honeſtioremque viuendi normam reuocaret? Inſanit profectò, qui in hac re ſanam eſſe Poëticam diffitetur. Sed iam, quanta ex Poëtica vtilitas in hominum genus effundatur, videamus. Hæc illa eſt, quæ non modò ſumma voluptate intimos ſenſus afficit & titillat; verùm etiam in Poëtarum ſinum multa cōfert emolumenta. Hoc fuit in cauſa, cur à Scipione Ennius, à Lucullo Matius, Virgilius ab Auguſto, Horatius à Mecœnate, à Domitiano Papinius, Tibullus à Meſſalla, Auſonius à Gratiano, ſinguliſque omnes Poëſeos artifices à ſingulis beatioris fortunæ Principibus tot opes, tot emolumenta, tot cumulata beneficia acceperint: Poëtica enim facultas in omnium animis mirabilem ſui excitauit amorem; quo quidem inflammati, Vatibus non ſolùm benè volunt; verùm etiam diuitias largè, & copioſè ſubminiſtrant. Quid, non ſolùm homines, ſed Superi quoque Poëtarum partes tueantur?

D. Paulus.

Poëtica vtilitas.

Poëta muneribus affecti à Principibus.

Apollo certè, huius facultatis arbiter & patronus, Euripidem ex oraculo multis laudibus prædicauit, & in Archiam, qui Archilocum interemit, tam acerbis odiis exarſit, vt illum, tanquam ſceleſtum ac profanum hominem ſuo extemplo protelaret. Quid de Libero commemorem? An minùs officioſus extitit in Vates? Imò eos planè videtur habuiſſe chariores, cùm Lacedæmonium Liſanum, Athenas per id temporis obſidentem, iterum ac ſæpiùs per quietem admoneret, vt obſidione vrbem liberaret, interim dum Sophocles, quem delicias appellauit, in vrbe paulò antè vita functus cum funetis ſolemni humaretur. Sed & Caſtora, & Pollucem gratiſſimos fuiſſe in Poëtas, à quibus ſæpe decantantur, exemplo agnoſcetis. Pindarum lautè, & ſplendidè aliquando epulantem è conuiuij loco duo Numina foris euocant; pedem efferat, quàm citiſſimè inſtigant: ſurgit ille rei ignarus, ſtudioſúſque obſequij, primo limine excedit. Ecce tibi tricliniam vniuerſum ingenti ruina proſternitur, & conuiuas nihil tale opinantes caſu obruit miſerando. Vnus Pindarus Numinis beneficio tanto è periculo incolumis euadit. Videtis quanta ſit cum Poëtica vtilitas coniuncta? Illam ergo, ſi ſapitis, non ficta laudatione, ſed veris præconiis exornate; vt quam vos illi lauream tribuitis, eandem illa vobis maiori cum fœnore rependat, 187.

Apollo Euripidem prædicauit, & in Archiam exarſit.

Liberi in Poëtas amor.

Sophocles Poëta à Libero honoratus.

Caſtor, & Pollux erga Pindarum beneuoli.

Digitized by Google

ORATIO XIX.

In laudem Rhetoricæ.

AVDITOR.

188. AVreo loquentiæ flumine opus erat ad Rhetoricæ dignitatem ſatis dignè efferendam. Illius enim iucunditas tanta eſt, vt non niſi cum auri materia comparata illuceſcat. Tanta eſt illius vis, vt nonniſi cum fluuio pleno aquatum auctu exundante, & obuia quæque præ ſe agente compoſitam lucem habeat, ac decorem. Fingite ergo animis, vel potiùs ad ipſos penè oculos reuocate aliquem ex iis fluuiis, quos antiquitas memorauit prædiuite auri fertilitate pellucere; & ne in externorum amnium conquiſitione peregrinetur animus, patrius Tagus ille ſit, qui orationi tribuat argumentum.

Per id temporis Rhetoricam Olyſipone profitebatur.

Agite verò, & illius fluminis, quod ſæpè intuemini, naturam quoque & gratiam contemplamini. Facite, quæſo, ſecundùm illius ripas amœniſſimas aliquot deambulando excurſus. Videtis, vt late ſpatientur vndæ? vt alterna viciſſitudine molliter frangantur? Attenditis, quàm temperato Fauonio criſpentur fluctus: quàm ſuaue ex mitiſſima vndarum colliſione murmur conſequatur? Cernitis littus illud diuerſicoloribus conchulis teſſellatum, intermicantéſque in placidiſſimo alueo lapillos? At quantò pulchrior eſt ſpecies illa auri, quod inter ebullientes arenas paſſim egeritur, & totius amœnitatem oræ, ac pulchritudinem commend t? Viua prorſus, niſi fallor, hac eloquentis hominis imago mihi videtur & expreſſa. Qui orationem habiturus paulułùm exordiendo euagatur; placidóque vſus dicendi charactere leniter fluit; quouſque captatis vndique beneuolentiæ flatibus, ſimbliniùs inſurgit, confirmatóque vocis ſono, & ad numerum cadente, audientium mulcet aures; animos verborum ſplendore, ſententiarúmque luminibus iucundiſſimè oblectat.

Tagi fluminis amœna conſideratio.

189. Illius verò auri, quo Olyſiponis Tagus gloriatur, haud tantus eſt fulgor, quantus ex oratione perfecto expolita ingenio in omnium oculos redundat; in qua non modò aurum ipſum eloquentiæ lucet; verùm etiam pulcherrimæ orationis gemmæ mirabili artificio inſertæ eniteſcunt. Quòd ſi fluuij aureis areni inclyti, Tagúſque præſertim, innata opum affluentia mirabilis, quas perlabuntur vrbes, locupletant, & illuſtrant; quid de vnius eloquentiæ theſauris quàm ampliſſimis dicendum eſt? Nónne, quas vrbes tenuit eloquentia, poſteritas quoque cum admiratione intuetur? Quid Romam? quid Athenas? quid florentiſſimas alias Reſpublicas in luce collocat, in poſterorum oculis defigit, niſi vnius fulgor eloquentiæ, qui non minus, quàm Sol ipſe mundum, eas oras illuſtrauit. Felicem igitur, ter, iterúmque ac ſæpè beatam Olyſiponem, quæ ſicuti opibus Veneriis, Bononiæ feracitate, Mediolano amplitudine, antiquitate Rauennæ, pulchritudine Florentiæ, Neapoli nobilitate, ac rerum omnium cum exteris nationibus commercio, Bizantio antecellis; ita vnius ſtudio eloquentiæ adeò præſtas, vt nec Roma fœcundiæ patente, nec Athenis litterarum altricibus inferior eſſe videatis.

Eloquentia ſplendor.

Olyſipo reliquis Orbis vrbibus præſtat.

190. Sed iam eloquentis vim ac robur in eodem expreſſum Tago intuemini; vbi paulò ante eloquentiæ dignitatem adumbratam eſſe audiuiſtis. Si quando hybernis niuibus Tagus intumeſcit, deriuatíſque aliunde ſuum in alueum torrentibus incredibiliter augetur, vel camporum nactus occaſionem longè latéque ſpatiatur, vel montium obiecta vtrinque concluſi tam rapido ac turbulento curſu incitatus in mare fertur, vt quà annoſas arbores radicitùs extirpet, quà ingentes arbores funditùs euertat; hac immenſæ altitudinis aggeres perſtringant, illac infinitæ molis cautes ſuo loco conuellat; quidquid denique obuium inuenerit, diruat ac demoliatur: quid opportuniùs eloquentiæ vires exprimeret, haud ſcio. Ita aliquando flumen illud aureum eloquentiæ grandibus verbis, pleniſque ſententijs incitatur; vt nullius ſit animus tam ferreus, nullius pectus tam obtuſum, quod præ ſe non agat, & in quas libuerit partes, non inflectat. Volentes retrahit, nolentes incitat, exultantes compeſcit ferocientes emollit, ægros conſolatur, fractos confirmat; in omnes denique ita dominatur, vt qui illius ſe poſſit imperio abdicare, nullus ſit, vel nemo ſit.

Eloquentia vis.

Quid? nónne Lacedæmoniorum exercitum labantem prorſus, ac deficientem vnius viri eloquentiſſimi oratio reuocauit, reuocatúmque accendit ad pugnam actiùs ineundam; ex qua qui turpiter priùs fugerant, tã glorioſè poſteà victores euaſerunt? Nónne Troianos, vnam ſpem ſalutis in fuga reponentes, Meneſthei vox ad prælium incitauit repetendum; & qui intra muros cum dedecoris labe fuerant ab hoſtibus obruendi, à muris poſteà ingenti cum ſtrage hoſtes propulſarunt? Iam verò fuſis Romanorum phalangibus, quoties de republica actum eſſet, niſi militibus in fugam verſis vnius Imperatoris eloquentia obſtitiſſet? Ex his ergo mihi videntur laudabiles Pyrrhi, & Agamemnonis voces: quorum ille plures vrbes Cynæ oratione, quàm militum præſidio ſuperaſſe affirmabat: hic autem ad Troiam exſcindendam ſeptem, non Aiacis, ſed Neſtoris ſimiles requirebat. Sed iam vt in hoc aureo flumine eloquentiæ, vela orationis iucundiſſimo veſtræ beneuolentiæ Fauonio inflata colligantur; quemadmodum Tago Olyſiponem alluente (alluet autem *in freta dum fluuij current*) Virgil. ſemper huius vrbis decor & amœnitas vigebit: ita planè vna eloquentia ſuperſtite (ſuperſtes autem erit, dum virtutis venerabile nomen viuet) ſemper huius Lycei amplitudo ac dignitas eſfloreſcet.

Cyneas, & Neſtor, clariſſimi Oratores

ORATIO XX.

Donatur ſuprema Philoſophiæ laurea Illuſtriſſimus D.D. Ioannes Syluius, Comitum Portalegrenſium, & Marchionis de Gouea frater germanus; modò in Regio Sacello Curio maximus, & in ſummo Fidei Senatu Quæſitor digniſſimus.

POrtus lætus me excepit quadrienni ex nauigatione redeuntem. *Sylua* alia feliciſſima peramœnus. O benè collocatos labores meos, qui tam beatam in amœnitatem euaſerunt! Familiaris, 191.

quondam

quondam Deo populus vaſtas & incultas ſolitudines quadragenario labore fatigatus peragrauit; quid præmij tanto merito conueniret? quid honoris tanto oneri reſponderet? quid mercedis tantum laborem exæquaret? Rem audite. Ducitur in vrbem, ſi Hebræum vocabulum attendatis, fragoſiſſimam, Cariathiarim: ſi Latinum interpretamentum cum Hieronymo ſpectetis, amœniſſimam, vrbem ſyluarum: vt qui inter horrentes dumos palantes expirabant; inter vernantes ſyluas habitantes reſpirarent.

Hieron.

Similem mihi videor ad fortunam hodierno die aſcendiſſe. Errani toto quadriennio inter ſpinoſiſſimas diſciplinas: quadriennio exacto, amœniſſimam in *ſyluam* declinaui: vt quem hactenus Philoſophiæ acerrimè pungentis argumẽta cruciabãt; deinceps huius *ſyluæ* iucundiſſimè virentis blandimenta recrearent. Agite, quæſo, & mecum in hanc vrbem *ſyluarum*, ſeu in hunc orbẽ *Syluiorum* penetrate: flores legite, fructus carpite, ex vtriſq; texite corollas, quæ Illuſtriſſimo Cãdidato pro ingentium cumulo meritorum imponantur. Patere verò, Illuſtriſſime Candidate, patere, tuam me in *ſyluam* inferre gradum. Nam, ſi te per hos annos non dico in gymnaſio, ſed in animo geſtaui; quo iure mihi tuæ *ſyluæ* aditu interdicas? Patere, vt ingrediar: flores non atteram, germulas non defringam: ſuſpenſo incedam gradu, *ſyluæ* decus vt maneat illibatum. Nõ ero laudator, ne videar adulator. Ero tuorum admirator, gratulatórque bonorum. Primo in veſtibulo huius *ſyluæ*, vbi ſiſto, truncóſque arborum contemplor; annoſam ſentio. Intrò diligentior vt ingredior, floréſque ac poma circunſpicio; fructuoſam iudico. Totam curioſior vt perambulo, & felicibus de cœlo auris afflatam video; prædico religioſam. Diuitem planè *ſyluam* ac beatam! quæ annoſa eſt, fructuoſa eſt, religioſa eſt. Singula breuiter dum percurro, veſtra me beneuolentia conſequatur.

Syluiorum ſylua annoſa, fructuoſa, religioſa.

Annoſa eſt. Quo ſata ſæculo? quo nata anno? qua adulta ſub chiliade? Sic habete. Neque ſæculum, neque annus, neque chilias ſolenni ritu ab Europæis, quod ſciamus, computabatur; quando illuſtriſſima *Syluiorum* familia ſata, nata, & adulta eſt. Altiùs antiquitatis memoriam replicate, altiùs. Reges animum appellite ad Albanos, qui annos ante Romam natam pluſquam trecẽtos floruère. Ab hac radice hæc *ſylua* pullulauit. Creditu vobis difficile non ſit, quod nobis non erit difficile probatu. Nã in primis Albanos Reges Syluios nuncupatos, omnes planè, qui adeſtis, cum primis Latinitatis rudimentis accepiſtis. Deinde ab Albania in Luſitaniam propagatam fuiſſe hanc familiam, illud eſſe poteſt manifeſtatio argumento, quòd ſub Nerone, anno ſalutis noſtræ ſexageſimo, totius Luſitaniæ clauum obtinuerit M. Syluius Otho, & nomine, & virtute, & imperio Albanis Regibus, à quibus ortus fuerat, non degener, à quo domus Albana *Syluiorum* facta fuit Luſitana.

Regum Albanorum vetuſtas, à quibus Syluiorũ gens. De Ænea Syluio Virgil. 6. Æneid.

M. Syluius Otho Imperator, à quo Syluij Luſitani propiùs procedunt, de quo Tacit. lib. 1. hiſt. & lib. 2.

192.

Cernitis quàm ſit annoſa. Cernite quàm ſit inſuper fructuoſa. Coronata naſcitur in Latio hæc familia: coronata ingreditur Luſitaniam. Si radix ſceptra germinat, & coronas, quid de apice? Quos titulos non feret? quos faſces non producet? quos honores non diffundet? nam, vt mittam Principum pædagogos, Regum cubicularios, Prætorianos Præſides, Regalium cenſuum curatores, Regiis Senatoribus præfectos, pluréſque alios Magiſtratus, qui ex hac *ſylua* prodiere: quocunque inflecto aciem, paſſim conſpicio in hac *ſylua*, Comites, Marchiones, Duces, Præſules, Legatos, totius regni Gubernatores: & ſi altiùs antiquitatis retexo ſeriem, ipſos incido in Reges primos huius *ſyluæ*, & ſatores, & altores: quorum omnium Luſitania vmbra tegitur, fructu paſcitur, virore ac decore coronatur. Neque ſolùm frondeſcit in Luſitania hæc ſylua: ſed in Hiſpaniam quoque feliciter propagatur. Teſtes vos appello, Illuſtriſſimi Comites Ciſuentes, & Salinas, qui de huius *ſyluæ* ſucco, hauſtúque frõdetis. Teſtes vos appello, clariſſimi Marchiones maioris montis, & Arazilæ, qui ab huius ſyluæ trunco, ac radice pullulaſtis. Teſtes vos appello, præſtantiſſimi Duces, Peſtranæ, & Francauillæ, qui ab hac orti propagine tam celſa in faſtigia adoleuiſtis. Teſtem te appello, Princeps Aſiolitane, qui in hac ſylua natus, & nutritus, ampliſſimum tuo generi principatum delegaſti. Anguſta eſt tam fructuoſæ ſyluæ Luſitania: tota de huius *ſyluæ* fructibus Hiſpania hilareſcit. Et ſicuti hæc *ſylua* à Luſitania in Hiſpaniam feliciter excreuit; ita æquum fuit, vt ab Hiſpania in Luſitaniam feliciùs remigraret. Quare ſurculus mihi videtur huius ſyluæ feliciſſimus, Illuſtriſſimus Comes, Illuſtriſſimi parens Candidati, qui à Luſitania in Hiſpaniam propagatus, iterúmq; ab Hiſpania in Luſitaniam traductus, vtrunque ſolum, & Hiſpanum, & Luſitanum decorauit: & ſicut inter Hiſpanos proceres vnus inuentus eſt, qui legatione apud auguſtiſſimum Regem Luſitaniæ Sebaſtianum fungeretur; ita planè digniſſimus inter Luſitanos Summates extitit, qui non ſolùm tergeminis, ſed quatergeminis in Luſitania honoribus clareret. Nam & Comes fuit Portalegrenſis: & ſupremus Luſitanæ militiæ præfectus: & maximus in domo Regia Oeconomus, & æquiſſimus totius regni Gubernator: cuius facta ſingularia libens in aures darem, niſi adhuc viua & recentia omnium ob oculos verſarentur.

Principes, Duces, Marchiones, Comites, Præſules, Præſides, Legati, Proreges, & alij alia munia obeuntes Syluij omnes.

Illuſtriſſimus Comes D. D. Ioannes Syluius Ioannis parens.

Iam verò ab hoc ſurculo quantus fructus? Adeſt genuina proles, adeſt. En tibi, Luſitania, germani proceres; ſi numerum attendas, quatuor: ſi charitatem, qua ſe mutuò complectuntur, vnus: ſi res geſtas, ac gerendas, quibus te ornare incipiunt, & feliciùs in dies ornabunt, infiniti. Adeſt Illuſtriſſimus Comes Illuſtriſſimi Candidati natura frater, amore pater, officio patronus: quem ſolùm ſi hæc *ſylua* fructum ferret, diues foret: in quo priorum Comitum virtutes viuere mihi videntur, & ſpirare: & à quo poſteriorum Comitum res geſtæ lucem ac decorem fœnerabuntur. Adſunt Illuſtriſſimi *Manricus*, & *Philippus*, armis habiles, virtutibus procliues, ſuorum maiorum ad laudem ſectatores, ſuis poſteris præduces ad honorem. Adeſt Illuſtriſſimus Candidatus, honor Academiæ, decor Philoſophiæ, ſuorum corona inclyta magiſtrorum, nunquam ſatis dignè, prout eius merita poſtulant, coronandus. Vberem planè *ſyluam*, & locupletem! quæ tot dilatatur in frondes, tot faſtigiatur in flores, tot euiſceratur in fructus.

193.

Illuſtriſſimus D. D. Didacus Syluius, & Illuſtriſſimus Manricus Syluius, Ioannis fratres germani.

Philippus apud Belgas nũc Equitum Magiſter, Ioannis etiã germanus frater.

Fructuoſam vidiſtis *ſyluam*; cernite religioſam. Syluis ineſſe Numina ſuperſtitioſa antiquitas fabulabatur; vnde multos per annos religionis cauſa incæduæ ſeruabantur, canente Vate:

Syluiorũ ſylua religioſa.

Sacra comam, multóſque metu ſeruata per annos.

Quis dubitet, diuinum in hac ſylua adeſſe Numen, cùm tot per ſpatia annorum natiuo ſemper virore, & gratia iuueneſcens conſeruetur? Sed

aper

apertius ad hoc probandum mihi ſupereſt argumentum. Nam in omnibus huius clariſſimæ Familiæ alumnis ſingularis in Deum pietas ac religio enireſcit: & ne percurram ſingulos, duos memoro non vulgariter, ſed ſingulariter ad pietatem eruditos. Reuocate in memoriam primum Comitem Portalegrenſem, Illuſtriſſimum IACOBVM SYLVIVM, primi Ducis Septenſis, & Vianenſis Comitis nepotem. Habuit ampliſſimus Comes germanos duos, fratrem vnum, alteram ſororem, inter ſe religione pares; multis aliis, qui religione inſignes extiterunt, clariores. Nam frater rebus humanis valere iuſſis Seraphicum ſe in Ordinem incluſit; & mutato nomine nuncupari voluit *Amadeus*, vt ipſa notatione nominis ſuum erga Deum amorem teſtaretur. Quo in Ordine multis à Regina Caſtellæ, Eliſabetha, beneficiis affectus; pluribus à Regina Deipara muneribus cumulatus, cuius ſæpè colloquio, & aſpectu fruebatur, vitam egit virtutibus claram, miraculis inſignem, vaticiniis perilluſtrem; vt tota Italia, vbi non tam obiit, quàm abiit ad Superos, magnis præconiis buccinetur. Meritò, vt poſſimus dubitare, maioréinne ſplendorem ab eius incunabulo Luſitania, an ab eius ſepulcro Italia mutuaretur. Soror, non ſolùm *Beatricis* nomine, ſed virtutum omnium præſidio beata, humanis opibus abdicatis Dominicanam in Familiam receſſit, ſi non illius inſtitutum, certè illius ſtudium profeſſa; vbi ſe tam arcanas in latebras abſcōdit, vt totos quadraginta annos (ſi Reginam Caſtellæ Eliſabetham ſemel inuiſentem excipias) neminem mortalium videret, à nemine mortalium videretur. Sequuta illud ſingulare Tertulliani documentum, *ſtruendum eſſe ſacris virginibus pudoris murum, qui nec proprios emittat oculos, nec admittat alienos.* Sed videre mortem vitæ congruentem. Vix vltimum Deo ſpiritum reddiderat, cùm diuinum è cœlo aſtrum in eius fronte coruſcauit; vt quam virgineus pudor obſcuras in tenebras abdiderat, eandem cœleſte ſydus manifeſtam in lucem euocaret.

Iacobus Syluius, primus Comes Portalegrenſis.

Amadeus, priùs Ioannes Meneſſes Syluia, & Beatrix fratres.

Tertul. lib. de veland. virg. c. 16.

194 Inter hæc Religionis præſidia, Portalegrenſis Comitatus, firmior adoleſces, ſublimior aſſurges, immobilior perennabis. Nemo enim dignior eſt imperio in homines, quàm qui pronior eſt obſequio in Deum. Solymæum in templum venerabundæ aſcenderunt *Tribus, Tribus Domini.* Aptiſſimè eruit Chryſoſtomus ex Hebræo, *Sceptra, ſceptra Domini:* quia, qui religioſa Deo thura offerunt, glorioſa in homines ſceptra promerentur. Ergo, Illuſtriſſime Candidate, tua tibi bona gratantur omnes. Gratulatur tibi Luſitania maiores tuos, ex quibus, tanquam generoſus ſurculus, ex annoſa, fructuoſa, & religioſa ſylua prodiiſti. Gratulatur tibi Academia tuam in ſtudiis frequentiam, qui non ſolùm in acceſſu ad ſcholas primus es, vltimus in receſſu; ſed menſes quoque feriatos aliquando in hac vrbe perſtitiſti. Gratulatur tibi Oratoria tuam in dicēdo grauitatem, quam adeò eximiam agnoſcit, vt cùm te audit, priſtinos Tullios, ac Demoſthenes non deſideret; ſed coràm ſibi audire videatur. Gratulatur tibi Philoſophia tuam in excolendo ingenio diligentiam; qui ſemper audiendo frequens, ſcribendo aſſiduus, publicas actiones obeundo impiger adfuiſti. Gratulatur tibi Religio tuam erga res diuinas pietatem, ad quas tam benè te geris animatum, vt non dubites, frequentiſſimo in templo, ſpectante Academia, & admirante, ad aram præire Sacerdotem, & ſacrificanti religioſè miniſtrare. Quid tui tibi non gratētur præceptores? Gratulantur præter alia tuam erga eos obſeruantiam, quam exhibes in paruis, in magnis, in omnibus ſingularem. Quare tua tibi bona gratantur omnes, precamúrque à Deo Opt. Max. ampliora. Ac dum in caput infulas, in manum baculos tua tibi merita moliuntur: accipe, quæ tibi libens offert Academia ornamenta. Pileum tibi trado cæruleis tæniis fimbriatum, tuæ indicem nobilitatis. Annulum tibi induo in digitos perfecta ſpecie figuratum, tuæ ſymbolum virtutis: librum tibi offero in manum, ſapientiæ theſaurum, ſingulare tuæ doctrinæ monumentum. Fruere his inſignibus, fruere: ſeu potiùs hæc te inſignia perfruantur.

Chryſoſt.

Ioannis encomia.

Inſignia philoſophici Magiſterij.

ORATIO XXI.

In gradu Philoſophici Magiſterij Illuſtriſſimo D.D. Ioannis Mendocij Ecij, Henriquij, Noronij, in Collegio D. Petri Collegæ.

195 IMmortalis ſum, ſi hodie præ gaudio non morior. Plures aliquando filij Olympico in certamine coronati obuiam parenti Diagoræ proceſsēre: quid Diagoras? Cernit theatra exultantia, ſentit fauentium plauſus, percipit gratulantium voces, audit Pæana modulantium cantus; flores, palmas, coronas intuetur: quid efficiat? Tantæ impotens lætitiæ, viuens, vidénſque exanimatur. Quid non morior præ lætitia, cùm meos videam alumnos nobiliori in certamine, nō corporis, ſed animi; non roboris, ſed ingenij; non Olympiæ, ſed Philoſophiæ coronatos? Viuo nihilominùs, & viuo, tuas, Illuſtriſſime Candidate, hodierno die vt aſpiciam coronas; quæ mihi ferales non exiſtunt, ſed vitales; quæ me nequeunt viuum interimere, ſed facilè me poſſunt vel demortuū animare. At, cui priùs in hodierna actione gratulabor? tibíne, qui à ſapientia coronam accipis, qua fulgeas? an ſapientiæ, quæ in te ſibi ſedem inuenit, qua emineat? Gratulor in primis ſapientiæ: neſcio enim quid auguſtius, quid diuinius, mihi videtur ex te in ſapientiam, quàm in te ex ſapientia redundare. Gratulor, inquam, & vehementer gratulor ſapientiæ, quòd apud Illuſtriſſimum Candidatum, illuſtriſſimum ſibi domicilium compararit.

Diagoras cū filiis.

Olim ſapientia toto orbe peregrina, ac profuga vagabatur: humiles tantùm caſas, deſerta tuguria, ruinoſa mapalia incolebat: vel in puteo cum Democrito, vel in dolio cum Diogene, vel ſummùm in porticu cum Zenone latitabat: ab aulis Regiis, à Dynaſtarum foribus, à Principum liminibus, tanquam profana à fano, arcebatur. Idem exilium in Luſitania recèns nata aliquando experta eſt: nam primi in dignitate viri, erant in ſapientia poſtremi; gladio vtebantur, non calamo; armis vacabant, non libris; hoſtes profligabant, non errores: ſi quis ſciebat legere, diſertus erat: ſi characteres pingere, diſertiſſimus; ſi quid Latinitatis redolebat, magnus videbatur omnibus Apollo. Deſeruit tādem hoc exilium ſapientia: & quæ olim vix poterat apud vilem plebeculam parua hoſpitia inuenire; iam nunc à principe Luſitaniæ iuuentute in amplas domos,

Sapientia olim peregrina.

Digitized by Google

Mendocij erga Philoſophiam amor.

domos, in illuſtria palatia, in regia domicilia inuitatur. Teſtor illuſtriſſimum Candidatum, teſtor, qui per hos annos ſapientiam diligentiſſimè inquiſiuit, beneuolentiſſimè excepit, & in ampliſſimum maiorum ſuorum domicilium cooptauit: ægrè ferens, ſicut ille quondam Rex, & Vates, ſe in auguſtiſſima degere Familia; Arcam Domini, nimirum, ſapientiam, inter abiectiſſimum vulgus exulare. Tibi igitur vni gratulor, ſapientia. Clariſſimum tibi in hac illuſtriſſima Familia domicilium conſurgit. Duriſſimum exilium, quod olim experta es, feliciſſimo ædificio, quod hîc in poſterum incoles, commutaſti. Ingredere, ſapientia, feliciter, ingredere hoc hoſpitium; & ingreſſa, quàm ſit amplum, quàm magnificum contemplare.

Nobilitas Ioannis quaterno cognominis honore inſignita.

196\. Dignitas ædificij quaternis in angulis, quibus nectitur, ſpectatur: angulares enim lapides firmitatem adhibent operi, ac decorem. Non aliter alicuius amplitudo Familiæ ex quaternis auis, à quibus oritur, innoteſcit. Suum enim nepotes ab auis hauriunt, & in auos refundunt ſplendorem. Agite verò, & Illuſtriſſimi Candidati quaternos auos, tanquam quaternos ampliſſimæ ſubſtructionis angulos explorate, Ecas, Noronias, Henriques, *& quos ſuo ipſe præfert cognomento.* Singulos attentiùs expendite; diligentiùs inſpicite; curioſiùs contemplamini. Facilè agnoſcetis, quàm his angulis non vulgare, ſed regale monumentum fulciatur.

Vide Oratoris modeſtiã, dum tacet cognomẽtum.

Ecarum vetuſtas.

Primus ille angulus, qui Ecas continet, firmiſſimus quidem eſt, ac politiſſimus; auro interlinitur, non calce; gemmis fulgurat, non cæmentis; ruinam non patitur, æternitatem pollicetur. Quàm pulchri in eo lapides, quàm pretioſi inſeruntur. Ab ima baſi ad ſummum epiſtylium vltrò, citróque commeate; nihil in eo, quod amplum, quod magnificum, quod regium non ſit, inuenietis. Nam à materno auo Illuſtriſſimi Candidati, Illuſtriſſimo Domino Iacobo Deça, recta, vt vocant, linea ſi aſcendatis; quò tendetis? Sanè per mares ſemper genitores, belli, domíque inſignes, euadetis in clariſſimum Luſitaniæ Infantem, feliciſſimæ memoriæ Ioannem, filium auguſtiſſimi Regis Petri, & nomine, & virtute in Luſitania ſingularis. Vt non immeritò Illuſtriſſima Ecarum Domus, quæ tota in Illuſtriſſimi Candidati fratre maximo recumbit; non immeritò, inquam, Illuſtriſſima Ecarum Domus regio ſtemmate glorietur: nam ab auguſtiſſimis Luſitaniæ Regibus, qui facti ſunt ei caput anguli, coronatur. Quòd ſi lapides huius anguli laterales inquiratis, plures in eo Comites, plures Duces, plures principis ordinis Magiſtratus agnoſcetis, quibus huiuſce anguli conſtructio mirabili artificio exornatur. Nam & Comites in eo Penellenſes, & Arionij Duces, & Bracharenſes Archipræſules, & plures alij non ſolùm in Luſitania, ſed in tota Hiſpania Dynaſtæ includuntur. Neque ſolùm decus in angulo ſuſpicio, ſed & robur. Vt enim alios omittam, duo ſe mihi offerunt clariſſimi de hac familia Scipiones, Illuſtriſſimi Domini Ioannes, & Georgius Deça, Luſitani quidem, ſi patriam ſpectetis; ſi bellandi virtutem, qua Libyam terruerunt, Africani. Non minùs enim operæ, & laboris in Arzilla, & Azamorio euertendis poſuêre, quàm illi quondam duo fulmina belli Scipiadæ in Carthagine, & Numantia expugnandis collocarunt. En vobis primus angulus.

Ecarum gens pro ſtemmate gentilitio regale ſtẽma ſibi vendicat.

Comites, Duces, Præſules, Præſides, Dynaſtæque, qui ad Ecas ſuam referũt originem.

Noroniarum ſplendor.

197\. Quid de altero, qui Noronias complectitur? Ordine mihi ſecundus eſt, non dignitate. Quanto & naturæ, & artis lenocinio ſplendeſcit? Florem in eo Luſitanæ nobilitatis nemo quidem non agnoſcit. Vultis in eo Comites: Comites in eo haberis Dencitenſes. Marchiones poſtulatis? Regalis villæ fulgurant in eo Marchiones. Optatis Duces? Duces ab hoc angulo non abſunt Brigantini. Prouinciarum quæritis Gubernatores? Indici continentur in hoc angulo Proreges. Academicos Rectores deſideratis? Ipſe, ipſe, quem præſentem & agnoſcit, & veneratur Academia, Rector Illuſtriſſimus cum Illuſtriſſimo Candidato in hoc angulo própinquitatis iure colligatur. Inclytum ſanè angulum! qui non rudibus conſtruitur ex lapidibus, ſed collucentibus nectitur ex pyropis. At quem in caput huius anguli lapidem erigamus? In prioris anguli caput Regem erexi; Regem quoque in caput erigo poſterioris. Antiquam proauorum ſeriem replicate: facilè deprehendetis, Noronias, à quibus Illuſtriſſimi Candidati materna auia, & genus, & nomen hæreditauit, tandem in regale faſtigium terminatos. Nam in auguſtiſſimum Luſitaniæ Regem vnicum huius nominis Ferdinandum tota huius anguli conſtructio faſtigiatur. Quare, ſicuti prior ille angulus regio ſtemmate fulgurabat; ita & hic poſterior ſtemmate pariter regio ſplendeſcit. Vidiſtis quàm firmus ſit hic angulus, & opulentus?

gius, & ſtirps clariſſima.

Noronia à Ferdinando, Luſitania Rege ſanguinem ſuum petunt.

198\. Tertium, qui Henriques includit, curioſiùs veſtigate. Quantus emicat ab eo fulgor, qui non ſolùm complet illud oppidum, *Alcaceuas* appellant, cui Illuſtriſſimi Candidati Familia, iam inde ab antiquis temporibus dominatur. Verùm etiam in Luſitaniam extenditur, in Hiſpaniam diffunditur, in Italiam perlabitur, in maiorem partem Europæ peruagatur. Nulla enim ferè eſt ex tam multis Europæ regionibus, in qua plures de hac Illuſtriſſima Familia Comitatus, Marchionatus, ac Ducatus, ampliſſimæque aliæ Dynaſtiæ non aſſurgant. Et ne ſua in hoc angulo firmitas requiratur, plures in eo Comites, vt Hiſpania nuncupat, *Stabiles* intercurrunt, qui ſui ſtabilitate comitatus ſuorum ſtabilitatem poſterorum feliciter ominentur. Iam verò quàm artificioſam coëant in ſtructuram huius anguli lapides, quis non videt? Nam à paterna auia Illuſtriſsimi Candidati, quæ & genere, & nomine Henriques fuit, ſi gradum ad ſuperiores parentes referatis, quò deuenietis? Recto quidem limite, & per mares ſemper, vt de primo angulo dixi, genitores, aſcendetis in clariſſimum Caſtellæ Infantem, nomine Henricum, à quo defluxit in cæteros huius familiæ proceres cognomentum. Quem autem habuerit Henricus genitorem, Sanctiúmne Caſtellæ Regem, an potiùs Alphonſum; vobis erit fortaſſe, quàm mihi exploratius. Si habuit Alphonſum huius nominis ſecundum, auguſtiſſimi Regis Dionyſij, & ſanctiſſimæ Reginæ Eliſabethæ in Luſitania nepotem, vt non leuibus ex indiciis coniicio; quanta huius anguli dignitas effloreſcit, quæ in regiam non ſolùm maieſtatem, verùm etiam ſanctitatem terminatur?

Henriquiorum progenies numeroſa & glorioſa.

Henriquij ab Henrico Infante deducunt originem.

199\. En vobis huius clariſſimi ædificij tres anguli, ſeu huius clariſſimæ familiæ tres aui, regio vnuſquiſque diademate inſignitus: quid pulchrius ad ſpeciem? quid auguſtius ad honorem? quid magnificentius ad totius memoriam poteſtatis? Horum trium in aſpectu angulorum, tantus me ſtupor amplectitur, vt orationem à quarto, qui reſtabat perluſtrandus, penitùs remoretur. Tibi igitur gratulor, ſapientia, quæ ab humilibus caſis, in quibus olim delitèſcebas, ad ſublimia tecta, in quibus

Mira Auctoris modeſtia, qui à Mendociorũ laudib. abſtinuit, ne proprias euulgaret.

Digitized by Google

quibus modò ſplendeſcis, commigraſti. Tui illi ſuauiſſimi odores,qui ab exiguis quondam tuguriis ſpirabant,iam nūc *à domibus eburneis*,ſeu Hebræo vt elicitur de archiuo, *à palatiis Regum* exhalantur. Ingredere feliciter, ſapientia,hoc hoſpitium, ingredere; quod Illuſtriſſimus tibi pandit Candidatus: nullum ex iis,quæ deſiderare potes, in eo tibi deerit ornamētum.Age enim verò, tuo quid deſideras in alumno?Nobilitatem?At,quanta in eo fulgeret,iam vidiſti.Ingenium?Mihi crede:per hos annos multorum ingenia tractaui;ingenium Illuſtriſſimi Candidati nulli cedit, optimis exæquatur. Frequentiam in ſcholis? Scholas tam auidè,quàm ludos alij,frequentabat. Obſeruantiam in Magiſtros? Certè tantam illis ſemper exhibuit, vt eorum,quocunque vellent, non modò ductum ſequeretur,ſed nutum. Beneficentiam in condiſcipulos?Ipſi loquantur,quos,inſcio Præceptore,ad publicas actiones obeundas ſuo adiuuit præſidio, ac promouit. Pietatem erga Deum? Tam prono fuit animo ad pietatem, vt faciliùs deeſſe ſibi omnia, quàm ſe rebus diuinis deeſſe pateretur. Tuum igitur tibi gratulor, ſapientia, Candidatum. Hîc viue, hîc morare, hîc triumpha. Oróque,vt quem ſuis naturæ præſidiis cultum inueniſti, eundem tuis artis inſignibus efficias cultiorem. Ergo, Illuſtriſſime Candidate, ipſius nomine ſapientiæ ſolennibus te inauguror ornamentis.Accipe pileum lemniſcatum,qui meritas tibi infulas feliciter ominetur: indue annulum ſignatorium, quo tua rectè facta ad memoriam poſteritatis expreſſa relinquantur: librum in manus ſume,tuæ ſapientiæ monumentū, cuius doctrina poſſis Luſitaniæ & prodeſſe, & præeſſe.

Sapientia in Ioanne Candidato facta illuſtrior.

Candidati encomia.

Philoſophia inſignia.

ORATIO XXII.

Euehitur ad ſummum philoſophicæ dignitatis faſtigium Illuſtriſſimus D. D. Iacobus Lupus, nunc Ordinis ſancti Iacobi Dominus Prior meritiſſimus, & in ſacro Fidei Senatu Quæſitor digniſſimus.

100. VEnio exultabundus in hanc lucem ad labores meos feliciter coronandos. Te enim, Illuſtriſſime Cādidate,meis per hoc quadriennium laboribus veluti coronam adhibeo triumphalem. Nam,ſi diuinus ille gentium Doctor,& Inſtitutor Paulus,quos aluit, quos nutriuit, quos ad pietatem informauit, gaudium ſuum vocat, & coronam:cur te,cui ad Philoſophiam anhelanti monſtraui viam,currēti facem præluxi, aſſequenti comes adfui(ſi ſpectes animum)non infidus;cur te, inquam, gaudium & coronam meam non appellem? Certè hoc te nomine eò libentiùs appello, quò tuum in me animum manifeſtiùs agnoſco. Sicut enim labores meos per hoc ſpatium annorum feciſti tuos; ita ſtadio Philoſophiæ decurſo honores tuos facies meos: & qui vt me leuares onere, meum in te onus tranſtuliſti; planè vt me afficias honore, tuum in me honorem deriuabis. Singularem in hoc modeſtiam admiror tuā: merita namque tibi auarè vendicas præmia, liberaliter aliis communicas & honores. Agite ergo, & qui adeſtis;non tam ſpectandis prēmiis,quæ ſunt exigua, quàm auſcultandis meritis,quæ ſunt eximia, vacate. Præmia, quæ Illuſtriſſimo molior

Paulus.

Candidato,tria adſunt:liber, ſapientiæ typus; annulus, ſymbolum probitatis;pileus,ſericis filis in morem diadematis fimbriatus,nobilitatis monumentum.Quid leuius ad ſpeciem,quid anguſtius? At merita totidem mihi è regione obuerſantur: ſapientia quadriennij laboribus acquiſita; probitas totius vitæ ſpatiis exculta; nobilitas antiquiſſimis proauorum ſtemmatis commendata. Quid accommodatius ad veram laudem, quid auguſtius? Quare ab illis præmiis oculos deflectite:ad hæc merita aures comparate.

Ex triplici Philoſophia honore triplex laus deriuatur in Cādidatum.

Longa vos oratione fatigabo. Neq; enim breuibus dicendi finibus includi poſſunt, quæ totam ferè eloquendi exhauriunt vbertatem. Sed quis mihi aſpectus vocem intercludit? quis linguam mihi præpedit obtutus? quis horror fauces mihi obſidet, totámque è pectore dicendi eripit facultatem? Méne lupi vidêre priores? quorum proprium eſt, mutos efficere, quos intuentur? Ita planè eſt: Lupus mihi adeſt. Ille me, non alius, ille mutum me reddidit, & elinguem: qui ſuarum laudum mihi ſilentium pluſquam Pythagoricum ſeuerè imperauit: arbitratus tunc eas meliùs euulgari, cùm modeſtiæ velamine obteguntur. Hoc tamen fine, vt exorem, Vir Illuſtriſſime, vt ſi minùs tuas laudes expromam; laudum tamen vmbras nonnullas ducam:faciam,vt à longiſſima narratione, quam decreueram, ad breuiſſimam periodum,quam imperas, tota mea oratio colligatur.Quid priùs igitur commemorem?Nobilitatem? Eam ſi verbis illuminare vellem, eo ipſo obſcurarem. Solémne prætenta face aliquis ſanus indicabit?Ita planè, ſi Illuſtriſſimam Luporum Familiam enucleatiùs aperirem, inſanirem. In illius proſapia duo commendantur, exordia, incrementa. Ego in hac Familia exordia non inuenio:lōgè abeſt ab initiis, quiſquis in illa eſt natus. Niſi fortè exordia appellentur, quæ ſuprema nobilitatis faſtigia iudicantur. Si rem ita vultis vt definiam, huius Familiæ exordium Regium ſceptrum eſt. Rem,vt credo, ſapitis: memoriam ſolùm,ne excidat,interpono.

Pulchrè ludit in Virgilianis lupis.

Luporum vetuſtas in Luſitania.

Periculoſo bello laborabat Luſitania ſub Rege huius nominis primo,felicis memoriæ Ioanne: 101.
cùm ei à finitima Regina quinque filij de Reginæ matris nomine Lupi appellati in auxilium præmittuntur: nouos induit animos ex nouo præſidio Ioannes: bellum ſuſcipit, hoſtes pellit, ciues ditat, totam à ſeruitute eximit Luſitaniam, ita vt,quæ primo ſub Alphonſo quinque vulnerum Chriſti auſpicio nata fuerat, eadem primo ſub Ioanne quinque Luporum patrocinio renata videretur. En exordia. Noua planè rudimenta, in quibus nihil rude; noua fundamenta, in quibus nihil humile; noua principia, in quibus nihil imperfectum. Noſtis illud prouerbio decantatum, *generoſas plantas cum fructu prouenire in ardore felici*? Non ſolùm ſummi apices panduntur in frondes, gemmant in flores, exuberant in fructus; ſed etiam totus hic vernantis anni apparatus prima pullulat ab radice. Ita Illuſtriſſima familia Luporum, non ſolùm iam adulta, ſed vix nata regiis inſignibus ſplendeſcit; & iam inde à Regina auguſtiſſima parente, tanquam prima à radice, ſceptra germinat, purpuras regales oſtendit, gemmeas induit coronas. Quem progreſſum, quéinve exitum talia vobis exordia videntur habitura? Certè tantùm accreuit hæc Familia, quanta habuit ſpatia accreſcendi. Totam ſe ſe in Luſitaniam intulit, & infudit nobilitatem. Adeò vt nulla primi

Quini Luſitania Lupi cum quinis Chriſti vulneribus comparatio.

Luporum gēs regiis inſignibus clara.

Digitized by Google

primi nominis in Luſitania domus ſit; (percurrite ſingulas, qui eſtis ad hoc ſtudium promptiores;) nulla, inquam, quæ cum hac Familia in aliqua neceſſitudinis commercia non conſpiret.

202. Omnes ab hac lucem, hæc ab omnibus lucem fœneratur: mutuas ſibi ſingulæ præſtant faces; alternis inter ſe fulgoribus ſingulæ colluſtrantur. Quare dum Luſitana nobilitas ſteterit, hæc ſtabit: meritò vt poſſit ſibi vſurpare inſigne illud hederæ toto muro inerrantis, cum hac inſcriptione, *Te ſtante, virebo.* Vt enim hedera multiplici lapſu ſerpens, ſuiſque fibris & clauiculis, quidquid nanciſcitur, arripiens, natiuo virore exui non poteſt, niſi priùs totus, cui innititur, murus diruatur: ita hæc Domus cum reliquis Luſitaniæ dynaſtiis, mutuis amplexibus inhærens, exſcindi nequit; niſi priùs tota, quod Deus auertat, Luſitana nobilitas, cui incumbit, labefactetur. Iam verò titulos ſi requiras, innumeros numerabo: nam præter Gubernatores, Comites, Legatos, regalium cenſuum Curatores, Regiis Senatoribus Præfectos, pluréſque alios Magiſtratus, Illuſtriſſimi Candidati auos, proauos, ac tritauos, quorum nullum nomino, ne quem nominem extremum; præter hos, inquam, ſola hæc Familia virorum, ſeu, vt dicam Luſitanè, *Baronum* eſt. Hanc Domum, ſi Philoſophus ille Cynicus aſpiceret, à ſuo veteri iurgio abſtineret; qui in meridiana luce, in frequentiſſimo foro, huc, & illuc curſitans, accenſa tæda viros inueſtigabat: ratus nihil eſſe minus, quàm viros pleroſque, qui viri eſſe videbantur. Oculos ſi huc referas, ô Cynice, quàm raros in tua Græcia viros inueniſti, tam frequentes in hac Familia deprehendes. Viri ſunt omnes, ſeu *Barones*, nomen à virtute mutuati. Incidi inopinus, quoniam oratio feſtinabat, eam in virtutem, quam Illuſtriſſimus Candidatus à maioribus ſuis hæreditariam accepit. Iuuenilem ætatem vitiis pronam eſſe omnes ſciunt, plerique experiuntur: neque ille ſanctiſſimus Iobus ignorauit, cuius illa verba ſunt: *Oſſa eius implebuntur vitiis*, ſeu, vt Hebræo eruitur de archetypo, *implebuntur adoleſcentiis*, ac ſi nihil intereſſe exiſtimet, vitiiſne, an adoleſcentiis quiſpiam impleatur.

Luporum genus cum nobilioribus Luſitaniæ Dynaſtis coniunctum.

Lupina familia ſola Baronū eſt in Luſitania.

Cynici Philoſophi elegans exemplum.

Iob 20. 11.

203. Tua verò, optime Candidate, adoleſcentia nullum habet minùs, quàm cum adoleſcentiis commercium. Memor enim, te à viris, ſeu Baronibus, ſeu virtutum cultoribus prodiiſſe, ſemper in iuuenili ætate virilem probitatem coluiſti. Hoc planè tuus in res diuinas ardor, in religioſos Ordines amor, in magiſtros tuos beneuolentia, in pietatis opera affectus, in Diuorum obſequia ſtudium, etiam me tacente buccinantur. Quin etiam & cùm bonam iuuentutis partem inter Academicos iuuenes tranſegeris, vnum omninò extitit ſingulare, quòd nihil alienæ noxæ in te hæſerit; plurimùm virtutis tuæ in alios redundarit: vnde hactenus querulam de omnibus iuuentutem, ab omnibus immunem querimoniis conſeruaſti. Pluribus tuarum virtutum laudibus libens parco, ne videar, vel hortando adulari, vel laudando faſcinare. Vnum moneo, (neque enim præfers, vt de cæteris adoleſcentibus teſtatur Ambroſius, faſtidioſam monitionibus iuuentutem;) vnum, inquam, moneo, perge nobilitati à maioribus acceptæ virtute propriis factis comparata, vt feciſti hactenus, anteire. Ita fiet, vt alterius vtraque ſuffuſa ſplendore clarior emiteſcat. Iam verò tuum ad ſapientiam laborem, & contentionem indefeſſam, quis incredibiliter non miretur? Philoſophiæ quadriennium, non inficior, tam eſt graue, vt nullum fortè ægrius ac difficilius videatur. Hinc eſt, quòd multi è portu ſoluant, plerique in medio conatu naufragentur, pauci optatam ſtationem conſequantur: nam quoſdam inſana cupiditas ab incepto auertit; alios moleſta nauſea retrorſum cogit; plurimos diuturnus labor obruit, & infringit. Te verò propoſiti tenacem, nec moleſtiæ, nec labores, nec inanes appetitiones diuerſa in ſtudia abſtulêre: eundem ſemper in ſcopum tuus te Philoſophiæ amor incitauit, audiendo frequens, ſcribendo aſſiduus, celebriores actiones obeundo impiger adfuiſti: in quibus Philoſophiam & Oratoriam tam ſolerti artificio ſociaſti, vt qui aderant, & Philoſophum orantem, & Oratorem philoſophantem ſibi audire viderentur.

Candidati continentia ſingularis.

Ambroſ.

Hæc tua ſunt merita, Illuſtriſſime Candidate, non lacinioſo, vt optabam, dicendi genere exculta, ſed exiguo, vt iuſſiſti, verborum ambitu prælibata. Quæ pro illis præmia debentur, tota tibi poſteritas molietur, vt paris honoribus reſpondeant comparandi. Interim tria tibi totius Academiæ nomine deferuntur. Accipe pileum cæruleis fimbriis lemniſcatum, qui & prodat maiores tuos regiis coronis inſignitos; & demonſtret Philoſophiam, quam colis, multis coloribus variegatam, multis habitibus diſtinctam, multis, ac pulcherrimis veſtibus fulgurantem; & portendat infulas ac tiaras, quas tibi ſpero propediem affuturas. Annulum indue ſignatorium, quo poſſis tuam de rebus philoſophicis ſententiam, veluti impreſſo ſigillo confirmare: & qui ſuarum partium in ſe recurrentium perfectione, tuorum operum à Deo, & in Deum redeuntium commeatum repræſentet. Librum tibi trado, vnicum ſapientiæ theſaurum, ex quo tibi, aliiſque neceſſarium ad res omnes præſidium poſſis mutuare. Fruere tuo bono, fruere, & te longiſſimam in tempus Academia perfruatur.

Inſignia Philoſophiæ laudum argumenta.

ORATIO XXIII.

Illuſtriſſimo D. D. Ioanni Brigantino, Epiſcopo Viſenſi, primum Philoſophiæ curriculum inuiſenti.

CONimbricæ Academiæ, Societati noſtræ, his ſcholis, Dialecticæ Lyceo, meis auditoribus, 204.
ac tandem mihi vni felicitatem auguror, antè denuntio, prædiuino. Quæ præpetis omina pennæ me in hoc vaticinium impulêre? Aquila Regina volucrum, & à cœlo delapſa mihi viſa eſt hanc nobis felicitatem ominari, cùm te, Pontifex clariſſime, in eundem nidulum video remigrare, ex quo multis abhinc annis ad honores tibi debitos, licèt tuis meritis minores, euolaſtas. Aquilam felicisſimi auſpicij volucrem fuiſſe nemo neſcit, qui humanas hiſtorias prælibarit. Illa eſt, quæ Midam tenuis fortunæ hominem ad montes aureos incredibilium diuitiarum anteceſſit. Illa, quæ Ægonem natum ſub paupere tecto ad Heraclidarum regnum fauſto omine deduxit. Illa, quæ Hieronem, humilis conditionis virum, ad Regiam inter Siculos dignitatem excitauit. Illa, quæ

Aquila auguria feliciſſima.

Digitized by Google

Tarquinio, ne ſua quidem ſuperbia tantum honoris culmen meditanti, Romani imperij faſtigium portendit. Illa, quæ ipſum Iouem, in cuius ſceptro depicta viſebatur, quò faciliùs ad diuinitatem ſcanderet, ſuis humeris fingitur ſubuexiſſe, indéque ne rueret, ſuis viribus conſeruaſſe. Itaque volucres aliæ ominoſæ eſſe ſolent, infelices, & inauſpicatæ; aquila non niſi felices exorſus, felicioréſque exitus ominatur. In te verò, Præſul auguſtiſſime, principē volucrum aquilam mihi videor intueri, cùm illæ, quæ in aquila fulgent dotes, in te mirabiliùs effloreſcant. Nam ſublime illud, & regale ingenium aquilarum, quibus Rex Deorum regnum in aues vagas permiſit, in te natiuo quodam ſplendore clariùs eluceſcit. Teſtantur id nobis tacentibus maiorum tuorum ſeries, ſiue in caput retrouerſum, ſiue in latera retexantur: quas qui velit etiam ſine longa ambage, & circuitione colligere, vel explicare, boni Superi! quæ lux? quod iubar? quis ſplendor animo ſuborietur? Tot Comites, tot Marchiones, tot Proreges, tot Duces, tot Dynaſtæ, tot Præſules, tot Archipræſules, inter purpuratorum Patrum lumina, omnes regio ſati ſanguine, regiis inſtructi moribus, ad regnum natos dixeris, non educatos, Vt cùm ampliſſimis in prouinciis difficillimè quis inueniat vel vnum dignū, qui Rex ſit; tua in ſtirpe nequaquam inueniatur vnus, qui non ſit. Sed hoc decus quantum quantum eſt, quod certè maximum eſt, in te eo nomine maius eſt, quòd vix illud tuum vocas: & ad verum decus, quod egregiè factis comparatur, ſic incumbis, quaſi illud hæreditarium non haberes.

Aquila ingenium regale.

205. Quare illa comitas, illa facilitas, illa liberalitas aquilarum, veris, falſis, omnibus decantata linguis, & oraculis ſapientum, tibi potiori iure inſita videtur, & innata. Teſtes promerem domeſticos, eam ſæpiùs expertos; niſi illorum fides in tuis rebus ſuſpicioſa eſſe poſſet, pro ea, qua in te ſunt beneuolentia animati. Illos tamen non poſſum non afferre tyrunculos noſtros, in quibus tam propter ætatem, quàm propter ſimplicitatem, nulla inhærere poteſt ſuſpicio falſitatis. Quo illos excipis hoſpitio? quo foues amplexu? quibus oculis intueris? qua liberalitate donas? qua beneuolentia curas? quibus geniis oblectas? qua facilitatē alloqueris? qua indulgentia tractas? quibus ſtudiis proſequeris? nullus, vt tibi videatur hilarior ire dies, quàm ille, in quo pauperculi tibi adſunt hoſpites, ac mendiculi; nullus triſtior illuceat, quàm ille, in quo tuo ex epiſcopio, te inuito, ac longiores ſæpè moras interponente, tandem diuelluntur: illos foues, vt parens, vt altor, vt magiſter; illos tuas delicias eſſe credis; cum illis tibi videris agere dies curiæ, conuiuium Tuſculanum. Eſt hæc proculdubio, eſt hæc humanitas non vulgatis, qua liberale ingenium aquilarum tantùm ſuperas, quantùm ſuperant aquilæ columbam. At ille feruor, illa propenſio, illa auiditas ad ſtudia literarum, quam in aquilis ſapientes myſtologici expreſſam eſſe prodidêre, vbi meliùs, quàm in te, Mecœnas optime, ſedem habet? Oculati adſumus teſtes omnes. Vix hærere potes pedibus, dolore eos pungente articulari: (leniant eum Superi, & emolliant!) vix, inquam, potes pedibus inſiſtere, & tamen vires ſuppetunt, animi non deficiunt ad hæc curioſiùs adeunda limina, ſeu theatra ſapientiæ. Nec te deterrent ab ingreſſu ipſa laquearia carioſis trabibus conſumpta, & exeſa; ipſi parietes annoſa vetuſtate hiantes, & fatiſcentes; ipſum ſolum attritu pedum incompoſito puluere in glomera effuſum, ipſæ valuæ, ipſæ fores, ipſi cardines, ſedilia ipſa, & ſubſellia, ſua iam diuturnitate extabeſcentia: non, inquam, te deterrent tam humiles aditus, & anguſti. Libens ingrederis: nec illa tibi admonitio opus eſt:

Tyrones peregrinātes amicè & hilariter excipiebat.

Vetus Academia.

Aude, hoſpes, contemnere opes, & te quoq; dignum Virgil.
Finge Deo, rebúſque veni non aſper egenis.

Sponte tua humilia te ingeris in tuguria, vt ex tuo nutu verticem ſapientia erigat altiorem. Quis te auſpice auditor non exultet? quis te Mecœnate præceptor non excitetur? quæ te patrono ſcientia non effloreſcat? Rhetorica adulta in hyeme vernabit. Poëtica in frigorum ſæuitia comantes texet floſculos in corollas. Philoſophia ſuas iam matura fruges ante meſſem colliget ampliores. Noſtra quoque dumeta, & ſpineta, Dialectica, in quibus ſæpè pungimur, elidimur, exulceramur, te benè fauente in violaria abibunt, ac roſaria. Denique tota Academia, dum beneuolè fanes, & leniter adſpiras, creſcet, adoleſcet, perennabit: & ſicut Illuſtriſſimi Inſtauratoris auſpicio expoliri cœpta eſt; ita tuo fauore mirabiliter excoletur. His geminis librata alis, ô Academia, tollere humo, & caput inter nubila conde.

En illas duas alas aquilæ magnæ, quas Pathmæus Vates mulieri datas vidit ad volandum. In quibus videre mihi videor duas alas aulæ Brigantinæ, Illuſtriſſimos hinc, & inde Præſulem, & Cenſorem, Conimbricenſi Academiæ diuino planè beneficio inſertas, vt altiùs exurgat, ſublimiùs excitetur, parem cum ipſo cœlo celſitatem conſequatur. Alas ambas regias, ſi generis ſplendor, ſi ſtemmatum antiquitas, ſi proauorum ſeries repetatur: alas ambas beneficas, ſi morum comitas, ſi ingeniorum facilitas, ſi fauor in omnes ſpectetur: alas ambas ſapientes, ſi vtriuſque labor ad capeſſendas literas, amor ad promouenda ſtudia, contentio ad acuenda ingenia multorum ponderetur: alas ambas ſacras, ſi vtriuſque religio in Deum, pietas in res diuinas, feruor, amor, & ſtudium ad colendam ſanctitatem expendatur: alas ambas aquilinas, quibus Romanæ aquilæ, ſi modò viuerent, libentiùs colla ſubderent, quàm olim ſuis pedibus totius Orbis colla ſubdiderunt. Verùm, vt hæc tibi deeſſent ornamenta aquilarum, adhuc mihi videris aquilæ inſigne tuo tibi iure vendicare. Nónne ille Diuinitatis Præco, tibi cognominis Ioannes, quatuor inter Cherubinos aquilam ſibi optauit, ac delegit? Quid ergo mirum, ſi in te tui tutelaris Diui ac Patroni inſigne transferatur? At, cur ille tam eximio ſtemmate inſignitur? Nempe, quòd volatum iniit, quàm cæteri omnes altiorem. Non humanis rebus inſtitit; ſed prorſus ſeſe tranſtulit ad diuinas. Ad ipſum diuinitatis ſolium, *felici*, vt loquitur Hieronymus, *temeritate euolauit*; *& æterni iubar ſplendoris aquilina acie contemplatus, totumſe diuinæ naturæ abdidit in receſſum.* Meritò vt dicatur à ſacro Vate tam feliciter volans aquila faciem quaternis animalibus altiorem extulíſſe: *Facies*, inquit, *aquilæ deſuper ipſorum quatuor.* Nam non ſolùm aliis diuinæ hiſtoriæ conditoribus, ſed ſe quoque ipſo altior, & ſublimior à ſolo in cœlum commigrauit. Hoc nomine, cur te Aquilam non appellem? qui diuinis rebus intentus totum te abducis ab humanis; & libentiùs, quàm inter homines, cœleſtes vagaris inter Diuos: qui non ſolùm tibi largè hauris diuinæ nectar dulcedinis; ſed tuis quoque domeſticis abundanter

206. *Apoc. 12.14.* *Epiſcopus Viſenſis, & D.D. Franciſcus Brigantinus, tunc Academiæ Cenſor.*

Hieron.

Ezech. 1.10.

Digitized by Google

abundanter propinas, & affluentes: qui non ſolùm tibi nectis alas, quibus ad cœleſtia conſcendas; ſed eaſdem tuis inſeris, vt, te duce, ſequantur, non trahantur: qui denique de palatio facis templum; de Regia Eccleſiam; de atriis Oratoria; de hominibus aulicæ vitæ profeſſoribus, homines religioſæ diſciplinæ æmulatores. Feliciter euola, felix aquila, feliciter. Quocumque volatus neveris, *eò congregabuntur & aquilæ.* Te auſpicem, & ad ſublimia conſcendentem Luſitaniæ Proceres, & Præſules, qui in te defigunt oculos, feliciter inſequentur. Sed, quoniam tam multa in te aquilarum elucent decora; vnum, vt non deficiat, Deum precor. Renouetur, vt aquilæ, iuuentus tua. Aquila fœta ſenio pennas exuit vetuſtiores, & nouo ſe plumarum induit apparatu: tibi, vt ita accidat, faxit Deus. Abſcedant, precor, abſcedant moleſtiores illæ ægritudines, quæ te elidunt; dolores illi difficillimi, qui te angunt; affecta illa valetudo, quæ te torquet, malè accipit, & excruciat. Priſtinus tibi vigor adſit, redeat optata ſanitas, iuuenile robur conſequatur. Nam, ſicut in ætate iuuenili ſemper maturitatem ſenilem tenuiſti; ita quoque æquum eſt, vt quò ſenior tibi ætas venerit, & ſanior in te vigor inoleſcat. Renouare, felix aquila, renouare. Viue tuis, tibi, Deo: vt tuus fauor tuis nunquam deſit; tibi nunquam deſit & diuinus.

Matt. 24. 28.
Luc. 17. 37.

ORATIO XXIV.

In cuiuſdam Doctoratu.

207. DOctoris laudes illæ mihi videntur longè maximæ, quæ ex illius ſapientia & probitate colliguntur. Nam, ſi fulgore ſapientia non præluceat, quiſquis eſt ſapientiæ inſulis inaugurandus, non erit ſapientiæ monumentum, ſed ſepulcrum: ſub illo tanquam ſub vaſta mole tumulata iacebit ſapientia, exornata non eminebit. Item, niſi probitatis facibus ſplendeſcat, quiſquis ſapientiæ inuolat in coronam, fumoſam mundo ſapientiam venditabit, non fructuoſam: ſuis ipſe tenebris illuſus, inani quodam ſplendore intuentium oculos eludet. Ita ſentio, ita eſt: nemo erit, niſi inſanus, qui diſſentiat. At, ſi quem ad ſupremos Theologiæ gradus, & honores erigendum hinc ſyncera virtus, illinc germana ſapientia coronent; immane quantum laudationis eius encomium oriatur. Quidquid pares dicere; leue erit: quas vndique corradas eloquentiæ gazas; prorſus inanes: quæcumque accendas verborum lumina, quæcumque ſydera præferas ſententiarum; nubila videbuntur, & obſcura. Quid plura? Totum ſi ventiles, & excutias; totum ſi effundas, & inſumas myrothecium Iſocraticum, attigiſti quidem eius laudes, non exhauſiſti. O virum præcone dignum, ſi dignum ſe præconem inueniret!

Virtus & ſapientia, Doctoris laurea præcipua.

Nunc ad te venio, nobiliſſime, & ſapientiſſime Candidate. Tuas laudes ſi illuſtrare poſſem, vulgares eſſent; ſed planè meis ſunt luminibus clariores: nam ex illo duplici fonte nunquam ſatis dilaudando, & doctrinæ, & virtutis hauriuntur. Adſum igitur tuarum laudum non præco, ſed teſtis; & is quidem non auritus, ſed oculatus. Neque enim mihi opus fuit ad tuam ſapientiam, ac modeſtiam teſtandam externos homines conſulere, anteacta tempora replicare, & quæ mihi per aliorum manus traderentur, in lucem promere: hoc ſi facerem, quem finem dicendi facerem? Semper in tuis laudibus exordirer, nunquam perorarem. Ex me igitur tantùm didici, quæ de te doceo: parum temporis eſt, ex quo te noui; ſed ad tuas laudes veriſſimè teſtandas quàm longiſſimum. Tuam ergo in primis teſtor ſapientiam, non quidem nuperam, ac nouitiam, ſed benè coctam & maturam. Nam collectam olim hac in Academia Theologiam, multi iam anni ſunt, ex quibus arcano in pectore conſerues. Vigorem in te accepit cum virili ætate ſapientia; ſed illum virorem iuuenilis ætatis non amiſit: caneſcere quidem cœpit, ſed non deſiit reuireſcere: maturitatem induit, ſed non exuit vetuſtatem. Quem hauſiſti ſapientiæ ſuccum ex altrice Academia, in aliud ſolum tranſplantatus ita retines, vt vernare adhuc inter Academicos fontes videaris. Rem confirmant tuæ illæ tres actiones Theologicæ, omnium difficillimæ, quibus tantùm mihi contigit intereſſe: quas ita feliciter obiiſti, vt non alumnus ſapientiæ videreris, ſed patronus. Tuam illam Henriquianam, ſi Henriquus vitæ redditus ſpectaret; ſuam ſibi Academiam gratularetur, quæ Henrici nomen tam fideliter conſeruarit. Illam tuam concertationem, vt appellant, quodlibeticam, ſi videret Plato ab Inferis excitatus, ambidextros ciues in vtrumque latus digladiantes, quos in ſua Republica requirebat, ampliùs non exoptaret. Illud tuum priuatum examen, ſi publicum prodiret in theatrum, cenſores haberet nullos, plurimos inueniret laudatores: & cùm fuerit de more Academico penè extemporale, quadraginta horarum ſpatio intercluſum; nemini, niſi multorum dierum præmeditatione ad vnguem expolitum, ad Cleanthis lucernam elaboratum videretur. Denique vnum tantùm habuit tua illa triplex diſſertatio errorem, vt ab omni falſitatis ſpecie quàm longiſſimè aberrarit: vt nihil interim dicam de canore vocis, de actionis dignitate, de memoriæ firmitudine; quibus veluti excultam ornamentis, quam animo conceptam habes ſapientiam, foras clariorem prodidiſti.

Tres actiones Theologiæ ad Doctoratum neceſſariæ, & omnium difficillimæ.
Henriq.
Plato.

208. Iam verò tuam probitatem, quod eſt alterum tuæ Panegyris argumentum; tuam, inquam, probitatem, tuam facilitatem, tuam, ſic appello, docilitatem, quæ in iunioribus maximè commendatur, in ſenioribus miraculo ſimilis habetur; etiam me tacente, hæc aula teſtaretur. Homo eras tui iuris, imperandi tuis Curialibus aſſuetus, liberiorem nactus campum ad excurrendum; & tamen nihilo ſeciùs, quàm puer nondum ephebus, mira ſuauitate morum, eximia flexibilitate ceruicis, incredibili ſtudioſitate ingenij, te per hoſce dies antiquum in ludum incluſiſti; Rectori admodum colendo obtemperantem, Cancellario Academico audientem, Doctoribus ac præceptoribus morigerum, auditoribus gratum, omnibus periucundum. Quis te currentem altiora per negotia repreſſit, vt ex aluo parentis Academiæ iam editus, in eandem iterum redires, iterum ex eadem naſciturus, niſi tuus (ita ſentio, ita credo,) ille ardor animarum, quibus curandis incumbebas? Hæc tibi cura, cor, & animum exedebat: hæc te ad faſtidia librorum deuoranda ſtimulabat: hæc ad ſuſtinendos argumentorum

Digitized by Google

D Paulus.

impetus hortabatur. Hæc, vt Apoſtoli verbis loquar, inſtantia tua quotidiana, ſolicitudo omnium animarum. Huc veniſti non venatum, vel aucupatum auctoritatem propriam; ſed petitum, & inquiſitum vtilitatem alienam. Ergo geminis doctrinæ & virtutis alis erectus, cœlo labere, vel potiùs cœlo caput inſere: tuum volatum promoueat Academia, quibus ſolet honorem gradibus; prouehant Marchiones, Pontifices, ac Reges, quibus poſſunt, fauorum incrementis; diuinus à tergo Spiritus, cuius in Collegio, cuius ſacra in hebdomada, cuius in obſequium feliciter inaugurarîs; fecundiſſimis à tergo auris beneuolè proſequatur.

Collegiū Eborenſe Spiritui ſancto dicatum.

ORATIO XXV.

Pro ſuis Philoſophiæ Candidatis in Philoſophiæ menſis.

209. *Athenienſes nullo donabāt præmio Philoſophiæ Candidatos.*

MIrabatur olim Iſocrates leges, inſtitutáque Athenienſium, qui, cùm ſingulis hominibus de republica benè meritis ſingula præmia ſtatuerent; nullum tamen Philoſophiæ Candidatis præmium aſſignabant. Coronabantur milites, qui inimicas acies euerterent, qui hoſtiles muros inſilirent, qui imperij fines propagarent: donabantur pugiles & athletæ, qui manum feliciùs conſererent, qui luctas artificioſiùs inirēt; qui pancratium validiùs exercerent; ditabantur Magiſtratus, qui leges vtiles ſancirent, qui ciuium moribus prouiderent, qui reipublicæ pacem tuerentur: ipſis denique minutiorum artium, venalium, fabrilium, & ancillarium profeſſoribus ſua præmia largè, abundéque partiebantur: ſolus Philoſophiæ Candidatus vacuus iacebat, & immunis. Rem indignam, exclamabat Iſocrates, & ſi quid tale de Athenienſium æquitate fas eſt dicere, indigniſſimam! In hanc ego Iſocratis querimoniam bona illius venia non coniuro. Scio, Athenienſes homines acutos fuiſſe, & perſpicaces; bonum aliquem in ſcopum non dubito collimaſſe. Quorſum igitur eorum conſilia ſpectauerint, ſi libet, paululum exploremus. Dicite, quid vobis videatur in hac re; deinde quid mihi in mentem veniat, audietis. Erit planè, vt tota Iſocratis criminatio detonet, & conquieſcat. Dicitis optimè quidem, Athenienſes. Nam, cùm rempublicam quoddam aluearium eſſe dicerent; cæteros artifices, tanquam apes; ſolos Philoſophos tanquam fucos, ignauum pecus, iudicarunt. Quare, ſicut apes turmatim coëuntes deſidioſos fucos, alienis paſtos, ſaginatóſque laboribus, toto exigunt ab alueario, ac propellunt: ita Athenienſes paribus animis conſpirantes pigros Philoſophos & inertes, quorum vita, cibus; quorum labor, otium; quorum induſtria, ſomnolentia; ab omni munere ac præmio deuoluebant. Abſit à vobis, optimi æſtimatores; procul abſit hoc arbitrium. Nam Philoſophum appellare fucum, furor eſt. Quid fuco pigriùs? quid Philoſopho alacrius? Quid fuco inertius? quid Philoſopho ſolertius? Quid fuco obtuſius; quid Philoſopho acutius? Quid fuco otioſius? quid Philoſopho negotioſius? Furor eſt, mihi credite, furor eſt, fuco Philoſophum comparare. Et quamuis cæteri Philoſophi degenerarent in fucos; tamen hi, qui adſunt, optimi Candidati, apes proculdubio imitarentur. Nónne vidiſtis, quanta ſedulitate, more apum, excurrerunt in agros iam vſque Vlyſſæos, non thymum ſylueſtrem, ſed aurum textile allaturi; non flores tantùm libaturi, ſed gemmas, quibus hoc ſuum aluearium picturarent? Non vidiſtis, quo ſtudio inter ſe officia partiti, hos parietes, has menſas, hæc cœnacula exornarunt? Quas, obſecro, lacinias, quas tænias, quos lemniſcos, quæ redimicula, quos calathos ex auro, argentóque virgatos, quas corollas pactiles, ſubtiles, & plicatiles; quas pateras, quos abacos, quas orcas, quos pyrgos, quas turriculas, quos odores, quæ ſuffimenta, qualem denique gazam, qualem ſupellectilem, hanc in exedram non intulerunt? Vt non iam aulam veſtire, comere, & expolire viderentur; ſed

----munire fauos, & Dædala fingere tecta. Virgil.

Quid ergo? Martio vix appetente, qui tam multos flores congerit; qui tam præcoces maturat fructus; qui terram cogit inuitam, ac renuentem, vt integras, quas huc transferat, producat ficus, fucus eſt? Parcite, optimi æſtimatores, parcite Veſtrum me iudicium pedarium aſſenſorem non habebit.

Sed iam meam, an fortè non diſpliceat, ſententiam auditote. 210. Sapientiſſimè quidem Muſa Attica, cæteris bonarum artium cultoribus ampliſſimè muneratis, Philoſophis, neque in manum inſerebat palmam, neque in caput induebat coronam, neque in ſinum quidquam pretij congerebat; vt oſtenderet aliorum merita opificum potuiſſe quidem præmiis ſuperari; merita Philoſophorum ne exæquari quidem vllis muneribus potuiſſe. Ipſam ſibi Philoſophiam mercedem eſſe; ipſam ſibi ſapientiam coronam. O egregiam Philoſophorum maieſtatem, quorum merita ſunt præmia, quorum labores ſunt honores, quorum pugnæ ſunt coronæ, quorum vigiliæ ſunt diuitiæ, quorum ſtudia ſunt præconia! Satis Philoſopho, ſatis eſt, pro ingenti cumulo præmiorum, Philoſophia. Annuitis? meam mecum in ſententiam conſpiratis? Detumeſce igitur, ô Iſocrates, cauſidico in patriam clamore, detumeſce. Optimè quidem Athenienſes, ſicut Philoſophiam pluſquam cæteri hominum coluerunt, ita & Philoſophos pluſquam cæteri hominum decorarunt, non exoticis quidem mercibus; ſed natiuis. Intus, intus eſt in Philoſophia auri vena, quo honorificè coronatur. Quare, optimi Candidati, nolo vos verborum ambagibus eludere. Nullas, fateor, habeo, quas vobis impertiar, coronas; nullas omnino. Neque tamen eapropter præmiis deonuſti. Deſcendite cauti in arenam, clamoribus aures ne obtundite, ſententias ne præcipitate, laqueos expedite, iacula retorquete, cauete fallaces ictus, reſpondete ſingulis, ſatisfacite omnibus. Veſtra vos gloria, veſtræ vos laudes, veſtra vos merita ab æquiſſimis arbitris decantata, cumulatiùs, quàm externa præmia coronabunt.

ORATIO XXVI.

In lapide Baccalaureorum.

VEriſſimum eſt illud Salomonis oraculum: 211. *Da occaſionem ſapienti, & addetur ei ſapientia.* Nam omnes bonarum artium cultores, dum abeſt occaſio ſui ingenij oſtentandi, torpent, & inani deſidia ſopiuntur: cùm primùm ſe offert opportunitas

Prou. 9. Occaſio dum abeſt, torpent ingenia.

Digitized by Google

portuniras ſuæ artis peritiam exhibendi, calent, ſudant, & indefenſa contentione excitantur. Tolle ab vrbe ægritudines, Medicorum induſtria feriabitur; finge graſſari morbos, mulri ab Inferis redire Hipocrates videbuntur. Blando Fauonio ſternatur Oceanus; ſtrati per foros nautæ placidum ſe immittent in ſoporem: vehemens pelago procella incumbat; exilient, curſitabunt, efferueſcent, marinos ſe omnes transferrent in Proteos, in Neptunos. Toto regno pax, & tranquillitas dominetur; nihilo bonis milites differēt ab ignauis: ingruat bellorum turbo, ad arma ſignum euocet, ad arma; veteres in noſtro ſæculo Cæſares non requiras, Magnos antiquis temporibus non inuideas Alexandros: & vt à communibus exemplis ad proprias transferatur oratio; dum olim Hæreticorum turbines ſiluerunt, ſanctiſſimi illi Heroës priuato in otio contemplationis quieſcebant; vbi cæca hæreſum tempeſtas furere, ac debacchari cœpit, ecce tibi è latebris omnes emicant in arenam, accuratiùs poliunt ingenia, ſubtiliùs acuunt eloquentiam, mirabilioris intorquent iacula diſciplinæ.

212. Prouocarunt enim Pelagius Auguſtinum, Arrius Athanaſium, Ruffinus Hieronymum, Neſtorius Cyrillum Alexandrinum; Valentini, Sabelliani, Montaniſtæ, & innumeræ aliæ peſtes Epiphanium: ſed quos laceſſere quietos auſi ſunt, laceſſitos nequaquam ſuſtinere potuerunt. Nam, quò illi præclari Antiſtites, ardentiores anteà fuerant pacis, ac tranquillitatis amatores; eò poſteà validiores extiterunt contra infeliciſſima Hæreticorum agmina bellatores. Da occaſionem ſapienti, & ſapientior apparebit. Cineribus obducta ſcintilla dormiſcere videtur, & langueſcere; ſi flatibus vrgeatur, gliſcit, adoleſcit, & magnum ſæpè glomeratur in incendium. Quorſum iſta, dicet aliquis? Rem accipite. Suos intra nidum pullos fouit per hoc triennium Philoſophia. Auidioribus primùm epulis aluit Dialectica; ſuauioribus deinde ferculis Phyſica enutriuit; iucundiſſimis tandem pabulis Metaphyſica ſignauit. Quid vitium, quid neruorum generoſa proles collegiſſet, equum erat, vt experiri aggrederetur parens officioſa. Dat occaſionem ſapienti, ſeu potiùs ſapientiæ Candidatis, vt qui hactenus intra priuata gymnaſia litterarum fuerant ſtudioſi, iam ſtudioſiores publico in theatro videantur. Magna profectò ſe offert alumnis ſapientiæ, magna ſe offert occaſio oſtentandi, quam toto triennio Philoſophiam compararunt. Hæc ſapientiſſimorum hominum frequentia allicit ad dicendum: hic æquiſſimorum Iudicum congreſſus excitat ad pugnandum: hoc philoſophici certaminis ſtadium vrget, ſtimulat, & accedit ad conflictus alacriori animo ſubeundos. Lapis eſt, quem hæc non mouent: ferro durior & adamante, quem hæc non flectunt: dignus, qui à Philoſophiæ caſtris exauctoretur, qui dum tanta ſe dat rei benè gerendæ oportunitas, non geſtit, non exilit, non irruit in certamen. Ergo, Philoſophiæ Candidati, vires ſumite, ingenia excolite, animos in pugnas integrate. Adeſt occaſio Philoſophiæ, quam per hoſce annos coluiſtis, inculcandæ. Lapis hic dormire vetat, pungit ac vellicat dormitantes. Ferunt Ariſtotelem, Philoſophiæ parentem, ſolitum ſe tradere in quietem apprehenſo lapillo, pronáque manu in ſubiectam peluim: vt cùm ſopor paulatim effundere in artus, fluentibus digitis pondus elaberetur; editóque ſtrepitu dormire aggredientem ad repetendum ſtudium excitaret.

Ariſtotelis vigilia

Mendoça Viridarium.

Ille lapis Ariſtotelem excitabat, hic lapis Ariſtotelis excitet auditores. Vt qui hactenus diligentes, & curioſi extiterunt; deinceps diligentiores, & curioſiores omnium, qui adſunt, calculis cenſeantur.

Oratio XXVII.

Philoſophiæ menſas Auditor indicit.

QVantum ſit inter ſapientiæ, & voluptatis conuiuia diſcrimen, nemo eſt, qui, ſi animum diligenter appellat, facilè non agnoſcat. 213. Nam voluptas cum exhibet hominibus ferculorum apparatum, qui corpus prægrauat, rationem impedit, totum animum vitiis pronum efficit, ac procliuem. Sapientia eas ſuis alumnis epularum delicias proponit, quæ ſenſus reficiunt, mentem acuunt, tumultuantes in pectore vitiorum turbines ſerenant. Vtriuſque rei illuſtria nobis ſupereſſe poterant, tam ex ſacris, quàm ex profanis Annalibus exempla. Sed in voluptatis conuiuiis nihil moror. Faceſſant illa ſuis cum lurconibus, quos non tam recreant, quàm macerant; non tam vegetant, quàm hebetant; non tam exhilarant, quàm excæcant. Tuis, ô ſapientia, in conuiuiis libentior oratio conquieſcit; quibus corpora non deprimuntur, ſed eriguntur; ſenſus non hebeſcunt, ſed ſplendeſcunt; animi non vitiantur, ſed expiantur.

Diſcrimen inter ſapientiæ, & voluptatis conuiuia.

Quantum igitur ex conuiuio ſapientiæ rationi acumen oriatur, ſenex ille Iſaacus non tam verbis, quàm factis teſtatus eſt. 214. Cùm enim filio, quem primo loco genuit, extremam felicitatem precari vellet, eúmque de omnibus quæ per annorum ſeriem conſequentium euolenda eſſent, præmonere, quid feciſſe exiſtimatis? an meditabundus arcanum ſeſe abdidit in receſſum? an legendis antiquitatis hiſtoriis incubuit, ex quibus poſteritatis euentus præſagiret? an ad mentis aciem acriùs intendendam, externos à ſuis operationibus ſenſus auocauit, & in ſolo animi intuitu defixus conquieuit? Aliam profectò diuino afflatus Spiritu iniit rationem. *Affer*, inquit, *pulmentum, vt comedam.* Gen. 27. 4. Nouum planè conſilium & inauditum! Neſcis, ſanctiſſime Heros, & ſapientiſſime, neſcis, ferculis obtundi ſenſus, ingenium obſtupeſcere, animi vires hebetari? Neſcire hoc non potes, quod nemo neſcit. Ignoras tibi modò neceſſariam eſſe acutiorem mentis aciem, vt poſſis vera filiis bona impertiri, vt queas tanquam ex alta ſpecula in omnem poſteritatem prouidere, vt valeas rerum euentus inacceſſa planè caligine inuolutos explicare? Ignorare hoc non potes, quod nemo, quantumuis ignarus ſit, ignorat. Quid ergo cùm ingenio indiges, conuiuium poſtulas? Perdis ingenium, ſi conuiuio gaudes: famem integram ſi non ſeruas, acumen ingenij non ſeruabis. Abſit, (mihi videtur reſpondere longæuus ſenex,) non epulis animorum acies craſſeſcit; non his pabulis ingeniorum vbertas emollitur. Nequaquam rationis lumina his ſaporibus ſopiuntur. Id profectò ex voluptatis conuiuio conſequetur: conuiuium enim voluptatis, eſt conuitium rationis. Meum tamen non voluptatis eſt, ſed ſapientiæ condimentum. Voluptariis conuiuiis animus pariter cum corpore extabeſcit; conuiuiis tamen philoſophicis in corpore ſeneſcente, & marceſcente, reuiuiſcere animus videtur,

Iſaacus ſapientiæ condimentum poſtulauit.

Conuiuium voluptatis, rationis conuitium.

detur, & iuueneſcere. Ita planè eſt. Quare anniuerſarium hodierno die conuiuium ſuis alumnis Philoſophia proponit, & inſtaurat tam amplum, vt nullum delectamentum excludat; tam ſuaue vt nullum faſtidium admittat; tam ſplendidum, vt conuiuas omnes veritatis ſplendore illuſtret; nullas vmbras falſitatis inter veros conuiuatores ſerpere patiatur. His menſis quis auidè accubuerit; neque propter ſaturitatem famem ſentiet, neque propter ſuauitatem faſtidium ſuſtinebit Magis à faſtidio exulabit, quàm famelicus; magis à fame, quàm faſtidioſus. His epulis qui ſe expleuerit, tantùm aberit, vt terrenæ contagionis vitiis obruatur, vt potiùs ad ſublimiora virtutum faſtigia excitetur.

Oratio XXVIII.

Ad ſuos Philoſophiæ Candidatos poſt conuiuales theſes.

215. *Auditorum ſuorum encomia.* FEliciter, optimi Candidati, feliciter pugnaſtis, ſuperaſtis; quid ſupereſt? Vt triumphetis. Feliciſſimè ter, & ampliùs feliciſſimè. Vobiſne, an mihi hanc felicitatem gratuler? Vobis, non audeo: non quòd illa exigua ſit; ſed quòd vobis multò maior debeatur. Ergo mihi gratulor. Felicitas hæc, quanta quanta eſt, pace dicam veſtra, tota mea eſt. Sed inuidiam aliquam ne mihi onerem, dum mihi ſoli arrogo, quod vobis mecum commune eſt: attendite, obſecro, quo iure totam hanc mihi vni tribuam felicitatem. *Auditorum laus, Magiſtri laus eſt.* Sunt in hodierna actione & merita, & præmia. Merita, fateor ingenuè, palàm dico & Latinè, teſtor omnes, quotquot adſunt: merita veſtra ſunt omnia. Nihil de illis in me transfero. In alienas fortunas inuolarem, ſi in veſtrorum meritorum dignitatem inſilirem, an tantulam ex illis partem ad mei nominis gloriam vſurparem. Abſit, vt hoc faciam. Veſtra ſunt merita, non inficior. Labor veſter eſt, diligentia veſtra, ingenium veſtrum, honor, virtus, ſapientia, contentiones ad gloriam, ſtudia ad probitatem, exempla ad recordationem poſterorum, veſtra ſunt omnia. Fateor, ita eſt. Nullam ego partem veſtrorum mihi poſſum tribuere meritorum. Vos ſoli ad pugnam exiuiſtis, vos ſoli victoriam reportaſtis, vos ſoli de hoſtibus triumphaſtis Inuidus ſanè eſſem, ſi tantarum laudum aliquam partem, quamuis minimam, vobis detrahere voluiſſem. Veſtra ſunt merita, veſtra ſunt. Sed præmia quorum ſunt, quorum ſunt trophæa, quorum eſt laurea, & adorea? Præmia, id quoque fateor; præmia vobis debentur, vobis petuntur, vobis donantur, vobis ſummo iure donata eſſe feſtiuo plauſu & gratulatione totius Academiæ perhibentur.

216. Date mihi tamen hanc veniam. Præmia mea quoque ſunt. Veſtrûm omnium coronis hodierna die incedo coronatus. Ecce mihi ſe offert egregius forma iuuenis, qui olim Pathmæo Vati, cùm diuina altiùs contemplaretur, auguſtiori habitu, quàm humano ſe obiecit. *Apoc. 19. 12.* Cernitis *in capite eius diademata multa*: Chriſtus ille eſt, qui ſuorum militum coronas, quas pugnando meruerant, ſibi proprias fecit adiuuando. Egóne audeam veſtras mihi coronas eodem nomine vſurpare, quo Chriſtus ſuorum ſibi Martyrum coronas vſurpauit? Nequaquam, mihi credite.

Non ea vis animo, nec tanta ſuperbia cordi eſt. Martyrum ille dux, & Imperator, Martyrum ſibi vendicat coronas, quia *docet manus eorum ad prælium, & digitos eorum ad bellum*, vt benè cecinit Pſalmographus, Adeſt præliantî, intendit arcus, collimat ſagittas, dirigit plagas, firmat pectora, roborat veſtigia, tenet, munit, circuit, tuetur, ac denique vt egregiè Cyprianus, pugnat & vincit in Martyribus, & in eodem agone coronat pariter, & coronatur. Ego ſimile vobis obſequium nunquam præſtiti. Emiſi quidem vos in arenam, in periculum, in congreſſum; ſed vobis non interfui præliator. Imò rettaxi pedem terga verti dimiſi ſolos, & vix è ſublimi, ac tuto loco per tranſennam præliorum veſtrorum adfui ſpectator. Quo igitur meo iure, quo meo merito veſtras mihi tribuo coronas? Attendite, quò ſpectem. Si ius examinetur, coronæ veſtræ ſunt: ſi meus in vos animus attendatur, meæ. Nam veſtris bonis ita lætor, veſtris honoribus ita afficior, veſtris laureis ita nobilitor, veſtris præmiis ita locupletor; ac ſi hæc omnia meum in decus verterentur, meum in honorem accumulentur, meam in laudem ſponte fluerent, meam in gloriam pariter caderent, & coronam. Enim verò vos victoriam reportaſtis, ego vinco: vos coronas meruiſtis, ego coronor: vos triumphos celebratis, ego triumpho. Creſcite feliciter, vt cœpiſtis, creſcite. Augete victorias, multiplicate coronas, triumphos accumulate; & ſi me feliciorem in dies reddere exoptatis, curate, vt efficiamini in dies feliciores.

Virgil. *Pſal. 17. 35.* *Cyprian.* *Coronæ diſcipulorũ, Præceptoris ſunt coronæ.*

Pro ſequentibus Oratiunculis

ARGVMENTVM.

En oratiunculæ, quibus Noſter, veluti gradibus ad Theologiæ Doctoratum aſcendit. Breues ſunt (hæc Eborenſibus norma.) ſed non leues: pretium parit aliquando breuitas: gẽmas credo magni ponderis incluſas auro. Addit pretium, & operis ſolertia, & artificis modeſtia. Si vtrumque venale foret, nullus non emeret.

Oratio XXIX.

Pro Formatura ſua.

HOnores in publico theatro poſtulare non debent. etiam qui merentur. Duo illi non 217. *Honorum poſtulatio.*
ſolùm ab eodem cœtu. ſed etiam ab eodem ſatu germani Iacobus & Ioannes magnis virtutum meritis ad primas in cœlo cathedras adſpirabant: adduci tamen nunquam potuerunt, vt eas palàm, & in luce, & in oculis hominum ambirent. Tempus captant, quo Magiſter & Seruator hominum à vulgo in receſſum abderetur: tunc ſecretò, procul ab arbitris, & cùm nulli ſuis precibus adeſſent aucupes, adeunt, adorant, & precantur. Quorſum ea cautio, inquit Chryſoſtomus? *Certè erubeſcebãt petere inter homines, quod inter homines deſiderabant poſſidere.* Hęc ſi ita ſunt, quò me impellis, Eborenſis Academia? Publicos vt in publico conceſſu honores petam? ruborem mihi vt faciam? ruinam mihi vt moliar? inanis *Chryſoſt.*

auidum

auidum gloriæ vt me prodam? honori potius vt conſulam, quàm pudori? ambitioſo afflatu iudicum animos vt excaniem, quo illorum in me ſuffragia conferantur? Abſit, pace tua dicam, abſit, vt hoc faciam. Trahe, retrahéque quò lubet, ſequar: hoc me nunquam indues in conſilium, vt publicus Orator ſim honorum, quorum publicus eſſe deberem recuſator. Nam, ſi illos, qui magnis virtutum meritis fulciuntur, ab honoribus palàm exigendis modeſtia remoratur: quæ me ager intemperies ad honores, qui mihi non debentur, ambitioſè aucupandos?

218. *Humilis Chriſti honorum poſtulatio.* Cæterùm, ne à maiorum reſiliam inſtitutis; & ne dum modeſtiæ laudem ſectari cupio, labem contrahere videar inſolentiæ: eam inire iuuat precandi rationem, quam Magiſter hominum, Chriſtus, non ſolùm docere voluit, ſed exercere: qui non loquendo, ſed apparendo precabatur.
Hebr. 9. 24. *Introiuit*, inquit Paulus, *in cœlũ, vt appareat*, ſeu, vt magni vtar interpretamento Aquinatis, *vt oret*; eius enim orare fuit, hominem ſe Deo præſentare: tacitus petebat, tacitus impetrabat, non inſiſtendo precibus, ſed paternis ſe oculis ſiſtendo. Hanc ego ſi orandi viam ſequar, credo, neque in petendis honoribus ambitioſus eſſe videar, neque in reiiciendis faſtidioſus. Quare preces non affero, ſed me offero: promptiorem vobis ad parendum, quàm vos mihi eſſe poſſitis ad imperandum. Facite, quod libuerit; certò ſcio, quòd maiora meis meritis, non minora veſtris animis facietis.

ORATIO XXX.

Pro Licentiatus ſui gradu.

219. *Conſuetudo Sanctorum in beneficiis à Deo petendis.* SAnctiſſimi quondã Heroës magna à Deo beneficia petituri, nulla ſua merita interponebant; ſed ſola accepta à Deo beneficia memorabant: perinde ac ſi vellent beneficiis acceptis emere accipienda; planéque ſentirent, nullum Deo eſſe poſſe efficacius argumentum ad noua beneficia conferenda, quàm meminiſſe collatorum; neque ſibi opus eſſe validiori prece ad futura impetranda, quàm præterita retuliſſe. Acturus mihi videor è re mea, ſi quo pacto veteres illi ſanctitatis Antiſtites ad Deum precaturi accedebãt; ita & nunc adueniam precator. Quare mea non vendito merita, quæ ſcio, quàm ſint exigua, ac prope nulla: veſtra commemoro beneficia, quæ in me vnum antehabitis actionibus contuliſtis, audiendo beneuolè, arguendo ſubtiliter, patrocinando feliciter; ac denique veſtris ſuffragiis, tanquàm gemmulis candidis, meas actiones conſignando. Præſtita mihi à vobis beneficia ad maiora ſperanda me inuitant, ad maiora largienda vos impellunt, vt cùm mihi lauream imponatis, veſtra potiùs munera, quàm mea merita coronetis.

ORATIO XXXI.

Pro Veſperiis ſuis.

220. Bernard. M*Onſtroſa res eſt*, inquit D. Bernardus ad Eugeniũ, *gradus ſummus, & animus infimus; ſedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otioſa, ſermo multus, & fructus nullus; vultus grauis, & actus leuis; ingẽs auctoritas, & nutans ſtabilitas.* Dignũ planè tanto ſapiẽtiæ, & ſanctitatis Antiſtite oraculum. Sed reliquis oraculi partibus ſuperſedeo, vt prioribus inſiſtam. *Monſtroſa res eſt gradus ſummus, & animus infimus. Gradus ſummus* ille eſt, ad quem Doctores euehuntur, ex quo tanquam ex altiſſima ſpecula terrena deſpiciunt, cœleſtia contemplantur: *animus infimus* ille eſt, qui humanę gloriolę adhæreſcit, & tanquam vile mancipium populares plauſus vndique aucupatur. Quid ergo monſtri ſimilius eſſe poteſt, quàm diuina contemplari, & terrenis inhærere, vagari cœlo, & ſolo repere; dominari aſtris, & cupiditatibus ſeruire; denique gradum habere ſummum, & animum geſtare infimum? Monſtrum planè Lernęo ſæuius; Cretico, & Colchico truculentius. Monſtroſa res eſt, gradus ſummus, & animus infimus.

221. *Veſperiarum actio humi ſedendo agitur.* Ne quod ſimile portentum in ſapientiæ theatris graſſaretur, ſapiẽtiſſimè è maioribus noſtris conſultum eſt, vt qui in ſummo gradu ſapientiæ collocandi eſſent, degeneres animos non efferrent, & qui multis actionibus ſui acumen ingenij prodidiſſent, vnica ſaltem actione ſui probitatem animi teſtarentur; vnicas, inquam, eò fortaſſe ad probandũ efficaciori, quò priores actiones ſubtiliter argumentãdo tranſiguntur; hæc autem humiliter ſedendo, humi celebretur. In quam legem, ſi vnquam aliàs, nunc vel maximè aliqua diſpenſatio conueniret, cùm ſapientiſſimi Patris & probitas, & religio, & humanæ gloriæ contemptus, nobis luce clarior meridiana ſplendeſcat. Verùm, ne quid intentatum prætermittas, & vt per omnem verſatus aleam, lauream conſequaris; præbe te humilitatis ſpectaculum, Deo quidem vt ſeruias, Angelis vt placeas, hominibus vt præluceas ad virtutem, ſicut hactenus ad ſapientiam præluxiſti, & in poſterum prælucebis. Adſunt virtutis tuæ non ſolùm ſpectatores, ſed etiam laudatores. Sede pauliſper humi.

ORATIO XXXII.

Pro gradu Doctoratus ſui petendo.

222. *Danielis apud Babylonios auctoritas.* DAniel quõdam ſingularia doctrinæ monumenta apud Babylonios collocauit. Nam duplicem illius prouinciæ Tyrannum de rebus futuris monuit, de diuinis oraculis inſtruxit, de omnibus, quæ illis ad ſalutem neceſſaria videbantur, erudiuit. Priori quidem ſomnium de immani illo coloſſo patefecit: poſteriori ænigma nullis peruium Oedipis enodauit. Reges tanti Vatis ſapientiã admirati donis inuitant, muneribus alliciunt, omnibus certatim excolere, & expolire nituntur ornamentis. Quid verò Daniel? Rem effecit ipſius quoque inſomniis, ipſis etiam ænigmatibus, quæ expediuit, mihi difficiliorẽ explicatu. Nam munera à Nabuchodonoſore oblata libens accepit: oblata verò à Balthaſare ſeuerus repudiauit. Quorſum ſpectauerit hoc conſilium, audire potiùs vellem ex veſtro ingenio, quàm ex meo enarrare. Multos adij, conſului nos paucos: multa omnes artificioſè commentantur. Vnus tamen mihi videtur præ cæteris rem leuiter innuiſſe, ſi non palàm expreſſiſſe, Thodoretus. Theodor. Balthaſar ita honorare volebant Danielem, vt omnia ſua munera vno ſiſterent in Daniele, neque in aliorum vtilitatem funderentur: contrà verò Nabuchodonoſor Danielem iis volebat muneribus cumulare, quæ non illius tantùm in ſinu clauſa obſoleſcerent; ſed in publicam multorum vtilitatem

ratem fuſa redundarent. Quid ergo diuinus Vates? Honores ſibi vni tantùm impertitos abiurauit, honores ſibi cum aliis communicandos amplexus eſt. O factum bene! Vtinam, cuius ſapientiam imitari nequeo, eius hoc vnum factum mihi proponam imitandum!

223. *Inſignia Doctoratus Theologici.* Age verò, Eborenſis Academia, magna mihi à te munera offeruntur, pileus candentibus filis cæſariatus, annulus encyclopædiacæ typus perfectionis, liber humanæ ac diuinæ ſapientiæ theſaurus, Doctorum ſuffragia, Magiſtrorum fauor, auditorum plauſus, ingens omnium, qui ſpectandi deſiderio confluunt, gratulatio. Magna munera, non inficior. Sed illa antequàm accipio. paululum, quæſo, paciſcamur. Quorſum in me tot ornamenta? An me vnum vt honores, vt excolas, vt illuſtres? An mihi vni vt conſulas, vt indulgeas, vt ſereno vultu blandiaris? Si huc tendis, gratulor, & vehementer gratulor. Sed pace tua faciam; hæc omnia tibi munera remitto: omnes iſti à me honores procul omnes auehantur. Amare debeo latebras, angulos, & receſſus: honoratus nunquam magis ero, quàm cùm ero omni honore viduatus. Quid ergo? Quorſum tot in me fundis plenis opobalſama nimbis? An tibi vt ſeruiam? An meas vt tibi præſtem operas? An meos vt tibi omnes neruos conferam, & vires impendam? An meos vt tibi nuncupem labores? An vt in tui gratiam perpetuum me compingam, & includam in priſtinum? Itáne? Hos collimant in ſcopos hi honores, quos mihi tam officioſa, ac ſedula moliris? ſi ita eſt, accipio, amplectórque libens: ſub hac lege tuis me ſubiicio coronis.

Auctoris mira erga Indos homines fide imbuendos charitas. Aliàs fateor, optaui ſemper, optóque hodie, laborum meorum palæſtras inuenire inter arentia Libyæ deſerta; inter inculta Sinarum teſqua; inter extremas inſulas Oceani: vbi pactum meum ſit, non cum feracibus agris Tranſtaganis, ſeu vberrimis ingeniis Eborenſibus; ſed potiùs Iobum imitatus *cum lapidibus regionum*, ſeu, vt Clemens interpretatur Alexandrinus, *cum Ethnicis, cum barbaris, cum idololatris, cum duris, & immitibus ingeniis fœdus ineam ſempiternum*. Sed, ſi aliter tibi gratum eſt, Æternum Numen, & Eborenſi victimam me deſtinas aræ: parere neceſſe eſt: Academica in cathedra vrnam mihi fingam ſepulchralem, hîc ſeneſcam, hîc marceſcam, hîc extabeſcam: hîc vel moriar animatus, vel perpetuò viuam tumulatus. Hos planè iuuat admittere honores, qui patiant labores; hæc aſcendere faſtigia, quæ moueant faſtidia; ad hæc munera adſpirare, quæ in funera conſpirent. Tua per obſequia, ô Alma Academia, tendam libens in exequias, vtinam vel meis è cineribus diuturno labore tabefactis tantulus doctrinæ fructus in tuam vtilitatem, quam vita habere debeo chariorem, conſequatur.

Iob 5.23. Clem. Alex.

ORATIO XXXIII.

Gratiarum actio pro Doctoratu ſuo.

224. Clem. Alex. HVmanos animos appellauit Clemens Alexandrinus agros animatos. Vt enim agri nunquam reddunt ſine fœnore quod accipiunt; ita humani animi nunquam rependere debent ſine auctuario, eam, quam aliquando gratiam inierunt. Quod ſi ita eſt, cùm me hodierno die tam multa nomina conſtituant debitorem, quantum referre debeo gratiarum tibi in primis, Rector admodum colende, triplici mihi nomine obſeruande? ſub te enim eloquentiæ præceptore, eam olim, qualem qualem habeo, didici eloquentiam: ſub te poſteà ſacrarum Interprete Literarum, ad eam intelligentiam profeci, quam nunc profiteor; quæ ſicuti pro tenuitate Auditoris parua eſt, ita pro dignitate Præceptoris debuit eſſe maxima: ſub te modò huius Academiæ Rectore ad hunc gradum ſapientiæ promoueor, mihi tuis auſpiciis clariorem. *Academiæ Rector.* *Patronus in Doctoratu.* Tibi, Illuſtriſſime Domine, & beneuolentiſſime Patrone, cuius ſingularia ornamenta totam hanc nobilitant actionem: nam in te vno exornando, & excolendo nobilitas pariter & probitas mihi videntur decertaſſe, dubia ſemper victoria de primatu. Tui enim claritas ſanguinis tanta eſt, vt à longa proauorum ſerie lucem hauriat, longis poſterorum ordinibus, vt ſpero, conciliatura ſplendorem. Tua probitas naturæ, & ingenij, tam eximia, vt cùm geminum ſub tua ditione populum coërceas, alterum in Luſitano regno, alterum in Hiſpano, (neque enim regnum tibi ſufficit vnum) incolarum nullus ſit, qui te mirabiliter non deprædicet; multi, qui tuis beneficiis obruantur. Et ne extremos prouocem ad oppidanos; Heroës, viri Principes; Academici, Religioſi, Eborenſes, omnes quotquot adſunt, tuæ præcones ſunt nobilitatis, & probitatis.

Tibi Cancellarie vigilantiſſime, ſub cuius patrocinio, ſicut vniuerſa proficit Academia, & augeſcit; ita mihi Academicum in ſinum cooptato, ingens hodie acceſſit incrementum. 225. *Academiæ Cancellarius.* Vobis, ſapientiſſimi Doctores, & Magiſtri, qui non ſolùm præſentem, ac præteritas meas actiones & feliciter patrocinando, & ſubtiliter arguendo, & beneuolenter auſcultando coluiſtis: verùm etiam Theologicam ac Philoſohicam maieſtatem diſſimulantes, mihi vt beneuolentiùs plauderetis, in vberes eloquentiæ campos feſtiuiter deſultaſtis. Vobis omnibus, Auditores & religione, & ſapientia, & nobilitate ſplendiſſimi; ſub quorum nominibus feliciter proceſſit tota huius celebritas actionis. Tibi denique grates habeo (cùm referre nequeam) multò quam cæteris omnibus ampliores, Æterna, ac Diuina Sapientia, Æterni, ac Diuini ſplendor Patris; cuius præter alia in me vnum beneficia longè maxima, incredibiliter me hodierno die conſolatur illa vox ex carmine Deboræ triumphali: *Cor meum diligit Principes Iſrael*; ſeu, vti Hebræo elicio de archetypo, *Cor meum diligit Doctores Iſrael*. *Dei Sapientia.* Iudic. 5.9. O felices ter, & ampliùs Doctores, qui in corde Dei diligentis ſedem ſibi delegerunt! O verè fortunati Academici Eborenſes, qui ad tantum ac tam ſublimem honoris apicem aſcenderunt! Hic vobis thronus, hæc gloria, hæc corona Auditores ampliſſimi, debita quidem, & à magnis veſtrûm omnium meritis poſtulata.

Digitized by Google

LIBER SEPTIMVS

DE FLORIBVS RHETORICÆ.

PROLVSIO.

ACEPHALON *opus ne aggrediar, vnum, vel alterum præfari libet. Laconica in primis erit oratio, ſi verborum compendia attendas. Si munditiem dictionis curabitur, vt ſit Attica: è dumetis Dialecticorum ſe expediet: beatam eloquentiæ amœnitatem veſtigabit. Nam, qui in tradendis Rhetoricæ documentis nimio fuco, artifici calamiſtro, lacinioſis phaleris vtuntur, deiuuant potiùs auditorum ingenia, quàm iuuant. Qui decentem verborum cultum, honeſtam ſententiarum lautitiam, neceſſarium totius orationis candorem aſpernantur; non diſcendi artem tradunt, ſed ſilendi: quod de Cleanthe, & Chryſippo dixit Tullius, qui ſpinoſam breuitatem Stoicorum ſectabantur. Verùm, vt res fiat illuſtrior, Academicam dicendi rationem imitabor. Dialogos ponam: Oratori rem committam & auditori.*

Proluſio Authoris. — Nimia Oratoris lautitia improbatur. — Cicero.

PROGYMNASMATA in artem Rhetoricæ.

PROGYMNASMA I.

De Rhetoricæ, ac Ciceronis laude.

1. AVDITOR. Anne tu nimis auarè pretium ſtatuis arti tuæ? ORATOR. Mihi crede, quantocunque pretio comparetur eloquentia, adhuc vilis erit. AVD. Age, ſi quid agis, encomiaſtes illius eſto: ſermonem vorabo tuum quàm potero auidiſſimè. OR. Eloquentiæ Cicerone laudatore opus eſt: ſicuti Ciceroni eloquentia laudatrice. AVD. At tu ſi non Tullius, certè Tullio proximus videris mihi: & quod ipſe Tullius dixiſſe fertur,

——— *magna ſpes altera Romæ.* (Cicero.)

OR. Palpum obtrudis, niſi fallor: apage, cum tua fiſtula paſtoritia. AVD. Ne ſæui: vnum verbum tantam bilem conciet. OR Scilicet, laudari in os non patior. AVD. Præſtat iuſtud, quàm abſentem vellicari. OR. Fateor, ſed neutrum volo. AVD. An neſcis, auditoris fauorem eſſe inſtar litui eburneoli, quem Gracchus poſt tergum gerebat? OR. Parce dicere vlteriùs. Scio quorſum eas: ſapienti ſat verbum. AVD. Dic, amabo, quò præuolaſti?

2. OR. Ciceronem mihi canis in 3. de Oratore, quem ego ita noui, vt me ipſum ignorem priùs. AVD. Ciceronem? Sed quam ſententiam ab illo expreſſam volui? Superſtitioſus es, ſi rem attingis. OR. Narrat ibi Tullius Gracchum Oratorem (Tullius. *Gracchi oratoria lituum.*) in paucis inclytum, cùm ad orandum prodibat, habere ſolitum poſt ſe hominem petitum cum lituo eburneolo, qui ita inflaret, vt ſonis, tum placidis, tum citatis, aut remiſſam, & iacentem orationem erigeret, aut excitatam ac triumphantem temperaret. Illius ſimilem eſſe dicis fautorem, qui cùm dicentem laudat, laudabiliorem facit. AVD. Animum geſtas meum: iſtorſum ibam. Noſti illud: *Excitat auditor ſtudium.* OR. Planè: ingenioſi vatis eſt, triuiis notum, & tonſtrinis. AVD. At tu quidem vlteriùs *eris mihi magnus Apollo.* Laudabo enim te etiam ingratiis. OR. Mitte ridicularia: agamus ſeria. AVD. Placet, & bonas horas benè collocemus. OR. Rhetoricæ laudes in pauca conferam. AVD. Iſtud ipſum iamdudum à te oraui: ſine, vt exorem. OR. Capita ſolùm aperiam, vnde vberes eloquentiæ laudes haurire licet. AVD. Audio. OR. Ea ſunt tria potiſſimùm. AVD. Intelligo. OR. Antiquitas, nobilitas, vtilitas. AVD. Benè narras. OR. Antiquitas eloquentiæ tanta eſt, vt in Mercurium inuentorem referatur, à quo ad homines transfuſa, eos feritate exuit, humanitate induit. (*Antiquitas eloquentiæ.*)

AVD. Egregiam laudem: nam, vt inquit Tullius, *Vbi plus antiquitatis, ibi plus autoritatis inuenitur.* OR. Nobilitas oratoria ſic excellit, vt nobilitatem imperatoriam obſcuret. AVD. Hoc tibi non aſſentiar. OR. Audias, faxo tibi mecum conueniat. AVD. Vtinam ſic inter nos decidatur, vt Orator ipſe ſis, ego verò Imperator. OR. Itane Idoneus tibi viſus ſum, in quem tam feſtiuiter illudas? AVD. Imò partes, vt ipſe credis, tibi defero potiores. OR. Vt vt fuerit, attende: quod dico, ſcies. AVD. Aures vaccinas tibi præbeo. OR. Numerianus orandi, & imperandi arte inſignis, maluit Orator, quàm Imperator appellari, 3. (Cicero in partition. *Nobilitas eloquentiæ.* — *Numerianus Imperator.*)

AVD.

AVD. Quid ego ex te audio? Numetianus? OR. Ipſiuſmet Numerianus. AVD. A ſe Imperatoris nomen abdicauit? OR. Dixi. AVD. Vſurpauit Oratoris? OR. Verum. AVD. Hoc illi antepoſuit? OR. Tantumdem. AVD. Lauda teſtem. OR. Volaterranum. AVD. Locupletem: ſed quid ille? OR. *Sui, inquit, ſimulacrum Numerianus hoc elogio conſcripſit, Numeriano Oratori, nō verò Imperatori.* AVD. O factum bene! herbam porrigo? præſtat orare, quàm imperare. OR. Vtilitatem Rhetoricæ audire cupis? AVD. Nihil auidiùs. OR. Tam multa eſt, vt parta tueatur imperia, nondum acquiſita expugnet. AVD. Accende, quæſo, verborum tenebris lumina exemplorum. OR. Libet. Philippus Macedo apud Plutarchum ſignificauit Demoſthenis eloqūētia, potiùs quàm Themiſtoclis audacia Athenas conſeruari. AVD. Natum tuæ ſententiæ confirmandæ teſtimonium. OR. Agamemnon apud Homerum, ad Troiam expugnandam non decem Aiaces, ſed decem Neſtores requirebat. AVD. Scilicet, magis è re ſore putabat, Neſtoris vbertatem dicendi quàm Aiacis alacritatem pugnandi? OR. Planè, vt ais. AVD. Auidior iam ero ad hanc artem mihi tantis nominibus commendatam. Sed, quem artificem primum colam? OR. Ciceronem. AVD. Quem ſecundum? OR. Ciceronem. AVD. Quem tertium. OR. Ciceronem.

Volater. *Vtilitas eloquentiæ.* Plutarch. Homer. *Ciceronis encomia.*

4. AVD. Pereo, niſi me indignis modis ludificas: qui mihi tam ineptè Ciceronem trigeminas, quaſi Geryonæo ſanguine prognatum. OR. Tace, nuperus ac nouitius hoſpes humanitatis. AVD. Imò tu, videſis, contumeliam ioco ne adhibeas. OR. An neſcis, quid olim Demoſthenes, qui in Oratore actionem primam, actionem ſecundam, actionem tertiam eſſe dixit? AVD. Nunc primùm audio. OR. Ignoras itidem, quid ille alius, qui pecuniam primum, ſecundum, ac tertium belli præſidium vocitabat? AVD. Nunquam iſtud noui: ſed quorſum iſta tam iocularis iteratio? OR. Vt oſtenderentur eæ res extra comparationis aleam conſtitutæ. AVD. Ergo & tu Ciceronem facis egregium à reliquo grege Oratorum. OR. Imò ſingulariter ſingularem. AVD. Quid? etiam Demoſtheni anteponis? Arbitrum conſule Hieronymum. *Demoſthenes*, inquit, *Ciceroni præripuit, ne primus eſſet; Cicero Demoſtheni, ne ſolus.* AVD. Argutè dictum: ſed parciùs, quàm tu velis: non enim præfert, ſed plurimum exæquat. OR. Certè vti dicis; at Fabio ſi credis, *Cicero vim Demoſthenis, copiam Platonis, iucunditatem Iſocratis effinxit.* AVD Locum memini lib. 10. vbi addit, *Ciceronem dono quodam prudentiæ genitum, in quo totas vires ſuas eloquentia experiretur.*

Demoſt. Hieron. Fabius lib. 10.

5. OR. Collimaſti, ſed ibi rurſus; *Quis*, inquit, *docere diligentiùs, monere vehementiùs poteſt? Vt ipſa illa, quæ extorquet, impetrare eum credas, & cū tranſuerſum vis ſua Iudicem ferat, tamen ille non rapi videatur, ſed loqui.* AVD. Pulchrè quidem Fabius; ſed vereor, ne Latino de Latino dicenti minor fides habeatur. OR. Eſt, vt dicis: noſtratem mitto, Græcum appello teſtem. AVD. Audio libentiſſimè. OR. Orauit ſæpè apud Apollonium M. Tullius Latinè. AVD. Scio. OR. Ea felicitate dicendi, qua ſemper. AVD. Teneo. OR. Semel tamen Græcè. AVD. Non ignoro. OR. Qui aderant admirari, ſuſpicere, obſtupeſcere: hominem externum non vulgari ſermone vti, non proletario, non illoto, non malè dolato, ſed tam Attico, quàm Attico, vel ipſæ Atticæ Athenæ loquerentur. AVD. Iuſta admiratio. OR. Soluta concione frequentem obire Ciceronem, pro ſe quiſque extollere, paſſim in aures date bellè, σοφὸς ἔυστοχος. AVD. Gratulatio planè debita. OR. In tanta acclamatione nihil Apollonius? AVD. Res mira. OR. Neque dicenti applauſit, neque perorantem feſtiuiter excepit. AVD. Proh liuor! OR. Sed toruis oculis, deiectis ſuperciliis, caperata fronte diu inhæſit attonitus. AVD. O hominem caudicem, & ferreum! OR. Tamen ſtimulatus ab omnibus ſenſum aperiret aliquando ſuum exclamauit. AVD. Fare, quid protulit, audire geſtio. OR. *Te, inquit, ô Cicero, laudo, & admiror. Tui, ô Græcia, miſereor.* AVD. Exordium inopinum, perge. OR. *Cùm videam ea ſola ornamenta, quæ nobis reliquiſti, doctrinam & eloquentiam per Ciceronem ad Romanos magno cum incremēto tranſfuſa.* AVD. Singulare præconiū facundiæ Tullianæ. OR. Ita eſt, cùm illam præferat Athenis homo Græcus, *genus ad gloriam ſuam effuſiſſimum*, vt vocat Plinius. AVD. Imò, cui reliqui barbari inculti, & ruris pleni videbantur. OR. Sed de Rhetoricæ ac Ciceronis laude ſatis. AVD. Tuas partes egiſti pulchrè. Aliò iam vertatur oratio.

Apollonius Ciceronis auditor, & laudator. Plin.

PROGYMNASMA II.

De natura Rhetoricæ.

AVDIT. Ne in primo limine erretur, dic, obſecro, Rhetorica quid eſt? OR. Ars dicendi. AVD Quid eſt ars. OR. Quæ dat rationes certas & præcepta faciendi aliquid: quæ habent ordinem, & quaſdam errare in faciendo non patientes vias. AVD Quid dicendi verbo intelligis. OR. Ornatè, grauiter, & copioſè loqui. AVD. Atqui Rhetorica nihil mihi videtur minùs, quàm ars. OR. Moue quemuis lapidem, me nunquam à ſententia dimouebis. AVD. Ades mihi, ni proteruus ſis, haſtam abiicies. OR. Tuas omnes minas vno ſpiritu difflabo. AVD. Rhetorica ſæpenumero dat in errorem auditores: eloquendo enim, ſublimia deprimit, humilia attollit, vt vera falſa appareant, vt falſa vera videantur, nonunquam dicendo efficit: hoc autem longè abeſt à propoſito artis fine, quæ nunquam dolos dolat, ſemper veritatem intuetur. OR. Egregiè tu quidem, ſed vide tuum ipſum nodum quàm facilè enodo. Licet quidem Oratori aliquando in bona cauſa, & ad finem aliquem honeſtum ſimulare vera, leuia attollere, ſublimia deprimere; nego tamen hunc errorem, ſi ita appellari licet, vitio vertendum: nam & ſalutis humanæ vindex longius iter aliquando ſimulauit, cùm certum, deliberatúmque haberet, vlteriùs non prodire. Nego inſuper, alienum eſſe hunc errorem à propoſito artis fine: nam & pictores artis ſuæ vi efficiunt, vt ſæpè oculis pictura illudat. Xeuxis quidem aues fefellit in pictas vuas adoleſcētes, Parrhaſius ipſum artificem linteum in tabula expreſſum verum eſſe arbitrantem. Neuter quidem iners, ſed potiùs artius fuit.

6. *Rhetorica ars dicendi.* *Primum argumentum.* *Solutio.* *Xeuxis, & Parrhaſius aues fefellerunt, & artifices.*

7. AVD. Declinaſti quidem hoc telum ſcitè ac perpolitè! OR. Quodcunque geſſeris, effugiam, vel effringam. AVD. Aliud priuſquam vibro, ſcire ex te velim, liceatne quandoque Oratori mendacium proferre, cùm aliter iuſtam cauſam tueri

Secūdum argumentum.

tueri

Fabius

tueri nequeat. Nam Fabius diſertè affirmat: *Dicere*, inquit, *mendacium ſapienti conceſſum eſt, ſi aliter ad æquitatem perduci Iudex non poterit.* O. Turpiter lapſus eſt Fabius, cum iſtud aſſeruit. Nihil magis, quàm mendacium ſapientem dedecet, præſertim Rhetorem, quem, niſi probum, neminem eſſe oſtendemus A. Tecum planè ſentio: ſed aliam rurſus in Rhetoricam artem libro. O. Quamcunque incutias, facilè excutiam. A. Nulla ars ſibi ipſi aduerſatur. O. Sanè. A Eodem enim ſpectent omnia eiuſdem artis præcepta, neceſſe eſt. O. Do tibi iſtud non ingratiis. A. Rhetorica ſibi ipſa eſt aduerſaria. O. Fabula. A. Nam duobus in eadem cauſa contendentibus infeſta tela ſubminiſtrat. O. Somnia, & meri logi. A. Ita vt, quod vnus effecerit ex artis præceptis, arte etiam aduerſante ab alio reddatur infectum. O. Germanæ, vt aiunt, gerræ, & lyræ lyræ.

Solutio. Mendacium ab Oratore alienum. Tertium argumentum.

8. A. Planè obfirmas; & contra rationem in prauum indureſcis emollire, quæſo, ducto ex humaniori literarũ argumento. O. Audio: cùm vires omnes exprompſeris, faciliùs eneruabo. A. Duo quondã Oratores apud Philippum Macedonem cauſam dicunt. O. Perge. A. Ait vnus, negat alter. O. Ita plerumque fit. A. Pro ſe quiſque rationum momenta expendunt. O. Quid vltrà? A. Peroratur lis, fertur ſententia. O. Qualiſnam? A. Vt victus mittatur in exilium, victor perſequatur exulantem. O. Nempe, vt vterque exilio addicatur. A. Rem tenes? O. O Iudicem lepidiſſimum ſatin' tibi videtur ſanus? A. Imò vt qui ſaniſſimus. O. Quid ais? A. Oſtendit Rhetoricæ documenta eſſe adeò ſibi inuicem pugnantia, vt qui illis vtantur, tanquam paribus telis depræliantes pariter occumbant. O. Vide iam tuam iſtam telam, quam laborioſè texuiſti, quàm facilè retexo. Pugnant quidem cauſæ inuicem, & actores: Rhetorica verò nunquam, quæ ſemper docet in vnaquaque cauſa, quid dicendum ſit; & quod in eadem docuit, nunquam dedocet. A. Exemplo rem fac illuſtriorem. O. Faciam, & quidem quàm aptiſſimo. Sentiſne gladiatoriam artem eſſe? A. Imò ſolertiſſimam. O. Eámne ſibi ipſi contrariam eſſe credis?

Solutio.

9. A. Minimè verò gentium; ſemper enim docet, quo pacto impetendus, quo pacto declinandus hoſtis ſit. O. Tuo te gladio iugulaui; & tamẽ ſæpenumerò gladiatores in alterius artis perniciem, artis præceptis vtuntur. A. O argutum hominem! argutiorem vidi neminẽ. In aſtu me captaſti, planèque cepiſti, vltimam in Rhetoricam technam conſtruo. O. Molire quidquid audes nil proficies. A. Artem nullam ego noui, niſi vtilem: nam, teſte Philoſopho, *omnis ars ad finem aliquem vitæ vtilẽ ſpectat:* atqui Rhetorica damni plurimũ, vtilitatis prorſus nihil ſecum affert: ergo iniuria artis nomen ſibi vendicat. O. Dum in omni arte aliquid vtilitatis ineſſe dicis, ais id, quod eſt: dum à Rhetorica nullam proficiſci vtilitatem arbitraris, tota erras via. A. Atqui hoc tam ſcies eſſe verum, quàm me viuere. Palàm eſt ex Fabio, Agellio, aliiſque nonnullis, Rhetores quondam à Lacedæmoniis, Atheniẽſibus & Romanis procul ab vrbe ablegatos eſſe: ergo prudentiſſimi homines nihil vtilitatis à Rhetorica ſe percipere poſſe crediderunt.

Ariſtot. Fabius. Agell.

10. O. Non negauerim, Rhetores eſſe vllos, qui artis præceptis abutentes, ſeditiones excitent, tumultus conflent, perniciẽ Reipublicæ moliantur: illos tamen improbos eſſe dico, ac proinde vrbe iure optimo exigendos. Addo etiam ex artificum maleficiis ipſam artem neutiquam eſſe improbãdam: ſin minùs ars militaris deſtruatur; quia multi duces Rempublicam nefariis bellis confecerunt: Politica eliminetur; quia multi Magiſtratus iniquas leges promulgarunt: Medicina expellatur; quia multi Medici vita ſæpenumerò homines deuoluunt. Quin etiam, vt inquit Quintilianus, cibos aſpernemur, attulerunt ſæpè valetudinis cauſas: nunquam tecta ſubeamus; aliquando ſuper habitantes procumbunt: non fabricetur gladius; illo abutuntur homines ſanguinarij. Denique quis neſcit, aquam, terram, ignem, aërem, imò Solem, & Lunam, ſine quibus vita nulla ſit, aliquando nocere? A. Luce clarius oſtendiſti non eſſe Rhetoricam damnandam, quòd noceat aliquando: nam, vt bene Ouidius, Ouid.

Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.

O. Iſtud pentametrum hærebat mihi primoribus in labris: hianti ab ore excepiſti: ſed quàm pulchrè quæ ſequuntur. A. Redde mihi, obſecro, in aures: obliuioſus ego ſum; nec ſatis memini, quæ ſatis iam aliàs audiui.

O. *Igne quid vtilius? ſi quis tamen vrere tecta*
Comparat, audaces inſtruit igne manus.

A. Pulchrè.

O. *Eripit interdum, modò dat medicina ſalutem:*
Quæque iuuat, monſtrat, quæque ſit herba nocẽs.

A. Eleganter.

O. *Et latro, & cautus præcingitur enſe viator:*
Ille ſed inſidias, hic ſibi portat opem.

A. Ingenioſè dictum.

O. *Diſcitur, innocuas vt agat facundia cauſas*
Protegit hæc ſontes, immeritóſque premit.

A. Conditio ſanè in rem noſtrã, de qua agimus, 11.
quàm aptiſſima. Quid tandẽ, ſi dicam, Rhetoricã nunquam eſſe ciuitatibus innocentem? O. Id verò nemo dicet, niſi demens. A. Téne adeò acerbè loqui in parentem Philoſophiæ, Antiſtitem eloquentiæ, Ariſtotelem? O. Magni opponis maieſtatem viri, quem contra ne hiſcere quidem auſim. A. At ille primo Rhetoricorum ait, *eloquẽtiam ſine ſapiẽtia ſemper obeſſe, prodeſſe nunquam.* O. Validiori telo exiſtimabam me hodie exanimalem factum iri: at tantillum cùm intorqueas, mentem colligo. A. Qua igitur declinatione corpòris illud effugis? O. Dicam. Ariſtoteles non de illa loquitur eloquentia, quam nos tradimus: argumento, quòd illam à ſapientia ſeiungat; cùm tamen non inter vtramque credamus incediſſe nodum, quàm Herculeum, arctiorem. A. Quam ergo intelligit? O. Illam prorſus, quam Salluſtius inuſitato vocabulo loquentiam nominarit, à Pollione Grammatico apud Agellium lib. 1. cap. 5. tanquã nimis antiquarius damnatur. Hæc autem nullum habet cum ſapientia commercium, nullum cum ſtultitia diuortium: vt meritò dicatur Catilina habuiſſe loquẽtiæ ſatis, ſapiẽtiæ parum. A. Tua eloquentia, ab omni prorſus calumnia eloquentiam vendicaſti.

Ariſtoteles. De nodo Herculeo Plin. l. 28. cap. 6. Salluſt. Agell.

Progymnasma III.
De genere dicendi.

AVD. Vnicam dicendi magiſtram ego noui, 12.
naturam, à qua loquendi facultatem hauſimus, expreſſimus, arripuimus. O. Verùm, niſi artis præſidium accedat, nullus nitor, nullus decor dictionis eſſe poteſt. A. Quorſum iſta ope opus ſit planè non video. Natiua enim orationis pulchritudo, potiùs inficitur adulterino artis fuco, quàm excolitur. O. Mihi ades: niſi *Hypſea cæcior eſſe velis*, faxo vt videas. A. Adſum quidem libentiſſimè, & noctuinam pono, lynceam tibi intendo aciem. O. Terra vndenam generandi vim accepit?

AVD.

Ars, & natura in Rhetore.

Avd. A natura, ſi quid ſentio. Or. Et tamen, ni ſi ars agricolarum accedat, quid futurum putas? Avd Planè ſterileſcet, emacerabitur, *& agricolam vanis eludet auenis.* Or. Probè iudicas: quæro iterum, ſentiſne hominum naturam perfectam eſſe, an degenerem, ac belluinam? A. Imò perfectiſſimam ac reliquis omnibus, quantùm viua mortuis diuina terrenis anteire. O. Sanus es: quid tamen niſi artium diſciplina excolatur? A. Peſſum ruat neceſſe eſt. O. Quid ita? A. Tollatur medicina; ingens erit proculdubio Libitinæ quæſtus acerbæ: amolire ab vrbibus architecturam; errabunt homines in montibus ferarum ritu, ac ſyluis diſſipati. Vacent reliquorum artificum officinæ, in totum hominum ſocietates ſoluentur.

13. Or. Ais planè quod res eſt: ſed tuo te indicio, quaſi ſorex prodidiſti. A. Egóne vt proditor mei ſiem? O. Ita laquor. Nam, ſicut terra, hominúmque natura arte iuuatur: ita prorſus natiua orationis facultas arte expolitur. A. Artificioſam iſtam in me contechnatus es fallaciam: ſed ex tuę iſtius artis præceptis quotuplex dicendi genus effloreſcit? O. Sanè multiplex: paucis tamen vt expediam, triplex. Avd. Ita, quæſo, vtere compendio, vt rem totam palàm facias. O. Gemino exordiar ab ouo. Trifariam, inquam, diuiditur dicendi genus. A. Perge, tibi otioſæ vacant aures. O. In purum, dilucidum, & ornatum. A. Ciceronis iſta eſt diuiſio, ſi quid memini. O. Sanè in 3. de Oratore: ab illo enim fonte noſtri riuuli. A. Quem purum ſermonem vocas? O. Qui rectè ſcribitur, rectè pronuntiatur. A. Sana ſcriptio quæ vulnera cauere debet? O. Solœciſmum, barbariſmum. Sed ab his vitiis orationem emaculare Grammatici penſum eſt, non Oratoris. A. Rectæ pronuncitionis quæ virtutes? O. Prima, ne proſodiæ, id eſt, accentus immutentur. A. V. g. vt ſemper *Excetra*, *Areopagus*, proferantur penultima correpta. Semper, *Reſina*, & *Bilibris*, penultima producta.

Quotuplex dicẽdi genus.

Cicero in 3. de Orat.

Purum.

Orationis pronunciatio.

14. O. Ita planè: quamuis de his Grammaticorum contentio fuit, quæ iam ſub iudice non eſt. Quid, ſi dum in magno curſu verborum euolat oratio, caſu offendit: & longa pro breui, vel breuis pro longa temerè & imprudenter elabitur? O. Magnum malum: omnibus cerebrum excutitur: omnibus pereunt aures: conſultant omnes frontem: ronchos cient: ore concrepatio frequenter fremunt, & malè muſſitant: denique, vt inquit Tullius, *Theatra tota reclamant*. A. Experimento comperi, quæ dicis. Quid vlteriùs requiris ad bene pronuntiandum? O. Vt ſint literæ neque expreſſæ putidiùs, neque oppreſſæ negligentiùs: ſed leniter, & æquabiliter animatæ. A. Iſtam laudem Atticis tribuit Tullius. O. At certè Aſiaticis denegauit; quia in dicendo meſſores videbantur, non Oratores. A. Ridiculè quidem Cicero: illius ſic fuiſſe ingenium Plutarchus ait,

Cicero.

Plutarch.

15. Or. Feſtiuiùs tamen alibi, *Ita vocem*, inquit, *Aſiatici obſcurant, vt non orare videantur, ſed vlulare.* A. O cauillam feſtiuiſſimam! vaſtus, & hiulcus ſermo ſignificantiùs exprimi non potuit. Quid præterea opus eſt, vt ſuauiter pronuntietur? O. Ne ſint verba inflata, & anhelata grauiùs. A. Contrà tamen ſtat Agellius 2. Atticarum 3. vbi ait: *Veteres adſpirationem pleriſque vocibus formandis, roborandiſque inſeruiſſe, vt earũ ſonus eſſet viridior & vegetior.* O. Iſta olim conſuetudo exoleuit, ſed poſteà aboleuit. A. Falſum prorſus: nam ad Ciceronis ætatem penetrauit. O. Nunquam factum: caue, ne ætati germanæ Latinatis altrici tantam inſpergas labem. A. Nullus ſim, ſi contrà quàm dico fuit: nam Arrius Ciceronis ſynchronos, vel potiùs familiaris, vt ab eodem Cicerone appellatur oratione in Vatinium, de imis pulmonibus trahebat verba, ſeu, vt dicam veriùs, exſufflabat. O. Arrium mihi memoras? at is ruſticam aſperitatem, & peregrinam inſolentiam affectabat. A. Vide, ne iniurius ſis in hominem, qui Cicerone familiariter vtebatur: nam, ſicut botrus iuxta botrum matureſcit, vuáque conſpecta liuorem ducit ab vua: ita qui eloquentis orationi aſſueſcit, eloquens fiat, neceſſe eſt. O. Quidquid ſit ea de re, certè Arrius ſibilo exploditur à Catullo, quod inter loquendum ſpiritum ſemper reddere, accipere nunquam videretur. Audi Epigramma vrbanis ſalibus conditiſſimum. A. Tibi me auritum præſto.

A.Gell.

Cicero.

O. Chõmoda dicebat, ſi quando commoda vellet
Dicere, & hinſidias Arrius inſidias.
Et tum mirificè ſperabat ſe eſſe locutum,
Cùm quantum poterat, dixerat, hinſidias.
Credo ſic mater, ſic Liber auunculus eius:
Sic maternus auus dixerat, atque auia,
Hoc miſſo in Syriam, requierunt omnibus aures,
Audibant eadem hac leniter, & leuiter.
Nec ſibi poſt illa metuebant talia verba:
Cùm ſubitò affertur nuntius horribilis.
Ionios fluctus poſtquam illuc Arrius iſſet,
Iam non Ionios eſſe, ſed Hionios.

Catul.

Viden', vt irriſus ſit Arrius à Catullo. A. Video & intelligo hoc dicendi hiatu non fauorem excitari, ſed riſum commoueri. At iam ſermo purus quiſnam ſit ſatis planè perputaſti. Dilucidum quem appellas? O. Cuius prima virtus perſpicuitas. A. Vide, ne peſſimè iſtuc in me conſulas. O. Cur iſta tibi ſuſpicio de me incidit? A. Quia ſcio ludimagiſtrum in Græcia fuiſſe, qui auditoribus ſuis præciperet, vt quæ dicerent, obſcurarent; cuius illa erat egregia laudatio, *Ne ego quidem intellexi.* O. Iſte quidem ludimagiſter haud fuit, ſed illuſor magiſterij: quia non homines eloquentes, ſed belluas vociferantes laudabat. A. Dicis probè; nam Oratorem perplexè, ac inextricabiliter meras nugas blaterantem, quid aliud eſſe dicam, quàm alitem obſtreperum, vacuo & inani ſonitu aures obtundentem. 16.

Sermo dilucidus.

Sermo obſcurus.

O. Sed planiùs: quod animo vt agnoſcas, M. Tullius perfectiſſimum Oratorem eum vocat, quem puer elementarius intelligat, & quem ſe conſequi poſſe confidat. A. Ita quidem Cicero. *At qui ingenioſi auditores*, inquit Fabius, *orationis obſcuritatẽ requirunt, vt cùm intellexerint, acumine ſuo, non quaſi audierint, ſed quaſi inuenerint, delectentur.* O. Malunt iſti profectò ſuã operam cõmendari, quàm Oratorum: quorum ſimiles ſi omnes eſſent, permitterem vt nodos Gordios illis obiiceres, dithyrambicos ſenſus opponeres: apud Oedipos enim ſphingem eſſe licet. Verùm, cùm plerique tardi ſint, graſſipelles, ac teſtacea, vt vocant, animalia; quidquid ſinuoſius, & contortius dixeris, indictum puta. A. A te, vt ſentio, ſtat ratio. O. Accedit, quia non ſemper tam acris eſſe ſolet attentio auditorum, vt rationis tenebris inferat quoddam intelligentiæ ſuæ lumen: ſed frequenter animus alíorſum auocatur. Quare inſtar Solis in auditorum ſenſus, etiamſi in eam non intendantur, occurrat oratio. A. Diſertiſſimè diſſeruiſti. Sed quo pacto iſtis nebulis detergenda eſt oratio? O. In primis, ſi fluat abſque ambiguo verbo & ſermone.

Cicero.

Fabius.

Tull. 3. de Orat.

Avd.

Digitized by Google

17. Avd. Audio. Or. Non nimis longa continuatione verborum. A. Attendo. Or. Non admodum producto verborum ambitu. A. In mente hæret. Or. Non diſcerptis ſententiis. A. Rectè mones. Or. Non præpoſteris temporibus. A. Ais planiſſimè. Or. Non confuſis perſonis. Avd. Studioſè percipis. Or. Non perturbato ordine. A. Curabitur ſtrenuè. Or. Quid plura? Si tota Latina ſit, nunquam externa. A. Hic ego potiùs reclamem, quàm acclamem: nam Latinis verbis peruenuſtè inſeruntur Græca. Or. Prome exépla, ſi memoria fortè exprompta vales. Avd. Mart. lib. 1. Latinis hendecaſyllabis Græcum illud verbum illigauit, *Μισῶ μνήμονα συμπότην*, id eſt, *Odi memorem compotorem*. Idem lib. 2. Latino hexametro Græcam illam parœmiam incluſit, *πάντα κοινὰ φίλων*, id eſt, *amicorum omnia ſunt communia*. Or. Adminiculatiſſima veteris memoria. Sed Poëtam mihi narras, quia leges colit liberiores. Avd. Oratorem audias in Piſonem. *Ratio*, inquit, *apparet: argentum οἴχεται*, id eſt, *euanuit*. Or. Iſtud quidem non ex ſuo penu, ſed ex Plautino Trinummo deprompſit Tullius, quod cùm omnium linguis tritum eſſet, minùs orationem obſcurabat, & quaſdam popularis ſermonis illecebras in omnium aures infundebat.

Martial. lib. 1.

Idem lib. 2.

Tullius in Piſon.

18. Avd. Omnem mihi ſcrupulum euolſiſti. Sed ornatum dicendi genus ſupereſt, vt expedias. Or. Attende. Illud eſt, cuius omnia verba ius togæ tueri poſſunt. Avd. At hæc vndenam petenda ſunt? Or. Primùm à Cicerone, deinde ab aliis primæ notæ Scriptoribus. A. Imò à Cicerone tantùm: nam qui alterius vtuntur verbis, meros loquuntur lapides. Or. Nimiùm delicatas aures, ni fallor, geſtas: circunda, quæſo, illis amphotides, ne vulnerentur. A. Quid? etiámne apud alios, quàm Ciceronem, germanum orationis cultum indepiſces? Or. Ita loquor. Nemo enim ſobrius dicet in tantulo Ciceronis theſauro tantam eloquentiæ ſupellectilem includi poſſe. Adde, quòd Ciceronis ſcripta, partim iniquitate temporum exciderunt; partim incéſis Italiæ tabulariis conflagrarunt; partim māca, mutila, & lacunoſa nobis reliqua ſuperſunt: quare neceſſe eſt factam eſſe multorum nominum iacturam, quam nobis alij clariſſimi Scriptores reſarciunt, & inſtaurant. Avd. Mea me ſententia amouiſti: quid tamen, ſi vel apud optimos quoſque Scriptores neceſſariā verborum copiam deſiderem.

Ornatum dicendi genus.

19. Or. Logodædalum te præſta: noua architectate vocabula. Avd. Repugnat Quintilianus: *Vtendum eſt*, inquit, *ſermone, tanquam numo, cui publica forma eſt*. Ergo, ſicuti peccant, qui in priuata officina numos procudunt: ita etiam, qui nullius adminiculis, ſed Marte proprio verba conflant. Or. Longè aliam Quintiliani mentem teor, cùm alibi audendum eſſe moneat, & à Celſo diſſideat, qui omnem nouitatis, & peregrinitatis vſum interdixerat, ſolùm ſignificat in verbis nouandis, parcendum auribus, iudicium adhibendum, ne à nobis verborū imber, iudicij gutta effluere videatur; quod olim de Rhetore, neſcio quo, dicebat Stratonicus. Avd. Fabij mentem geſtas, ſed adhuc illa me vexat dubitatio, quòd olim verborum nouandi vſus nullus erat: reprehenditur enim Hermogenes ab Antiocho, quod inter ſenes puer eſſet: id eſt, quòd veteri eloquentia abſtineret, noua vteretur infantia. Or. Iuſta reprehenſio: nam *pueri*, vt inquit Cato, *ſine vllo rationis examine verba nouant* cibum ac potionem *buas* & *papas* vocant, matrem *mamam*, & patrem *tatam*: quos cùm Hermogenes imitetur, explodatur. Contrà verò antiqui Rhetores verborum nouatores erant pariter, & cenſores: quos ſibi à nobis imitandos proponit Horatius ad Piſones. A. Horatium mihi canis? totus mihi in mente hæret; nedum tantillus locus. Or. Ergo facto ſit, non dicto fides: recita. Avd. Promptè, & fideliter:

Quintil. lib. 1. c. 9.

Idem lib 8. cap 3.

Stratom.

Antioch.

Cato.

Horat.

> ——— *Ego cur acquirere pauca*
> *Si poſſum, inuideor? Cū lingua Catonis & Enni,*
> *Sermonem patrium ditauerit: & noua rerum*
> *Nomina protulerit? licuit, ſempérque licebit*
> *Signatum præſente nota producere nomen.*

Or. Locum tenes, quo tuæ dubitationi factum ſatis. Avd. Fateor. Sed de ornato dicendi genere multa diximus. Or. Plura tamen ſuperant. Et primùm, quæ in membra partiatur. Avd. Seponamus, ſi ita libet, in tempus aliud. Or. Imò omninò expedit.

Progymnasma IV.

Ornatum dicendi genus quotuplex.

20. Avdit. Ornatum dicendi genus ſimplex eſt, an multiplex? Or. Triplex omninò, epiſtolare, hiſtoricum, oratorium. Avd. Quid? in epiſtolis ornatum deſideras? Or. Ita dico. Nam epiſtola Mercurius alter eſt: legatione fungitur ad amicos. Avd. At amicorum ſermo communis eſſe debet, in quo plus animi, quàm artis appareat. Or. Fateor. Non efflagito phaleras, ſed idem ſcruta non fero: pigmenta, non adſint ſordes: lucernam oleat epiſtola, Myrothecium Iſocraticum non conſumat: tota culta ſit: tota ſine cura accurata, non fucata, non ſtrigoſa. Avd. Modus optimus in rebus. Vnum quæro: debeátne epiſtola numeroſa eſſe? Sunt enim, qui non modò excludunt numeros, ſed etiam data opera, ſcopas, vt aiunt, diſſoluunt. Or. Errant iſti prorſus. Numeri ſint in epiſtolis, ſed licentiores, & quodammodo innumeri: quales in Plauto fuiſſe dicit Varro apud A. Gelliū. *Vincula ſint potius laxiora, quàm nulla*, vt ait Fabius, *& quo communioribus verbis texuntur, eò difficilioribus pedibus vinciantur*. A. Rectè præcipis. Quæro iterum, fas erit aliquando, vt epiſtola in oratoriam maieſtatem erumpat, & tanquam Periclis oratio tonare ac fulminare videatur? Or. Si argumenti grauitas exigat, non repugnat. Nam & comœdia, cuius character humilis eſſe ſolet, nonnunquam in Tragicam vociferationem effertueſcit, vt in arte docet Horatius:

Ornatum dicendi genus triplex Epiſtolare.

Varro. Agell.

Fabius lib. 9. cap. 4.

> *Verſibus exponi tragicis res comica non vult:*
> *Interdum tamen & vocem Comœdia tollit,*
> *Iratúſque Chremes tumido dilitagat ore.*

Horat.

21. Avd. An eſt vlla apud Ciceronem epiſtola, quæ ad orationū procellas attollatur? Or. Præter cæteras illa ad Octauium, in qua modò aculatæ dictionis pungit acumine, modò triumphantis orationis flumine ſpatiatur. A. Repete, ſi quid memoria ſuppeditat, audire cupio hæc tonitrua. Or. Illa exclamatio ſatis eſt neruorum plena, plena virium. *O me vnquam ſapientē, & aliquando id quod eram, exiſtimatū, quantùm te, Populé Romane, de me fefellit opinio? O meam calamitoſam, & præcipitem ſenectutē! O turpem exacta, demētiq; ætate caniciem! Ego Patres conſcriptos ad parricidium induxi! ego Rempublicam fefelli! ego ipſe Senatum ſibi manus afferre coëgi! cū te Iunonicum puerum, & matris tuæ partum, ac rerū eſſe dixi: at te fata Patriæ Paridem futurum prædicabant, quia vaſtares vrbē incendio, Italiam bello. O miſerā & in breui tam celerē, & tam variā commutationē! quiſnam tali futurus ingenio eſt, qui poſſit hæc ita mādare literis, vt facta, non ficta videantur?* Avd. Ferocem ſtrepitum

Cicero ad Octauiam.

Digitized by Google

ſtrepitum audire mihi videor, cùm hæc audio. Sed epiſtolarum ornamenta ſunt omnium communia, an propria ſingularum?

22. OR. Singulæ ſingulas virtutes exigunt. AVD. Encomiaſtica? OR. Grauis & rotunda. AVD. Gratulatoria? OR. Hilaris & feſtiua. A. Conſolatoria? OR. Blanda & amica. A. Suaſoria? OR. Vehemens & animoſa A. Precatoria? OR. Modeſta & verecunda. AVD. Expurgatoria? OR. Solers & acuta. AVD. Criminatoria? OR. Virilis, & acetoſa. A. Sed quos terminos ſtatuis epiſtolæ? Sunt enim, qui Opiſtographam deteſtantur. OR. Nullos, niſi quos neceſſitas præfigit. AVD. Quid? ſi ad voluminis longitudinem excreſcat? OR. Niſi vacuus ſermo in longum vrgeatur, longa non erit. AVD. Quid, ſi ad vnius verſiculi anguſtias coarctetur? OR. Si inepta ſit, & ſententiarum centonibus inuenuſtè ſuffarcinata, adeò breuis non erit, vt Iliade quoque videatur prolixior. AVD idem indicium de Epigrammatis tulit Epigrammatarius:

Epiſtolæ leges ſeruandæ.

Martial.

Non ſunt longa, quibus nihil eſt, quod demere poſſis:
Sed tu, Coſconi diſticha longa facis.

OR. Opportunè meam in ſententiam iſtud incidit. Itaque eam longitudinem probo, cui nihil adimi; eam breuitatem, cui nihil adiici poteſt: illa in Cicerone, hæc in Plinio ſpectatur. A. Etiámne illam breuitatem probas, quæ ad ænigmaticam obſcuritatẽ accedit? OR. Huius breuitatis, ſi qua gratia, toto eſt in minacibus epiſtolis: qualis eſt Lacedæmonum ad Philippum: exemplum accipe, *Lacedæmones Philippo. Dionyſius Corinthi.* AVD. Quid plura? OR. Ne vnum quidem apicem: plura fortaſſe dicerent, niſi irati eſſent. AVD. Quid ſignificarunt tanto verborum compendio? OR. Meminiſſet Philippus, Dionyſium propter dominandi inſolentiam ab ornatu regio ad familiarem habitum deuolutum, Corinthi vitam agere priuatam: ſibi caueret à ſimili infortunio. A. Alterum, quæſo, exemplum adhibe: nam Lacones ita ſunt breuiloquentes, vt ſemper Pharium imitentur Harpocratem: quia in re naturam ſequuntur, non artem. OR. Alterum accipe Demetrij ad Locrenſes, *Faxo, inquit, apud vos humi canant cicadæ.*

Cataneus in præfatione epiſt. Plin.

Demet.

23. AVD. Proh Superi, quæ tenebræ? qui Mæandri? OR. Facem præfero. Significauit Locrenſium ſolum ita à ſe deſolatum iri, vt ne ſtipula quidem relinqueretur, vbi cicadæ ſeſſitarent. AVD. Intelligo. Sed de epiſtolari ſtudio ſatis iam multa. In hiſtorico dicendi genere quæ virtutes requiruntur? OR. Numerus, grauitas, ſuauitas. AVD. Numerus? at qualis? OR. Qualem in Pindaricis Dithyrambis probauit Horatius, nimirum, lege ſolutum: *Hiſtoria enim*, vt inquit Fabius, *proxima eſt Poëtis, & quodammodo ſolutũ carmen.* AVD. At Herodotus hiſtoriæ parens, vt vocat Tullius, quia princeps, genus hoc ſcribendæ hiſtoriæ ornauit: quique ſine ſalebris, quaſi ſedatus amnis fluit, eodẽ teſte Cicerone, numero caruit: & ab his deliciis, ſeu ineptiis orationis longiſſimè ſemper abfuit. OR. Scilicet, hoc illi defuit ad ſummam laudem: quamuis eò peccauit leuiùs, quia heroïcis illis temporibus non ſpecies dictionis quærebatur, ſed fides. AVD. Nunc igitur, quando nouum aliquod delectationis aucupium expetitur, numeri ſunt in hiſtoria: at grauitas omninò reſcindatur. nam, qui hiſtorici graues eſſe volunt, ſupercilioſi fiunt. OR. Ne iſtud metuas. Salluſtio quis facilior? AVD. Nemo planè. Ita enim beneuolè i.. omnium animos illabitur, vt *doctorũ chorda virorum* appelletur. Teſtatur Mart. in Apophoretis 104.

Hiſtoricum.

Horat. 4. car. 2.

Fabius lib. 10. cap. 1.

Cicero.

Cicero in Orat.

Salluſtius laudatur.

Hic erit, vt perhibent, doctorum chorda virorum,
Primus Romana Criſpus in hiſtoria.

Martial.

24. OR. Mecum facis: at illius grauitas tanta eſt, vt, teſte Crinito, diuina à ſapientiſſimis quibuſque vocitetur. AVD. Singulare elogium, quod Platoni tribuit antiquitas. OR. Quid de Cæſaris commentariis exiſtimas? Súntne in gratia, an in maleuolentia lectitantibus? A. Adeò probantur omnium iudicio, inquit apud Tranquillum Hirtius, vt præterepta, non præbita facultas Scriptoribus videatur. Imò, quod ipſe fatetur Suetonius, adeò venuſti ſunt, & culti, vt ſanos homines ab ſcribendo deterreant. OR. Et tamen Cæſaris in hiſtoria tanta grauitas eſt, tanta maieſtas, vt autore Fabio eodem animo dixiſſe appareat, quo bellauit. A. Elucétne in Græcis Scriptoribus eadem orationis dignitas? OR. Elucet quidem: nam, vt inquit Poëta,

Crinitus.

Cæſaris hiſtoria commendatur.

Sueton. in Cæſ. c. 56.

Fabius.

——Graiis dedit ore rotundo
Muſa loqui.

Horat.

Certè Thucydides bellicum in hiſtoria canere videbatur, ſi Tullio habenda fides. AVD. Demus igitur hanc virtutem hiſtoriæ, grauitatem. Suauitas tamen ab Scriptore negligatur: nam hiſtoria Magiſtra vitæ eſt, non blanda conciliatricula voluptatis. OR. Ita fermè Cicero. Verùm, vt inquit Horatius,

Horat. 1. Sat. 1.

——Pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores elementa velint vt diſcere prima.

25. Quare, licèt hiſtoriæ munus ſit docere; tamen ab hiſtoria alienum non eſt delectare: imò neceſſe eſt, vt hiſtoriæ grauitas orationis ſuauitate condiatur: ne priùs legendi faſtidium nos capiat, quàm ſciendi auiditas ſatietur. Quid Liuio ſuauius? quem meritò inquit Hieronymus, *lacteo eloquentiæ flumine manare. In cuius orationem quoties incido, toties in florem nectaris, in medullam mellis, in Attica bellaria mihi videor incidiſſe.* Quid Xenophonte dulcius, *ex cuius ore*, vt inquit Tullius, *melle dulcior fluebat oratio: adeò, vt vel Xenophon Muſarum ore, vel Muſa ore Xenophontis loqui dicerentur?* Certè M. Tull. in Bruto, cùm ſummam orationis dulcedinem Catulo tribuiſſet, molli & Xenophonteo genere orationis vſum fuiſſe affirmauit. A. Atticam Muſam mihi præſtitiſti tam Atticè loquutus. Sed tuam de hiſtoria ſententiam vnico argumento mihi videor poſſe demoliri. OR. Inſiſte in antiquos dolos; nunquam me indues in plagas, nunquam impedies in laqueos.

Liuij hiſtoria laudatur.

Hieron.

Cicero.

Xenophontis ſuauitas.

26. AVD. Sic obiicio. Hiſtoria potiùs, quàm reliqua ſcriptionis genera, veritatem ſectatur: atqui verborum apparatus plerumque eſſe ſolet falſitatis inuolucrum: ergo omnis faſtus, omnis cultus orationis procul eſt ab hiſtoria excludendus. Præpoſitionem ſi negites, facilè confirmabo: nam Oratoria in perſuaſione verſatur; Poëtica in delectatioñe conſiſtit: quibus officiis falſitas aliqua ex parte commiſceri poteſt; ſæpè enim, vt flectat Orator, exaggerat; ſæpè vt delectet Poëta confingit. At Hiſtoria ad docendum incumbit: & cùm nihil magis à doctrina, quã falſitas abeſſe debeat, palàm eſt, vnam veritatem potiùs ad hiſtoricum, quàm ad quemuis alium dicendi artificem pertinere. OR. Ingenioſè confirmaſti præpoſitionem: cui etiam M. Tull. in Orat. fidem facit: *Prima*, inquit, *lex hiſtoriæ eſt, ne quid falſi dicere audeat: deinde ne quid veri dicere non audeat.* Eam igitur admitto libens. Aſſumptionem proba.

Hiſtoriæ leges.

Cicero.

AVD. Luce clarius. *Nihil eſt*, inquit Politianus, *magis dedecens, & noxium in omni materia, in qua agitur de vero cognoſcendo, quàm vniuerſum dicendi genus elaboratum: quia quidquid admiſceas,*

Politianus lib. 9 cap. ad Hermol.

non

Digitized by Google

non modò narrationem infeceris, ſed etiam aliam
feceris; neque ſolùm veritatem diſſimulaueris, ſed
penitùs adulteraueris. Quare non eſt Hiſtorico lu-
dendum tropis: neque in verbis nimiis laſciuien-
dum, neque tranſlatis luxuriandum, neque fa-
Alcibiad. ctitiis audendum: fidem enim perdit, qui nimiam
verborum gratiam aucupatur. Vnde meritò Alci-
biades dicere ſolitus erat, *ſe nunquam lucubratis,*
& luculentis orationibus Periclis fidem habuiſſe; nun-
quam verbis ſimplicibus, & nudis Socratis fidem de-
negaſſe. Ergo non ex amœno Muſarum nemore
eff[l]uere debet hiſtoria, ſed ex horrendo antro, in
quo dicebat Heraclitus, latitare veritatem. Or.
Verum iſtud à te dictum: ſed mecum Politianus
non pugnat, ideò non expugnat. Fateor quidem
nimia ceruſſa & fuco occultari veritatem; dico
tamen modico ac dicẽdi ornatu eius auſteritatem
Terent. diſſimulari. Neſcis Terentianũ illud: *Veritas odium*
parit? Avd. Et ſcio, & experior, ita eſſe hominum
mores, vt malint falſis verbis deludi, quàm veris
perſtringi. O. Ergo, ſi illis propines nudã veritatẽ,
nullo melle illitã, nullo ſuaui liquore medicatam,
tanquã meracißima toxica repellẽt. Medicos imi-
tare, qui acerbitatem abſinthij nectario ſucco elu-
dunt, vt faciliùs hauriatur: de quibus Lucret. in 1.
Lucret. *Sed veluti pueris abſinthia tetra medentes*
Cùm dare conantur; priùs oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flauóque liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur.
27. A. Emineis planè aliquo verborum apparatu
eſſe lectorem ineſcandum: non verò nimio ora-
tionis lenocinio decipiendum. O. Ita ſanè. Non
enim quærimus, quòd hiſtoria nimis vnguentata
delectet; ſed querimur, quòd nimis incõdita offen-
dit. A. Vnus mihi adhuc inſidet ſcrupulus; quem
ſi euellas, omni me liberabis aporia. O. Fac me,
vt ſciam, euulſum puta. A. Sacra hiſtoria nullis
verborum coloribus picturatur, ſed nudam veri-
tatem oſtendit, nullo tectorio offuſcatam: er-
go neque humanis libris verborum deliciæ ſunt
aſpergendæ, quæ potiùs veritatem celant, quàm
Scriptura ve- exornant. O. Vide, quàm te facilè iſta dubita-
ritas. tione exoluo. Oportet in primis, vt inquit Poëta,
ſecernere ſacra profanis. Igitur in diuinis Literis
nullæ requiruntur orationis illecebræ, quæ ſint
animorum illices: nam in ſingulis verbis diuina
quædam virtus inſidet, non mouet, non ſua-
det, ſed penè cogit, agitat, vim infert, & in pectore
penitißimo dominatur. At humana hiſtoria, cui
hæc vis penitùs inſita non eſt, ornatum deſiderat,
quo lactet, & ſe in animorum gratiam inſinuet,
& infundat: quamuis vnum addo, non eſſe diui-
nas Literas omnis ornatus, & elegantiæ expertes:
imò nullum eſſe lumen oratoriæ facultatis, quod
in ſacra Pagina non eluceat.
28. A. Hoc mihi gratißimum auditu foret, ſi tem-
pus ad eam rem ferret: ſed, quia iam longinquum
loquimur, vnum tantùm ſcire ex te cupio. Hic
hiſtoriæ ornatus in antiquis ſolùm, an etiam no-
ſtri ſæculi Scriptoribus efflorescit? Or. Planè in
vtriſque: & certè in nuperis, ac recentibus quàm
maximè. Nam Iouius mihi Ioue diſertior videtur,
Tiraq. Oſorius Luſitanus, vt inquit Tiraq. ſicuti nouiſſi-
mè, ita eloquentißimè omni de nobilitate ſcripſit.
Maffeius, quem Muretus ſuſpicit, & veneratur,
nulli veterum Scriptorum ſecundus eſt. A. Cur
igitur non atteruntur manibus, non audiuntur
in phrontiſteriis, non denique iuxta, ac veteres
Hiſtorici celebrantur? O. Quia antiqui Scriptores
ex multorum ſæculorum diuturnitate conflatam
gratiam conſeruant; recentiores nondum ſatis
ſuam fidem omnibus commendant: in illos nemo
maleuolentia ſuffunditur; in hos plurimi inuidia
agitantur. Nam, vt ingenioſè ingenioſus Vates,
Paſcitur in viuis liuor, poſt fata quieſcit:
Tunc ſuus ex merito quemque tuetur honor.
A. Ita quidem res habet: 29.
Virtutem incolumen odimus, Horat.
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.
Pronum eſt hominum genus ingerere calum-
nias in præſentes; blandè & benedice loqui in ab-
ſentes. O. Martialis querimoniam mihi replicas,
cuius eſt de hac re cantißimum Epigram. Audi.
Eſſe quid hoc dicam, viuis quòd fama negatur, Martial.
Et ſua quòd rarus tempora lector amat?
Hi ſunt inuidiæ, nimirum, Regule, mores; De hoc arg. multa Horat. 2. epiſt. 1.
Præferat antiquos ſemper vt illa nouis.
Ennius eſt lectus, ſaluo tibi Roma Marone,
Et ſua riſerunt ſæcula Mæonidem.
Ergo etiam illi Scriptores, quibus qui modò
ſuppares ſunt, non admodum fauent, ſuam tan-
dem laudem ex antiquitate conſequentur. A.
Hiſtoriæ leges eleganter tradidiſti. Perge dicere
de genere dicendi oratorio. O. *Equũ in planitiem*
prouocas. Socratem ad diſputandum laceſſis, vt in-
quit Plato in Thæteto, *cùm me Oratorem ad di-* Plato.
cendũ de oratorio dicendi genere inuitas. A. Certè
de ſua quiſque arte conſulendus eſt artifex: vnde
ſapienter dicebat Philoſophus, tunc Reſpublicas
natas fore, cùm de ſuis artibus ſibi iudicarent ar-
tifices. O. Quidquid igitur hac de re ſcire velis,
me vnum conſule: faxo, vt ſcias.

Progymnasma V.

Orationum dicendi genus quale ſit, & quotuplex.

Avd. Videamus, qua modò te tam confi- 30.
denter reſtas. Dic, amabo. Oratorium di- Oratorium.
cendi genus quale eſt? Or. Ciceronem audi in Cicero.
Oratore: *Eſt inſigne, florens, pictum, & expolitum*
orationis genus, in quo omnes verborum, omnes ſen-
tentiarum illigantur lepores. A. Quæſtionem ex
procliui feciſti palàm. O. Quæcunque à te mihi
proponatur, tam tibi erit in procliui, quàm eſt im-
ber, quando pluit. A. Quæro igitur vlteriùs; hoc
dicendi genus ſuperioribus quî præſtat? O. Eò
me adigis, vt lucem tenebris componam. Crede
mihi: minùs diſtant æra lupinis. A. Seorſum qui- Quint.
dem à te ſentit Quintilianus: arbiter eſto illius
verbis: *Mihi*, inquit lib. 12. cap. 11. *vnum, atque*
idem videtur, benè dicere, ac benè ſcribere. Ergo
ſentit, hiſtoricum dicendi genus Oratorio affine
eſſe, ſeu potiùs omninò geminum. O. Fabij ſer-
monẽ audio; ſed non mentem: imò ſi haberet, quã
mentem ei affingis, amens eſſet. A. Méne adeò
elephantino corio tectum eſſe, vt errem à verbis
tam perſpicuis? O. Fortaſſe, quæ ſequuntur, le-
giſti negligenter: non enim ibi de hiſtoria ſermo
eſt; ſed de ipſa oratione ſcripta, quæ eſt monu-
mentum actionis habitæ: quare ſolùm vult ora-
tionem, quo pacto ſcribitur, eodem pronuntian-
dam, daturúmque operam Oratorem, ne in ipſo
æſtu dicendi excidat verbum aliquod ardens, vt
vocat Tullius, quod poſteà reuocatum velit. Cicero.
A. Fateor iam, in Fabio declarando incogita- 31.
bilem me fuiſſe: perge tamen dicere, quod quære-
bam. Hoc dicendi genus difficultatis quãtùm ha-
bet? quantùm dignitatis? O. Tam eſt difficile,
vt M. Antonius, vir natura peracutus & prudens,

Digitized by Google

diſertos dicat ſe vidiſſe multos, eloquentem omninò neminem. Et niſi prima ſequentem, honeſtum eſſet in ſecundis, tertiiſque conſiſtere; omnium, qui ſe ſtudio eloquentiæ dediderunt, ſpes infringeretur, omnium langueſceret induſtria; nollem enim experiri, quod ſe aſſequi poſſe deſperarent. A v d Ciceronem mihi ſapit oratio
Cicero. iſta in Oratore. Or. Certè. A. At in hoc genere quanta dignitas? O. *In eo*, inquit Tullius, *omnis admiratio ingenij, omnis laus eloquentiæ cõtinetur.* Nam, in quo homines exhorreſcunt? quem ſtupefacti dicentem intuentur? quem Deum, vt ita dicam, inter homines eſſe putant? qui ornatè, qui illuminatè, & rebus, & verbis dicunt, & in ipſa oratione quaſi quendam numerum, verſúmque conficiunt; id eſt, quod voco Oratorium dicendi genus. A. Egregiè calleo iam tuum ſenſum. Partire nunc in ſua membra hoc dicendi genus: & quod optimum iudicas, fac, vt ſciam.
Idem. O. *Rem difficilem*, exclamat Tullius, *atque omniũ difficillimam: nam quodquod vſque gentium extiterunt Oratores, totidem genera dicendi floruerunt: in ipſa quodque ratione ita comptum, & limatum, vt nullum primum, nullum ſecundum videretur.* A. Aliarum artium mihi videtur hæc conditio: nam Polycletus in humana forma bellè ac decorè expolienda claruit ſine æmulo: nihil tamen auſus
Plinius. vltra genas, vt inquit Plinius. Phidias in Deorum habitu effingendo Deorum maieſtatem exæquauit; floridioris tamen picturæ imperitus. Demetrius ſimilitudinis, quàm pulchritudinis amantior, adeò ad virtutem exprimebat; vt ſi aliquod ex illius operibus cum exemplari conferas? meritò; quod cecinit Martialis, vſurpare
Martialis. poſſis,

Aut vtrumque putabis eſſe verum:
Aut vtrumque putabis eſſe pictum.

32\. O. Itaque horũ nullus eſt, cui quicquam in arte
Tull. 3. de orat. ſua deeſſe videatur. Idem prorſus de Oratoribus eſto iudicium: nam ſuauitatem Iſocrates, ſubtilitatem Lyſias, acumen Hyperides, ſonitum Æſchines, vim Demoſthenes habuit: quis eorum non egregius? & tamen quis cuiuſquam niſi ſui ſimilis? A. Rem miram! diſſimilem ſimilitudinem mihi narras, & diſſimilitudinem conſimilem. O. Iam verò grauitatem Africanus, lenitatem Lælius, aſperitatem Galba, inconditatem Catullus, profluens quiddam & canorum Cardo dicitur habuiſſe: quis horum aliis non diſſimilis? quis in ſuo genere non princeps? A. O fœcundam eloquentiæ vbertatem, ſemper diſparem, ſemper æqualem, ſemper aliam, ſemper eandem. O. Quid Cæſar, quid Antonius? hic vehemens, præmonitus; ſumma orationis varietate, nulla aurium ſatietate. Ille nouam quandam rationem attulit orationis, & dicendi genus induxit propè ſingulare. Quis vnquam res præter hunc tragicas penè comicè, triſtes remiſsè, ſeueras hilarè, forenſes ſcenica propè venuſtate tractauit? Atque ita vt neque iocus magnitudine rerum excluderetur, neque grauitas facetiis minueretur.

33\. A. Video iam, quàm ſe latè diffundat eloquentia: tamen, ſi quo modo fieri poteſt, orandi genera ſuis capitibus diſtingue: grandem à me inibis gratiam. O. Quoduis munus à me optaueris, optatum feres. Tot ſunt igitur dicendi genera, quot ſunt officia Oratoris. A. At Oratoris offi-
Tria orandi genera. cia, quæſo, enumera. O Tria ſunt, nempe, vt doceat, vt delectet, vt flectat. A. Totidem ergo ſunt dicendi genera. O. Planè tuis verbis mihi præis. Vnum ſubtile ac tenue, quod docet: alterum modicum ac temperatum, quod delectat: tertium vehemens ac ſublime, quod flectit. A. Qui fuerunt ſingulorum artifices? O. In primis omnium altrices Athenæ: at ſingulorum officinæ variæ: ſubtilitas è Zenonis pœcili; mediocritas è Lyceo Ariſtotelis; grauitas è Platonis Academia promanarunt. A. Quo pacto hæc dicendi genera excolentur? O. Primum, ſi ſingulis nata vitia fugiantur, quidam enim pro ſubtilibus ſe præbent ſquallentes, & ieiunos; alij pro mediocribus incertos, & elumbes, nonnulli pro grauibus tumidos & inflatos. A. Id mihi videtur Horatius in Poët. expreſſiſſe:

——— Sectantem leuia nerui Horatius
Deficiunt, animíque profeſſus grandia turget:
Serpit humi tutus nimium, timidúſque procellæ.

O. In Horatij ſermone mentem agnoſco meam; 34.
& in meo Horatianam: tantundem enim vterque valet. A. Quid deinde in ſingulis eſt curandum? Tenuis illa dicendi forma, qualis eſſe debet? O. Soluta quidem à numerorum vinculis: nec vaga tamen, vt ingredi liberè, non vt licenter videatur errare. A. Quibus verbis in hoc genere vtendum? O. Vulgaribus, ſed Latinis; elaborata concinnitas, aucupia delectationis, fucati medicamenta candoris, omnia remouenda. A. Quid? Nulláſne adhibebit tranſlationes? O. Non iſtud moneo: ſed in loco, &
quàm molliſſima: minora lumina aſſumat; quæ Cic. in Orat.
erunt vehementer illuſtria, repellat. A. Verba, quo pacto verbis coagmentanda? O. Aliquantulum negligentiùs: eſt enim hac in re, vt inquit Tullius, diligens quædam negligentia, quæ indicat de re hominem magis, quàm de verbis laborantem A. Sententiarum vſus qualis erit? O. Crebrior eſſe poteſt: adhuc tamen verecundus. A. Qualis verborum ambitus? O. Anguſti: qui valentior latera non requirant.

A. Quæ vocis conformatio? O. Suppreſſa, 35.
ſed canora. A. Quæ corporis actio? O. A ſce- *Oratoris vox qualis.*
na longiſſimè abhorrens. A. Equidem, ſi rectè mones, non admodum eſt difficile huius ſubtilis Oratoris explere munus. O. Imò difficillimum: hic enim quamuis conſuetudinem imitetur: tamen, vti Cicero Auctor eſt, ab indiſertis, re plus, quàm opinione differt. Itaque eum qui audiunt,
illo modo confidunt ſe poſſe dicere; ſi conentur, Cic. in Orat.
infantes fiunt. Nam Oratoris ſubtilitas imitabilis illa quidem videtur eſſe exiſtimanti: ſed nihil eſt experienti minus. A. Subtilis Oratoris partes ſubtiliter explicaſti; ad modicum ac tempera-
tum veniamus. O. *Hic quidem*, inquit Cicero, Idem.
neque vtitur acumine ſubtilis, neque fulmine ſublimis, vicinus amborum, in neutro excellens, vtriuſque particeps, vel potiùs vtriuſque expers. A. Quæ
ſunt propria huius ornamenta? O. *Facilitas &* Quintil. lib. 12. c. 10.
æqualitas: aliquos tamen addit, vt in corona toros, tranſlationibus frequens, figuris iucundus, egreſſionibus amœnus, compoſitione aptus, ſententiis dulcis; lenior tamen, vt amnis lucidus, & virentibus vtrimque ſyluis inumbratus.

A. Iam verò in copioſo Oratore qui nerui? 36.
quæ vires? O. Sanè pluſquàm Herculeæ: modò enim perfringit, modò irrepit in ſenſus: inſerit nouas opiniones, & vellit inſitas; iudicem vel nitentem contrà fert, cogitque ire, quà rapit. Denique, tanquam fluuius pleno inundans alueo,
ſyluas præ ſe agit, ſaxa deuoluit, pontem indi- Homerus.
gnatur. A. Rectè comparas: nam & Homerus Vlyſſis facundiam hybernis niuibus ex montium

ſuperciliis

Digitized by Google

ſuperciliis in torrentem abeuntibus comparauit. Sed ex his tribus dicendi generibus, cui primas defers? Or. Vnumquodque in ſua cauſa præſtantiſſimum. Subtile in oratione pro Cecinna præſertim elucet; vbi res ambiguæ diſtinguuntur, inuolutæ explicantur. Temperatum in lege Manilia grandeſcit; vbi Pompeij laudes modicis luminibus illuſtrantur. Subtile pro Rabirio fulminat; vbi in omni genere amplificationis exardeſcit oratio. A. Si tamen vnum ſit prę cæteris eligendũ, quod optabis? O. Non dubito, quin vehemẽs: quia in illa contentione ne dicendi magis exultat eloquentia, magis animi inflammantur. Avd. Fabio pedarius auditor es.

Tulliana dictionis laudes.

Quintil. l. 12. c. 10.

37. Or. Ita planè: ſed & Plinio hæreo iuniori, qui Oratorem, neſcio quem, nimis in dicendo parcum, & ſanum, eò ſolùm peccare dicit, quia nihil peccaret. Avd. Quid? Efferri ita debet Orator, vt furere apud ſanos, & inter ſobrios bacchari videatur? Or. Minimè verò gentium. Sed quando res ita poſtulat, erigi, attollique debet; & interdum etiam efferueſcere, ac ſæpè accedere ad præceps: maior enim laus conſequitur ruentem ex alto, quàm humiliter reptantem. Avd. Præclarè: ſed quam magis probas orationem, quæ ex vno conſtat, an quæ ex omnibus dicendi generibus temperatur? Or. Hanc poſteriorem: quia non ſolùm delectat, ſed etiam ſine ſatietate delectat. Avd. An ſplendiſſimus dicendi ornatus per totam orationem æquabiliter fuſus, vllam afferre poteſt ſatietatem etiam ineptè faſtidientibus? Or. Dixi: nam, vt inquit Tullius, *in omnibus rebus, voluptatibus maximis faſtidium finitimum eſt.* Avd Mea me ſententia dimoue exemplis, ſi quid agis: nam me, quæ ſumma voluptate impellunt, hæc iuuant, hæc beant. Or. Volentem rogas: meam in dictionem aures indito. In primis tabulæ fulgentiſſimis illuſæ coloribus à ſe oculos alienant. Illæ, in quibus vmbra eſt, & receſſus, quò magis id quod eſt illuminatum, extare, & eminere videatur, capiunt, & oblectant. Avd. Ita planè.

Cicero 3. de Orat.

38. Or. Muſica ex certis vocibus, & ſeueris, licèt in primis numeroſis, nullis tamen interuallis diſtincta, aures vulnerat, & obtundit: illa, in qua ſunt molles & delicatæ flexiones; in qua errantes & falſæ voculæ audiuntur; in qua ſonus modò continuo ſpiritu trahitur in longum, modò variatur inflexo, modò diſtinguitur conciſo, modò copulatur intorto, modò promittitur reuocato, modò infuſcatur ex inopino, & paribus vocibus interquieſcit; illa, inquam, in audiendi ſenſu, nullam non mouere poteſt illecebram voluptatis. Avd. Non ſecùs quidem eſt ac loqueris Or. Vnguentis ſumma, & acerrima ſuauitate conditis, minùs delectamur: quæ moderata ſunt, nque nimis auſterè pungunt, & irritant ſenſum, auidiùs captantur. Avd. Conuenit mihi tecum in hac re. Or Mellitiſſimas placentas, vel guſtatus, qui ſenſus eſt ex omnibus maximè voluptarius, aſpernatur, ac reſpuit: quæ modica dulcedine condiuntur, etiam in illis, qui ſunt delicatiſſimi, faſtidij edendi concitant appetentiam. Avd. Vero ſi quid verius, hoc ipſum ais. Or. Quid? in ipſo tactu mollitudinis, & leuitatis modus eſt: & ſicuti herinaceus affrictus pungit; ita butyraceus parùm recreat; ex vtroque temperatus iucundiùs titillat.

39. Avd. Ais id, quod eſt. Or. Sic igitur optimus Orator non eſt ſemper idem; ſed in diuerſis cauſis diuerſus: imò in eadem, parua ſubtiliter, modica temperatè; grandia vehementer tractare debet: ſi in vno tantùm genere perſiſtat, proculdubio auditorum animi nauſeabunt. Avd. Luculentè tuam ſententiam confirmaſti. Vnum peto: ſuntne etiam Poëticæ huius tripartitæ varietatis moderatores? Or. Sunt quidem: ſed qui maximè, ſubtilitatem in Bucolicis, mediocritatem in Georgicis, maieſtatem in Æneide, Mantuanus effinxit. Avd. Hæc quidem in diuerſis poëmatis: at in eodem neſcio an tanta varietas includatur. Or. Iam ſcies, ſi me audias. Vnam Æneida triplex dicendi character illuſtat: perlege: quod aio, noueris? imò, quod mirere, eandem ſententiam, tanquam triformis ſit triplici dicendi figura Poëta diſtinguit. Avd. Quænam illa ſit, oſtende, quæſo. Or. Vnum Troianum excidium trifaria verſat: audi ſubtiliter expreſſum:

Et campos, vbi Troia fuit. Virgil. 3. Æneid.

Ecce pauciſſimis verbis & ſubtiliſſimis maximam ciuitatẽ hauſit, & abſorpit: non reliquit illi nec ruinã. Avd. Subtiliùs dici non poterat; nec Poëtæ ſententia à te ſubtiliùs explicari. Or. Scilicet, non meis, ſed Macrobij verbis vſus ſui. Iam attende temperatam dictionem:

Macrob. 5. Satur. 1.

Poſtquàm res Aſiæ, Priamique euertere gentem 3. Æneid.
Immeritam viſum Superis, ceciditque ſuperbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia.

Ecce dicendi genus, in quo nec præceps breuitas, nec infinita copia, nec ieiuna ſiccitas, nec lautitia pinguis. Avd. Moderata quidem dictio, quamuis ſi aliquò inclinet, ad grauitatem ſpectare videatur. Or. Ita quidem eſt: ſed vide iam copioſiſſimam dictionem:

Venit ſumma dies, & ineluctabile tempus 2. Æneid.
Dardaniæ: fuimus Troes: fuit Illium, & ingens
Gloria Teucrorum: ferus omnia Iuppiter Argos
Tranſtulit: incenſa Danaï dominantur in vrbe.

Quis fons, quis torrens, quod mare, tot fluctibus, quot his verbi inundauit? Avd. Cumulatiſſimè tuũ munus perſoluiſti: neque mihi ſupereſt, quod de vniuerſo dicendi genere exquiram. Or. Ergo, cùm iam conſtet, quid ſit ars dicendi, & quid artis nomine, & quid dicendi verbo intelligatur; alia noſtri muneris propria exæquamur.

Progymnasma VI.

De materia Rhetoricæ.

Avdit. Eſtne oratoriæ cum cæteris artibus commune, certam aliquam materiam habere, 40.
circa quam verſetur? Or. Sanè: aliàs ab artium choro releganda foret. Avd. Cedò, quænam illa ſit. Or. Quæcunque quæſtio propoſita. Avd. Ergo nulli ſunt termini, quibus incluſa eloquentia teneatur. Or. Rem ipſam ais. Liberè vagatur eloquens, vt inquit Tullius, & in immenſo rerum omnium campo liberè ſpatiatur: atque vbicunque conſtiterit, conſiſtet in ſicco. Avd. Hîc me animus deficit; & cùm eloquentiæ comparandæ in tam arduo ſit ſpes, expes omninò ſio. Or. Bona de ſpe decide: nam, vt inquit Fabius, *cùm natura perfectum Oratorem eſſe non prohibeat, turpiter deſperatur, quod fieri poteſt.* Avd. Frigidã ſuffundis propè iam exanimato; ſed tibi conſtat, nemo eſſe poterit omni laude cumulatus Orator; niſi erit omnium rerum magnarum, atque artium ſcientiam conſecutus. Or. Ciceronis verbis tibi ſatisfactum volo. *Oratori*, inquit, *omnia,*

Cicero 3. de Orat.

Fabius lib. 1. c. 10.

Cicero 3. de Orat.

Digitized by Google

omnia, quæ ſunt in hominum vita, quæſita, audita, lecta, diſputata, tractata, agitata eſſe debent. A. Ergo non magis è Rhetoricorum ſcholis, quàm è Philoſophorum ſpatiis prodit eloquentia. O. ita M. Tullius in Oratore, & alibi: *Non ſolùm*, inquit
Idem. *acuenda nobis, atque producenda lingua eſt; ſed onerandum, complendúmque pectus maximarum rerum, & plurimarum ſuauitate, copia, varietate.* Et fortaſſe hæc cauſa eſt, quare Vlyſſes eloquendi ſcientiſſimus fingebatur ab Homero, non primoribus labris cadere, ſed ex alto pectoris receſſu orationem trahere, vbi ſuam ſapientia ſedem collocarat.

41. A. Iam intelligo, quamobrem M. Tullius non illiberaliter iocatur in Coracem imperitum Rhetorem, qui ſuis auditoribus nullum de Philoſophiæ præceptis inſtillabat; *Corax*, inquit, *tanquam coruus, excludebat pullos ſuos in nido, vt inde euolarent clamatores odioſi ac moleſti.* O. Appoſitè quidem M. Tullius imperitos rabulas, ineptóſque vetemtores coruis crocitantibus comparauit. A. At tuam in ſententiam, telum quoddam amentatum ita libro. Socrates totius Græciæ iudicio, omnium, qui bonarum artium altores, & creditores eſſent, facilè princeps; ſentiendi, & ornatè dicendi ſapienter facultates ſeparauit, in cuius verba ita conſequentes Philoſophi iurarunt, vt diſſidium illud facerent quaſi linguæ, atque cordis: alióſque benè ſapere, alios benè dicere affirmarent. Ergo ne tantorum hominum eleuetur, & extenuetur authoritas, fatearis, neceſſe eſt, eloquentiam & ſapientiam, in ſua quaque regione ſeorſim habitare. O. Scio quidem facta olim hæc doctrinarum diuortia, vt Philoſophi, quem-
Idem. admodum loquitur M. Tullius, in mare ſuperum & portuoſum defluerent: Oratores in mare inferum & ſcopuloſum laberentur. Illi, tanquam Myſtæ, tacitam ſapientiam tenerent; illi verò, tanquam blaterones, ſtultam garrulitatem conſeruarent: nego tamen propterea inueteratam eloquentiæ cum ſapientia germanitatem reſcindendam. A. Quid ergo? tantos viros erraſſe dixeris? O. Iſtam apud eos contumeliam ponere non auſim, ſed fortaſſe illos tenuit negotiorum ſatietas; feriari à cauſis publicis, alcedonia eſſe in foro voluerunt; vtque ſe totos in libros abderent otioſiùs, dicendi exercitationem neglexerunt.

42. A. Melius igitur Ariſtoteles, qui Iſocraticam æmulatus diſciplinam, quæ ſemper eloquentiæ floribus vernabat, rerum cognitionem, quam omnis ornatus & elegantiæ expertem atque inopioſam, eatenus inculcauerat, deinceps cum orationis lautiria coniunxit. O. Ita planè; ideò Philippus Macedo Alexandro filio Doctorem acciuit, à quo ille & intelligendi præcepta acciperet & loquendi; illúdque ſapientiſſimo Regi frequenter erat in ore, *non tam benè ſecum egiſſe Superos, cui talem filium donaſſent, quàm cum filio, cui talem præceptorem præſtitiſſent.* Itaque illos probo Oratores, quos cùm audias, dubitas, Philoſophóſne orantes, an Oratores philoſophantes audire tibi videaris. A. Quid tamen, ſi alterum ſit optandum? Vtrùm eliges infantiam ſapientis, an inſcitiam loquentis? O. Malim quidem cum Cicerone indiſertam ſapientiam, quàm ſtultitiam loquacem. A. Mea item ſic eſt ratio; & ſic animum induco meum. Sed quas præſertim artes colat, neceſſe eſt, qui oratoriam meditatur? O. Omnes prorſus. A. Etiamne ſordidas & ancillares? O. Ne iſtas quidem repudiet. Meritò enim laudatur Eleus Hippias, qui cùm Olympiam veniſſet, magima illa quinquennali celebritate ludorum gloriatus, cuncta penè audiente Græcia, nihil eſſe in vlla arte rerum omnium, quod ipſe ſciret, neque ſolùm eas artes, quibus liberales & ingenuæ doctrinæ continentur; ſed humiles quoque & abiectas: annulum, quem haberet; pallium quo amictus; ſoccos, quibus indutus eſſet, ſe ſua manu confeciſſe. A. Mirum, quantis ex anguſtiis Oratorem educere auſus es, & in maiorum ſuorum regno collocare.

Affinitas inter Rhetores & Philoſophos.

Oratores clariſſimi, & ſimul Philoſophi.

O. Quid de Gorgia Leontino? qui apud Platonem de omni re, quæcumque in diſceptationem vocaretur, ſe copioſiſſimè dicturum eſſe profitetur, & in frequentiſſimo conuentu, de qua quiſque re vellet audire, eloquentiſſimè diſſertauit? A. Magnam gratiam à tota Græcia inire debuit tam ſapiens Antiſtes eloquentiæ. O. Scilicet aurea ſtatua illi poſita eſt Delphis, cùm cæteris tantùm inaurata erigeretur. A. Quid hoc diſcrimine indicatum? O. Aliorum eloquentiam inani verborum apparatu ſolùm eſſe circumtectam huius orationem, non ſolùm verborum luminibus ſplendeſcere, ſed etiam prædiuite rerum ſupellectile mirabiliter coruſcare. A. Optimè iſtud conſultum eſt: at remouendine ſunt à dicendi munere, qui non fuerint aliarum artium diſciplinis benè initiati? O. Imò penitùs protelandi; ſunt enim iſti quaſi declamatores ad clepſydram latrantes: quorum vnum Cæcilianum multa inconditè blaterantem, & crebro hauſtu hærentes fauces refrigerantem. Martialis lepidè, quod eſt illius ingenium, hortatur, vt de clepſydra bibat, quò citiùs exhauſta, oranti ſilentium indicat. 43.

Vt tandem ſaties, vocémque, ſitimque, rogamus, Martial.
Iam de clepſydra, Cæciliane, bibas.

A. Perridiculè iſtud dictum: ſed in hominem, qui fuſiſſima vtebatur oratione; mitiùs cum illo ageret Poëta, ſi breuiores in anguſtias cogeretur. O. Minimè verò: nam imperiti Oratores in ipſo ſtatim limine offendunt. Vnde Cæcilium Tullius nulla tinctum eruditione exordiri aggredientem tacere iubet, quaſi prolixa oratione perorantem. Igitur non à verbis ſolum, ſed à rebus præſertim, orationis dignitas & venuſtas petenda eſt. Verba, Rhetorica procudit; res, Philoſophia ſubminiſtrat; vtramque colere debet, qui de quacumque quæſtione propoſita ſe copioſè dicturum profitetur: ſin minùs, aut Oratoris nomen cum ignominia relinquet, aut cum iniuria retinebit. A. Scio, quo in loco verſatur eloquentia, eò mihi ad tum per induſtriam patefaciam. *Hucuſque Auctor Operis.* 44.

BREVE RHETORICES Compendium.

CAPVT I.

De natura Rhetorica.

45. *Rhetorica definitio.* *Tull. 1. de Orat. Quintil. l.2.c.15.*

RHetorica eſt ars dicendi. *Ars* eſt, quæ dat rationes certas & præcepta faciendi aliquid; quæ habent ordinem, & quaſdam errare in faciendo non patientes vias. *Dicere* ornatè, grauiter, & copioſè loqui. Dicendi genera tria numerantur, Demonſtratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale. *Tria dicendi genera.*

Digitized by Google

diciale. *Demonſtratiuum* eſt illud, in quo aliquis laudatur, vel vituperatur. *Deliberatiuum* illud, in quo aliquid ſuadetur, vel diſſuadetur. *Iudiciale* illud, in quo aliquis defenditur, vel accuſatur. *Rhetoricæ officium* eſt, dicere appoſitè ad perſuaſionem. *Finis*, perſuadere dictione. *Materia*, quæcumque quæſtio propoſita. Eſt autem quæſtio duplex, infinita, & definita. *Infinita*, quæ à Græcis dicitur Theſis, à Latinis *Propoſitum*, eſt illa, quę latiſſimè vagatur à priuata controuerſia auulſa: qualis eſt illa: Sitne militaris ars reipubl. ſalutaris? *Definita*, quæ à Græcis dicitur *hypotheſis*, à Latinis *cauſa*; eſt illa, quæ ſingulari aliqua perſona, vel loco, vel negotio circumſcribitur: qualis illa: Sitne Demoſthenes Ciceroni præferendus?

Rhetoricæ officium. Rhetoricæ finis. Quæſtio duplex.

Capvt II.

De diuiſione Rhetoricæ.

46.

Rhetoricæ partes numerantũr, & deſcribuntur.

Tull. 2. de orat.

RHetoricæ partes traduntur quinque, Inuentio, diſpoſitio, elocutio, memoria, pronunciatio. In hunc chorum quidam *Iudicium* includunt, quidam excludunt: poſteriores prioribus antepono. *Inuentio* eſt excogitatio rerum verarum, aut veriſimilium, quæ quæſtionem probabilem reddant. *Diſpoſitio* eſt rerum inuentarum in ordinem diſtributio. *Elocutio* eſt idoneorum verborum & ſententiarum ad inuentionem accommodatio. *Memoria* eſt firma orationis perceptio. *Pronuntiatio* eſt ex rerum & verborum dignitate corporis & vocis moderatio. Eloquentia ex his quinque partibus conflata tribus rebus comparatur, natura, arte, exercitatione. Quænam ex his plus conferat adiumenti, nodus eſt, quem multi priuſquàm ſoluant, ſudant, & exudant. Ita ſentio. Hæc tria præſidia Eloquentiæ comparandæ ſibi inuicem cedunt, & excedunt. Nam in inuentione, ac diſpoſitione informanda primas obtinet natura. In elocutione excolenda arti tribuo primatum. In acuenda memoria, pronuntiationéque limanda exercitatio præſertim dominatur.

Quintil. 3. cap 3.

Eloquentia tribus rebus comparatur.

Ars, natura, exercitatio in eloquente comparantur.

Tull. 1. & 2. de Orat. Quint. l. 3. c. 5.

Capvt III.

De Inuentione.

47.

Argumentum quid. Argumentum duplex.

PRima Oratoris cura eò collimat, vt inueniat argumenta, quibus auditori perſuadeat. Eſt enim *argumentum*, probabile inuentum ad faciendam fidem. Diuiditur in inſitum, & remotum. Illud eſt, quod in re ineſt, de qua agitur; hoc, quod extrinſecus aſſumitur. Ad eruenda argumenta propoſuit Ariſtoteles quoſdam locos, quos argumentorum ſedes Rhetores appellant: ſedecim quidem ad argumenta inſita: ſex tantùm ad remota: nam argumenta inſita, alia ſunt à definitione, alia à partium enumeratione, alia à notatione: alia dicuntur coniugata, alia ex genere, alia ex forma, alia ex ſimilitudine, alia ex differentia, alia ex contrariis, alia ex adiunctis, alia ex antecedentibus, alia ex conſequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex cauſis, alia ex effectis, alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum. Argumenta verò remota ſunt præiudicia, fama, tormenta, tabulæ, iuſiurandum, teſtes. Singula verbis ſingulis perſtringo.

Ariſtot.

Sedes argumentorum.

Capvt IV.

De argumentis inſitis, & remotis.

PRimum eſt à definitione vt, ſi ita argumenteris: Animal rationis compos ſuos debet ratione moderati appetitus: homo rationis compos eſt: ergo appetitus ſuos ratione moderetur. Secundum à partium enumeratione: vt, ſi probare velis, cœlum non eſſe aliquod ex primis rerum fundamentis, quæ Philoſophi vocant elementa, ita argumentum concinnabis: Prima rerum initia ſunt quatuor, terra, aqua, aër, ignis: cœlum non eſt terra, quam terimus; non aqua, qua nauigamus; non aër, quem haurimus; non ignis, qui vicina corpora heluatur: ergo ex primis rerum initiis nullum eſt. Tertium à notatione, ſeu etymologia, ita deducitur: Conſul ille eſt, qui reipubl. conſulit: ergo, qui illam euertit, Conſul non eſt. Quartum à coniugatis, id eſt, à verbis eiuſdem generis variè commutatis, ſic: Sapiens ille eſt, qui ſapienter loquitur, & ſapienter tacet: ſed qui tacenda loquitur, & dicenda tacet; neque loquitur, neque tacet ſapienter: ergo ſapiens non eſt. Quintum ex genere. Eſt autem genus, res, quæ plures diuerſæ naturæ ſuo ambitu coërcet: vt virtus, quæ ad plures virtutes, prudentiam, iuſtitiam, & cæteras funditur, ac propagatur. Ita ergo à genere argumentum conſtruetur: Omnis virtus eſt expetenda: prudentia eſt virtus: ergo expetenda eſt. Sextum à forma. Dicitur autem forma natura illa minùs ampla, quæ generis amplexu continetur: vt auaritia, quæ ſub vitio, tanquam ſub natura capaciori numeratur. Sic igitur à forma conficio argumentum: Auaritia eſt vitium: ergo omnis auarus vitioſus. Septimum à ſimilitudine, hoc modo: Sicut auro amicitia, ita igni labor comparatur: ſed auri probitas nuſquam melius ſpectatur, quàm in igne: ergo amicitia nunquam apertiùs dignoſcitur, quàm in mole ingruentium laborum. Octauum à differentia ita ducitur: Barbarorum hominum eſt in diem viuere: ergo ſapientum conſilia ſempiternum tempus ſpectare debent. Nonum à contrariis ita: Bello nihil reipubl. pernicioſius: ergo pace nihil reipubl. ſalutarius. Item, nihil eſt, quod magis expetatur, quàm vita: ergo nihil eſt, quod magis timeatur, quàm mors. Item, fugere militem crimen eſt grauiter puniendum: ergo fugere Imperatorem flagitium eſt non niſi morte ipſa expiãdum. Tandem, omnis homo eſt laudis appetens: ergo ſi quis eſt, qui ad laudis ſtudium non accendatur, homo non eſt. Decimum ab adiunctis: Regem comitantur inſomnia, faſtidium, ſolitudo, taciturnitas: ergo aliqua cura mentem pungit, & exulcerat; aliqua ægritudo animum exedit, intimáque præcordia elidit. Vndecimum ab antecedentibus. Ortus eſt Sol: ergo dies eſt. Et hic locus eò differt à proximo, quia antecedentia neceſſariò cum conſequentibus cohærent: non tamen adiuncta, cum iis, quibus adiunguntur: vt ex poſitis exemplis liquidò pateſcit. Duodecimum à conſequentibus: Dies eſt: ergo ortus eſt Sol. Item, ingenti deformatus es cicatrice; ergo plagam accepiſti luculentam.

48.

Primum argumentum à definitione.

Secundum à partium enumeratione.

Tertium à notatione.

Quartum à coniugatis.

Quintum à genere.

Sextum à forma.

Septimum à ſimilitudine.

Octauum à differentia.

Nonum à contrariis.

49.

Decimum ab adiunctis.

Vndecimum ab antecedentib.

Duodecimum à conſequentibus.

Digitized by Google

Decimumtertium à repugnantibus. Decimumtertium à repugnantibus: Amicus amicum amat: ergo conuitiis nunquam inſectatur. *Decimumquartum à cauſis.* Decimumquartum à cauſis: Se ipſum efficere nihil poteſt: ergo vnus eſt rerum omnium effector, & molitor Deus. Item, homo non viuit, vt edat; ſed edit, vt viuat: ergo non debet ſe ad paſtum, & voluptatem abiicere, vt bellua ventri ſeruiens, & abdomini. Item, humanus animus immortalis eſt: ergo homo immortalitatem ſpectare debet. Tandem, corpus hominis pronum eſt ad vitia: ergo ab eius ſocietate & contagione animus ad virtutes erectus ſeuocandus eſt. *Decimumquintum ab effectis.* Decimumquintum ab effectis, ita ſtruitur: Virtus facit laudem, voluptas infamiam: ergo ſequenda virtus eſt, voluptas fugienda. *Decimumſextum à comparatione maiorum, minorum, & parium.* Decimumſextum à comparatione maiorum, ita fiet: Boni milites pro laude mortis ſubeunt acerbitatem: ergo exilij moleſtias faciliùs deuorabunt. A comparatione minorum ſic: Humana felicitas magni ab omnibus æſtimatur: ergo pluris æſtimari debet ab omnibus æterna. A comparatione parium ſic: In iuuenum viribus, ſeniorúmque conſiliis æquè reipubl. ſalus continetur: ergo vtrique ſunt paribus beneficiis cumulandi.

Argumenta remota. Præiudicium. Hæc de argumentis inſitis, iam de argumentis remotis: quorum primum eſt *præiudicium*, à quo ita duci poteſt argumentum: Patricidæ, quoties ab incorruptis Iudicibus præiudicati ſunt, toties capite damnati: ergo qui modò iudicantur, abire non debent impuniti. *Fama.* A fama ſic: Decantatiſſimum eſt apud omnes, hunc reum eſſe immunem à culpa: ergo immunis eſſe debet à pœna. *Tabulæ.* A tabulis ſic: Publicis tabulis conſtat à reo plus acceptum, quàm datum: ergo cogi debet ad reponendum in integrum. *Tormenta.* A tormentis ſic: Ab hoc homine in quæſtionem vocato nihil potuit extorqueri: ergo totius cauſæ inſcius credendus eſt. *Iusiurandum.* A iureiurando ſic: Hic intatam fidem interpoſuit, nullam in ſe culpam hærere: ergo religioſus cùm ſit, culpam contraxit nullam. *Teſtes.* A teſtibus ſic: Multi teſtes, atque ij locupletes huic reo patrocinantur: ergo eius partes ſuperiores proculdubio videntur.

Capvt V.

De his, quæ inuenienda ſunt ad genus dicendi demonſtratiuum.

50. *Laus, & vituperatio in genere demõſtratiuo.* Cvm in genere dicendi demonſtratiuo laus & vituperatio includatur, de laude tantùm dicam: vnde, quid de vituperatione dici debeat, facilè colligetur. Finge igitur aliquem tibi proponi dilaudandum: tria præſertim tempora, veſtigabis, è quibus laudationis materiam expromes: antequam vixerit, quando vixerit, poſtquam vixerit. In primo diligenter explorabis parentes & maiores illius, quem ſuſcipis laudandum: qui, ſi clari fuerint, expendes, quanta ab iis in alumnum gloria deriuetur: ſi obſcuri, ponderabis, quanta iis ab alumno dignitas conferatur. Pari modo conſiderabis patriæ dignitatem, vel humilitatem: quæ, ſi fuerit nobilis, ſuam in alumnum transferet claritatem: ſi abiecta, ſuum ab alumno mutuabitur ſplendorem. Iam verò ſi vlla ſigna, ſi vlla prodigia, ſi vaticinia illa natalem eius diem præceſſerunt; mirum, quantam eius laudationi afferet maieſtatem. Item, ſi ſpes hominum, temporum calamitas, plurimorum vota, & ſtudia partum illum à Deo flagitabant, in immẽſum laudationi cumulus accreſcet. Iam ad tempus, in quo vixit, gradum facies. Vbi conſiderabis, quæ illum bona circumfluxerint. Omnia ad tria capita reuocantur. Bona externa, bona corporis, bona animi. *Bonorum triplex genus. Tull. l. 2. de orat. Quintil. l. 3. c. 7.* Bona externa, vt opes, honores, amici, omniúmque fauor & beneuolentia. Opes ſi affuerunt, laudabitur eius lautitia: ſi defuerunt, eius frugalitas commendabitur. Honores, ſi vllos in republ. comparauit, grande miniſtrabunt laudationi argumentum: ſi nullos habuit, confirmabis nihil id eius dignitati derogaſſe, cùm præſtet honores meruiſſe, quàm habuiſſe: meruiſſe illum ob ſingularem animi virtutem, non habuiſſe ob iniquam temporis cõditionem. Ab amicis multiplex laudandi ratio promanat: ex bonis, laudabitur eius bonitas: ex ſapientibus, eius ſapientia: ex fortibus, eius fortitudo: ex nobilibus, eius nobilitas, cùm plerumque nonniſi pares paribus amicitiæ nodo cõpulentur. Quòd ſi amici fuerint improbi, ignaui, inſtrenui, ignobiles; adhuc nihilominùs eius gloria efflorẽſcet, ſi oſtenderis, tantam illius virtutem extitiſſe, vt etiam in ea hominum fæce, & colluuione mirabiles ſui amores excitarit. Sin autem amicos habuit paucos, oſores plurimos: idcircò dices hoc ipſum contigiſſe, quia improbi homines, & conſcelerati, quum illius virtutem imitari non poterant, execrari, quàm laudare maluerunt. *Bona corporis.* Bona corporis ſunt, forma, robur, facilitas ad quælibet externa munia obeunda. Forma, etſi minimum, vllum tamen continet laudationis argumentum. Statura cum dignitate procera, frons cum grauitate iucunda, inceſſus non Iunonij more alitis ſuperbus, ſed ſine ſuperbia imperioſus. Roboris non exigua laus eſt, ad reprimendos hoſtiles impetus, ad faciendas validas impreſſiones, ad perfringendos aggeres, ad labefactandas turres, ad omne bellicum munus impigrè capeſſendum. Iam verò illa facilitas ad canendum in voce, ad architectandum in manibus, ad ſaltandum in pedibus, ad natandum, ad luctandum, ad digladiandum in toto corpore, copioſam laudationis ſupellectilem ſubminiſtrat. *Bona animi.* Bona animi ſunt, ſcientia, & virtus. Vtraque eſt multiplex, vtraque materia laudandi ſingularis. A ſcientia, tuam ſic ordiri poteris dictionem, fuiſſe illum, quem laudas, ad dicendum copioſum, ad diſſerendum ſubtilem, ad philoſophandum acutum, ad omnem artem, ad omnem diſciplinam natura ipſa comparatum.

51. *Laus palmaria à virtute.* A virtute præcipua laudatio deſumetur: ſola enim virtus abſque aliorum bonorum comitatu laudabilis eſt: totus ſimul aliorum bonorum chorus, in quo teſtim non ducet vna virtus, contemnendus. Diligenter ergo expendendum eſt, quid in Prudentia opportunè; quid in Iuſtitia integrè; quid in Fortitudine ſtrenuè; quid in Temperantia moderatè vnquam egerit: qua beneficẽtia in homines, qua pietate in patriam, qua religione in Deum excelluerit: quid boni fecerit, quid mali fugerit; quod probitatis ad poſteros tranſmiſerit documentum. Hæc de tempore, quo vixit; tandem ad illud, poſtquam vixit, veniendum. In quo deplorata mors, laudata vita, decorata præmiis virtus non inania præbent laudationis fundamenta. *Luctus communis.* A communi luctu orationem ita duces, fuiſſe magnum virum, quem abeſſe, omnes ægrè patiantur; præſtantem, quem omnes velint immortalem; beneficum, cuius malum

malum excrucier vniuerſos: communes lacrymas fuiſſe publicos teſtes probitatis: & cùm nihil cum dolore admittatur, niſi quod cum amore poſſidetur; charum omnibus fuiſſe illum, cuius interitus fuerit omnibus luctuoſus. A vita laudata ita encomia deriuentur, eum eſſe, quem ſummi, infimi; probi, improbi; amici, inimici laudent, efferant, deprædicent, plenis, vt aiunt, tibiis decantent: ab vno, vel altero laudari, infirmum eſſe virtutis teſtimonium: ab omnibus ſimul prędicari, firmiſſimum eſſe probitatis monumentum. Laudes, quæ in hos tribuntur, adulatrices eſſe; quæ poſt obitum euulgantur, ſynceras rectè factorum ornatrices. A virtute præmiis decorata ita excurret oratio, illum eſſe, cui Reſp. honores decreuerit, ſimulacra excitarit, epitaphia inſcripſerit: vt ſiquidem eius virtus immortalis eſſe non poterat, eius tamen recordatio præmiis fieret ſempiterna. Illæ etiam laudes pro tempore mortem conſequente afferri poſſunt, quas benemorati liberi parentibus, vrbes conditoribus, leges latoribus, artes inuentoribus, inſtituta auctoribus tribuere conſuerunt. Ex his aliiſque ſimilibus fontibus ampliſſimum laudationis flumen emanabit.

Vita laudata.

Virtus præmiis ornata.

CAPVT VI.

Quid oporteat inuenire ad genus dicendi deliberatiuum.

52. *Deliberatiuum dicendi genus.* Quintil. l. 3. c. 7.

Deliberatiuum dicendi genus continet ſuaſionem, & diſſuaſionem. De ſuaſione dicam: nam diſſuaſio quid requirat, ex contrario deprehendes. Vt igitur res fiat illuſtrior exemplis, finge deliberari apud Luſitanos, ſitne ſuſcipienda nauigatio, qua regiones vltra Oceanum poſitæ explorentur? Hoc vt perſuadeas expedire, tria oſtendas neceſſe eſt: rem fieri poſſe, eſſe honeſtam, eſſe vtilem. Rem fieri poſſe, in primis quia plagas illas eſſe, non eſt dubium, cùm ex Mathematica ratione conſtet ab ore Mauritaniæ continentes, ac perpetuas regiones vltra Æquatorem extendi, quæ ſi minùs pedibus propter immodicos arbores ac vaſtas ſolitudines, tamen nauibus adiri poſſint, & occupari. Deinde, quia etſi maris immenſitas, ventorum crebritas, vndarum atrocitas à nauigãdo deterreat; omnis tamen aduerſa fortuna ferendo fortiter, ſi perſeuerantia non deſit, ſuperatur. Rei honeſtas facilè patebit, ſi oſtendas, quantam olim gloriã Cretenſes, Myſij, Troiani, Carthaginenſes, Corinthij, Erythræi, cæterique præſtantes viri nauigando compararunt: quorum multi eo nomine non ſolùm maris domitores dicti ſunt; verùm etiam diuinos honores meruerunt. Vnde facilè conìicies, Luſitanos maiorem gloriam apud poſteros habituros, ſi non tantùm maritimas oras trepidi, & cunctabundi legant, vt illi, ſed etiam in altum alacres, & conſtantes inuehantur, vt nemo anteactis ſæculis auſus eſt. Iam verò rei vtilitas nullo negotio oſtẽdetur; ſi confirmes, in illis locis maximam eſſe pretioſarum rerum egeſtatem. Fieri igitur poſſe, vt noſtris mercibus eò tranſmiſſis, peregrinæ ad nos diuitiæ deferantur; atque ita paruo ſumptu magnum lucrum comparetur.

Luſitanorum nauales peritia.

53. Verùm, vt propoſitũ ſuadendi finem faciliùs conſequaris, antequam ad dicendum venias, diligenter ſcruteris neceſſe eſt mores, & ingenia illorum, apud quos dicturus ſis. Nam, ſi timidi fuerint, & inertes, de facilitate rei pleniùs diſſeres, & copioſiùs, ne ſuccumbant, ne deſperent, ne adhuc in littore frangantur; facilè ſuperari, quidquid laboris fortiter inchoatur; plerunque ſecundos exitus optimis initiis reſpondere; nunquam proſperam fortunam audacibus cœptis defuturam. Si animoſi fuerint, & laudis auidi; dices de rei honeſtate luculentiùs; nihil homine dignius, quàm honorem; hunc, ſi vita ematur, vili emi: adeunda pericula, exorbendos labores, omnes cœli, mariſque iniurias deuorandas, vt tantula gloria colligatur; nedum vt immenſus ille laudis cumulus reportetur, quem tam illuſtris nauigatio promittit: ex qua certiſſimè ſperatur fore, vt patria dignitas clarior eluceat, nomen glorioſiùs effloreſcat, imperium auguſtiùs propagetur, omnium virtutum celebritas magnificentior ad poſteros transfundatur. Si tamen auari fuerint, & minimi etiam lucri ſtudioſi aucupes; rei vtilitatem exaggeres, oportebit: oſtẽdas ergo, nihil omnium votis accidere poſſe fructuoſius, quàm tot gemmas, tot aromata, tot ſtragula, tot anaglypha, tot murrhina, tot præſidia morborum, tot irritamenta gulæ, tot lenocinia cultus, tot ornamenta ædium, tot auri, argentique talenta, tanquam diuitiarum flumina in Luſitaniam quotannis deriuari. Si verò dicendum ſit in concione, quæ ex hac triplici auditorum varietate coaleſcat, ita oratio temperanda, vt in aliis poſſit periculorum timorem conſopire, in aliis gloriæ ſtudium exaugere, in aliis opum auiditatem ineſcare. Atque ita omnes, ſeu his, ſeu illis inducti argumentis ad rem alacriter ſuſcipiendam erigentur.

Genium auditorū ſeruandum.

CAPVT VII.

Quid in genere dicendi iudiciali requiratur.

Hoc dicendi genus iam diu aboleuit, cùm lites noſtra tempeſtate multò aliter, quàm priſcis ſæculis, intendantur. Sed ne vlla pars veteris eloquentiæ relinquatur inexplorata; dico paucula quædam, quibus hoc dicendi genus locupletetur: & ne multus ſim, miſſa accuſatione, de illuſtranda defenſione ſermo habeatur. Ades igitur alicui reo in iudicio patronus. Vt illum mortis laqueis expedias, de tribus tibi agendum eſt, de cauſa de reo, de iudice. A cauſa, ſi leuis fuerit, facilis tibi defenſio naſcetur. Dices, iniquius eſſe leuia peccata grauibus pœnis coërceri, quàm atroces culpas leuibus ſuppliciis caſtigari: hoc enim vllam ſpeciem induit pietatis; illud nonniſi à crudelitate proficiſcitur: ſimulatam verò lenitudinem minus eſſe reip. periculoſam, quàm apertam diritatem: quidquid tamen ſit ea de re, certè indigniſſimum eſſe tantulam ob iniuriam, atrociſſimam pœnam irrogari; agi in crucem, cui verbum exciderit; publicari omnibus bonis, qui minimum intulerit damnum; mitti in exilium ſempiternum, qui leuiſſimam legem violarit. Si verò cauſa fuerit capitalis, acriùs tibi inſiſtendum eſt, vt eam vel refellas, vel excuſes. Refelles, ſi oſtendas, crimen illud à reo alienum; diuerſis locis & crimen editum, & reum commoratum; accuſatores maleuolos; teſtes corruptos 54.

Genus iudiciale.

Tria ſumenda ad dicendum.

A cauſa argumenta deducuntur.

Argumenta à cauſa capitali.

Digitized by Google

pros in vnius interitum innocentis conſpiraſſe. Excuſabis, ſi probes inſcium feciſſe, vel inuitum; inſcium, quia feram credidit, hominem interfecit: inuitum, quia ne percuteretur, percuſſit; ne truncaretur, truncauit; ne occideretur, occidit.

Argumenta à reo. Iam à reo ita duces argumenta; illum eſſe de rep. benemeritum, propulſaſſe hoſtes, auertiſſe calumnias, nutriuiſſe ſtudia militaria, excoluiſſe bonas artes, publicam & priuatam rem locupletaſſe. Si occidatur, occidi patriam; ſi proſcribatur, proſcribi ciues; ſi exterminetur, legum obſeruantiam exterminari: illius capite verti totius reip. ſalutem; illius moribus ciuium probitatem contineri; illius conſilio totiùs Imperij dignitatem conſeruari. Nouum non eſſe, nec inauditum, eximios in rep. homines ſæpiſſimè mortis ſupplicio exemptos, ſi quando in capitalia crimina corruiſſent. Tantum virtuti præmium deberi.

Argumenta à Iudice. Tandem à Iudice tuam ita defenſionem proſequeris. Integrum illum eſſe oportere; ſed mitem, ſed exorabilem; in ſummo iure, vt aiunt, ſummam ſæpè iniuriam reperiri: non omnes ſemper eiuſdem ſceleris conſortes in eandem pœnam exigendos; habendam perſonarum rationem, & meritorum: quem ſemel vnum accuſat maleficium, multis ante benefactis excuſari. Meliùs conſulere reip. eum Iudicem, qui præſtantem virum à morte ſeruat, quàm qui multos ſcelerum artifices ad ſupplicium trahit capitale. Ad has, ſimileſve ſpeculas ſe conferat, qui ampliſſimum volet ad dicendum campum inuenire: ſemper erit ad laudandum vber, ad ſuadendum locuples, ad defendendum copioſus. Ac de inuentione hæc delibaſſe ſatis ſumo.

CAPVT VIII.

De diſpoſitione.

55. *Diſpoſitio ſecunda Oratoris cura. Quint. lib. 7. in præfat.* SEcunda Oratoris cura in iis, quæ inuenit, diſponendis tota verſatur: quo in munere ingenij magna virtus elucet. nam, vt in exercitu non ſolùm ſingulorum robur, ac fortitudo, ſed etiam omnium ordo, ac diſpoſitio ſpectatur: vt in humano corpore non modò quæritur ſingulorum dignitas membrorum, ſed omnium inter ſe apta proportio: vt in Muſica non ſolùm commendatur ſingularum vocum ſuauitas, ſed numeroſus inter ſe omnium concentus: vt in Orbe non modò admiramur ſingularum partium pulchritudinem, ſed aptiſſimum in vnam molem omnium concurſum. Ita in oratione non modò ſingulæ res inuentæ vllam dignitatem habere debent; ſed etiam omnium copula, & nexus ſingularem neceſſe eſt præferat maieſtatem. Sæpè enim fit, vt res humiles, ac tenues, perpetuo tamen filo, ac ſolerti colligatæ; mirabiliter ſplendeſcant: contrà verò res grandes, & ſublimes, nullo catenatæ vinculo, ſed in ſyluam abditæ verborum, ſine luce, ſine ſplendore errare, ac tumultuari videantur. Ergo præ oculis ſemper habeas, quò tendis: hanc tundas incudem, hunc reperias ſcopum: eò tua omnia ſtudia ferantur, ſi quando videbitur excurrendum, cautè fiat: ne vllos ad ceſpites incurras; vbi rumpatur filum; & ſoluta fluat oratio, ac tanquam effrænis equus ruptis loris huc illuc diſſipata euagetur. Sed quamuis de hoc ordine à nemine aptiores leges, quàm ab ipſo cuiuſlibet ingenio præſcribantur; non idcircò tamen artis documenta omitti debent: illa autem ſunt; vt tota oratio quatuor in partes diuidatur, Exordium, narrationem, confirmationem, perorationem; & quid cuique conueniat, in ſingulas conferatur. *Oratio in quatuor partes diuiſa.* Ex his partibus duæ valent ad rem docendam, Narratio, & confirmatio: ad impellendos animos duæ, Exordium, & peroratio. Vnde, ſi res perſpicua ſit, non ſemper priores duæ partes adhibendæ; ſi auditorum animi ſua ſponte excitati, non ſemper poſteriores.

CAPVT IX

De exordio.

56. *Exordij deſcriptio. Ariſtoteles. 3. Rhet. c. 14 Quint. lib. 4. c. 3.* EXordium eſt oratio animũ auditoris idoneè comparans ad reliquam dictionem. Quod tunc fiet, cùm Orator beneuolum, attentum, ac docilem reddiderit auditorem. Sed cùm genera cauſarum quinque à Rhetoribus numerentur, *Genera cauſarum quinque.* honeſtum, admirabile, dubium, humile, obſcurum: in honeſto, & admirabili exordio ſuperſedendum; quia ipſius cauſæ dignitas ſatis ad audientiam excitat concionem: in dubio requirenda præſertim Iudicis beneuolentia, quam nutantis cauſæ ambiguitas non ſatis pollicetur: in humili exoranda potiſſimùm attentio, ad quam tenuitas materiæ non inuitat: in obſcuro illud in primis flagitandum, vt de integra cauſa edoceri ſe auditor patiatur.

Exordij vitia communia. Tullius de Inuent. l. 1. Auct. ad Heren. lib. 1. Multis ſæpè vitiis laborant exordia: tria præ cæteris fugienda: ne ſit longum, ne commune, ne tranſlatum. Longum eſt, quod multis verbis, ſententiiſque ſuffarcinatum, non quidem comparat ad reliquam dictionem; ſed potiùs auertit auditorem. Commune illud eſt, quod, cùm in omnes cauſas aptari poſſit, cũ nulla tamen idoneè cohæret. Tranſlatum illud, quod aliter, quàm res poſtulat, afficit auditorem: vt ſi docilem efficiat, quem attentum requirebat; aut attentum, quem beneuolum. *Exordij virtus.* Virtus exordij, illa ante omnes: vt ſit ſine inſolentia inſolens, ſine cura accuratum: hoc eſt, vt ſententiarum habeat lautitiem, non luxuriem: verborum apparatum, non ampullas. *Horat.* Nihil enim magis vituperat Horatius in Poëta quodam circunforaneo, (ſiue Antimachus ille fuerit, ſeu quis alius) quàm inflatiſſimum exordij tumorem, in nihilum profectò abiturum: *Exordium arrogans vituperatur.* nihil magis commendat in Homero, quàm moderatum ſplendorem in principiis dicendi, inſtar appetentis auroræ pulcherrimum in iubar euaſurum.

Non ſic incipies, vt ſcriptor Cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.
Quantò rectius hic, qui nil molitur ineptè?
Dic mihi Muſa virũ, capta poſt tẽpora Troiæ,
Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.
Non fumũ ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem
Cogitat, vt ſpecioſa dehinc miracula promat.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT X.

De narratione.

57. *Narratio, quid? Triplex virtus in narratione.* Quint. lib. 4. c. 2.

NArratio eſt rerum explicatio, & quædam quaſi ſedes, ac fundamentum conſtituendæ fidei. Tres in ea virtutes requiruntur, breuitas, perſpicuitas, probabilitas. In breuitate non eſt deſerenda elegantia; quæ aliquando eò ſolet eſſe maior, quò paucioribus verbis continetur: parcendum igitur phaleris, & lenociniis verborum, neceſſaria tantùm ſupellectile vtendum. Perſpicuitas cùm in reliqua oratione, tum præſertim in narratione cerni debet; quæ non ſolùm ab eximia gloria ingenij proficiſcitur, ſed etiam ab induſtria artis ſingulari. Nam qui ſinuosè dicunt, & perplexè; ij mihi ad obſtreperos alites proximè accedere videntur; quibus tota de ſonitu cura eſt, de ſignificatu nulla: item Rhetoricæ legibus abutuntur, quæ, teſte Fabio, præcipiunt, vt oratio inſtar Solis in auditorum ſenſus incurrat, etiam ſi in eam non intendantur. Vt igitur perſpicua ſit narratio, opus eſt, vt fluat abſque ambiguo ſermone non nimis longa continuatione verborum, non admodum producto membrorum ambitu, non diſcerptis ſententiis, non præpoſteris temporibus, non confuſis perſonis, non perturbato ordine; denique tota Latina ſit, nuſquam externa; verborum enim peregrinitas ſi in narrationem infundatur, orationem non illuminat, ſed obſcurat. Iam verò probabilitas narrationis ideo neceſſaria eſt, ne omnis Oratoris labor in ſuadendo fruſtrà collocetur. nam ſi narret, quæ fidem ſuperant; ea ficta, non facta videbuntur. Quare ſi quid creditu difficile occurrat, quod neque dicentis probitate, neque auctoritate teſtantium, neque vlla ratione ſatis confirmetur, potiùs omittatur: præſtat enim in oratione probabilitas, quàm admirabilitas.

Fabius.

CAPVT XI.

De confirmatione.

58. *Confirmatio, quid?* Tull. 2. de orat.

COnfirmatio eſt oratio, qua firmantur propria, confutantur aduerſa. In hac parte tota ſpes vincendi ſita eſt. Ea igitur in duplicem quæſtionem, ſeu firmandam, ſeu confutandam incumbit; alteram vocant ſtatum, alteram iudicationem. Status, eſt quæſtio quæ ex primo cauſarum conflictu naſcitur. Exemplum eſto. Opponit accuſator, Catilina coniurauit in patriam; depellit defenſor, Non coniurauit. Ex hac prima conflictione, naſcitur illa quæſtio, Coniurauerit ne Catilina in patriam? In hac igitur quæſtione, quam ſtatum vocant, primum oratoris, ſeu confirmantis, ſeu refutantis ſtudium verſatur. Iudicatio eſt quæſtio, quæ ex rationis, & firmamenti contentione exurgit: eſt enim ratio, qua reus à ſe crimen depellit; firmamentum, quod accuſator ad labefactandam rationem aſſumit. Exemplo res fiet illuſtrior. Accuſator Oreſtes, quòd matrem ſuam Clytemneſtram occidiſſet. Fatetur ille, ſed rationem adducit ad depellendum à ſe crimen, nimirum quòd illa patrem ſuum Agamemnona occiderat. ad hanc rationem euertendam firmamento vtitur accuſator, Nemini priuato ſicere quempiam occidere. Ex hoc rationis & firmamenti congreſſu illa quæſtio conſurgit, quā iudicationem vocant. Liceátne filio matrem occidere, quæ patrem illi occidiſſet? Ad hanc igitur quæſtionem ventilandam ſecundus oratoris labor conferetur. Sed in toto hoc negotio peragendo, verſari debent ob oculos illi loci, ex quibus argumenta ad firmandum, & confutandum eruuntur: ſolent autem argumenta argumentationibus expoliri; argumentationes verò quatuor numerantur. Ratiocinatio eſt trimembris oratio ex propoſitione, aſſumptione, & complexione coaleſcens, hoc modo. Omnis virtus eſt expetenda: prudentia eſt virtus; ergo expetenda eſt. Enthymema eſt imperfecta ratiocinatio, ſeu oratio bimembris, ex priori, & poſteriori pronuntiato conſtituta, hoc modo. Omnis ars reip. vtilis excolenda eſt; ergo eloquentia eſt excolenda. Inductio eſt oratio, quæ ex pluribus collationibus peruenit, quò vult. hoc modo: Hector ex laboribus illuſtris euaſit, Æneas ex laboribus glorioſus, Vlyſſes ex laboribus toto orbe decantatus; ergo labores certiſſimum ad gloriam aditum moliuntur. Exemplum eſt inductio imperfecta. fit hoc modo, Horatius fratricidij accuſatus, omnium fuit ſuffragiis abſolutus; ergo Milo accuſatus homicidij, capitali ſententia vendicandus eſt. Tres ſuperſunt argumentationes, Epicherema, Sorites, ac Dilemma; quæ omnes cum ad ratiocinationem reuocentur, non eſt, cur nobis moras obiiciant longiores. Illud vnum monitos omnes velim, hiſce argumentis nō ita Rhetores, atque Dialecticis vſuros. Dialectici ſua intra dumeta anguſtè concludantur; minutis concluſionibus circumueniant, aculeatis ratiocinationibus pungant, feriant, lancinent, cruentent. At verò Rhetores non ſemitis feruntur, ſed campis: non anguſtis fiſtulis eloquentiam exſtillant, ſed apertis alueis refundunt. Nudam non afferunt rationem, veſtiunt, comunt, expoliunt. Sæpe enim veritas diſplicet ſuis expoliata ornamentis; ſæpè ſuis phaleris expolita comprobatur. Non dico de verborum aucupiis totam curam, de rationum momentis nullam habendam eſſe: ſed hæc ita eſſe vegiſtanda, vt illa minimè deſerantur.

Status, quid? Quint. lib. 3. c. 6.

Iudicatio, quid? Tull. in part. ad Her. lib. 1. de Inu. l. 1. & Quint. lib. 3. c. 11.

Argumentationes quatuor. Tull. de Inu. lib. 1. Quint. lib. 5. c. 14. Auct. ad Heren. lib. 2.

Tres aliæ argumentationes.

Diſcrimen inter Dialecticos, & Rhetores.

CAPVT XII.

De peroratione.

PEroratio vltima pars eſt orationis iam exeuntis: in qua oratori quidquid habet artis, ac induſtriæ, effundendum. In ea omnes eloquentiæ fontes aperire debent oratores; omnes verborum delicias aſpergere; omnia ſententiarum lumina inducere; ac denique auditorum animis omnia afferre incitamenta. Hoc autem vt faciliùs conſequantur, quos motus adhibere velint auditoribus, eoſdem priùs in ſe ipſis impreſſos ſentiant, & inuſtos: ſi ad lætitiam impellant, ipſi lætitia geſtiant, ac triumphent: ſi ad triſtitiam, triſtitia ſuccumbant: ſi ad iram, ira quoque inflammentur: ſi ad metum, metu denique collidantur: vt enim ſignum characterem non imprimit, niſi quo notatur; ita oratores motus afferre nullos poſſunt, niſi quibus ipſi concitantur. Imò cùm ita ſit natura comparatum, vt ſua magis eloquentia oratorem moueat, & impellat, quàm audito

59. *Peroratio, quid?* Tull. in part. 52.

Tullius 2. de orat. Quint. lib. 6. c. 1. Horatius in arte poët. 2. de orat.

ditorem, niſi orator dicendo excitetur, pigrabitur auditor auſcultando. Tulliana illa peroratio pro Milone animum ſatis incitatum demonſtrauit. *Finis*, inquit, *ſit; neque enim præ lacrymis iam loqui poſſum; & hic ſe lacrymis defendi vetat.* Peroratio-ni addunt aliqui enumerationem: eſt autem enumeratio totius orationis breuiſſima ſub vnũ aſpectum collocatio. Hoc in laudatione fieri debet rarò, in deliberatione aliquando, in iudicio frequenter; præſertim quando vel memoriæ iudicum diffiditur, vel propter ipſius orationis longitudinem deſperatur, ne præcipua capita accuſationis, defenſioniſve indiſtincta apud iudices conſeruentur: vel quando creditur orationis firmamenta ſæpiùs frequentata maiorem animis motum allatura. Sed ea, quæ repetuntur, breuiter ſunt decurrenda, ne tam exire videatur oratio, quàm redire; & nouis ſemper interpolanda ſententiis; ne quod cum voluptate auditum eſt, iterum cum ſatietate audiatur.

Tullius pro Mil. & pro Rab. poſthumo.

Enumeratio quid.

Caput XIII.

De eloquutione.

60. *Eloquutio quid.* Tull. orat. Quint. lib. 8. in procem.

ELoquutio vna eſt è præcipuis partibus eloquentiæ, à qua potius quàm ab alia eloquens nominatur, eo quidem iure, quia alia munera, nimirum inuenire, diſponere, memoria ſepire, imò & pronuntiare, ad alios quoque pertinent artifices: eloqui tamen, ita vnum ſpectat ad eloquentem, vt ab eo ſolùm culta, expolitáque oratio diriuetur. Vt igitur oratio multis eloquentiæ coloribus expingatur, ſeligenda verba ſunt, ſententiæ verò acuendæ: ex vtriſque enim dignitas orationis effloreſcit. Verborum tria genera, inuſitata, nouata, tranſlata. Inuſitata dicuntur priſca illa ab vſu quotidiani ſermonis iam diu intermiſſa, qualia multa ſunt apud Apul. *Fortuna exoculata*, pro cæca; *iuuenis inueſtis*, pro imberbi; *pecus fartile*, pro ſaturo; ſic *aleſcere* in Varrone pro creſcere; *alumnari* in Apuleio, pro nutrire; *tuburcinari* in Plauto, pro comedere; *nepotari* in Tertulliano pro decoquere, aliáq; ſexcenta; ſed his verbis parcè oratio condienda, ne nimis videatur antiqua; quo nomine Salluſtiana damnatur à Pollione apud Agellium. Nouata illa ſunt, quæ quiſq; denuo fabricatur ad ſuam mentem apertiùs exprimendam; qualia ſunt apud Plinium, *Marcipor & Lucipor*, id eſt, Marci, & Lucij pueri apud Ciceronem, *Syllaturio, & proſcripturio*; id eſt, Syllam imitari, & proſcribere deſidero: apud Plautum, *Atticiſſo, & Siciliſſo*, id eſt, Atticorum, & Siculorum more loquor; ab his quoq; verbis temperandum, ne iuueniliter ingredi, & licenter fluere oratio videatur: quo vitio illi meritò notantur, qui apud Varronem puerorum potiones, & cibos, *buas, & pappas* appellarunt. Illa verò eiuſdem Plauti in Perſa, non ſolùm noua ſunt, ſed inaudita, *Vaniloquidorus*, *Nugipolyloquides*, *nummorum expalponides: quod ſemel arripides, nunquam poſtea eripides*, id eſt, vana loquens, nugas multas loquens, argentum è tenebris eruens, nummos palpando extorquens, cui quod arripitur, nunquam eripitur. Alia multa apud Turneb. lib. 28. cap. 5. Non negauerim tamen debere aliquando oratorem eſſe logodædalum, id eſt, ingenioſum verborum architectum. quæ Horatij mens, & ratio, in arte.

Tull. de orat. Quint. l. 8. c. 5. — Apuleius. Varro. Plaut. Tertull. Salluſt. Agell. — Plin. — Tull. — Plaut. — Varro. — Plaut. — Turn.

Horat. ——*Ego, cur acquirere pauca*
Si poſſum, inuideor? cùm lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditauerit; & noua rerum
Nomina protulerit? licuit ſempérque licebit
Signatum præſente nota producere nomen.

Tranſlata verba dicuntur illa; quæ ab vna re ad aliam ſignificandam cum dignitate transferuntur. Horum multiplex vſus eſt in oratoria: his enim oratio potiſſimum excolitur, & picturatur. Hæc ſunt, quæ tropi dicuntur; de quibus vlterius dicendum. *Verba tranſlata, quæ.*

Caput XIV.

De Tropis verborum.

TRopus eſt verbi, vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio. Vndecim numerantur; in vno verbo ſeptem, *Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Antonomaſia, Onomatopœia, Catachreſis, Metalepſis*; quatuor verò in oratione, *Allegoria, Periphraſis, Hyperbaton, Hyperbole*. Singulos ſingulis verbis pono, non expono. *Metaphora*, eſt verbi à propria ſignificatione in aliam propter ſimilitudinem mutatio. Eius tota vis quadruplex eſt. Primò cùm res animata, pro alia animata vſurpatur: ſic Leo ſumitur pro viro forti; lupus pro furace; canis pro maledico; aquila pro ingenioſo; vulpes pro fraudulento. Secundò cùm res inanimata pro alia inanimata accipitur. Sic ponitur auri fames pro cupiditate, honorum ſitis pro ambitione, peſtis reip. pro voluptate, caligo mentis pro ignorantia, generis ſplendor pro nobilitate Tertiò cùm res inanimata vice fungitur animatæ, vt cùm ponitur fulmen belli pro viro forti, flumen eloquentiæ pro eloquenti, vorago reip. pro auaro, patriæ propugnaculum pro defenſore. Quartò cùm res animata vicem ſubit inanimatæ; vt cùm ponitur caput amnis pro principio, vertex mõtis pro cacumine, cœli oculus pro ſole; maris brachia pro ſinuoſis ſtationibus. Singulorum generum metaphoras apud vnum Virgilium inuenies. Primi generis eſt illa in 4.

61. *Tropus, quid.* Quinct. l. 8. c. 5 — *Tropi numerantur.* — *Metaphora deſcriptio, & diuiſio.* Quinct. l. 8. c. 6.

Sacra Ioui Stygio, ritè incepta paraui Virgil.
Perficere eſt animus. Iupiter, pro Plutone.
Iam cernes Libycum vallo aſſultare leonem, id eſt, Annabilem, Sylius lib. 7. Silius

Secundi generis eſt illa in 3. Æneid.
-----*Quid non mortalia pectora cogis* Virgil.
Auri ſacra fames? Auri fames, pro cupiditate.

Tertij generis eſt illa in 6. Æneid.
-----*Duo fulmina belli*
Scipiadas. Fulmina, pro Scipionibus.

Quarti generis eſt illa in 4. Georg.
Triſtis ad extremi ſacrum caput adſtitit amnis.
Caput, pro fonte.

Synedoche octo modis fieri poteſt. Primò cùm pars ponitur pro toto. Secundò cùm totum ponitur pro parte. Exempla ſint illa ex Virg. in 6.

62. *Synedoche octo modis fit.* Virg.

Stant littore puppes; id eſt, naues.
& in 12.
— *Fontémque ignémque ferebant*, id eſt, aquam, & ignem.

Tertiò cùm ponitur vnus pro pluribus. Quartò cùm ponuntur plures pro vno. Exempla è Virgilio quoque expromi poſſunt in 2.

---*Veterúmque armato milite complent*, id eſt, militibus.

Et in 10. vbi Iuno de ſe tantùm loquuta ita canit,

Nos

Nos ne tibi fluxas phrygias res vertere fundo
Conamur? Nos? an miſeros qui Troas Archiuis
Obiecit?

Quintò cùm forma ponitur pro genere. Sextò cùm genus ponitur pro forma. Exempla eodem ex Virgilio petantur. in ſecundo,

---*Sectaque intexunt abiete coſtas.* id eſt, ligno, & in 12.

----*prædámque ex vnguibus ales*
Proiecit fluuio.

Septimò cùm materia ponitur pro re fabrefacta ex materia. Vt aurum pro pecunia aurea. Virgil. in 3.

------*Polydorum obtruncat, & auro*
Vi potitur.

Octauò cùm ex antecedentibus ſequentia intelliguntur. Virgilius,

Virgil.

Et iam ſumma procul villarum culmina fumant,
Maioréſque cadunt altis de montibus vmbræ.

Metonymia natura, & diuiſio.

Metonymia quinque modis fieri ſolet. Primò cùm cauſæ ponuntur pro effectis. Vt Mars pro bello, Vulcanus pro igne, Ceres pro frugibus. Virgil. in 6. de Miſſeno,

Virgil.

-----*quo non præſtantior alter*
Ære ciere viros, Martémque accendere cantu.

Secundò cùm effecta ponuntur pro cauſis: vt cùm dicuntur ſcelera rempubl. demoliri, hoc eſt, ſcelerati homines: & virtutes rempubl. conſeruare, hoc eſt, homines virtute præditi. Terent.

Terent.

Vbi illic eſt ſcelus qui me perdidit.

Catul. ad Manlium,

Catul.

Troia, nefas, commune ſepulchrũ Europæ, Aſiæq;
Troia virũ, & virtutũ omnium acerba cinis.

Tertiò cùm id, quod continet, ponitur pro eo, quod continetur. 8. Æneid.

----*cælo gratiſſimus amnis.* id eſt, cœleſtibus.

Quartò cùm id, quod continetur, ponitur pro eo, quod continet. 2. Æneid.

Iam proximus ardet
Vcalegon, pro Vcalegontis domo.

Quintò cùm ſignum ponitur pro re ſignificata. Sagum pro bello, Toga pro pace, faſces pro magiſtratibus, purpura pro regno. 2. Georg.

Non illum populi faſces, non purpura Regum
Flexit, &c.

Antonomaſia. Auct. ad Her. 4. vocat pronominationẽ. Virg.

Antonomaſia eſt Tropus, qui ponit aliquid pro nomine, vt euerſor Carthaginis pro Scipione, Romanæ eloquentiæ princeps pro Cicerone. Hoc lumine vſus eſt Maro in limine ſuæ Æneidos, cùm viri nomine Æneam per excellentiam indicauit.

Onomatopeia. Auct. ad Her. l. 4. dicit nominationem.

Onomatopeia eſt fictio nominis; Græcis quidem crebrior, Latinis verò rarior, niſi fortè primis verborum conditoribus, qui mugitum, vagitum, bombum, murmur, & ſibilum dixerunt, quia hæc verba cùm proferuntur, ſonos reddunt ſimiles illis, quos ſignificant.

Catachreſis. Tull. orat.

Catachreſis, Latinè abuſio nominis fit, cùm rebus non habentibus nomen, quod in proximo eſt, accommodatur. Sic equus dicitur, qui ex materia artefactus eſt, à vero equo tranſlato vocabulo. Virgil. 2. æneid.

Virg.

-----*Equum diuina Palladis arte*
Ædificant.

Quintil. lib. 6. c. 4. *Metalepſis.* Quinct. lib. lib. 8. c. 1.

Eo differt hic tropus à metaphora, quia hæc aliena nomina accommodat etiam rebus habentibus propria: non item *Catachreſis*. *Metalepſis*, Latinè *tranſumptio*, ex alio in aliud viam præſtat. Virgil. in Tytiro,

Virg.

Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas.

CAPVT XV.

De Tropis ſententiarum.

ALlegoria, Latinè inuerſio, eſt oratio, quæ aliud verbis, aliud ſenſu ſignificat. Virgil. 2. Georg. 63.

Allegoria. Auct. ad Her. permutationẽ dicit l. 4. Virg.

Sed nos immenſum ſpatiis confecimus æquor,
Et iam tempus equum ſpumantia ſoluere colla.

Ænigma, & Ironia.

Ab ea duo riuuli emanant, ænigma, & Ironia. *Ænigma*, eſt obſcurior allegoria. Virgilius 3. Eclog.

Virg.

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cæli ſpatium non amplius vlnas.

Martialis.

Item illud Martialis epigram. 54. lib. 5. ænigmaticum eſt ad Baſſum,

Colchida quid ſcribis, quid ſcribis amice Thyeſtẽ?
Quid tibi vel Niobe Baſſe, vel Andromache?
Materia eſt, mihi crede, tuis aptiſſima chartis
Deucalion; vel ſi non placet hic, Phaeton.

Ironia.

Id eſt, vt aquis vel flamma aboleantur. *Ironia* eſt oratio, quæ aliud verbis, & contrarium ſenſu ſignificat. Virgil. 11. Æneid. de Turno;

Virg.

---*méque timoris*
Argue tu Drance, quando tot gentis aceruos
Teucrorum tua dextra dedit.

Periphraſis. Quinct. l. 8. c. 6. Alex. c. 20. *Auct. ad Her. l. 4*

Periphraſis eſt, quando id, quod paucioribus verbis dici poterat, pluribus explicatur. Strictior eſſe ſolet apud oratores, apud poëtas tamen laciniosior. Huc pertinent omnes vrbium, fluminum, agrorum, aliarúmque rerum deſcriptiones. Exemplo illud ſit ex 4. Æneid.

Auct. ad Her. l. 4. vocat permutationem. Virg.

Nox erat, & placidum carpebant feſſa ſoporem
Corpora per terras, ſyluæque & ſæua quierant
Æquora, cum medio voluuntur ſydera lapſu,
Cùm tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres,
Quæque lacus late liquidos, quæque aſpera dumis
Rura tenent, ſomno poſitæ ſub nocte ſilenti
Lenibant curas, & corda oblita laborum.

Hyperbaton. Quinct. l. 8. c. 6. Tull. 3. orat.

Hyperbaton fit dupliciter. Primò cùm verba inter ſe proximè annectenda, ſi Grammaticæ ordo ſpectaretur, alicuius verbi interuentu ſeparantur: quomodo non eſt dubium quin Tropus ſit poëtis, ſcriptoribus & oratoribus familiaris. Virgil. in 1.

Virgil. Liuius. Tull.

Talia flammato ſecum Dea corde volutans.

Liuius initio primæ decadis, *Satis conſtat Troia capta cæteros ſæuitum eſſe Troianos.* Cicero pro Cluentio, *Animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes.* Secundò fit, cùm eiuſdem verbi partes aliquo interiecto vocabulo diſſociantur; quomodo mihi videtur dixiſſe Cyprianus poëtis tantùm eſſe conceſſum hunc tropum: vt Virgilio.

Cyprian. Virgil. Martial.

-----*Hyperboreo ſeptem ſubiecta trioni.*

Martial. vltimo primi.

Argi nempe ſoles ſubire letum, id eſt, *Argiletum.*

Tull.

Verum etiam oratoribus aliquis eius vſus eſt, vt Ciceroni, qui frequenter illud vſurpat; *Per mihi gratum feceris.* aliquis item ſcriptoribus; vt Plutarch. cùm ait, *Latio donatur, Muſarum commercium homines capit, & eorum maſue naturam facit.*

Plaut.

Hyperbole. Auct. ad Her. l. 4. c. 8. Quinct. l. 8. c. 6.

Hyperbole eſt ementiens ſuperiectio: cuius virtus tam in minuendo, quàm in augendo cernitur. In minuendo apud Virgilium de ſtrigoſo pecore, Eclog. 3.

Virg.

---*vix oſſibus hærent.*

In augendo apud eundem 7. Æneid. de celeritate Camillæ, vbi ſic,

Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas:
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Sed in vtroque genere hyperbolis menſura quædam ſeruanda eſt; licet enim hyperbole ſemper ſit vltra fidem, tamen vltra modum nunquam eſſe debet. Hæc de tropis delibaſſe interim ſatis eſto.

CAPVT XVI.

De figuris verborum.

65. *Figura quid?* Quintil. lib 6 c 9.

SIcut Tropus in verbis eſt, & ſententiis: ita pariter figura in vtriſque ſpectatur. Eſt autem figura conformatio quædam orationis, quæ verborum, vel ſententiarum inſignita perpolitione continetur. Figuræ verborum tribus maximè fiunt modis. Per adiectionem, per detractionem, per ſimilitudinem. In ſingulis explicandis vtemur laconiſmo. Per adiectionem celebriores ſunt, quas appono. *Repetitio* fit, cùm ab eodem verbo ſæpiùs ducitur oratio. Vt, Scipio Numantiam ſuſtulit, Scipio Carthaginem deleuit, Scipio pacem peperit, Scipio ciuitatem ſeruauit. *Conuerſio* fit, cùm in idem verbum ſæpiùs coniicitur oratio. Vt: Ex quo tempore concordia de ciuitate ſublata eſt, reſp. ſublata eſt. *Complexio* repetitionem, & conuerſionem complectitur, hoc modo: Quem Senatus damnarit, quem populus Romanus damnarit, quem omnium exiſtimatio damnarit, eum vos ſententiis veſtris abſoluetis? *Conduplicatio* eſt verborum geminatio, ſic: Viuis, & viuis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam. Item ex Virg.

[*Figura verborum.* Quintil. lib. 9. c. 3. *Repetitio, quid?* Quintil. lib. 9. c. 3. Tullius 3. de Orat. *Conuerſio, quid?* *Complexio, quid?* *Conduplicatio quid?*]

Te veniente die, te decedente canebat.

[Virgil. *Traductio, quid?*]

Traductio fit, cùm verba paululum immutata ſæpiùs repetuntur, hoc modo. Qui nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute vitam non poteſt colere. *Synonymia* verba idem ſignificantia congregat. Vt, abiit, exceſſit, erupit, euaſit. *Polyſyndeton* coniunctionibus abundat, vt

[*Synonymia.* *Polyſyndeton.* Virgil. *Gradatio.*]

Liminàque laurúmque Dei, totúſque moueri
Mons circum.

Gradatio ex alio ad aliud viam præſtat. hoc modo Africano virtutem induſtria, virtus gloriam, gloria æmulos comparauit.

66. *Figura per detractionem.* Quintil. lib. 9. cap. 3. & 8. *Aſyndeton.* Tull. pro Arch. *Protozeugma.* *Synecdoche.* Virg.

Per detractionem, quæ fiunt digniores accipe. Eſt in primis *Aſyndeton*, id eſt, diſſolutio quæ orationem coniunctionibus exoluit, ſic: Humanitatis ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectãt, ſecundas res ornant, aduerſis perfugium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur. *Protozeugma*, id eſt adiunctio fit cùm plures ſententiæ ad idem verbum referuntur, hoc modo: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. *Synecdoche* fit, cùm ſubticetur aliquod verbum ex cæteris intelligendum. Virg. in 1.

Sed vos qui tandem? quibus aut veniſtis ab oris.

& infrà,

Non ea vis animo, nec tanta ſuperbia victis.

67. *Figura per ſimilitudinem.* *Paronomaſia.* Auct. ad Heren. lib.

Per ſimilitudinem nonnullæ fiunt; celebratiſſimæ, quæ ſequuntur. *Paronomaſia*, Latinè *Annominatio* fit, cùm verba per literas, per ſyllabas, per caſus, per quantitatem, per ſignificationem paululum immutata ponuntur. Per literas, vt: Oportet deligere, quem velis diligere. Decet euitare lenones, vt leones. Ex oratore arator factus eſt. Per ſyllabas. vt, Qui ſe magnificè iactat, veniit à te, antequam Romam venit. Sibi quis poſſet temperare, niſi mallet cupiditati obtemperare. Nolo eſſe laudator, ne videar adulator. Per caſus. Vt, Eum tu hominem appellas, qui ſi fuiſſet homo, nunquam tam crudeliter vitã hominis petiiſſet. Per quantitatem, vt, Auium dulcedo ducit ad auium. Plagarum ictus effugiẽs, in nodos ſe induit plagarum: huc pertinet feſtiuus ille Neronis iocus in Claudium, quẽ dicebat morari inter homines deſiiſſe, prima Syllaba producta. hoc eſt, delirare; id enim ſignificat verbum *moror* cùm producit primã, vnde Plaut. in Trinũ. *Amor* inquit, *hominũ, moros mores efficit, & moroſos.* Per ſignificationem: Cur eam rem tam ſtudioſè curas, quæ multas tibi dabit curas? Item, Amari, iucundum eſt, ſi curetur, nequid inſit amari. Item, Veniam ad vos, ſi mihi ſenatus det veniam. *Similiter cadens* exornatio eſt, cùm plura verba in eoſdem caſus incidunt. Vt, cuius omnis in pecunia ſpes eſt, eius à ſapientia eſt animus remotus. Item perditiſſima ratio eſt diligere formam, negligere famam. *Similiter deſinens* fit, cùm plura verba ſimiles exitus habent, vt viuis inuidioſè, delinquis ſtudioſè, loqueris odioſè. In his tribus figuris eloquentiæ tyrones incredibiliter delectantur, veterani tamen nauſeant oratores. Et meritò. nam in illis puerilis lepor, & feſtiuitas, non tamẽ virilis dignitas, & pulchritudo elucet. Quare hæc lumina ſi quando videbuntur, quod rarò fiat neceſſe eſt, ne aurium ſenſus faſtidioſiſſimus ſatietur, rerum pondere impleantur. *Compar*, exornatio eſt, quæ ex æqualibus ferè membris orationis efflorefcit. Vt, Extrema hyeme apparauit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit. Item, Nec reip. conſuluiſti, nec amicis profuiſti, nec inimicis reſtitiſti. *Antitheſis*, ſeu *Antitheton* eſt, cùm ex verbis contrariis conficitur oratio. Vt, Habet aſſentatio iucunda principia, exitus verò affert amariſſimos. Item, Tumultuaris in otio, otiaris in tumultu. Item, tacito cùm opus eſt, clamas; cùm loqui conuenit, obmuteſcis. Ades? abeſſe vis: abes? reuerti cupis; in pace bellum quæritas, in bello pacem deſideras: in concione de virtute loqueris: in prælio tubæ ſonitum perferre non potes. Item, quos ex collibus deiecimus, cum iis in campo metuimus dimicare? Item, Qui cùm plures erant, paucis nobis exæquari non poterant; hi, poſtquam pauciores ſunt, metuimus ne ſint ſuperiores. Tandem, Qui in conuentu amicorum verum dixit nunquam, eum ſibi in contentionibus credis à mendacio temperaturum? Hoc genus exornationis, ſi in tempore adhibeatur, vim habet ad flectendum incredibilem, ſuauitatem ad oblectandum ſingularem.

[Sueton. in Neron. 34. Plaut. *Similiter cadens.* Auct. ad Heren. Quint. lib. 9. c. 3. *Similiter deſinens.* *Compar.* Quint. lib. 9. cap. 3. Tullius pro lege Manil. *Antitheſis.*]

CAPVT XVII.

De figuris ſententiarum.

68. Tull. 3. de orat. & in or. Quintil. lib. 9 c. 3. Auct. ad Her. lib. 4. *Figura ſententiarum.* *Interrogatio.* Virg.

FIguræ ſententiarum, ſicut & verborum, aliæ ab aliis aſſignantur, è plurimis decantatiſſimæ ſeligantur, *Interrogatio* fit, quando non ſciſcitandi gratia, ſed alias ob cauſas interrogamus. Nimirum inſtandi, dolendi, indignandi, admirandi, imperandi, &c. Inſtandi. Virg. in 1.

Tantáne

Tantáne vos generis tenuit fiducia veſtri?
Iam cœlum, terrámque meo ſine Numine venti
Miſcere, & tantas audetis tollere moles?

Dolendi. Virg. item in 1.

——Quis iam locus, inquit, Achate,
Quæ regio in terris noſtri non plena laboris?

Indignandi. Virg. in 10.

——Quid me alta ſilentia cogis
Rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem?

Imperandi. Virg. in 3.

Veráne te facies? verus mihi nuntius affers
Nate deæ? Viuiſne?

Imperandi. Virg. in 4.

Non arma expedient, totáque ex vrbe ſequentur?

Reſponſio. *Reſponſio* figura eſt, cùm aliud rogatur, aliud reſpondetur, vel ad rem augendam, vel ad minuendam, vel ad penitus negandam: ad augendam, cùm rogatus teſtis, an à reo vapulaſſet; imò innocens, reſpondet. Ad minuendum, cùm reus rogatus an hominem occidiſſet? Latronem, inquit; ad penitus negandum, cùm Anacharſis rogatus an in Scythia eſſent tibicines, reſpondit, *Ne vites quidem.* ſignificans tibicines tantum bibere, quantum ſufflant; ideo eos non degere, vbi nullæ vires naſcerentur.

69. Subiectio. *Subiectio* fit, cùm Orator interrogat, & ſibi ipſi reſpondet. Vt quæro vnde iſte tam pecunioſus ſit factus? Amplum patrimonium relictum eſt? at patris bona venierunt: hæreditas aliqua obuênit? non poteſt dici, ſed etiam à neceſſariis omnibus exhæredatus eſt. Præmium aliquod ex lite cepit? Non modo id non fecit, ſed etiam ipſe grandi ſponſione victus eſt: ergo aut iſti domi naſcitur aurum, aut vnde licitum non eſt, pecunias accepit.

Apoſtrophe. *Apoſtrophe* eſt conuerſus ad aliquem ſermo: vt, Te nunc alloquor, Africane, cuius mortui quoque nomen ſplendori eſt ciuitati. Figura eſt poëtis frequentiſſima. Virg. 2. Æneid.

Virgil.

Et ſi fata Deûm, ſi mens non læua fuiſſet,
Impulerat ferro agricolas fœdare latebras
Troiaq; nunc ſtares, Priamique arx alta maneres.

Proſopopœia. 4 ad Heren. Tertull. In uent. 1. *Proſopopœia* eſt perſonarum ficta inductio. In hoc genere licet in primis ſermonem mortuis tribuere. Vt *ſi nunc Lucius Ille Brutus reuiuiſcat, & hic ante pedes veſtros adſit, non hac vtatur oratione: Ego Reges eieci, vos tyrannos introducitis: ego libertatem, quæ non erat, peperi, vos patriam ſeruare non vultis: ego capitis mei periculo patriam liberaui, vos liberi ſine periculo eſſe non curatis.* Licet item res mutas, & informes eloquentes fingere, ac formatas, *Si nunc hæc vrbs inuictiſſima vocem mittat, non hoc pacto loquatur? Ego illa plurimis trophæis ornata, triumphis ditata certiſſimis, clariſſimis locupletata victoriis, nunc veſtris ſeditionibus, ô ciues, vexor: quā dolis malitioſa Carthago, viribus probata Numātia diſciplinis erudita Corinthus labefactare nō potuit, eam patiemini nunc ab hominibus deterrimis proteri, atque conculcari?*

70. Hypotypoſis. *Hypotypoſis* eſt illuſtris rerum demonſtratio, adeò expreſſa, vt res potius cerni videantur, quàm audiri. Vt, *Gracchus euolat ex templo Iouis; ſudans, oculis ardentibus, erecto capillo, contorta toga: cui vnus è populo ſpumans ex ore ſcelus, anhelans ex infimo pectore crudelitatem, contorquet brachium, ac tempus percutit.* Item, *Iſte quotidie per forum medium tanquam iubatus draco ſerpit, dentibus aduncis, aſpectu rabido, circumſpectat huc & illuc, ſiquem reperiat, cui aliquid mali faucibus afflare, quem ore contingere, dentibus inſecare, lingua aſpergere, poſſit.* Huc pertinent plurimæ Ciceronis deſcriptiones, vti illa Deſcriptiones Tullij. longè pulcherrima, qua depingit Syracuſas vrbem totius Græciæ nobiliſſimam, tam graphicè, & concinnè, vt loci naturam atque ſitum, ædium amplitudinem, religionem templorum, portuum receſſus, faciles aditus, opportunos exitus, iucundiſſimos in terram, maréque proſpectus, digito potius demonſtrare, quàm oratione complecti videatur. In hoc genere dicendi poëtæ magnificentiùs ſpatiantur. Nam turbulentiſſimos tempeſtatum motus acerrimos militum conflictus vernantes hortorum amœnitates, placatiſſimos fluuiorum lapſus poſitiones vrbium, circumſcriptiones agrorum, omnia denique, quæ in ſermonem incidunt, tam expreſſis coloribus depingunt, vt ea non narrare videantur, ſed ſub aſpectu collocare. Meritò vt dicas poëticam vel pictam loquentem, vel loquutionem pictam appellandam

Ethopœia, Latinè *notatio*, eſt, cùm alicuius natura certis deſcribitur ſignis. Exemplo ſit illa notatio auati ſenis apud Plautū in Aulularia. *Pumex non æquè eſt aridus, atque hic eſt ſenex. Exiſtimat ſuam rem periiſſe, ſeque eradicarier, quin diuum, atque hominum clamat continuò fidē, de ſuo tigello fumus ſi qua exit foras: cùm it dormitum, follem obſtringit ob gulam, nequid animæ fortè amittat dormiens: aquam hercule plorat, cùm lauat, profundere: famem vtendam ſi roges, nunquam dabit: ipſi pridem tonſor vngues dempſerat; collegit omnia, & abſtulit præſegmina: pulmentum pridem ei arripuit miluus; homo ad prætorem, plorabundus deuenit; inſit ibi poſtulare, vt ſibi liceret miluum vadarier.* 71. Ethopœia. Plaut. Notationis exemplū perridiculū, vide ad Her. 4.

Apoſiopeſis Tull in Ver. & pro Mil. 3. de orat. 4. ad Heren. *Apoſiopeſis*, Latinè præciſio, interruptio, reticentia; eſt cùm dictis quibuſdam, reliquum, quod cœptum eſt dici, relinquitur in audientium iudicio. Celebre eſt exemplum illud Virgilianum,

Virgil.

Quos ego: ſed motos præſtat componere fluctus.

Multa tamen ſunt apud oratores: mihi tecum par certatio non eſt; ideo quòd populus Romanus me, nolo dicere, ne cui fortè arrogans videar; te autem ſæpe ignominia dignum putauit: Item, Tu iſta nunc audes dicere; qui nuper alienæ domui non auſim dicere; ne, cùm digna dixero, me indignum quippiam dixiſſe videar.

72. Exclamatio. Tull. *Exclamatio* eſt, quæ conficit ſignificationem doloris aut indignationis, aut admirationis, aut laudationis. Doloris quidem, vt, *O fallacem hominum ſpem, fragilémque fortunā & inanes noſtras contentiones, quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur, & corruunt; & ante in ipſo portu obruuntur, quàm portum conſpicere potuerunt.* Indignationis. Pro Flacco, *O conditiones miſeras adminiſtrandarum ciuitatum in quibus diligentia plena ſimultatum eſt, negligentia vituperationum; ſeueritas periculoſa, frons omnium familiaris, multorum animus iratus, iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ; venientes prætores expectant, præſentibus inſeruiunt, abeuntes deſerunt.* Admirationis. *O tempora, ô mores, Senatus hos intelligit Conſul videt, hic tamen viuit.* Laudationis. *O vita Philoſophia dux! ô virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, quid non modò nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet?* Pro Flacco. In Catilina.

73. Figuræ ſententiarum. Multò plures ſunt figuræ ſententiarum, vt *Emphaſis* quæ plus ſignificat quàm dicit: qualis illa eſt Turni ad Pandarum, 9. Æneid. Emphaſis. Auct. ad Her. Virgil.

Hic etiam inuentum Priamo narrabis Achillem,
Hectora circum, & lituo pugnas obibat,
Et haſta.

Vt ſignificetur Miſenum quò plus periculi in cumberet ibi depugnare, ſcilicet iuxta Hectora qui in periculoſiores belli caſus impigrum ſe inferebat. *Epiphonema*, id eſt, rei narratæ ſumma acclamatio, vt illa 3. Æneid.

Epiphonema.

Virgil.

Tantum æui longinqua valet mutare vetuſtas.

Prætermiſſio, quæ tunc fit, cùm dicuntur præteriti ea, quæ maximè dicuntur: qualis illa eſt celebris apud Virgilium 4. Georg. vbi dicit ſe hortorum culturam aliis tractandum prætermitte, de qua tamen ibidem multa eleganter commentatur. Sed in tropis, ac figuris diu hæſimus. vnum monèo cum Fabio, hæc orationis decora eſſe tanquam neruos, ſeu amenta: vt enim ſagittæ ferire nequeunt, niſi neruis, ſeu amentis intendantur: ita rationum momenta flectere non poſſunt auditorem, niſi his eloquentiæ luminibus imbutæ euibrentur. Hîc tamen vt in cæteris rebus quærendus modus. nam quemadmodum oratio, ſi propria ſemper fuerit, tanquam humilis contemnetur; ita ſi ſemper figurata, tanquam turgida diſplicebit. Mediocritate igitur, ac varietate temperanda: ita, vt non eadem ornamenta ſemper in eandem partem conferantur, ſed alia atque alia per totam orationem fuſa, clariùs, ac iucundiùs eluceſcant.

Prætermiſſio. Virgil. Quintil.

CAPVT XVIII.

De ordine, iunctura, numeróque orationis.

74. *Ordo orationis.* *Oratio decreſcens.*

ORdo orationis ſeruabitur, ſi nunquam oratio decreſcat, nunquam redundet, nunquam mutila, aut manca relinquatur. Decreſcit quidem; ſi ita dicas: Cæſar Europam ſubegit; Germaniam euaſit, Galliam oppugnauit. Item, hic ſe præſtitit impium in Deum, in parentes inhumanum, in exteros homines fraudulentum. Redundat, ſi hunc in modum conſtruatur, Romuli tam barbara fuit crudelitas, vt Remum ſibi geminum fratrem ad ſupplicium capitis damnarit. Quorſum enim fratrem addere opus erat, ſi geminum dixiſti? Item, Medeæ tam fuit cruda inhumanitas, vt filios, quos lactabat alumnos, coram parente Iaſone trucidarit. Verbum illud, *alumnos*, tanquam ſuperuacuum, exterendum. Mutila relinquitur, & manca, non ſolùm ſi verbum aliquod ſubtrahatur, verùm etiam, ſi in plano tumeat, in ſublimi deficiat; hoc eſt, ſi humilia grauiter, & grauia humiliter proſequatur: hac enim præpoſtera varietate, quodammodo videtur oratio claudicare. Iunctura orationis illa meritò laudatur, quæ non fit aſpera, non hiulca. Aſpera illa eſt, in qua literę conſonantes pronũtiatu difficiliores inuicem colliduntur, vt ſi dicas, Rex Xerxis, ars ſtudiorum. Hiulca eſt illa, in qua cernitur plurium vocalium mutuus concurſus; vt in hoc exemplo videre eſt Baccæ Eoæ amœniſſimæ impendebant. Sed hac parte diligens aliquando videri ſolet quædam oratoris negligentia: ſæpe enim ille coëuntium inter ſe vocalium hiatus, moras quaſdam orationi interponit decoris plenas, plenas maieſtatis. Regem Latinum audias cum Turno apud Virgilium loquentem,

Oratio redũdans. *Oratio mutila.* *Iunctura orationis aſpera, & hiulca damnatur.* Tull. 3. de orat. Quinct. l. 9. cap. 4.

Virgil.

O Præſtans animi iuuenis, quantum ipſe feroci
Virtute exuperas, tanto me impenſius æquum eſt
Cõſulere, atque omnes metuentẽ expẽdere caſus.

Sæpe etiam ille vocalium congreſſus feſtiuitatem quandam orationi confert, cùm extrema vocalis vnius carminis excipit prima vocalis alterius. Carull.

Vocalium congreſſus. Quin. lib. 9. cap. 4. Catull.

Miniſter veturi puer falerni
Ingere mi calices amariores;
Vt lex Poſthumia iubet magiſtræ.
Ebrioſa acina ebrioſiores.

Agellius lib. 7. cap. 20. vitioſus item eſt ille orationis contextus, in quo eædem litteræ aſſiduè repetuntur: quo vitio verſus ille perantiquus laborat. Agell.

O Tite, tute Tati, tibi tanta Tyranne tuliſti.

Numerum verò tam in oratione, quàm in poëmate reperiri certum eſt: illum rhythmum, hunc metrum appellant. vterque pedibus conſtat: ſed in eo eſt diſcrimen, quòd metrum requirit pedes ſeuerioribus legibus catenatos; rhythmus contentus eſt ea pedum poſitione, in quas ſuauis aliquis ſonus auribus blandiatur, pedes autem præter cæteros à poëtis celebratos, tres præcipuè à Cicerone inculcantur, duo pæones, vnus dochimus. pæon primus conſtat ex longa & tribus breuibus, vt *aſpicite*: pæon ſecundus ex tribus breuibus & longa, vt *facilitas*; dochimus ex Bacchio, & Iambo, vt *perhorreſcerent*. Itaque numerus oratorius ſi tanta diligentia excolatur, vt in metrum abeat, inſuauis erit: canendum igitur ne incipiat à carmine, ne in carmẽ deſinat oratio, item ſi tanta negligentia numerus oratorius relinquatur, vt ſcopas, quod aiunt, in componendo diſſoluere videamur, non orare iudicabimur, ſed blaterare.

Numerus. Tullius. Quinct. l. 9. cap. 4.

CAPVT XIX.

De periodis, membris, articulis.

PEriodus, quam Cicero tum ambitum, tum circuitum, tum comprehenſionem, aut continuationem, aut circumſcriptionem vocat, tota concinna eſſe debet, ac rotunda. Prima cura ponenda eſt in periodis claudendis; cùm enim ibi aures ſiſtant, & conquieſcant, ſuauiores numeri in fine, quàm vſquam aliàs requiruntur. Sunt autem quàm aptiſſimi claudendæ orationi illi pedes, choreus, ſpondeus, creticus, pæon primus dochimus, & præ cæteris geminatus choreus, vel ſpondeus: cauendum tamen ne ſingulæ periodi iiſdem ſemper pedibus concludantur. nihil enim eſt quod magis aures auertat auditoris, quàm ſimilitudo, nihil quod magis alliciat, quàm varietas. Quare nunc hos, nunc illos exitus habeat oratio placitura, dummodo ſint omnes numeroſi. Altera oratoris cura in exordienda oratione collocetur. A proceris igitur numeris, nimirum dactylo, anapæſto, cretico, pæone, & aliquando etiam ſpondeo, optimè naſcuntur exordia; hæc ſi egregiè tornata ſint, mirificè recreant auditorem, & ad reliquam dictionem, miram in omnibus excitant illecebram audiendi.

75. *Periodus.* Tullius. *Finis period.* *Orationis exordium.*

In media quoque periodo exornanda, etſi minor, nulla tamen eſt diligentia adhibenda; & quidem ſi omnium pedum varietate temperetur, faciliùs omnium aures in voluptate detinebit. Sed in tota periodi ſtructura, primaria lex, ad quam cæteræ omnes ſunt exigendæ, eſſe debet ſuperbiſſimum aurium iudicium; nihil enim numeroſius in animos elabitur, quàm quod aurium

76. *Periodus in medio* Tull. 3 orat. Quinct. l. 9. cap. 3. *Aurium iudicium ſuperbiſſimum.*

Digitized by Google

rium ſenſu comprobatur. Cauendum tamen ne periodus tantam in longitudinem extrahatur, vt vnius ſpiritus vincat contentionem; item ne tantas concludatur in anguſtias vt aures in ea breuitate non quieſcant. Quæ igitur tribus, quatuórve membris continetur, ea perfecta, abſolutáque videtur. *Membrum* eſt ſenſus numeris concluſus, ſed à toto corpore abruptus,& per ſe nihil efficiens: qualia ſunt illa, Nec reip. conſuluiſti,nec amicis profuiſti, nec inimicis reſtitiſti. Curandum, vt membra paribus ferme interuallis concludantur, dummodò nimia diligentia in adnumerandis ſyllabis non cernatur; illa ſatis erit, quam in prædicto exemplo intuemur. *Articulus* dicitur, cùm ſingula verba interuallis diſtinguuntur cæſa oratione. Vt ſi dicas, Inimicos inuidia,iniuriis, potentia,perfidia ſuſtuliſti. Singula verba ſingulos conficiunt articulos: ex articulis membra componuntur, ex membris integra periodus conflatur. Articuli crebriùs frequentati orationem acuunt ad vrgendum: membra lentiùs deducta orationem morantur ad exornandum. Hæc de eloquutione: de memorandi vi pauca.

Membrum quid? Tull. in orat. Quintil. lib. 9. cap. 4.

Articulus.

CAPVT XX.

De memoria.

77. MEmoriam appellat Plutarchus *cellam penariam diſciplinarum*. grauiùs M. Tullius,*rerum omniũ theſaurum*. ſignificantiùs diuinus Plato, *Muſarum omnium parentẽ*. Ea duplex eſt,quædam à natura proficiſcitur, altera exercitatione, & artificio comparatur. Prior à Rhetoricæ partibus excluditur, cùm, cæteris quoque diſciplinis communis ſit poſterior in Rhetoricæ partibus continetur,cùm à ſola Rhetorica excolatur. Memoriam à natura acceperunt ferè portentoſam. Mithridates Rex Ponti, qui duarum & viginti nationum quibus imperabat, ita calluit ſermonem,vt ad ſingulas proprio ſingularum idiomate loqueretur. Cyrus qui in numeroſiſſimo Perſarum exercitu, omnium militum nomina memoria conſeruabat. Cyneas Theſſalus, qui miſſus à Pyrrho legatus ad Romanos, poſtero die. & Senatum, & Romanam plebem ſenatui circumfuſam ſuo quemque nomine ſalutauit. Eandem memorandi vim multi diuturna exercitatione vſque ad miraculum confirmarunt. Seneca duo millia nomina temerè audita, quo erant ordine recitata eodem iterum referebat: diſcipulus cùm eſſet, datos à ſingulis auditoribus verſus ſingulos, qui pluſquam ducentos efficiebant, eoſdem non ſolùm recto ordine à primo excurrendo ad vltimum, ſed etiam inuerſo ordine ab vltimo recurrendo ad primum, recitabat. Illud creditu difficillimum, niſi Muretus oculatus teſtis acceſſiſſet, de quodam iuuene, qui artis beneficio ad eam memoriæ felicitatem euaſit, vt triginta ſex millia nomina,Hebræa, Græca, Latina,barbara, hiulca,ſtridentia,ſine vllo ordine, ſine vllo nexu recitata,quamprimum redderet, nunc à primo ad vltimum,nunc ab vltimo ad primum,nunc à medio ad extrema, nunc veluti aſſultim à primo ad tertium, à tertio ad quintum, & ſic deinceps rurſum prorſum diſcurrendo. Vt dubitandum non ſit, quin labor, & exercitatio ſingulare memoriæ conferat adiumentum. Vnde eſt illud Martialis

Memoriæ encomia Plutarch. Tull. Plato. *Memoria duplex.*

Mithridatis memoria.

Cyri memoria.

Cyneæ memoria

Senecæ memoria.

Muret.

Memoriæ miraculum.

Epigr 22. lib. 5. quo feſtiuè ludit in Rhetorem Apollonium,

Quinctũ pro Decimo,pro Craſſo,Regule Macrũ Martial.
Ante ſalutabat rhetor Apollonius,
Nunc vtrumque ſuo reſalutat nomine; quantum
Cura laborque poteſt ſcripſit & edidicit.

Qui ergo ad primam memoriæ laudem euadere conetur, abire diem nullum patiatur, in quo aliquid non edificat: qui verò neque naturæ, neque artis præſidiis memorandi vim in ſe ipſo ſatis firmam experitur, ad orandum,ſi prudens eſt, nunquam accedat. nam quamuis nulla ſit eloquentiæ pars, ex qua minor in oratorem gloria redundet, quàm firmitas memoriæ: tamen nulla eſt, qua maior ignominiæ labes in oratorem refundatur,quàm memoriæ imbecillitas.

Memoriæ exercitatio quàm vtilis

Quintil. l. 11. cap. 2.

CAPVT VI.

De pronuntiatione.

PRonuntiatio tantùm cæteris eloquentiæ partibus excellit, vt reliquæ ſine illa ſemper iaceant, vileſcant, exſibilentur: illa ſine reliquis nonnunquam eloquentiæ gloriam conſequatur. Ea corporis ac vocis moderatione continetur. Corporis moderatio,ſi venuſta ſit oculos paſcit: moderatio vocis, ſi numeroſa ſit,aures oblectat. In vocis igitur figura tria requiruntur, Magnitudo, firmitudo, mollitudo. De magnitude nihil dico, cùm tota à natura petatur. De firmitudine hæc accipe; firmam nobis vocem ad extremam vſque orationem futuram, ſi quam maximè ſedata, ac depreſſa voce principia dicemus. nam læduntur arteriæ, ſi antequam leni voce permulſæ ſint,acri clamore compleantur. Item ſi interuallis longioribus vtemur: recreauit enim vox ſpiritu, & arteriæ reticendo acquieſcunt. Rurſus,ſi acutas vocis exclamationes euitabimus; vulnerantur enim arteriæ acuta, atque attenuata nimis acclamatione, & ſi quis ſplendor eſt vocis, conſumitur vno clamore vniuerſus. 78.

Pronuntiationis excellentia. Quintil. lib. 11. c. 3. & in 5 de orat. pag. 309.

Tria requiſita ad pronuntiationem.

Pronuntiationis firmitudo.

Pronuntiationis mollitudo

De mollitudine plura ſunt artis documenta, 79.
nam pro varietate cauſarum, vocis figura conformanda eſt. Iracundia vocem poſtulat acutam, incitatam, crebrò incidentem: miſeratio flexibilem, plenam, interruptam. Metus demiſſam, abiectam, hæſitantem. Voluptas effuſam, lenem, teneram,remiſſam. Triſtitia grauem, tardam,vno preſſu,ac ſono obductam. Itaque ſemper vox rebus atque auribus ſeruire debet; ita tamen vt neque ad tragicas argutias deflectat, neque ſcurriles feſtiuitates inducat. Iam verò corporis geſtus ita moderandus eſt, vt ſtatus ſit erectus, & celſus rarus inceſſus, excurſio moderata, mollitia ceruicum nulla, nullæ argutiæ digitorum; brachij proiectione, pediſque ſupploſione in contentionibus vtemur. Denique omnium membrorum motus cum mutatione vocis, ac varietate rerum ita cohærere debent; vt nihil abſonum auribus, nihil inuenuſtum oculis, nihil impolitum animis offeratur. Ex duplici parte actionis, vocis ſcilicet, ac corporis conformatione, vtra præſtet,vtra maiorem vim afferat auditori, vtra iucundiores delicias omnium animis adſpergat, non immeritò quiſquam veſtigabit. nam vocis figura ſuas in aures delicias inſtillat, figura corporis ſuas in oculos illecebras transfundit: atque, vt poëta canit.

Membrorum motus qualis.

Digitized by Google

Horatius. *Segniùs irritant animos dimiſſa per aures,*
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.
Vnde maior videtur ex motu corporis, quàm ex vocis conformatione voluptas haurienda. Contrà verò vna vocis moderatio tantum valet, vt etiam non viſo oratore, quamlibet in partem auditoris animum impellat; rarò tamen accidet vt oratore non audito, ex ſola membrorum conformatione vllam in partem præſentium animi incitentur. Vnde vox geſtui videtur anteferenda. Quod mihi dubium non eſt; licèt pro eleganti geſtus conformatione non abnuerim etiam depugnare. Hæc de totius Rhetoricæ præceptis breuiter dicta ſi memoriæ adhæreſcant, longiorem tractationem, ſi ſapias, non requires. Sed vt multorum votis fiat ſatis, opus eſt, vt quæ hactenus humiliter tractata explicuimus, lauriori eruditionis ornatu illuſtremus.

DE RHETORICA.

Commentationes didaſcalicæ.

PROLVSIO.

80. Proluſio Auctoris. *H*ACTENVS *Rhetoricæ documenta aridè, & ieiunè collecta prælibauimus, iam æquum eſt, vt omnibus doctrinæ aucupiis vndique accerſitis eloquentia ſe coloret, & roboret: vt maior ſe quoque efferat in auditore fæcunditas. quod eo facio libentiùs, quia Fabius* (Fabius.) *creditor eloquentiæ ſingularis præcipit, euitandum eſſe pueris aridum magiſtrum, non minus, quàm teneris plantis ſiccum, & ſine humore ſolum: igitur ſi tempus feret, ſex à nobis conficiendæ ſunt commentationes didaſcalicæ, ſingulæ ſuis ſcholijs incluſæ.* (Totius operis diuiſio.) *In prima Rhetorica natura, finis, officium, materia, diuiſio illuſtrabuntur, in reliquas quinque eloquentiæ partes declaranda remittentur. Operis duces erunt Tullius, & Demoſthenes: molitores, labor & induſtria: Mecænates ſtudia auditorum. Hæc ſi acria fuerint, feruebit opus: ſi verò remiſſa, elangueſcet. Vt enim olor ſine Fauonio ſilet: ita docentis labor ſine fauore audientium pigratur.* (Olor ſine fauonio ſilet.)

COMMENTATIO I.

De natura Rhetoricæ.

81. Rhetoricæ laudes. DE Rhetoricæ laudibus nihil præfari potiùs iudico, ne noſtras merces oſtentemus, antequam oſtendamus; venditemus, antequam vendamus. explicabitur natura, ex qua conſtat: proponetur ſcopus, quò collimat; declarabitur officium, quod exercet; oſtendetur materia, cui incumbit; numerabuntur partes quas amplectitur. tota ſub vno aſpectu collocabitur; ex his ſingularis eius commendatio effloreſcet. Nam bonas artes, qui monſtrat, laudat.

SCHOLIVM I.

Quotuplex artifex dicendi.

Triplex artifex dicendi. DIcendi artifex triplex eſt, Rhetor, Orator, Declamator. Rhetor eſt, qui docet: Orator, qui exercet: Declamator eſt diſcipulus ſeu auditor, quia dicendo dicere diſcit. Nam in Rhetorum ſcholis proponebantur olim auditoribus quæſtiones in vtramque partem declamandæ; quas themata vocant Græci: quales illæ ſunt, ſitne bellum Carthaginenſibus inferendum? An cum Pyrrho amicitia ineunda? Vtrùm Sylla debeat ſe dictatura abdicare? Vnde lucem afferes Iuuenalis loco in Satyr. 1.

Et nos ergo manum ferulæ ſubduximus, & nos
Conſilium dedimus Syllæ, priuatus vt altum
Dormiret, &c. Iuuen.

Hoc eſt, diſcipulus fui, cuius proprium eſt vapulare, & declamare. nam & pœnas dedi negligentiæ, & exercitationis declamatoriæ laudem comparaui. Non tamen intelligas hoc vnum thema de Syllæ dictatura à Iuuenal. declamatum fuiſſe, ſed etiam quoduis aliud. Synecdoche enim vſus formam poſuit pro genere. Singuli igitur artifices dicendi ſingula dotes exigunt, in Rhetore requiro artem, in declamatore naturam, in oratore vtramque. (*In Rhetore ars, in declamatore natura requiritur.*) Requiro ſolam artem in Rhetore, cuius præceptis ſi apprimè ſit inſtructus, officio ſuo aderit, non deerit auditori. Rem confirmo. Iſocratem quis neget Rhetorem totius Græciæ celebratiſſimum? patrem eloquentiæ vocat Tullius: magiſtrum omnium deprædicat. (*Iſocratis encomin Tulliana.*) *cuius è ludo*, ait, *tanquam ex equo Troiano innumeros eloquentiæ principes produxiſſe.* Iam verò *Myrothetium Iſocraticum*, eleganter dictum à Cicerone. hoc eſt, adhibui omnes colores, omnes delicias, omnes illecebras, omnes phaleras, omnia lumina, omnia ornamenta eloquentiæ, quæ in myrothecio, ſeu ſcrinio Iſocratis continentur, quibus nulla eſſe poſſunt illuſtriora. (*Iſocratis dictum.*) Rhetor igitur erat Iſocrates, imò Rhetorum primipi

mipilus. At quibus naturæ præſidiis comparatus ad dicendum? Certè nullis. Fatetur ipſe; *Orare*, inquit, *multos docui, orare ipſe nunquam potui*; ſi ab eo exigas qui fieri poſſit, vt illud quis doceat, quod facere ipſe nequeat; audies reſpondentem, *& cotes*, inquit, *hebetes ſunt, & obtuſæ ad ſecandum; ad ſecandum tamen ſubigunt, & acuunt ferramenta.* Certè ab hoc reſponſo mihi videtur Horatius ſuum illud in poëtica mutuatus,

Horat. *---fungar vice cotis acutum*
Reddere, quæ ferrum valet, exors ipſa ſecandi,
Munus & officium nil ſcribens ipſe docebo.

82. Ergo Rhetor eſſe poteſt præſtantiſſimus, in quo nulla naturæ, ſed ſola artis præſidia dominentur. Qua de re, quominus dubites, ita accipe. Fiet aliquando, vt quis memoriæ ſit labilis, vocis inconditæ, actionis inuenuſtæ, vitium, laterum, valetudinis ad dicendum prorſus expers: hic, ſi ſapit, præferetur nunquam ad orandum: ſi tamen idem ſit Rhetoricæ præceptis non vulgariter excultus; ludum ponat, alumnos quærat, fingat, formet, expoliat ad dicendum auditorem: deſit natura, deſit; ſolius artis præſidio Rhetor erit. Itaque ſola ars in optimo quoque Rhetore ſatis eſt, vt ipſe ſuo munere egregiè defungatur.

Sola ars in Rhetore.

In declamatore ſolam deſidero naturam: ars enim eſt, quam ille inueſtigat. At præſtantiſſima natura ad orandum, in quo eſt? Audio noſtrum Fabium, *In ingenioſo, in curioſo.* Ingenioſum verò quem appellas? qui facilè percipit, fideliter continet, feliciter recitat. De ingenio ago puerili ficto magis ad capeſſendam artem, quàm ad excolendam. Facilè percipiat mihi velim hic nouitius opifex dicẽdi. Vna hora percipiat, quod vna hora recitet, vt fructus labori exæquetur. Nimius fortaſſe ſum exactor: fateor, certè tantum pridie addiſcat, quod poſtridie declamet. nam hebetes quidam, tardi, craſſipelles, corio tecti elephantino, teſtacea quædam animalia, quid dico? trunci, ſtipites, & caudices; illi, inquam, occipiunt binos verſus memoria ſepire; annus eſt, & vix animo complectuntur; hos ego ab oratorio ludo exactos velim.

Sola natura in declamatore.

Hebetes ab oratorio ludo excluduntur.

Temere dicentes improbantur.

Fideliter præterea contineat, qui *logodædalus* eſſe velit; rerum, verborum, ſententiarúmque figuræ inſideant altè in memoria, expreſſè in animo adhæreſcant. Neque enim probare vnquam potui illorum operam, qui de oratione firmiter retinenda parum curant: quam inertiam ille fructus conſequitur, vt paſſim fundirent ſententias, truncas, mutilas & mancas; dicta incondita, ſermonem illorum, verba, vt vocat Tullius, *ardentia*, id eſt, in ipſa contentione dicendi temerè elapſa, quæ excidunt, reuocata velint, ſed fruſtrà: ea pœna eſt temerè dicentium. Tandem feliciter recitet nouus hic alumnus & candidatus eloquentiæ; non vt aliqui, qui cùm Latinè loquendum eſt, ſudant, exſudant, anhelant, luctantur, magna vi ex imis pulmonibus verba trahunt, hærent, ceſpitant, balbutiunt. Non is noſter. Sed in placidi more fluminis fluit leniter, nũquam turbidus, nunquam tumultuarius inoffenſo pede ſpatiatur. Si quando res poſtulat, grandioribus verbis ac ſententiis inſurgit; ſi qua exigit neceſſitas, omnes eloquentiæ habenas ita fundit, vt non orare eum credas, tonare dicas, & fulminare. En ingenioſus declamator.

Tull.

Orator bonus placidi inſtar fluminis.

83. Notat Fabius prudenter, niſi fallor, declamatorem non debere eſſe præcocis ingenij, qui maiora viribus, ætate, ac doctrina aggrediatur: talis enim ad frugem non euadit; & non niſi inanibus ariſtis, cùm ad maturam ætatem peruenerit, flaueſcit. Sanè ita paſſim experimur. Multi ſunt, qui in illa viriditate naturæ adhuc lacteſcentis vigent, florent, matureſcunt, verbis abundantes, ſententiis graues, artificio ſolertes, vocis claritudine canori, totius corporis actione gratioſi. Adoleſcunt. quid efficitur? Egregiè Quintilianus, *ſtat profectus, admiratio decreſcit*; non proficiunt, non eunt in melius, non promouentur in maius; ſtant, hærent, eodem defixi retinentur in veſtigio. *Stat profectus.* Imò potiùs antiquus ille viror, ille lepor, illa ſpes futuræ dictionis, quam ſuſpiciebant omnes, quam prope diuinam fore auſpicabantur, illa, inquam, paulatim defloreſcit, deperit, extinguitur. *Admiratio decreſcit.* Nolo præcoci ingenio declamatorem, in tempore volo ingenioſum. Quid præterea? dicebat Fabius, *curioſum*, qui calcari non indigeat, quem ſcutica non impellat, qui ſua ſponte ad laudem excitetur. Nam, vt bene Terentianus ille Miſtio in Adelph. Mallo coactus, quia ſuum officium facit, dum id reſcitum iri credit, tantiſper cauet: ſi ſperat fore clam, rurſum ad ingenium redit: qui ex animo facit, præſens, abſénſque idem erit. Ergo optimè claudit Fabius ſuam hanc de curioſitate declamatoris ſententiam. *Mihi*, inquit, *ille detur puer imbuendus, quem laus excitet, quem gloria iuuet, quia victus fleat.*

Quinctil.
Declamator minimè præcox

Declamator curioſus.
Terent.

Venio ad oratorem, in quo artem requiro & naturam. Vtra tamen alteri præſtet, dubitabis, ſua cuique ſuffragia patrocinantur. Pro natura hoc vnum conſtruo argumentum. Oratoria facultas finitima eſt poëticæ, hæc magis natura, quàm arte excolitur. Ergo illa quoque magis natura, quàm arte promouetur. Propoſitio vera eſt. nam, vt bene Theophraſtus, *plurimum confert oratori lectio poëtarum.* Et vti egregiè M. Tullius pro Arch. poëtica, *Suppeditat oratoribus, vbi & animus ex forenſi ſtrepitu reficiatur, & aures conuitio defeſſa conquieſcant.* Deinde, vti perbellè Fabius lib. 10. cap. 1. *Oratores à poëtis in rebus ſpiritum, in verbis ſublimitatem, in affectibus motum, in perſonis decorem mutuantur.* Poſtremò, vt clariſſimè M. Tullius de orat. *Finitimus*, inquit, *eſt oratori poëta, numeris adſtrictior paulo, verborum autem licentia liberior, multis verò ornandi generibus ſocius ac penè par; & in facultate, & copia vagandi, quæ velit, prope idem.* Aſſumptio verò facilè illuſtratur. Nam in primis Democritus ad poëticam excolendam, vt Horat. refert in poët.

Ars & natura in oratore, quæ præſtet

Theophr.
Tull.

Fabius.

Tull.
Rationes pro natura.

Horat. *---Ingenium miſera fortunatius arte,*
Credit.

Pindarus verò in poëtica facultate, tantum ſe præire putat Simonidi, quantum Aquila coruo antecedit; quia ſe poëtam natum, Simonidem poëtam factum eſſe dicebat. Quibus Platonem iungo, qui ait, *nihil eos proficere, qui ſolius artis præſidio poëtas ſe futuros credunt.* Tullius verò pro Arch. mihi videtur in Platonis ſententiam iuraſſe, *A ſummis*, inquit, *hominibus accepimus cæterarum rerum ſtudia & doctrina, & arte conſtare, poëtam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi diuino quodam Spiritu afflari.*

84. Contrà verò artem natura præſtantiorem eſſe hæc oſtendunt; quia, vt inquit Fabius lib. 2. cap. 20. *Ars fingit, natura fingitur*; ars excolit, natura excolitur: ars format, natura formatur; fingere verò præſtantius eſt, quàm fingi: excolere, quàm excoli: formare, quàm formari. Item in iis tabulis, in iis ſignis, in iis monumentis, quæ ab

Rationes pro arte.
Quinctil.

Digitized by Google

antiquis celebrantur, magis artis induſtria, quàm naturæ dignitas commendatur. Rex Attalus Ariſtidis pictoris vnam tabulam centum talentis licitatus eſt; non materiæ captus pulchritudine, ſed artis præſtantia delectatus; ita Plinius lib. 7. cap. 38. Lyſippus Alexandri ſtatuam fecit ex ære tantis operibus excultam, vt pretioſior, quàm ſi eſſet aurea, crederetur, narrat Plinius lib. 34. cap. 8. Solis regia fingitur à poëtis ex auro, ebore, & gemmis fabricata; verùm ſi attendas ad delicias laſciuientis artis, quæ in operoſa illa mole viſebantur; tota illa materia quamlibet pretioſa, vilis iudicabitur, & abiecta; meritóque dictum videbitur à poëta, (Plin.)

Materiam ſuperabat opus. (Virg.)

Ergo pariter, ſi ſuas in oratorem opes natura congeſſerit, ſi ſuas diuitias ars effundat; eximium dicendi genus effloreſcet à natura quidem inchoatum, ab arte verò abſolutum. Imò in oratore excolendo natura inops, ſola ars videbitur opulenta.

His ferè momentis rationum ſibi inuicem ars, & natura aduerſantur. Horatius tamen in poëtica ſe ſequeſtrum interponit, cùm ait neutram ſeorſum ſpectatam quidquam valere; vtramque ſimul coëuntem, multum iuuare; par vtrinque præſidium ad excolendam Rhetoricam conferri. Et quamuis ſolùm de poëtica loquatur, idem tamen de oratoria iudicium tuliſſe credendus eſt.

Natura fieret laudabile carmen in arte
Quæſitum eſt: Ego nec ſtudium ſine diuite vena,
Nec rude quid proſit video ingenium: alterius. ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amice. (Horat.)

85. Hæc Horatius. Mea tamen alia mens eſt. quamuis enim ars & natura mutuas ſibi præſtent operas, & neutra ſine alterius præſidio quicquam proſit: tamen vtraque exercitationis deſiderat adiumentum, omneſque oratorem ita perficiunt, & expoliunt, vt non vna in omnibus præſtet reliquis, ſed aliæ in aliis eloquentiæ partibus principes exiſtant. Nam ad inueniendum ac diſponendum natura in primis valet: niſi enim adſit natiua ingenij ſolertia, ſedula argumentorum indagatrix, ſemper orator erit ad dicendum inopioſus. Item, niſi iudicium à natura hauſtum res inuentas partiatur, & quid cuique loco conueniat, tanquam iudex arbitretur; vnde auſpicandum, vbi exeundum, quid interſerendum ſit; tota oratio tumultuaria vagabitur, fluet incondita, diſſoluta fluctuabit; vnde Tullius in orat. *Inuenire*, inquit, *& iudicare quid dicas, magna illa quidem ſunt, & tanquam animi inſtar in corpore: ſed propria magis prudentiæ, quàm eloquentiæ*: hoc eſt, magis à natura profecta, quàm ab arte. Et clariùs 2 de orat. *Cùm ad inueniendum*, inquit, *requiratur acumen, deinde ratio, quam artem appellamus, tertium diligentia: non poſſunt quidem non ingenio primas concedere.* Illud tamen noueris in tranſcurſu, diſpoſitionem, (vt inquit Tullius 3. ad Herennium) eſſe duplicem, alteram ab arte, alteram à natura expreſſam; ſed hanc eſſe illi anteferendam, quia quæ leges ab illa ſtatuuntur, ab hac aliquando abrogantur: illa quatuor in partes orationem diuidit, hæc nonnunquam in pauciores: illa partes ponit, hæc partium membra diſponit. Quare in iis, quæ inuenienda ſunt ac diſponenda, doctrinæ artificium, naturæ iudicio examinatur. (Auctoris iudicium.) (Cicero.)

86. Verùm ad eloquendum arti natura cedit; ars enim eſt, quæ orationem tropis diſtinguit, figuris ornat, cæteris inſignibus illuſtrat. Illa verborum feſtiuitas, illa ſententiarum concinnitudo, illa maieſtas dictionis tota ab arte proficiſcitur. Itaque natura loquendi facultate homines à beſtiis diſtinguit; ars eloquendi dignitate diſertos ab indiſcretis ſeponit. Denique, quod ait Tullius 2. de orat. *Sicuti inuentio eſt communis hominum prudentum; ita eloquutio propria oratorum.* hoc eſt, inuentio pertinet ad homines natura ingenioſos; eloquutio ad homines arte excultos. Tull.

Tandem ad memoriam, & actionem inſtruendam plus præſidij in exercitatione, quàm in natura, vel in arte eſſe reor. Vnde *memoriam* chalybi Græci compararunt, quem ſi atteras, ſplendeſcit, ſi iacere ſinas, rubigine obducitur. ita memoriam ſi expolias, viget; ſi non exerceas, pigratur. Et quemadmodum è puteo ſi ſæpe haurias, nunquam exhauries: ſi intermittas, tandem ſubſidet. ita memoriam ſi excolas, facies ditiorem; ſi ediſcendo non acuas, minuetur, & ſteriliſcet. Iam verò ad agendum, mirum quantum conferat exercitatio. Huius ope roboratur vocis exilitas, hebetudo ſplendeſcit, aſperitas emollitur, litterarum exprimendarum malignitas ſuperatur. Illa verò Chironomia, ſeu Hypocriſis, ſeu totius corporis figura & moderatio, tota exercitatione continetur. Si libera eſt, ac diſſoluta, dicendo ſtringitur, & componitur: ſi timida, & verecunda, frequentando paulatim audet, & expeditur; ſi theatralis & indecora, dum ab auditore exploditur, ſenſim coërcetur, & conformatur. (Corporis moderatio.)

SCHOLIVM II.

An orator vir bonus eſſe debeat.

Stoici in primis faceſſant: quia licèt aliàs ſint aſperrimi morum cenſores, improbè tamen confitentur, facturum aliquando bonum oratorem, vt mendacium proferat. Nam, ſi, inquiunt, vt ægros à morbo recreemus, multa fingimus, multa fabulamur, multa non facturi pollicemur vlla ſine nota vitioſitatis: cur, vt auertamus graſſatorem à viatore occidendo, hoſtem à patria expugnando, iniquum iudicem ab inſonte puniendo, non vtemur mendacio, non moliemur fraudes? Præſertim, cùm alia via nulla eſt, bona nobis debita exigendi, mala nobis intentata propulſandi. Nam ſi officiis flectere non poſſumus, aduerſarium officiis illudamus. Faceſſant item Academici, qui aiunt bonum oratorem ita debere eſſe comparatum, vt eandem cauſam, ſiue iuſta illa ſit, ſiue iniuſta, ſuſcipiat in vtramque partem ventilandam; vnde Carneades eiuſdem familiæ alumnus, vt Cicero de orat. 3. teſtatur, cùm Athenis Romam legaretur ampliſſimo conſeſſu pro iuſtitia diſſeruit, poſtridie contra iuſtitiam; tam paribus ſemper eloquentiæ præſidiis, vt in neutra actione vinci, in vtraque vincere videretur. Vt meritò de illo dicat M. Tullius 2. de orat. eius tam fuiſſe incredibilem vim dicendi, vt nullam vnquam rem defenderit, quam non probarit; nullam oppugnauerit, quam non euerterit. Iam verò ipſe Plato Academiæ antiſtes, & eius hæreſis inuentor, modò eloquentiam tanta eloquentia laudabat, vt ne proteruus quidem illi fidem denegaret: modò eandem, tot cauillis deprimebat, vt Cicerone teſte 1. de orat. in oratoribus irridendis ipſe eſſe orator ſummus videretur. 87. (Stoicorum ſententia.) (Academicorum placitum.) Tull. (Platonis eloquentia.) Tull.

Quod

Digitized by Google

Quod cùm facerent, neceſſe erat contrariis vterentur argumentis, modò quidem veris demolirentur falſa, modò verò falſis oppugnarent vera: quod ſine mendacij nota fieri non poterat. Quare meritò appellantur à Cic. *Oraculi oratores, contentionis cupidiores, quàm veritatis.*

Oratorum vituperia.

Et cauſa eſt, quare multi Rhetorum Ariſtarchi, & Maſtyges in oratoriam licenter fremant, & ſuperciliosè indignentur: credunt enim perfectiſſimos oratores eſſe improbiſſimos ciues. Vnde Vlyſſes eo ſolo nomine, quòd eſſet peritiſſimus dicendi, dicitur ab Horatio 1. car. 6. *duplex*, id eſt, ſubdolus, à Virgilio in 2. *ſcelerum inuentor*, in 6. *hortatur ſcelerum*, ab Homero poſſim, πολύτροπος & πολύμητις, hoc eſt, callidus, & verſipellis. Imò inter ſuperos, qui eloquentiſſimus erat, is ſcelerum machinator, egregiè fraudulentus fingebatur: fuit is Mercurius, quem furandi artificem poëtæ fabulantur; quia dicendi peritia cæteris anteibat; quò Lyricus ſpectauit 1. car. vbi Mercurium vocat.

Horat.
Virgil.

Vlyſſis, & Mercurij fallacia.

Callidum quidquid placuit iocoſo
Condere furto.

Lucianus.

Hinc cauſam arripuit Lucianus in Anacharſide, vt in totum oratorum genus acriter inueheretur, hoc vnum cauſatus, multa eos machinamenta capiendis iudicum animis comminiſci. Hinc Lacedæmonij (quod Fabius refert lib. 2. cap. 17.) ſua ex republica oratores exegerunt; quaſi præuiderent ex ſceleratiſſimis hominibus, certam ſuæ ciuitati ruinam affuturam. Athenienſes verò, ſi non omnino ablegarunt, certè mutilam, & reciſam dicendi poteſtatem reddiderunt: ſiquidem in Areopago oratores inhibebant, ne commiſeratione, & amplificatione vterentur, quæ ſunt duo acerrima tela artis oratoriæ.

Quintil.

88. Mirand.

Tantorum hominum fretus iudicio Picus Mirandulanus epiſt. ad Hermolaum, quam in lib. 9. Politiani inuenies, in oratores, ſeu vt verius ipſe putat, veteratores, ſuperbis dictis incurrit. *Quod aliud*, inquit, *eſt Rhetoris officiũ, quàm mentiri, deſipere, circumuenire, præſtigiari?* Oratorum enim eſſe poſſe pro arbitrio in candida nigrum vertere, in nigra candidum; poſſe quæcunque velint, tollere, abiicere, amplificare, extenuare dicendo; demum res ipſas Magicis, quaſi viribus eloquentiæ, in quam libuerit faciem, habitúmque transformare; vt non qualia ſuopte ingenio, ſed qualia voluerint non fiant quidem, ſed cùm non ſint, eſſe tamen audientibus appareant. Hoc totum, eſt ne aliud, quàm merum mendacium, mera impoſtura, merum præſtigium; cùm à natura rei ſemper vel augendo excedat, vel minuendo deficiat, & fallacem verborum concentum veluti laruas & ſimulachra prætendens auditorum mentes blandiendo ludificet?

His ducti argumentis, credunt nonnulli virum improbum eſſe poſſe perfectum oratorem: imò ita plerunque euenire, vt cum ſumma dignitate dicendi, ſumma improbitas viuendi coniungatur. Quorum opinioni autoritatem obiicio Catonis, qui apud Fabium lib. 12. cap. 1. ita finit oratorem, *Eſt vir bonus dicendi peritus.* Deinde vnico rem conficio argumento (ſumus enim etiam in ſchola argumentandi, ſi non contracti in morem pugni, vt Dialectici, quia dumetis vndique incluſi, & ſenticetis, ſuas arctiùs & contortiùs vibrant argumentationes: certè in morem manus exporrectæ, vt artifices dicendi, quia tam longè latéque excurrunt, vt nullis regionibus ſepti teneantur.) Vnico, inquam, rem conficio argumento. Luce oſtendo clarius dicendi peritum non eſſe, qui bene viuendi ſit ignarus. Oratoris finis eſt perſuadere dictione, non vitia, non flagitia vt palàm eſt; ſed mores integros ac virtutes, vt nemo neget: atqui improbus quantumuis clamet, laboret, enitatur, ad rauim veniat, ſputet ſanguinem, rumpat ramices, nunquam ad probitatem ſuadebit. Res mihi acta eſt, ergo ſi & quidquid volet, orator nunquam erit.

Cato.
Quintil.
Contraria ſententia ſua detur auctoritate, & ratione.

Negabis ſceleratum hominem perſuadere non poſſe dictione. Conuinco te, non diuinis oraculis, quamuis poſſem; non enim illa credo extra humanitatis terminos ſepoſita, ſed humanis. Rhetores expolita oratoris verba comparant ſagittis: mores integros, & incorruptos eiuſdem oratoris comparant amentis, ſeu funibus, è quibus ſagittæ euibrantur. Quorſum iſtud? Rem expendite, dicam planè. Telum adſit ingens, acre, præacutum: intendatur arcui tenui quodam funiculo, ſeu fragili quadam linea, lunato iam ad iaciendum: torqueatur; proculdubio cadet incruentum. Quid dico incruentum? Spatium ſuperabit ferè nullum; dices elapſum è manibus ignauiter, non excuſſum è baliſta vehementer. Quid ita? Nónne iaculum hamatum erat, acuminatum erat, venenatum erat? Certè. Sed cùm è filo quodam exili iaceretur, virium plus non habet, quàm leuis quædam pluma vno ſpiritu diſflata. Ita planè, verbis, ſententiis, figuris, ſchematis, fulminare ſæpenumero videbitur orator, ac tonare: ſed inanis ille ſtrepitus in ventos abit: labitur ad aures, non illabitur in animos. Quæ cauſa? Scilicet deſiderantur in oratore probi mores, quia vires conferunt dictioni. 89.

Eruditiones ſacra, ac profana.

Non minus eleganter Fabius, ſi quid iudico, vt oſtendat perſuaſurum neminem eas virtutes, quibus caret; Oratorem comparat ſigillo, nullis figuris inciſo, nullis notulis litterato. Age verò, inquit Fabius, ſume in manus huiuſmodi ſigillum, ceræ imprime, vrge, allide, incumbe, nitere toto pectore: tandem remoue. Vbi nota? Vbi character? Nuſquam apparet; ceram contudiſti, non exculpſiſti: calcaſti, non figuraſti. Cur ita factum? Sigillum terſum erat, raſum erat, leuigatum erat. Haud ſecus prodeat orator, ſiue ſtreperus ille ſit, clamoſus, & obſtreperus; ſiue contrà, politus, excultus, natus, fictus, tornatus ad dicendum. De morum integritate, à qua ille multum abſit, multa dicat ornatè, grauiter, copioſè. Quid efficiet? Auſtros feriet, animos non attinget. Rem miram? Nónne aderant in verbis phaleræ, in ſententiis calamiſtra, in tota oratione cultus, decor, apparatus? Sanè. Cur non flexit, cur non mouit? Nempe deerant ab animo dicentis illæ virtutum imagines in audientium animis imprimendæ. 90.

Fabius.
Orator cum ſigillo componitur.

Hoc Fabij argumentum tingo Plautinis ſalibus, non quidem ad ridicularia, ſed ad ſeria condiẽda quàm aptiſſimis. Quid ille in ſuo illo Pſeudulo? *Monendus*, inquit, *ne moneat*; certè nouit Comicus monendi hominis monitionem in nihilum abituram; quia quam fidem pulchrè dicta faciebant, eandem turpiter facta adimebant. Sed quàm pulchrè illud ab eodem dictum eſt in Truculento, *ſine virtute argutum ciuem mihi habeam pro præfica.* Quid iſtud eſt; præficæ in funeribus tundebant pectora, vellebant crines, laniabant ora, næniis, epicediis, lacrymis, eiulatu omnia complebant. Quid tam miſera comploratio? Fletus excitabat ſpectantium? Imò plerumque riſus. Sciebant quippe omnes non ex imo pectore 91.

Plaut.

Orator qui improbus eſt, præfica eſt.

Digitized by Google

re ſuſpiria erumpere; non cieri gemitus ex intimo doloris ſenſu; ſimulatas eſſe lachrymas, Inania lamenta, vanum choragium funebris apparatus. Ergo, qui ſine virtute de virtute loquitur, orator non eſt, præfica eſt. Multa garrit, multa blatit, nihil ex animo expromit; verbis quidem horſum trahit, factis repellit aliorſum. Verus orator & germanus, quos velit in auditorum animos inducere affectus, eoſdem priùs in ſe excitet, neceſſe eſt, *Neque enim fieri poteſt* (inquit M. Tull. 2. de orat.) *vt doleat auditor, vt oderit, vt inuideat, vt pertimeſcat, vt afficiet, vt ad fletum miſericordiámque deducatur; niſi omnes iſ motus in ipſo oratore impreſſi eſſe atque inuſti videbuntur.*

Tullius.

92. Quàm bene hoc ipſum nouit Polus quidam hiſtrio, Athenis! Rem feſtiuam narro. Actutus ille erat Sophoclis Electram. Tragœdiæ compoſitio exigebat, vt in ſcenam Electra induceretur plorabunda, ſimul cum vrna, in qua fingeret fratris ſui Oreſtis oſſa deportari, vt eius immaturum interitum lamentaretur. Quid Polus, vt perſonam ageret lamentatricis fœminæ cum ea veritate, vt ad fletus traherentur ſpectantes? Non ita pridem filium amiſerat, quem vnicè diligebat; cuius recordatio ita exulcerabat animum, vt lacrymas exculperet, querimonias extorqueret, & maiores ſemper fletus renouaret; cuius oſſa exhumanda curat; cum illis in capſula incluſis theatrum ingreditur. Quid factum? Flebat, eiulabat, lamentabatur, ita veris & ſpirantibus lamentis, vt fabulam non agere, ſed animi dolorem aperire videretur; ea res ita excitauit ſpectatorem, vt veris lacrymis ora proluerer, germanis fletibus omnia compleret. ſcilicet attitus hiſtrio intellexit, ſuam ſibi hiſtoriam perituram, niſi ageret ex animo, & non oculis tantùm deſeruiret; ita planè in oratore, niſi corporis geſtus animi motibus cohæreant, niſi manui lingua concinat, niſi facta dictis exæquentur, niſi cum lauto ſermone lautities morum coniungatur, omnis cura, omnis labor, vacuus ibit, & inanis; eiúſque omnes contentiones & clamores ita excipiet auditor, tanquam

Sophoclis Electra.

Si me vis flere, dolendum primum ipſi tibi, tunc tua me infortunia lædent.

Virgil. in 4. ---- *dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.*

Nam, vt bene Horatius in Poëtica,

Horat.

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi ſpectator habet, &c.

93. Sed quid moror meam in ſententiam oracula afferre Tulliana, *quò maior eſt*, inquit, *vis eloquentiæ, hoc eſt magis probitate iungēda.* Item, *vetus illa doctrina eadē videtur, & rectè faciendi, & benedicendi magiſtra*; rurſus, *non erant olim disiuncti Doctores, ſed iidem erant viuēdi præceptores atque dicendi.* Iterum, *Achilles à parente Peleo Phœnicis in diſciplinam traditus eſt, vt illum efficeret autorem verborum, actorémque rerum.* Illud tamen inter cætera præclarè à Cicerone dictum eſt; *Probitatis*, inquit, *expertibus ſi dicendi copiam tradiderimus, non quidem oratores effecerimus, ſed furentibus quædam arma dederimus.* Scilicet vir improbus amens eſt; eloquentia enſis eſt; trade enſem in amentis manus, boni ſuperi! Quæ ſtrages! quæ calamitas! quæ laniena! quæ carnificina conſequetur! haud ſecus, fac, vt aliquis vir improbus eloquentiæ præceptis imbuatur, orator non erit, Reipublicæ euerſor erit, pacis profligator erit, templorum depeculator erit, ſanctitatis violator erit; omnium ſcelerum, omnium flagitiorum artificioſus machinator, & architector erit; quare ſine dubio perfectus orator eſſe nequit ille, in quo vitæ candor, morum integritas, virtutum omnium chorus non ſplendeſcat.

Tul.

Eloquentia enſis eſt.

Orator improbus Reip. euerſor.

SCHOLIVM III.

De fine Rhetoricæ.

94. RHetoricæ finis eſt perſuadere dictione. Declarant hoc in primis ea nomina, quibus eloquentia nuncupatur. Dicitur enim à Latinis *Suada & Flexanima*, quia, teſte Cic. de orat. 2. *tantam vim habet omnium regina rerum oratio, vt nō ſolùm inclinantem erigat, ſtantē inclinet ſed etiam aduerſantem, & repugnantem, quò velit, inducat, deducat vnde velit.* A Græcis verò, *Pitho, & ψυχαγωγὴ*, quæ nomina tantundem valent, atque illa latina. Credebatur enim eloquentiæ hominum animos trahere etiam reſtitantes, & in quamlibet partem ſuo ductu moderari. Age verò illa vis, quæ in Mercurio dicitur fuiſſe (vt ab altiſſimis principiis ordiamur) ad cicurandas feras, ad extirpandas ſyluas, ad ſiſtendos fluuios, ad ſopiendos manes, quo alio ex fonte, quàm ab eloquentia emanauit? de quo Horatius 3. car. Od. 11.

Eloquentiæ nomina apud Latinos, & Græcos.

Tull.

Eloquentiæ vis

Horat.

Mercurij eloquentia.

Tu potes Tygres, comitéſque ſyluas
Ducere, & riuos celeres morari;
Ceſſit immanis tibi blandienti
Ianitor aulæ
Cerberus; quamuis furiales centum
Muniant angues caput eius, atque
Spiritus teter, ſaniéſque manet
Ore trilingui.

Illa vis, quæ in Orpheo fuit cantatiſſima ad ſerenandas iras, ad expungendos metus, ad leniendos corporum cruciatus; vnde niſi ab eloquentia defluxit. Cuius ille præſidio munitus, teſte Virg. 4. Georg.

Orphei eloquentia.

Virg.

----- *Manéſque adiit, regémque tremendum*
Neſciaque humanis precibus mãſueſcere corda,
At cantu commotæ Erebi de ſedibus imis
Vmbræ ibant tenues, ſimulacraque luce carentū.
Quin ipſæ ſtupuēre domus atque intima lethi
Tartara, cæruleóſque implexæ crinibus angues
Eumenides, tenuítque inhians tria Cerberus ora
Atque Ixionei, vento rota conſtitit orbis.

95. Quid verò de Amphione; quantam habuiſſe credis ad verſandos hominum animos poteſtatem; quia etiam præduras cautes, ſuo loco dicitur commouiſſe, non vectibus, ſed viribus eloquentiæ. Imò, vt auctor eſt Philoſtratus, loquendo fecit, vt ſaxa illa immania in Thebanæ vrbis conſtructionem ſua ſponte mirabiliter conueniret. Quædam in fundamenta cederent, quædam in faſtigia ſurgerent, quædam ad ſolidanda extrema interiacerent, omnia ad libellam, ad amuſſim coagmentata in portentoſam ſtructuram nectarentur. De quo bene Horatius in Poëtica.

Amphionis eloquentia.

Philoſt.

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis, Horatius.
Saxa mouere ſono teſtudinis ac prece blanda
Ducere quò vellet.

Quò etiam alluſit Propertius 3. Eleg. 1.

Saxa Cythæronis Thebas agitata per artem
Sponte ſua ad muri membra coiiſſe ferunt.

Proper.

Iam verò illa de Ariona fabella, quò ſpectat: quia non ſolùm dicitur maris ſæuitiā cantus ſuauitate tranquillaſſe, ſed etiā immanes feras natiua feritate exuiſſe. Imò ipſos piſces, quia naturę ſunt indocilis,

Arionis eloquentia.

Digitized by Google

cilis nullóque humano cultu manſueſcunt, Arionis cantus traxit, quò voluit, qua de re lege Ouidium Faſt. 2.

Ouid.

Quod mare non nouit, quæ neſcit Ariona tellus,
Carmine currentes ille tenebat aquas.
Sæpe ſequens agnam lupus eſt à voce retentus,
Sæpe auidum fugiens reſtitit agna lupum.
Sæpe canes, leporéſque vna iacuere ſub vmbra,
Et ſtetit in ſaxo proxima cerua, Leæ.

96. *Hercules duo eloquentes.* Hoc igitur in commento non tam vires Muſicæ, quàm Rhetoricæ priſci homines conſignatas relinquerunt expreſſas. Illi verò, duo Hercules qui portendunt, alter Græcus, alter Gallus; vterque tamen pharetratus, haſtatus, clauatus, leoninis exuuiis indutus; quo tam paria inſignia referuntur? Hoc ſi quis explicet inuolucrum veritatis; planè nouerit ad hominum animos ſubigendos egregium bellatorem, & eximium oratorem pares omnino vires habiturum. Nam ille Græcus bellandi arte inſignis erat: hic verò Gallus orandi facultate ſingularis; vtrique patria arma tribuuntur, vt vtriuſque pares ad vincendum vires oſtendantur.

Cyneæ oratoris eloquẽtia. Sed ne leuis fiat fabuloſis argumentis velitatio: ſerium iam ineo congreſſum. Quid Pyrrhus Epirotarum princeps, quid aiebat? ſe plures vrbes Cyneæ oratoris eloquentia ſubegiſſe, quàm cuiuſque bellatoris virtus vllo vnquam tempore expugnaſſet. Quid Philippus Macedonum Imperator? *Ad Athenas*, inquit, *conſeruandas multũ valet fateor Themiſtoclis pugnacitas; plus valebit tamen efficacitas dicendi, quæ vno in Demoſthene reperitur: iacet enim virtus militaris ſine præſidio eloquentiæ; eloquentia vbi non inuenit virtutem militarem facit.* An eidem ſententiæ non ſuffragatur Agamemnon? Certè. Nam ad Troiam capiendam non decem Aiaces militiæ ſtudioſos, ſed decem Neſtores eloquentiæ peritos requirebat: illi enim oppugnarent irruendo, hi verò expugnarent eloquendo. Suum addit calculum Euripides, cuius illud eſt oraculũ ſingulare, *Quidquid euertit ferrum, euertit ſermo.* Ergo dubium non eſt quin omnia oratoris ſtudia eo tendant vt auditorem molliat, temperet, impellat; & à qualibet hæreſi abductum in quamlibet ſententiam inducat.

Demoſthenis vis in dicẽdo.

Neſtores eloquentia.

Euripid.

SCHOLIVM IV

Oratoris laudem conſiſtere ſuo in fine conſequendo.

97. *Oratoris munus in quo conſiſtat.* OPtimus orator ille eſt, qui docet, qui delectat, qui flectit. Hæc tria, niſi præſtet, non præſtat eloquentia. Docet vbertate doctrinæ: delectat amœnitate eloquentiæ: flectit vtriuſque præſidij dignitate. Oſtendo ſingula. Vbertas in primis doctrinæ requiritur ad docendum. Vnde peſſima eſt ratio oratorum, qui ad dicendum ſe credunt paratiſſimos, ſi orationem afferant egentem rebus, ſuffarcinatam verbis. Imò eloquentes in eo videri volunt, quod materiam inanem, ſeu, veriùs vt dicam, nullam, verbis ornent, veſtiant, faciant lautiorem. Et quod extremæ eſt dementiæ, ſe humanos eſſe Ioues gloriantur, hoc eſt, Deo ſimiles, qui de nihilo facit omnia, ita enim illi prædicant, ſe de nihilo moliri, & architectari vniuerſa. Cum his ego paucis expoſtulo. Mihi ades, quiſquis es, qui verboſam doctrinam vocas eloquentiam, accuratam eruditionem vocas infantiam. Quæſo animum à corpore exclude: nonne natiuus ille ſuccus exareſcet? Illa frontis gratia venantis deperibit? ille color, ille vigor, illa dignitas totius formæ extinguetur? Certè. Subtrahe è cœna fercula, dapes ſubtrahe. Nunquid vacua illa murrhina placebunt? Inanes illi ſcyphi ſuo viſu ſatiabunt; fabula, ſomnium; fac, vt vitiis racemis quidem nuda, veſtita tamen pampinis in omnes partes nimia fundatur, nimia ſilueſcat. Quid vtilitatis inde capies? Certè nihil. Ita planè, res ab oratione amoue, verba cõcident: res orationi ſubiice, verba ſtabunt. Sed quæ poſui exempla, oraculis confirmo ſapientum. M. Tull. de orat. 3. orationem comparat animali, quòd in ea res ſunt inſtar animi, verba ſunt inſtar corporis. *Atqui homines*, inquit Tullius, *leuiter eruditi tanquã ab animo corpus, ſic à ſententiis verba ſeiungunt: quorũ ſine interitu fieri neutrũ poteſt.* Planè indicat, res in oratione tanti æſtimandas, quanti in homine animus æſtimatur: & ſicuti corpus ſine animo horridum eſt, informe eſt, cadauer eſt, ita orationem ſine rebus truncam eſſe, eneruam eſſe, exanimatam eſſe. Plutarchus libro illo aureo de officio auditoris orationem comparat conuiuio. Nam in conuiuio ornatus eſt, & cibus eſt. Ornatus ille ſympoſiacus ex phialis, ex pateris, ex ciboriis: cibus ex auibus, ex tragematis, ex bellariis. Quotus verò quiſquis eſt, qui quamuis lauta ſupellectile delectatur, maiorem tamen ex epulis non hauriat voluptatẽ. Certè Epigrammatario poëtæ mecum conuenit, nam inuitatus à quodam Varo nimis auaro, queritur, quòd

Tull.

Plutarch.

Martial.

Ornatus diues paruula cœna fuit.

98. Sic igitur in oratione res ſunt, & verba ſunt. Res tamquam cibi paſcunt animos: verba tanquam ornamenta, quæ circunſtant, titillant aures. Nemo autem erit, ſi modò ſanus ſit, qui non malit vera illa animorum oblectamenta, quàm hæc vna aurium irritamenta. Bene Plutarchus, *Ad oratorem*, inquit, *audiendum ſtudioſus auditor non aliter accedere debet, quàm ad ſacrum epulum*; ſcilicet minus ad guſtum verborum, quàm ad nutrimentum præceptorum. Quintilianus 8. inſtitut. 3. *Vbi*, inquit, *maxima rerum momenta verſantur, non debet quiſquam de verbis eſſe ſollicitus.* At cur ita? An quia, teſte Cicerone, rerum copia verborum copiam gignit? Sanè. Sed aliò quoque ſpectat Fabius. Nimirum arbori orationem affinem facit: illam quidem, quæ magno verborum apparatu luxuriet, arbori nimia foliorum vbertate laſciuienti; illam verò, quæ rerum pondere fulciatur, arbori, ſe ſe in magnam pomorum copiam explicanti. At vbi fructus adſunt, vbi poma; quorſum flores, quorſum folia requirantur? *An ego*, inquit Fabius, *fundum cultiorem putẽ, in quo mihi quis oſtenderit lilia, violas, & amœnos fontes ſurgentes, quàm vbi plena meſſis, aut graues fructu vites erunt? ſterilẽ platanum, tõſáſque myrtos, quàm maritã vlmum, & vberes oleas præoptauerim? habent illa deſides; hæc diuites.* Sic doctrinam phaleratam, lemniſcatam, ceruſſatam, calamiſtratam, tanquam ſterilem contemno: doctrinam grauem, plenam, maturam, fœtam, tanquam vtilem requiro: illam enim præferunt viri loquentes, hanc nonniſi eloquentes. Huc vſque Auctor.

Plutarch.

Quintil.

Tull.

Fabius.

⁂

LIBER

Digitized by Google

LIBER OCTAVVS

DE FLORIBVS humaniorum literarum.

PROLVSIO.

Rhetorica triplici virtute[que] effloreſcit. Grammaticæ munus.

ORATIO, cui fabricandæ Rhetorica incumbit, triplici virtute effloreſcat, neceſſe eſt. Sana in primis eſſe debet, erudita, & ornata. Ad orationem emaculandam plurimas Grammatica præceptiones inculcat. Ad eandem verborum illecebris diſtinguendam, ſententiarum coloribus illuminandam Rhetorica leges quàm aptiſſimas præſcribit. Sola humanitas in eo vertitur, vt gratiſſima eruditionis ſupellectile orationem locupletet: quia verò in vtriuſque artis confinio ſita eſt, ita ſuum munus exequitur, vt ſine crimine falcem in vicinas ſegetes immittat: dum Grammaticæ præcepta ſanandæ orationi accommodata reuocat in memoriam: & Rhetoricæ documenta verborum aucupio exquirendo perutilia aliqua ex parte prædicit. Eius tamen præcipua cura in perfecta totius antiquitatis cognitione, auctorúmque omnium tam ex Græcis, quàm Latinis notitia non vulgari conſiſtit.

Humanitatis cura.

Erat tunc tēporis Humanitatis profeſſor. Huius libri inſtitutum.

Quare ne officio noſtro deeſſe videamur, multi ſunt nobis adeundi veterum libri, hiſtoriæ euoluendæ, conſulenda monumenta, ex quibus qualemcumq; eruditionis ſyluā colligamus, vnde conficiendis orationibus naſcatur argumentum. Igitur aliquot antiquorum ritus proponemus, difficiliores poëtarū nodos explicabimus, loquēdi formulas à communi ſenſu magis recōditas in lucē afferemus; cæteráque id genus, prout ſe dabit occaſio, ſi minus eruditè, certè curioſè inculcabimus. Quas lucubrationes, neque aduerſaria cum Turnebo, neque dies Geniales cū Alexandro, neq; noctes Atticas cū Agellio, neque miſcellanea cum Politiano, neq; Antiquas lectiones cum Rhodigino; ſed Saturnalia cum Macrobio libuit appellare, non quidem à Saturni feſtis, vt ille, ſed à Saturni diebus, quibus hæc ſuſcipimus, ventilanda. Cæterùm, ne vnus ordo requiratur, qui rebus omnibus dignitatē tribuit, ac decorē, quidquid à nobis inculcabitur, in decades conijcietur, ſingulas denis capitibus cōcluſas. Quare à denario numero rē ipſam ordiamur.

Ordo ſcribendi.

SATVRNALIORVM decas I.

CAPVT I.

Quæ fuerint apud veteres leges decimatæ.

1. Tiraquel de iur. primog fol. 511. Bud. in pād. fol. 341.

SI quando apud antiquos ab integro ferè exercitu flagitium aliquod admitti contigiſſet; Imperator in decimum quemque militem ſortitò animaduertebat capitaliter: quando enim omnes ad extremum ſupplicium efferre nec poterat, nec volebat; ſingulos extremi ſupplicij metu in officio continebat. hoc autem erat, legiones decimare; illæ verò decimatæ vocibantur. Huius conſuetudinis meminit M. Tullius pro Cluentio, his verbis: *Statuerunt ita maiores noſtri, vt ſi à multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum, ſortitione in quoſdam animaduerteretur, vt metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret.* hoc ipſum paulo pòſt, *ſortiri ad pœnam*, vocat. Auctor quoque eſt eiuſdem cōſuetudinis Titus Liuius, lib. 2. ab vrbe condita. *Cætera*, inquit, *multitudo, ſorte decimus quiſque ad ſupplicium lecti.* Hoc autem fecit apud Dionyſium Halicarnaſſæum lib. 9. Appius Claudius cōſul, Craſſus apud Plutarchum in vita ipſius Craſſi. Apud Appianum lib. 2. non ſemel Iulius Cæſar, aliíque apud alios. Nec ſolùm hæc pœna ex decimatione ſumpta eſt à ſuis militibus, ſed quandoque ab hoſtibus

M. Tullius explicatus.

T. Liuius expoſitus.

Dion. Hal.

Plutarch.

Appian. 2.

Digitized by Google

Sylla crudelitas. bus. Sylla enim, cùm Athenas cepiſſet, omnes quos ſibi aduerſarios nouerat, ſorte decimum quemque ad ſupplicium duci iuſſit: vt au-ctor eſt *Pauſan.* Pauſanias lib. 1. Cæterùm & Cambyſes *Cābyſa immanitas.* Perſarum rex, cùm in expeditione aduerſùs Æthiopes eius exercitus fame premeretur, decimumquemque militem ſortiri, necarique in cibum iuſſit: *Seneca.* vt auctor eſt Seneca lib. 3. de ira, *Herod.* & ante eum parens hiſtoriæ Herodotus in Thalia. *Lucan.* Vnde Lucan. lib. 10.

> ---*Veſanus in ortus*
> *Cambiſes longi populo peruenit ad aui*
> *Defectuſque epulis, & paſtus cade ſuorum*
> *Ignoto te Nile redit.*

3\. *Lamb.* Quem locum ita interpretatur Lambertus ibidem. Hinc lucem præſtare potes obſcuriſſimo regij Vatis oraculo in Pſalm. 67. v. 14. *Si dormiatis* *Genebr.* *inter medios cleros*, &c. Vbi, vt bene Genebrardus, & alij diuinarunt, tangitur militaris decimandi modus; *Ambroſ.* legitur enim ſecundùm dictionem Hebraicam, quam ſequitur D. Ambroſius: *Si dormiatis inter medias ſortes.* Quaſi diceret, ſi *Gloria militum Christi* deueniatis ad extremum illud mortis diſcrimen, ad quod milites ob commune luendum flagitium ſortitò deueniunt aliquando; hæc tamen ſors adeò fauſta ſi vobis contingat (alloquitur Chriſti milites) eritis ſicut columnæ, in quarum ceruicibus illa pennatum varietas & elegans colo-*Tiraq.* rum ambitio cum ipſo ſole certare videntur. Cæterùm *Bud.* hac de re conſule Tiraquell. *de iure primogeniorum fol.* 511. & Budæum *in Pand. fol.* 341.

Caput II.

Quid ſibi velit apud Ciceronem ſortis coniunctio, ac neceſſitudo.

4\. *M. Tullius varijs in locis explicatur.* De ſortis coniunctione, ac neceſſitudine multa Cicero multis locis. Act. 1. in Verr. *Sic*, inquit, *à maioribus noſtris accepimus, Prætorem quæſtori ſuo parentis loco eſſe oportere, nullā neque iuſtiorem, neque grauiorem cauſam neceſſitudinis poſſe reperiri, quam coniunctionem ſortis, quam prouinciæ, quàm officij, quàm publicam muneris ſocietatem.* Et paulo infrà, *Accuſaui eum, qui cum quæſtor fueram, qui cum me ſors, conſuetudóque maiorum, qui cum me Deorum, hominúmque iudicium coniunxerat.* Idem lib. 2. epiſt. famil. epiſt. vlt. *Magni enim videbatur intereſſe, ad eam neceſſitudinem, quam nobis ſors tribuiſſet, conſuetudinem quoque accedere* In hæc aliaque id genus loca paſſim incurres apud 5. Ciceronem. Quæ vt intelligas, reuocare in memoriam opus eſt illam veterum conſuetudinem, qua vnicuique ſortito imperium, ſeu alicuius prouinciæ adminiſtratio deferebatur, vt tradit *Diod.* Diodorus Siculus lib. 4 bibliothecæ. Cui rei principium fecerunt Atlas, & Saturnus cœli filij ſorte inter ſe imperium partiti. Deinde verò tres Saturni filij, quorum Ioui cœlum, Neptuno mare, Plutoni infernum obtigiſſe dicitur ab Orpheo, & Homero. Quò pertinet Virgilianum il-*Virg.* lud 1. Æneid.

> *Non illi imperium pelagi, ſæuúmque tridentis,*
> *Sed mihi ſorte datum,*

Tibullus. Tibullus lib. 3. Eleg. 5 eodem ſpectat.

> *Parcite pallentes vmbras quicunque tenetis,*
> *Duraque ſortiti tertia regna Dei.*

Ouid. 2. Metam. de Neptuno loquens, *Ouidius.*

> *Quid meruit frater? Cur illi tradita ſorte*
> *Æquora decreſcunt?*

Senec. item, dum inducit Herculem ex inferis redeuntem,

> ---*Vidi inacceſſa omnibus* *Seneca.*
> *Ignota Phœbo, quaque deterior polus*
> *Obſcura diro ſpatia conceſſit Ioui,*
> *Et ſi placerent tertia ſortis loca*
> *Regnare poteram.*

Et iterum in eadem tragœdia,

> *Natus Euryſtheus properante fato*
> *Iuſſerat mundi penetrare fundum.*
> *Deerat hoc ſolum numero laborum,*
> *Tertia regem ſpoliare ſortis.*

Auſonius in Moſella de Neptuno loquens,

> ---*Haud ille ſinit, cui cura ſecunda* *Auſon.*
> *Sortis, & æquorei ceſſit tutela tridentis.*

Quanquam Callamichus in Hymnis Iouis negat *Callimach.* ſortitionem illam inter eos eſſe factam; ipſius enim carmina cum Ioue loquentis ita quidam è Græco traduxit,

> ——*Veteres (neque enim commenta poëtæ*
> *Verſa ſatisfaciant) Saturni pignora quondam*
> *Inter ſe ſummam rerum ſortita fuiſſe,*
> *Et cœlum ceſſiſſe tibi, nam quis, precor, vnquam,*
> *Quis rudis vſque adeò res vt diſcrimine toto*
> *Diſtantes vni ſtultus commiſerit vrnæ*, &c.

Quidquid tamen ea de re ſit, planum ſanè eſt 6. multos ſortitò ad regiam dignitatem euectos. *Multi ad regiam dignitatem ſortitò euecti.* Nam Alexandri Magni ſucceſſores ſorte inter ſe prouincias diuiſerunt. Vt refert Iuſtinus lib. 13. Darius item ſorte Perſarum regnum adeptus eſt. *Iuſtinus. lib. 1.* Extincto enim Cambyſe contentionem de regni ſucceſſione inter ſeptem Perſas excitatam, ſors diremit: ita ſcilicet vt ſub ortum Solis conſcenſis equis eos ante Regiam producerent, & cuius equus vocem primus edidiſſet, is regno potiretur. quod cùm fieret, Darius cuius equus primus adhinnuit, regnum obtinuit. Hanc igitur conſuetudinem priſcis ſeculis ſeruatam Romani ad ſua tempora tranſtulerunt: quorum primi Romulus ac Remus augurij ſorte decidetunt, vter eorum vrbem conderet, imperióque adminiſtraret.

Qui mos ad ſequentes Reges dimanauit, ſeruarunt Imperatores, vtpote qui ex illuſtrium poëtarum lucubrationibus ſortem ſuam auſpicati fuerint, & prout carminum ſenſus ſorte inuentus oſtendebat, augurium capiebant; vnde Cæſari Adriano, antequam Imperator crearetur, illud Maronis ſortilegio feliciſſimè ceſſit.

> *Quis procul ille autem ramis inſignis oliuæ*
> *Sacra ferens, noſco crines incanaque menta*
> *Regis Romani, primus qui legibus Vrbem*
> *Fundauit, curibus paruis, & paupere terra*
> *Miſſus imperium magnum*, &c.

Neque ſuperſtitioſum augurium honoribus in- 7. hiantem Adrianum fefellit, namque ſumma omnium acclamatione ad imperatoriam dignitatem ſe promotum conſpexit. Poſtea verò ſinguli proconſules, ac prætores ſingulas prouincias ſorte comparatas adminiſtrabant, Liuius libro 4. ab vrb. cond. *Senatus conſules ſortiri prouincias iuſſit, quibus iuris dicundi gratia ſortitò etiam quæſtores aſſignabantur.* Cic. ad Qu. Fr. lib. 3. *Quæſtorem habes non tuo iudicio delectum, ſed eum quem ſors dedit.* Igitur vnicuique conſuli tanta cum ſuo quæſtore neceſſitudo intercederet, opus erat, vt ad liberorum coniunctionem accedere videretur. Cic. lib. 13. epiſt. 10. Mos maiorum hanc

Digitized by Google

quæſturæ coniunctionem liberorum neceſſitudini proximam eſſe voluit. id moris apud Hebræos. Saul ſortitò inauguratus Hebræorum Rex. *Cecidit ſors ſuper cognationem Metri, & peruenit vſque ad Saul*, &c. Ioſue etiam totius Palæſtinæ agros vbere gleba fertiles ſorti commiſit, ac diſtribuit, oblitus autem ſui, quod ab optimo duce alienum non iudico, in nouiſſimis voluit recenſeri. Audio de hoc illuſtri facto auream Origenis ſententiam. *Ipſe miſit omnibus ſortes, & ſe in nouiſſimis reſeruauit, voluit eſſe omniū nouiſſimus, vt eſſet omnium primus*, &c. Cæterùm nullis potiùs, quàm Romanis ſolennius fuit ſortilegium, imò nec religioſius.

1. Reg. 10. 21. vbi auctor huius operis eleganter hãc rem tractat. tom. 3. Ioſue. Origenes.

8. Quod enim ſorte eueniebat, id euenire Deorum voluntate veteres arbitrabantur. Hinc enim eſt, quod à Cicerone Philip. 3. & alibi ſortes diuinæ appellentur. Ex his intelliges, quid ſibi velit M. Tullius, cùm de ſortis neceſſitudine loquatur.

CAPVT III.

Quis fuerit olim in talorum ludo iactus Venereus.

9. VEteres talorum ludum quatuor talis exercebant: quorum ſinguli quatuor tantùm lapſus, ſeu facies habebant. conſule Theſaurum de ling. lat. verb. *Talus*, omnéſque interpretes eorum quos citauimus, auctorum. Primum quidem latus vnico duntaxat puncto conſignatum, *canem*, ſeu *caniculam* appellabant: alterum huic reſpondens, & ſex punctis inſcriptum, *ſenionem*: ex duobus reliquis ſibi inuicem oppoſitis, vnum à tribus punctis, *ternionem*: alterum à quatuor, *quaternionem*. Cætera duo latera cùm ita eſſent acuminataq́; vt illis nunquam tali inniterentur, nullis punctis diſtinguebantur. *Talus* Latinè, Græcè ἀστράγαλος. Vnde Plin. lib. 34. *Polycletus fecit pueros ludentes, qui vocantur aſtragalizontes.* Porrò ſenio felix, canis verò infelix erat. Vnde Perſ. Satyr. 3.

Theſaur. *Talorum differentia, & vſus.* Plin. Perſ.

——— *Quid dexter ſenio ferret*
Scire erat in voto, damnoſa canicula quantum
Raderet, anguſtæ collo non fallier orcæ.

Ouid. Suos etiam talos iecit Ouid. lib. 2. de arte.

Seu talos iacies, victámne pœna ſequatur
Damnoſi facito ſtent tibi ſæpe canes.

Orca verò, vt obiter dicam, ſignificat vaſculum aleatorium, quo coniectæ agitatæque teſſeræ mittuntur in alueum, ad euitandas aleatorum impoſturas: ab Horat. dicitur *pyrgus* lib. 2. ſerm. ſat. 7.

Horat.

Scurra Volanerius poſtquam illi iuſta chiraga
Contudit articulos; qui pro ſe tolleret, atque
Mitteret in pyrgum talos, mercede diurna
Conductum pauit.

10. A Martiale apophoretis, turricula: erat enim hoc vaſculum inſtar turriculæ, quod etiam ſignificat *pyrgus* apud Græcos, ita igitur Mart. quodam in diſticho, cui titulus, Turricula,

Martial.

Quæris compoſitos manus improba mittere talos,
Si per me miſit: nil niſi vota facit.

A Iuuenale ſatyr. 14. in principio, *fritillus*, fortaſſe à crepitu, quem edunt tali, cum ita iaciuntur.

Iuuenal.

———*paruóque eadem mouet arma fritillo.*

Cæterùm, vt ad canem, ac ſenionem redeamus, ille Chius, hic verò Chous à Græcis dicebatur. Vnde intelliges prouerbium illud apud Eraſmum, *Chius ad Choum*, dici ſolitum, vel cùm res inæquales inuicem comparantur, vel cum imbecillior fortiorem laceſſit. Sed iam ad Venereum iactum, qui non vnius tantùm facies erat; ſed ex omnibus conſtabat. Quoties igitur tali quatuor ita excidebant, vt diuerſa eſſet omnibus facies, iactus ille Venereus dicebatur, eratque omnum fortunatiſſimus. Mart. lib. 14. de Venereo iactu loquutus, vt omnes interpretantur, ita inquit:

Chius ad Choum apud Eraſmum Venereus iactus.

Martial.

Cùm ſteterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dediſſe tibi.

Cic. 1. de diuinat. Itáne verò quicquam poteſt eſſe caſu factum, quod omnes habet in ſe numeros veritatis; quatuor tali iacti caſu Venereum efficiunt: num etiam centum Venereos ſi quadrigentos talos ieceris, caſu futuros putas? Hinc eſt prouerb. illud, *Si ſæpe iactaueris, aliquando Venerem iacies.* quod nos Luſitani vulgò dicimus *pro ſia mata caça*. Sed & Propert. lib. 4. Eleg. 9. huius iactus felicitatem declarat 11.

Tull. Propert.

Me quoque per talos Venerem quærente ſecundus
Semper damnoſi ſubſiliere canes.

Plaut. Plautus item in Aſinar. ſcen. vlt. *Hoc Venereum eſt, pueri plaudite, & mihi ob iactum cantharo mulſum date.* Sueton. verò in Auguſto. *Vt quiſque canem, aut ſenionem miſerat, in ſingulos talos, ſingulos denarios in medium conferebat, quos tollebat vniuerſos, qui Venerem iecerat.* Ex his facilè intelliges Horatianum illud lib. 2. car. Od. 7.

Sueton. Horat.

Quem Venus arbitrum dicet bibendi?

nam apud veteres ſolemne fuit, archipoſiam, id eſt, principatum in compotatione ludo talorum ſortiri; iuxta illud 1. libri Od. 4.

Nec regna vini ſortiere talis.

Quod enim ibi vini Rex, hic bibendi arbiter agnoſcitur, igitur qui Venerem iecerat, proculdubio Sympoſiarchus euadebat. Lambinus in Plaut. *Iactus venereus erat, cùm quatuor tali iacti diſſimiliter ceciderāt: canis, cùm eadem facie, eodēque ſitu conſtiterāt. Erāt reliqui duo Baſilicus, ſeu Regius, id eſt, Hercules idem fortaſſe, qui ſenio; & vulturius, inter duos illos (Venereū ſcilicet, & canē) medij. Sed horum mediorū vulturius deterior, felicior tamen cane, omnium quatuor deterrimo.* Vnde infrà in Curcul. *Miles qui iacit quatuor voltorios, vincitur; Curculio, qui iacit Herculem Baſilicum, vincit.* Hęc Lambinus. *Volotorios*, inquit Plaut. loco citato, *iacit quatuor, ego arripio talos; Herculem iacto Baſilicum, Propino magnum poculum, ille ebibit.* Hæc enim erat pœna victi, vt ebiberet, quod victor propinaret. Sed Hercules dicebatur iactus, quia fortaſſe inciſa erat in talo Herculis imago regio habitu, &c. Sed vt dilutum tandem hoc vinum habeas, quo multos neſcio an deſibutos video; conſule Sueton. in Auguſto de talis, ille propinabit integrum ſenſum.

12. *Rex conuiuij Arbiter bibendi.* Lamb. Plaut. *Pœna victi in conuiuio.* Sueton.

***

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT IV.

Qui dicantur Gentiles, terræ filij, & gallinæ filius albæ.

13. *Tull.* GEntiles dicuntur homines nobiles. Ita enim Tullius in Topicis. *Gentiles ſunt, qui inter ſe eodem nomine ſunt, qui ab ingenuis oriundi ſunt, quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit, qui capite non ſunt diminuti.* Quem locum enarrando *Boët.* Boëtius ait, *nullam eſſe gentilitatem, niſi ingenuorum.* Huc alluſit Ouidius 2. faſtorum de Fabiis loquutus,

Ouid.

Vna domus vires, & onus ſuſceperat orbis.
Sumunt Gentiles arma profeſſa manus.

Terræ filij. *Lactant.* Terræ filij appellantur illi, qui tam obſcuro loco nati ſunt, vt eorum ignorentur parentes; cuius rei teſtem afferre poſſum Lactantium Firmianum lib.1.inſtitut. qui ait, *terræ filios dici ſolitos, qui ignotis parentibus ſunt nati: quales fuerunt gigantes, qui ex imis terræ viſceribus nati cum Dijs bellaſſe finguntur à poëtis, hoc eſt, diuinis eorum legibus ſemper repugnaſſe.* Hinc Perſius de humili & abiecto viro,

Perſius.

---- *Praſtò eſt mihi Manius hæres*
Progenies terræ.

14. Et Iuuenalis, cùm loquatur de iis pœnis, quas in nobiles Domitianos exercebat, concludit,

Iuuen.

Vnde fit, vt malim fraterculus eſſe gigantum.

Tull. Vide Britan. in Iuuen. & Bud. in Pand. fol. 143. Cicero lib.epiſt.7. *Cornelius*, inquit, *familiaris tuus ſummo genere natus, terræ filius.* Vbi eum ſummo genere natum per ironiam appellat. Et lib.1.ad Atticum, *Huic terræ filio neſcio cui committere epiſtolam tantis de rebus non audeo.*

Gallinæ filius albæ. *Iuuen.* *Sueton.* Gallinæ filius albæ apud Iuuenal. Satyr. 13. prouerbiali ſchemate dicitur de viro aliquo fortunatiſſimo. Alluditur enim ad fatalem illam gallinam, cuius meminit Suetonius in Galba, *Aquila enim præteruolans albam gallinam, ramulũ lauri roſtro tenentem in gremium Liuiæ vxoris Auguſti demiſit, cúmque alitem nutriri, ac pangi ramulum placuiſſet: mira fuit vtriuſque fertilitas: ex illa namque innumerabilis pullorum ſoboles prouenit; ex hoc ingens admodum lauretum propagatum eſt: vnde triumphaturi Cæſares laureas decerpebant.* Huc pertinet illud Ciceronis lib.7.epiſt.famil. ad Curionem, *Tull.* *Quaſi auem albam*, inquit, *videntur bene ſentientem ciuem videre.* Huic contrarium eſt illud ex eodem Iuuen.ibid.

---*Nati infelicibus oui.*

CAPVT V.

De numero conuiuarum apud veteres, & quæ fuerint vmbræ in conuiuijs.

15. *Varro.* *Conuiuæ ad minimũ tres, ad ſummum nouem.* QVæſtionem agitamus ſympoſiacam: quinam debeat eſſe numerus conuiuarum. M. Varro in Satyris Menippæis ait, *conuiuarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero, & progredi ad Muſarum.* id eſt, conuiuas minimùm pauciores non fore, quàm tres, quot numerantur Charites: at verò ſummùm plures non futuros,

quàm nouem, quot Muſas poëtæ venerantur. Sunt tamen, qui ſeptem plurimum, ad conuiuium admittendos arbitrentur; veriti ne à maiori numero tumultus oriantur: quibus fauet parœmia illa decantatiſſima, *Septem conuiuium, nouem conuitium.* ad quam mihi viſus eſt Auſonius alluſiſſe in Ephemeride,

Quinque aduocaui, ſex enim conuiuium *Auſon.*
Cum Rege iuſtum: ſi ſuper, conuitium eſt.

Sed illi, qui non vocati ad conuiuium, ſequuntur inuitatos, vmbræ dicuntur: quòd tanquam vmbræ corpora ſequantur. Horum meminit Horatius, *Horat.*

---*Locus eſt & pluribus vmbris.*

Suis autem vmbris perurbanè illuſit aliquando Philippus Alexandri pater. 16. *Conuiuij vmbra.* Hic enim inuitatus erat ad cœnam, cúmque inter eundum plures haberet amicos obuios, ſecum eos duxit: cùm tamen hoſpes turbaretur, qui ſciret tam multis non fore ſatis, quod apparauerat: Philippus vbi hoc ſentit, puerum ad ſingulos amicos mittit; monet clam, vt placentæ ſeruent locum. *Philippus vmbras conuiuij ſui deluſit.* Illi credentes, placentámve expectantes parciſſimè appoſitis veſcebantur. Ita contigit, vt cæna modica, omnibus, quamuis multis, ſuffecerit. Quo pacto & hoſpitis pudori ſubuenit, & vmbras ſuas deluſit. Eſt apud Pont. volum.2. progym. 69. qui ex Agell. lib. 13. cap. 11. & Macrobio 1. Saturn. cap. 7. hauſit multa huiuſce coloris. *Pont. Agell. Macrob.*

CAPVT VI.

Quis dicatur apud Iuuenalem ſuccurrere poſſe Lunæ laboranti.

CLamoſum & obſtreperum hominem variis loquendi formis antiqui ſignificarunt; quarum pleræque in parœmiam abierunt; dicitur enim, *clamoſior lauro ardente*; quia viridis laurus incenſa maximos crepitus edit. 17. *Variæ loquẽdi formulæ in homines clamoſos.* *Stentore clamoſior*, quia Stentoris vox tam firma fuit, vt quinquaginta hominum clamorem ſuperaret; vnde ab Homero ferrea dicitur fuiſſe. *Sarpedonium littus*, propter maximos fluctus, quibus illud Thraciæ littus continuò tunditur. *Æs dodoneum*: propter ingentem ſtrepitum, quem edebant lebetes illi, quibus Iouis ſimulacrum Dodone cingebatur. De his aliiſque prouerbiis in eandem ſententiam tendentibus conſule Manutium in adagiis. *Manut.* Cæterùm difficilis planè eſt, & perobſcura illa phraſis, qua Iuuenalis Satyr.6. clamoſam fœminam ſignificat, dum ait, *Iuuen.*

Vna laboranti poterit ſuccurrere Lunæ.
Tot pariter pelues, tot tintinnabula credas
Pulſari.

Ad quam emedullandam cortice quidem, ſeu potiùs Delio natatore opus eſt. *Delius natator.* Ita rem accipe. Præſtantes doctrina viri, teſte Plinio lib.2.c.11. *Plin.* quales fuerunt Steſichorus, & Pindarus, crediderunt, lunam excantationibus defectum pati: nec niſi diſſono æris crepitu ad priſtinum ſplendorem poſſe reuocari. Quare quoties luna deficiebat, toties ab antiquis inconditi ſtrepitus, & fragores excitabantur; tanquam eius morbi remedium panchreſtum. *Luna excantationibus defectũ pati ſe batur veterũ opinione.* Hinc intelliges locum illum apud Liuium lib.26. ab vrbe condita: *Liu.* *Diſpoſita*, inquit, *in muris Campanorum imbellis multitudo, tantùm cum æris crepitu clamorem edidit, quãtus in*

Digitized by Google

defectu lunæ ſilenti nocte fieri ſolet. Concinit Ouid. 4. Met.

Ouid. *Cùm fruſtrà reſonant æra auxiliaria lunæ.*

& in 7. eiuſdem operis,

Te quoque luna traho, quãuis Themeſæa labores
Æra tuos minuant.

Nec abludit Statius lib. Theb.

Statius. *——— attonitis quoties auellitur aſtris*
Solis opaca ſoror; procul auxiliantia gentes
Æra crepant, fruſtràque timent.

18. Plutarch. Accedit Plutarchus in Æmilio, qui ait Romanorum conſuetudinem fuiſſe, vt lunæ deficientis lumen tinnitu æris reuocarent. Quare iuxta hanc veterum conſuetudinem, qui loquaciſſimi ſunt, dicuntur lunæ laboranti poſſe auxiliari ſuis vocibus, omnibus aliis fragoribus abdicatis. Vnde nullus ſupereſt in Iuuenalis carmine nodus enodandus. Vide etiam Turneb. lib. 2. cap. 23. Turn. Facit illud Senecæ lib. 7. cap. 1. *Nemo obſeruat lunam niſi laborantem, tunc vrbes clamant, tunc pro ſe quiſque ſuperſtitione vana trepidat,* &c. Facit illud Ambroſ. ad populum. Ambroſ. ſerm. 82. *Ipſa die circa veſperum tanta vociferatio populi extitit, vt irreligioſitas eius penetraret ad cœlum; quod cùm requirerem quid ſibi clamor hic velit, dixerunt mihi, quòd laboranti lunæ veſtra vociferatio ſubueniret, & defectum eius ſuis clamoribus adiuuaret; riſi equidem, & miratus ſum vanitatem, quòd quaſi deuoti Chriſtiani Deo ferebatis auxilium, clamabatis enim, ne tacentibus vobis perderet elementum.* Vide plura ſerm. de defectione lunæ. Facit illud D. Auguſtini tract. de rectitudine Catholicæ conuerſat. Auguſt. *Nullus,* inquit, *quando luna obſcuratur, vociferare præſumat, qui certis temporibus, Deo iubente, obſcuratur,* &c. Facit & locus ille Taciti lib. 1. Annal. Tacit. *Luna claro repentè cœlo viſa langueſcere,* &c. Igitur æris ſono, tubarum, cornuúmque concentu ſtrepere nihil aliud eſt, quàm lunæ ſuccurrere, &c.

CAPVT VII.

Quæ animi indicia ex oris geſtibus colligantur.

19. HOc caput non minus oblectationis, quàm eruditionis exiſtimo habiturum. Illud tamen ita expediamus, vt potiùs nonnulla perſtrinxiſſe, quàm ſingula minutiùs conciſiſſe videamur. A capite igitur rem ipſam aggredior. *Caput conſpergere.* Caput puluere conſpergere illi dicebantur, quos ingens aliquis mœror, atque ægritudo elidebat. Catull. carm. de nuptiis Pelei,

Catull. *Canitiem terra atque infuſa puluere fœdans.*

Caput motare. Caput motare, ſignum erat iracundiæ; vnde Iuno, cuius in imis præcordiis gliſcebat furor, caput quaſſare dicitur. Virgil. 7. Æneid.

Virgil. *Tum quaſſans caput hæc effudit pectore dicta.*

Innuere capite. Innuere, eſt ſignificare, vt aliquid fiat. Terent. in Adelphis, *Nec mora ſit ſi inueneris, qui pugnus continuò in mala hæreat.* Annuere eſt, alicui aſſentiri, & quippiam approbare. Virgil. 9. Æneid. de Ioue loquutus,

Virgil. *Annuit; & totum nutu tremefecit Olympum.*

20. *Attollere ſupercilium.* Attollere ſupercilium, id eſt, faſtum, ſuperbiam, ac ſeueritatem præ ſe ferre. Quò pertinet Horatianum illud de Ioue 3. carm. od. 1. Horat.

Clari giganteo triumpho
Cuncta ſupercilio mouentis.

Item illud ex Iuuenale Satyr. 6.

Iuuenal. *——— Si cum magnis virtutibus affers*
Grande ſupercilium.

Tull. Rurſus illud ex Cicerone pro Sextio, *Tanta,* inquit, *erat grauitas in oculo, vt illo ſupercilio, tanquam Atlante cœlum, reſpublica niti videretur.* *Ponere ſupercilium.* Ponere ſupercilium, vel demere, eſt, hilarem ſe ac facilem præbere. Mart. lib. 1.

Martial. *Contigeris noſtros Cæſar ſi fortè libellos,*
Terrarum dominum pone ſupercilium.

Horat. 1. epiſt. Sat. 2. Horat.

Deme ſupercilio nubem, &c.

21. *Exporrigere frontem.* Exporrigere frontem, eſt, animi remiſſionem, atque lætitiam indicare. Terent. in Adelphis, Terent. *Mitte iam iſthæc, exporrige frontem.* Et in Caſina Plaut. Plaut. *Ego te porrectiore fronte volo mecum loqui.* Idem valet frontem explicare. *Frontem explicare.* Horatius lib. 3. carm. od. 29. Horat.

Mundæque paruo ſub lare pauperum
Cœnæ, ſine aulæis, & oſtro
Sollicitam explicuere frontem.

Contrahere frontem. Contrahere frontem, id eſt, triſtitiam præ ſe ferre. Cicer. in Cluentiana, *Hic ille improbiſſimus quæſtu iudiciario paſtus contrahit frontem.* Tantundem valet, *frontem conſulcare.* *Frontem conſulcare.* Plaut. in Bacchio, Plaut. *Spectatores ronchos cient, conſulcant frontem, & ore conerepario frequenter fremunt, & malè muſſitant.* *Frons caperat, quid.* *Frons caperat,* abſolutè, id eſt, *contrahitur.* Plaut. in Epidico, Plaut. *Quid illuc eſt, quod illi caperat frons ſeueritudine? Frontem ferire,* eſt, *indignari,* *Frontē ferire.* vel *ægrè ferre.* Cicer. ad Attic. lib. 1. Tullius. *Puto te in hoc, aut riſiſſe, aut ingemuiſſe, vt frontem ferias.* Idem in Bruto, *Nulla perturbatio animi, nulla corporis frons non percuſſa, non femur.* *Frontem perfricare.* *Frontem,* vel, *os perfricare,* id eſt, pudorem abiicere. Mart. lib. 11.

Martial. *Aut tum perfricuit frontē, poſuitque pudorem.*

22. Cicer. 3. Tuſcul. Tullius. *Eam tu voluptatem, cùm os perfricuiſti, ſoles dicere.* *Oculorum ardor iracundiã ſignificat.* Oculorum ardor iracundiam ſignificat, Cicer. 5. Verr. Tull. *Ipſe inflammatus ſcelere, ac furore in forum venit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat.* *Oculi defixi.* Oculi defixi, ſtuporem indicant. Virgil. 1. Æneid.

Virgil. *Dum ſtupet, obtutúque hæret defixus in vno,* &c.

& in 7.

Talibus Ilionei dictis defixa Latinus
Obtutu tenet ora.

Lachrymæ gaudium produnt aliquando. Lachrymæ quandoque gaudium produnt. Terent. in Adelphis, Terent. *Ob lacrumo gaudio.* & in Heautont. *Mulier telam deſerit continuo, & lachrymis oppletos totum ſibi vt facilè ſcires deſiderio id fieri tui.* Virgil. 6. Æneid. de Anchiſe,

Virgil. *——— alacris palmas vtraque tetendit,*
Effuſaque genis lachrymæ.

Lachrymæ dolorem ſignificant frequentiùs. Frequentiùs tamen dolorem ſignificant. Cæſ. 1. de Bello Gallico, Cæſar. *Diuitiacus multis cum lachrymis Cæſarem amplexus obſecrare cœpit, ne quid grauius in fratrem ſtatueret.* Menel. apud Euripid. in Helena, Euripid. ait, *viri eſſe generoſi lachrymas in aduerſis rebus fundere.* *Buccas inflare.* Tandem inflare buccas, eſt, iratum ſe exhibere. Horat. lib. 1. ſer.

Horat. *Quid cauſa merito quin illi Iuppiter ambas*
Iratus buccas inflet?

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VIII.

Quæ dicantur apud Græcos leges Pelargicæ.

23\. PElatgicæ leges dicuntur apud Græcos illæ, quibus liberi parentes ſenio confectos alere iubentur: pro illis etiam vſurpantur, quibus ad aliqua pietatis munia obeunda admonemur. Pelargus enim Ciconiam ſignificat, cuius eſt in parentes nobilitata pietas. Nam, vt eſt apud Solinum cap. 43. quantum temporis impenderint fœtibus educandis, tantum & ipſæ, cùm ſenuerint, à pullis ſuis inuicem aluntur. Quamobtem Ægyptij, cùm ſignificarent hominem, qui patris curam gereret, c.coniam depingebant; quæ ſolent eodem modo, quo acceperint, genitoribus gratiam rependere: illis enim nidum parant, pennas vellicant inutiles, pabulum ſuppeditant, algentes refouent, implumeſque ſuis humeris geſtant. Quinetiam Reges olim, vt eſt apud Alexand. ab Alex. lib. 1 cap. 28. in ſummo ſceptro ciconiam, in imo verò hippopotamum ſculpere ſolebant, illam quidem pietate inſignem, hunc crudelitate efferatum. Quo argumento ſignificabant, oportere, vt Reges pietatem colerent, crudelitatem deteſtarentur. Sed de ciconiæ pietate lege Emblem. illud Alciati 30.

Gicenia in parentem pietas. Solinus. Alex. ab Ale. *Regem decet pietas, impietas dedecet.* Alciat.

Aerio inſignis pietate Ciconia nido
Inueſtes pullos pignora grata fouet.
Taliaque expectat ſibi munera mutua reddi,
Auxilio hoc quoties mater egebit anus.
Nec pia ſpem ſoboles fallit, ſed feſſa parentum
Corpora fert humeris, praſtat & ore cibos.

24\. Ambroſ. Porrò D. Ambroſius in hexaëm. Ciconiarum pietatem præ cæteris amplificauit his verbis. *Nã depoſiti patris artus, per longæuum ſenectutis plumis nudatos, circunſtans ſoboles pennis propriis fouet: & quid dicam? collatitio cibo paſcit, quando etiam ipſa natura reparat diſpendia, vt hinc inde ſenem ſubleuantes fulcro alarum ſuarum ad volandum exerceant, & in priſtinos vſus deſueta membra reducant. Quis noſtrum patrem ægrum non leuare faſtidiat? quis feſſum ſenem humeris ſuis non imponat? at verò auibus graue non eſt, quod pietate plenum eſt: vnde & quis hæc Romanorum vſu pia vocatur,* &c. Mitto plura de Ciconiarum pietate quæ tradit Volaterranus, Ælianus, & Olaius Magnus Archiepiſcopus lib. 19. c. 14.

Volat. Ælian. Olai.

CAPVT IX.

Quid Triumphus, quid Ouatio; & quo pacto diſtinguantur.

25\. TRiumphus, & Ouatio erant celebres pompæ, quibus Romani Imperatores parta aliqua victoria ad vrbem ducebantur. Triumphus dictus eſt à Græco Bacchi cognomento, θρίαμβος; hic enim auctore Plutarcho in Marcello primus auctor triumphalis pompæ dicitur fuiſſe. Ouatio dicta eſt ab oue, quam, qui hoc triumphi genere ornaretur, ſacrificabat. Differunt autem triumphus, & ouatio duplici ex capite, nimirum cauſa, & apparatu. cauſa quidem, quia tunc ouatio fiebat, vt inquit Gellius lib. 5. cap. 6. cùm hoſtium nomen humile, & inſtrenuum erat: vnde datum eſt probro aliquando Aureliano Imperatori, quòd de Zenobia triumphare, quàm ouare maluiſſet. Quam ille contumeliam ita illuſit, *Nihil*, inquit, *me pudet de fœmina triumphaſſe, quæ virtute pluſquam virili ſit prædita.*

Plutarch. *Bacchus auctor pompæ triumphalis* *Aurelianus Imperator de Zenobia triũphat.* *Zenobia virtus.*

26\. Triumphus autem permittebatur illis, qui, minimum, quinque hoſtium millia vna acie cecidiſſent. Iam verò vtriuſque pompæ apparatus, nimirum quàm diuerſus. Siquidem ouantes myrtea corona donabantur, quæ cùm ſit Veneri ſacra, facilem & incruentam victoriam indicabat. Præterea vrbem pedites ingrediebantur: ſi Dionyſio Halicarnaſſæo, & Plutarcho credendum eſt, nec tubas concinentes, ſed tibias modulantes præferebant. At verò triumphantes laurea redimiti, quadrigis inuecti, tubis vndique perſtrepentibus ad capitolium ducebantur. Huius triumphi tanta erat dignitas, vt exiſtimarent veteres proſpectum iri, ne triumphantes nimia alacritate exultantes ſuperbirent. Quare ſubinde admonebantur à tergo, meminerint ſe eſſe mortales, vt refert Tertullianus in apologetico cap. 33. *Reſpice poſt te, hominem memento te.* Iuuenal. ſat. 10.

Dionyſius Halicarnaſſæus. Tertull. Iuuen.

--- -Et ſibi Conſul
Ne placeat, curru ſeruus portatur eodem.

Zonaras autem tom. 2. annal. *Vnus item publicus miniſter in ipſo curru vehebatur, coronam auream gemmis interpolatam ſupra caput eius tenens, & retro videre iubens, quo monebat, vt reliqua vita curſum prouideret, nec eo honore elatus ſuperbiret.* Plinius etiam lib. 33. cap. 1. *Et cum corona ex auro Hetruſca ſuſtineretur à tergo, annulus tamen in digito ferreus erat, æquè triumphantis, & ſerui fortaſſe coronam ſuſtinentis.* D. Hieronymus in epiſtol. ad Paul. de obitu Bleſillæ. *Monitor quidam humanæ imbecillitatis apponetur, in ſimilitudinem triumphantium, quibus in curru retro comes adhærebat per ſingulas acclamationes ciuium, dicens, hominem te eſſe memento.* Hunc verò ſeruum quidam appellant carnificem, vt Iſidor. lib. 18. c. 2. quidam ſeruum publicum.

Zonar. Hieron. Iſid.

CAPVT X.

Quis dicatur dignus robore apud Apuleium: dignus culeo apud Iuuenalem dignus piſtrino apud Terentium.

17\. EOdem ſpectant omnes hæ loquendi formæ: ſignificantque hominem magnis ſuppliciis afficiendum. Apuleius Apologia ſecunda, ita inquit, *O mirum commentum! ô ſubtilitas digna carcere, & robore.* Erat autem robur, vt auctor eſt Feſtus, locus in carcere tabulis robuſteis ſeptus, in quem malefici præcipites agebantur. Quò alluſit Plautus in Curculione, *Faciam*, inquit, *vos ambo in robuſto carcere vt pereatis?* Eundem locum appellauit in pænulo robuſteum codicem. *Iam*, inquit, *detrudam vos ad molas, atque ad robuſteum codicem.* Huc pertinet illud ex Valer. Max. lib. 6. *Familiares eorum de robore præcipitati ſunt.* Illud item ex Lucret. lib. 4. de rebus nat.

Apul. *Homo dignus robore.* Feſtus. Plaut. Valer. Max. Lucret.

Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tæda.

Vnde Iuuenalis de homine multis tormentis excruciando, ita canit Sat. 8. Iuuen.

Mendoçæ Viridarium.

Digitized by Google

-----*Quis tam*
Perditus vt dubitet Senecam præferre Neroni?
Cuius ſupplicio non debuit vna parari
Simia, non ſerpens vnus, non culeus vnus.

28. *Homo dignus culeo.* Verùm homo dignus culeo ille appellatur, qui ad capitis ſupplicium efferri debet. Veteres enim ſolebant parricidam in culeum inſuere vnà cum ſimia, vipera, cane & gallo gallinaceo, atque ita incluſum in mare præcipitare. Vnde eſt illud Ciceronis oratione pro Roſcio Amerino. (Tull.) *Maiores noſtri ſupplicium excogitauerũt in parricidas ſingulare; vt quos natura ipſa retinere in officio non potuiſſet, ij magnitudine pœna maleficio ſummouerentur. Inſui voluerunt in culeum viuos, atque in flumen deiici. O ſingularem ſapientiam iudices! Nonne videntur hunc hominem ex rerum natura ſuſtuliſſe, & eripuiſſe: cui repentè cælum, ſolem, aquam, terrámque ademerunt? Vt qui eum necaſſet, vnde ipſe natus eſſet, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata eſſe dicuntur. Etenim quid tam eſt commune, quàm ſpiritus viuis? terra mortuis? mare fluctuantibus? littus eiectis? Ita viuunt, dum poſſunt, vt ducere animam de cælo non queant; ita moriuntur, vt eorum oſſa terra non tangat; ita iactantur fluctibus, vt nunquam alluantur; ita poſtremò eiiciuntur, vt ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant.* Hactenus ille. Quare Iuuenalis meritò Neronem dicit, non vno tantùm culeo dignum; qui non ſolùm ſororem, atque vxorem, ſed etiam matrem interfecerat. Vnde refert Suetonius (Sueton.) Neronis ſtatuæ culeum appoſitum fuiſſe à quibuſdam, addita inſcriptione, *Merueras, ſed ego, quid poſſum?* Vides ſupplicij genus in parricidas conſtitutum: nunc rē enucleatiùs euulgo. Lege Pompeia cautũ erat vt parricidæ, imò nefarij quique, & ſcelerati in culeum inſuti, cum ſimia, ſerpente, gallo, & cane in mare exturbarentur. Procaces igitur Roſcij accuſatores, qui ipſius parentem trucidauerant, eundémque parricidij deferebant, *optionem*, inquit Tullius, *Roſcio dabant, velletne ingulatus, an verò culeo inſutus, vt parricida pœnas luere*, &c. Elucidabitur etiam eiuſdem Tullij locus ille ad Qu. Frat. lib. 2. epiſt. 7. *Quoniam Smyrnæ*, inquit, *duos Myſios inſuiſſes in culeum*; erat verò culeus ſacci, vel vtri genus ex corio præcipuè confectus. Planum igitur eſt, cur ſceleroſi homines culeo digni appellentur.

29. *Homo dignus piſtrino.* Hominem piſtrino dignum vocauit Terentius in Heautontimorumeno, hominem ſupplicio dignum. Eſt enim piſtrinum locus, in quo circumactis molis iumentorum, vel ſeruorum opera fruges minuuntur. Idem Terentius (Terent.) in Andria, *Verberibus cæſum te in piſtrinum dedam vſq; ad necem, ea lege, atque omine, vt ſi te inde vnquam exemero, ego pro te molam.* Hinc etiam Plautus (Plaut.) in Perſea, ſeruum multis plagis conficiendum, appellauit piſtrinorum ciuitatem.

SATVRNALIORVM decas II.

CAPVT I.

Quid fluctus decumanus? Quid intellectus dithyrambicus?

30. *Fluctus decumanus.* Decumanus fluctus pro maximo vſurpatur, vt liquidò conſtat inter Latinitatis antiſtites. Vnde eſt Ouidianum illud 11. Metam. (Ouid.)

Vaſtius inſurgens decimæ ruit impetus vndæ.

Idem lib. 1. de triſt. eleg. 2.

Qui venit hic fluctus, fluctus ſupereminet omnes:
Poſterior non eſt, vndecimóque prior.

Silius lib. 14. incredibilem vndarum vim explicaturus, (Silius.)

Non aliter Rhodopes Boreas à vertice præceps
Cum ſeſe immiſit, decimóque volumine pontum
Expulit in terras, &c.

Lucanus lib. 4. (Lucan.)

Hæc fatum decimus, dictu mirabile fluctus
Inualida cum puppe leuat.

31. *Plato. Decumana mala.* Hinc factum, vt decumani malorum fluctus, pro ingentibus calamitatibus ſumantur. Plato lib. de rep. 5. *poſtquam bis euaſi binas diſceptationum vndas, nunc maximum, difficillimúmque, veluti decumani fluctus corticem ſuperingens.* Cæterùm huius parœmiæ caput illud eſt, quia vſu venire ſolet, vt decima quæque multò reliquis ſint maiora, vt inquit Feſtus (Feſtus.): probátque, cùm ex fluctibus, tum etiam ex ouis, quorum decimum quodque reliqua ſuperat magnitudine. Vnde in caſtris decumana porta maxima appellatur. (Decumana porta.) In agris decumanus limes maximus dicitur, qui ab Oriente, verſùs occumbentem ſolem protenditur.

32. *Dithyrambicus.* Sed iam de intellectu dithyrambico: *Dithyrambus*, fuit chorus in Bacchi gratiam decantari ſolitus; nomen ab eodem Baccho ſortitus, qui Dithyrambus dicebatur, ἀπὸ τοῦ δὶς εἰς θύραν ἀναβαίνειν, id eſt, *ab egrediendo bis per ianuam*, quia bis natus fingebatur, ſemel ex vtero Semeles, iterum ex femore Iouis. vnde Bacchus digenis dicitur, id eſt, bis genitus; de illo eſt Mart. Epig. 73. lib.

Qui potuit Bacchi matrem dixiſſe Tonantem, (Martialis.)
Ille poteſt Semelem dicere Ruffe patrem.

Seu Dithyrambus dicitur, quaſi lithyrambus, quòd illum Iupiter aſſuiſſet femori; ac mox eo in lucem prodituro inclamaſſet, λῦθι ῥάμμα, λῦθι ῥάμμα, id eſt, *ſolue ſuturam, ſolue ſuturam.* In hoc igitur choro componendo ſumma verborum libertate poëtæ vtebantur. Vnde Cicero (Tull.) 3. de orat. appellat licentiorem, ac diuitiorem dithyrambum. & Plato (Plato.) in Phædro, ſignificat in hoc carminis genere tantam vim ad incitandos, & perturbandos animos fuiſſe, vt nonniſi hominibus furore quodam affectis conueniret. *Ita enim*, inquit, *ſi tibi progrediente oratione lymphatus fieri videar, ne mirere; nunc enim quæ loquor, non longè abſunt à Dithyrambis.* Hinc prouerbium apud Eraſmum, *Minus habet mentis, quàm dithyramborum poeta.* De quo conſule Manut. (Manut.) fol. 493.

Seu per audaces noua Dithyrambos,
Verba deuoluit, numeriſque fertur
Lege ſolutis.

Quia verò huius carminis erat admodum nodoſa, & intricata oratio, intellectus Dithyrambicus prouerbio locum fecit: & pro difficili, atque obſcuro vſurpatur. Lege Cælium (Cœlius.) lib. 7. lect. antiq. cap. 5.

***

CAPVT

Capvt II.

Quis dicatur Euripus homo, quis verſatilior cothurno.

33. *Euripus, homo inconſtãs eſt.* Pompon.

EVripus fretum eſt inter Aulidẽ Bœotiæ portum,& Eubœam inſulam: cuius tam eſt prodigioſa natura, vt intra vnius diei, noctiſque ſpatium ſeptenos habeat acceſſus, totidémque receſſus,eóſque adeò rapidos, vt,teſte Pomponio, ventos etiam, ac plena ventis nauigia ſecum portet. In huius rei cauſa indaganda multi ſæpe laborarunt; neque tamen hilum, aiunt, profecerunt. Certè Ariſtoteles in hac multiplici exæſtuantium vndarum conuerſione contemplanda tantum operæ,& ſtudij dicitur collocaſſe, vt tædio ac labore confectus ſuum diem illic obierit; ſeu, vt alij malunt, pudibundus quòd huiuſce rei cauſam non aſſequeretur, in eundem Euripum præcipitem ſe egerit. Ab hac igitur Euripi inconſtantia ducta eſt metaphora, vt inconſtans homo *Euripus* vocaretur. Vnde Æſchines,vitio inconſtantiæ vertit Demoſtheni, quòd Euripum ſubinde commutata factione ſuperaret. Boëtius item de inconſtante, *Exæſtuantis,* inquit, *more fertur Euripi.* Iam verò M. Tullius pro Plancio eodem ſpectauit,cùm ait, *Quod fretum, quem Euripum tot motus,tantas, tam varias habere creditis agitationes,commutationes,fluctus; quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum?* Vnde εὐρίπιστος apud Græcos *inconſtans* appellatur.

Ariſtotelis mors, vbi & quare. Æſchines. Boëtius. Tull.

34. *Homo cothurno verſatilior, eſt inconſtans.* Iam verò *cothurno verſatilior* eodem recidit. De homine inſtabili dici ſolet. Nam cothurnus erat calceamenti genus,quod viris pariter,ac fœminis congruebat. Viris,vt patet,cùm ex aliis, tum etiam etiam ex illo Virgiliano Eclog. 7.

Virg.

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Fœminis verò, vt planum eſt ex illo carmine 1. Æneid.

Virginibus Tyriis mos eſt aptare pharetram,
Purpureóque altè ſuras vincire cothurno.

Homo lubricæ fidei. Idem calceamentum vtrique pedi tam dextero, quàm ſiniſtro poterat accommodari. Hinc igitur ortum eſt,vt homo lubricæ fidei,ancipitíſque factionis, verſatilior cothurno appelletur. Vnde Theramenes Rhetor, qui vtrique Athenienſium factioni ſeſe applicabat, cothurno verſatilior à Plutarcho nuncupatur.

Plutarch.

Capvt III.

Quid apud Horatium, nauigare Anticyras.

35. Horat. HOratius lib. 2. ſerm. ſatyr. 2. ita inquit, *Verùm ambitioſus, & audax nauiget Anticyras.* Quam loquendi formam vt intelligas, Strabonem in primis conſulas, neceſſe eſt; qui lib. 9. Geographiæ duas eſſe Anticyras affirmat;in quarum altera elleborum naſci, in altera optimè temperari. Eſt autem elleborum herba, teſte Plinio, ad cerebrum expurgandum præſtantiſſima. Vnde qui olim inſania laborabant,ſanitatis comparandæ gratia ſe ad has inſulas conferebant.

Strabo. *Ellebor ũ expurgat cerebrum.* Plin.

Hinc ergo prouerbium ortum eſt, in inſanos homines dici ſolitum, *Nauigat Anticyram,* id eſt, non eſt ſui compos præ inſania. Quò alluſit Horatius citato loco. Et in eadem ſatyr. paulo antè,

Danda eſt ellebori multò pars maxima auaris: Horat.
Neſcio an Anticyram ratio illis deſtinet omnem.

Quaſi diceret, quidquid ellebori in Anticyra naſcitur, auaris tribuendum; ſi fortè ad mentis ſanitatem reſtitui poſſint. Idem in arte poëtica,cùm de illis loquatur,qui niſi inſaniam ſimulent,poëtas ſe eſſe negant. 36. *Auarus eſt inſanus.*

Nanciſcetur enim pretium,noménque poëta,
Si tribus Anticyris caput inſanabile nunquam
Tonſori Lycino commiſerit.

Idem rurſus,

Expulit elleboro morbum,bilémque meraco.

Ouidius item, Ouidius.

I,bibe,dixiſſem purgantes pectora ſuccos;
Quidquid & in tota naſcitur Anticyra.

Iam verò Perſius ſatyr. 4. de inſano homine loquutus,ita canit,

Anticyras melior ſorbere meracas. Perſius.

Tandem Lucianus in Tantali dialogo, *Deſipis,* inquit, *Tantale; & (vt verè dicam) elleboro tibi eſt opus, eóque ſanè meraco.* Inde patet,eum, qui Anticyras nauigare, vel qui elleboro opus eſſe dicitur,inſanum appellari. Lucian. *Nauigat Anticyras qui inſanus eſt.*

Capvt IV.

Quare teſtes magnæ fidei locupletes appellentur.

VVlgatiſſimum eſt, omnibúſque, vt aiunt, lippis ac tonſoribus notiſſimum, teſtes indubitatæ fidei, & auctoritatis, locupletes appellari. Id quod ſexcentis confirmari poteſt teſtimoniis. Cicero lib. de off. 3. *Quem locupletiorem quærimus teſtem,quàm principẽ populi Romani, qui retinendi officij cauſa cruciatum ſubijt vltrò?* Et ibidem, *Accedit eodem locuples teſtis Poſſidonius.* In Topicis verò, *Opulẽtos,* inquit, *viros,dignos, quibus credatur,putamus.* Hinc etiam apud Ciceronem, *locuples auctor,& locuples tabellarius,* pro fide digno accipitur. Huius rei cauſa illa eſt,quia egẽtes homines quouis lucro ad iuſtitiam deferendam inflectuntur: locupletes verò nullis largitionibus ad periuria ſubornantur. quare hi multæ fidei, illi nullius credebantur. Rectè enim Silius, 37.

Tull. *Locuples auctor. Locuples tabellarius.*

----Sceleri procliuis egeſtas. Silius.

& Martialis,

-----O quantum cogit egeſtas. Mart.

Virgilius verò omnium grauiſſimè.

----Labor omnia vincit
Improbus,& duris vrgens in rebus egeſtas. Virg.

Quibus accedit Iuuenalis ſatyr. 14.

Falſus erit teſtis,vendet periuria ſumma, Iuuen.
Exigua,Cereris tangens aràmque pedémque.

Clariùs tamen idem poëta ſatyr. 3.

Quantum quiſque ſua nummorũ ſeruat in arca,
Tantum habet & fidei:iures licet,& ſumothracũ,
Et noſtrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur,atque Deos,Diis ignoſcentibus,ipſos.

Eodem pertinet Plautinũ illud, *Videte,* inquit, *egeſtas quid negotij mali dat homini miſero? Ego nunc ſubigor triũ nummorum cauſa,vt has epiſtolas* 38. Plaut.

 dicam

Digitized by Google

dicam ab homine me accepiſſe, quem ego, qui ſit homo, neſcio. Suetonius item ſcribit Domitianum Imperatorem inopia rapacem factum. Salluſtius verò in bello Iugurthino, *Egentiſſimo*, inquit, *omnia cum pretio honeſta videntur.* Vnde Calliſtratus Iuriſconſultus teſtium fidem diligenter eſſe examinandam monet, & an locupletes, an egentes ſint, curioſè explorandum, ne lucri cauſa quippiam ſceleris facilè admittant. Petronius Arbiter, *Quiſquis inops peccat, minor eſt reus.* Heſiodor. paupertatem vocat peſtem animorum. Ex his habes; quare illis tantùm, qui locupletes erant, fides ab antiquis haberetur.

Sueton. *Domitianus inopia factus eſt rapax.* Salluſt. Calliſtrat. Petro. Heſid.

CAPVT V.

Quis locus fuerit apud veteres præſtantiſſimus.

39. QVinque ſunt loci, qui venire in certamen poſſunt de primatu, primus, poſtremus, dexter, ſiniſter, medius. Singulos apud alias, atque alias nationes; vel etiam apud eaſdem aliis atque aliis temporibus dignitate excelluiſſe comperio. Quid de medio? honoratior ne vnquam extitit? Planè. Virg. 1. Æneid. de Didone,

Medius locus defenditur. Virg.

-----Aulæis iam ſe Regina ſuperbis
Aurea compoſuit ſponda, mediámque locauit.

Idem in 5. de Ænea,

Ille è concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitãte caterua.

Rurſus in 6.

Muſæum ante omnes medium, nã plurima turba
Hunc habet, atque humeris extantẽ ſuſpicit altis.

Deinde in 7. de Latino Rege,

Ille intra tecta vocari
Imperat, & ſolio medius conſedit auito.

Iterum in 10. de Ioue,

Solio tum Iuppiter aureo
Surgit, cælicola medium quem ad limina ducunt.

Tandem 11. de Latino,

-----Sedet in mediis rex maximus æuo.

Virgilium imitatus Ouidius 5. Faſtor. de ſene loquutus,

In medio iuuenum non indignantibus ipſis
Ibat, &c.

40. Vnde Adrianus Imperator, cùm aliquando videret libertum neſcio quem, inter duos Senatores ambulantem, miſit, qui ei colaphum infringeret, diceretque ne inter eos ambularet, quorum eſſe adhuc ſeruus poterat. Plura de hac re lege apud Tiraquellum. Sed iam ſiniſtrum locum nonnunquam præſtantiſſimum fuiſſe ecquis dubitet? Scribit enim Alexander ab Alexand. lib. 2. genialium dierum cap. 19. in medio, ex Xenophonte, Cyrum Perſarum Regem ſingulari prudentia viros adhibitos conuiuas, quò honoratius exciperentur, in ſiniſtra locare ſolitum, eámque partem, velut cordi affinem digniorem duxiſſe. Quinetiam eandem ob cauſam crediderim Pallanta ad ſiniſtram Æneæ conſediſſe, vt Virgil. 10. Æneid. cecinit,

Tiraq. In præfat. de iure primig. f. 438. n. 116. *Siniſter locus defenditur.* Alex. ab Alc.

-----Palláſque ſiniſtro
Affixus lateri.

Sed hac de re alibi plura.

41. Iam verò dexterum frequentius dignitate præſtitiſſe, nemini dubium erit, qui diuinas & humanas literas vel è primo limine ſalutauerit: quarum illæ docent Chriſtum Opt. Max. ad Patris dexteram honoris gratia conſediſſe; viros beato æuo fruituros ad dexteram Dei ſeſſuros eſſe. Hæ verò tradunt apud ægyptios honorificentiſſimum fuiſſe ad dexteram locari; hunc locum nõ niſi filiis maioribus natu impertiri, quod ſiniſtro multò nobilior, ac fortunatior crederetur. Non deſideramus tamen teſtimonia, quibus poſtremo loco primaria dignitas deferatur. Nam in theatro Senatores ex infimo loco ſpectabant. Victores in triumpho poſtremi incedebant. Conuiuij princeps in triclinio nouiſſimus epulabatur. Quod quidem Sigonius animaduertit lib. 2. de iure Romanorum, vt videre eſt apud Baronium tom. 1. fol. 206. num. 49. Tandem primum locum obtinere in Senatu præcipua dignitas fuit apud Romanos: inter quos, Dionyſio Halicarnaſſæo auctore lib. 7. antiquitatum, Senatores æuo maximi primo loco ſententiam dicebant; idem autem erat ſententiæ dicendæ, atque ſedendi ordo.

Dexter locus. Alex. ab Alex. gen li. 2. c. 2. Tiraquel. in præf. primogep. fol. 413. n. 13. *Vltimus locus.* Sigon. Baron. *Primus locus* Halicarn.

CAPVT VI.

Quibus iurandi formis ſuperi, quibus homines olim vterentur, & fœminæ.

IVriſiurandi religio tanta fuit apud veteres, cũ opus erat, vt in Deos quoque conuenire crederetur. His ergo ſolemne fuit per Stygiam paludem iurare. Vt palàm eſt ex Virgil. lib. 9. ac 10. de Ioue loquuto; vtrobique enim idem locus reperitur. 42.

Dixerat, idque ratum Stygij per flumina fratris Virg.
Per pice torrentes, atraque voragine ripas
Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.

Si quis autem aliquid eorum, quæ Styge teſte iuraſſet, quoquomodo violaret, totos centum annos diuinitate ſpoliatus, à nectare arcebatur. Inde eſt Virgilianum illud in 6. Idem.

Cocyti ſtagna alta vides, Stygiámque paludem
Dî cuius iurare timent, & fallere numen.

Hanc iurandi conſuetudinem inde fluxiſſe Seruius affirmat, quia Victoria Stygis filia bello Gigantum Iouis partes ſuſcepit defendendas. In eius rei gratiam Iupiter conceſſit, vt Dij per eius matrem iurantes nemini audeant imponere, ſed fidem ſeruare teneantur. Cœlius tamen lib. 27. cap. 5. cùm legeret apud Pindarum ex primis rerum initiis optimam eſſe aquam ἄριστον μὲν ὕδωρ, hoc eſt *optima quidem aqua.* Et apud Heſiodum rerum ſublunarium eſſe antiquiſſimam, fluuióſque omnes iugi perennique lapſu defluentes habere in ſe quandam æternitatis expreſſam imaginem; credidit Stygem propter inſitam à natura dignitatem in teſtem à ſuperis adhiberi. Vtcumque tamen res habeat, hanc Deorum fuiſſe ſuperſtitionem Iuno ipſa fatetur, apud Virgilium lib. 12.

Seruius. Cœlius. Pindar. Heſiod. *Aquarum laudes*

Adiuro Stygij caput implacabile fontis, Virg.
Vna ſuperſtitio ſuperis quæ reddita Diuis.

Mulieres autem ad iurandum faciles. Ita enim Alcumena apud Plautum. *Per ſupremi Regis regnum iuro, & matremfamilias Iunonem, quam me vereri, & metuere eſt par maximè.* Cui Amphitruo, *Mulier es, audacter iuras.* Propert. lib. 2. Eleg. 18.

Mulieres ad iurandum faciles. Plaut.

Sed

Propert. *Sed non tam arboris culpa eſt, neque crimina cœli,*
Quàm toties ſanctos non habuiſſe Deos.

44. Loquitur de fœminis Deos contemnentibus, ideóque facilè peierantibus, non ita prima mulier Eua, quæ pro accepto filio Auctori rerum omnium grates agens, inquit, *Poſſedi hominem per Deum.* (Gen.4.) Vbi aliqui, ex ignorantia tamen Hebraici ſermonis, notant fuiſſe fœminam iuramenti primam conditricem. Sed iuramenta ab hominibus vſurpari ſolita non eadem erant. nam viri per Herculem, fœminæ per Caſtorem; vtrique tamen per Pollucem iurare conſueuerant. Quem ordinem nunquam immutatum legi apud veteres ſcribit A.Gellius lib. 11. noct. Att. c.6. (A.Gell.) Vnum, vel alterum ſubiiciamus exemplum. Pamphilus vir per Herculem iurat apud Terrent. in Adria. (Terent.) *Mea quidē Hercle certè in dubio eſt vita.* Syra fœmina in Hecyra per Caſtorem, *Salue me Caſtor Parmeno.* Ibidem Parmeno per Pollucem, *Ædepol te deſiderium Athenarum arbitror*; paulo antè per eundem Pollucem Philotis fœmina, *Perpol quàm paucos reperies*, &c.

Caput VII.

Quæ literæ ſalutares, quæ lethales quondam dicerentur.

45. Alia fuit inter Latinos, alia inter Græcos abſolutionis, & condemnationis nota. Latini enim cùm aliquem abſoluebant, A. cum verò condemnabant, C. literam præfigebant. Vnde à M. Tullio (Tull.) pro Milone illa ſalutaris, hæc triſtis, ac lethalis appellatur. Contrà verò Greci Θ. vtebantur, cùm aliquem ſupplicio capitis addicebant. Quò alluſit Perſius ſatyr.4. (Perſ.)

Et potis es nigrum vitio perfigere theta.

Martialis item lib.7. (Mart.)

Noſti mortiferum Prætoris Caſtrice ſignum
Eſt opera pretium diſcere theta nouum.

Auſonius, (Auſon.)

Miſelle Doctor, Θ. tibi obſcœno,
Tuúmque nomen theta ſectilis ſignet.

46. Huius rei cauſa illa eſt, quia θάνατος apud Græcos mortem ſignificat; ideóque prima huius vocabuli litera ad mortem indicandam ſumebatur. Cæterùm cùm aliquem liberum abire permittebant, (Alex. ab Alex. lib.3.c.5.) *Tau* vtebantur, quamobrem verò τ. abſolutionis nota poneretur, à nemine, quem legerim, explicatur: niſi fortè arcanum aliquod myſterium in hoc veterum conſenſu latere arbitremur; qui crucis notam, quam T. repræſentat, pro ſalutari vſurpabant, animo videlicet præſagientes Crucis ſignum nobis ſaluti fore. Certè apud Hebræos litera *Tau* ſalutaris erat; vt colligitur ex Ezechiele 9. Vel quia in Crucis figuram effingebatur; vel quia cùm vltima eſſet Alphabeti Hebraici, Chriſtum ſignificabat, qui rerum omnium finis dicitur. (*Chriſtus finis rerū omnium.*) Sunt qui dicant *Tau*, quòd ſit vltima litera alphabeti Hebraici, mortē ſignificare, quæ eſt rerum omnium finis; ideóque conſignatos *Tau*, apud Ezech. non lædi, quia qui mortem meditantur, à mortis malis immunes fiunt.

Caput VIII.

Græca fides, Punica fides, Attica fides.

47. Græca fides malè ſemper audiit: lubricáque ac leuis credita eſt. (*Græca fides.*) M. Tullius ad Qu. Fratr. (Tull.) ſcribit Græcos eſſe leues, & diuturna ſeruitute ad nimiam adulationem eruditos. Qu. Curtius lib.4. (Curt.) non minus verè, quàm eleganter ingenia Græcorum appellat temporaria, tanquam tempori ſeruientia; & prout ſe daret occaſio, adulationem tractantia. Hinc eſt, quòd Græci hiſtorici fabuloſi immeritò habeantur; (*Græcia mendax.*) qui ſe ad Principum voluntatem potius quàm ad veritatem componebant. Vnde vel ipſe hiſtoriæ parens Herodotus, (*Herodotus hiſtoriæ parens.*) vt inquit M. Tullius 1. de legibus, (Tull.) innumerabiles fabulas ſcripſit, quem proinde meritò appellauit Strabo (Strab.) Mythihiſtorem, id eſt, fabularum ſcriptorem. Itaque vulgò pater mendaciorum appellatus eſt. Plinius (Plin.) portentoſa Græciæ mendacia appellat. Et lib.8. *Mirum eſt*, inquit, *quàm procedat Græcia credulis; nullum eſt tam impudens mendaciū, quod teſte careat.* M. Tullius orat. pro Flacco (Tull.) de Græcis loquens, ſic ait: *Teſtimonium. religionem & fidem nunquam iſta natio coluit.* Quò alluſit Iuuen. ſatyr.10. (Iuuen.)

—— Creditur olim
Velificatus Athos, & quidquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria.

48. Alexander ab Alexandro lib.4.cap.13. (Alex. ab Alex.) vbi cæterarum gentium naturas, & ingenia exponit, ait, Græcos, licèt ingenio, & facundia præſtent, tamen collectaneo quodam fucco, leues, aſſentatores, atque infideles eſſe; vnde Græcam fidem in prouerbium veniſſe affirmat, pro debili, & quæ facilè violetur. Quare Plautus in Aſinaria Græcam fidem dixit, cùm aliquid præſenti, ac numerata pecunia emitur.

Cætera, quæque volumus vti, Græca mercamur fide. (Plaut.)
Sēper oculatæ noſtræ ſunt manus, credūt, quod vidēt.

Punica fides pro lubrica item, & fragili accipitur. (*Punica fides.*) Liuius (Liuius.) de Annibale, *has tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant inhumana crudelitas, perfidia pluſquam punica*, &c. Vnde Plautus (Plautus.) in Pæn. *Nemo me Pœnus punior*, id eſt, *nemo me verſutior, & callidior.* Contra verò Attica fides (*Attica fides.*) pro certa, & inuiolabili paſſim vſurpatur. Erant enim Athenienſes firmiſſimæ, & integerrimæ fidei. Cuius rei teſtimonia ne multus ſim, lege apud Eraſmum (Eraſm.) in adagiis.

Caput IX.

Quid apud Terentium, Aſymbolum venire in conuiuium? Quid apud Plautum, diem comburere? Qui apud Macrobium dicantur dies atri.

49. Dvplex fuit cœna apud veteres: (*Duplex cœna apud veteres.*) altera conuiuatoris ſumptu apparata, altera, in quam ſuam quiſque partem conferebat. De hac nobis ſermo eſt. Porrò ea portio, quæ à ſingulis conferebatur, à Græcis ſymbolum, vel ſymbola, vt con

Digitized by Google

Lamb. Terent. contendit Lambinus, dicta eſt; à Latinis collecta Terent in Andr. *Symbolum dedit, cœnauit. In* Eun. *Coimus in hunc diem, vt de ſymbolis eſſemus.* Plaut. Plaut. in Curc. *Symbolorum collatores apud forum piſcarium.* In Sticho, *Symbola dabo, & iubebo cœnam coqui.* Tull. *A ſymbolus venire, quid dicatur.* Iam verò collectam M. Tullius appellauit. 2. de orat. *Collectam*, inquit, *à conuiua Craſſe exigis.* Qui igitur ad conuiuium coibat, quin aliquid conferret, *à ſymbolus venire* dicebatur. Vnde Terent. in Phormione, *Téne aſymbolum venire vnctum atque lautum è balneis?* Idem valet apud Horat. Horat. lib. 4. car. od. 12. *immunem in conuiuium venire*, id eſt, ſine munere, ita enim ſcribit ad Virgilium.

Ad quæ ſi properas gaudia, cum tua
Velox merce veni: non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis,
Plena diues vt in domo.

50. *Comburere diem, quid.* *Comburere diem* apud Plautum in Menæchmo eſt diem conſumere hilariter epulando: à conſuetudine Romanorum, & Græcorum in mortuis ſepeliendis, quos in rogum imponere, & comburere ſolebant. Sic ferè Horatius lib. 4. car. Od. 5.

Horat. *Condit quiſque diem collibus in ſuis.*

Plaut. Ita fit, vt conſumptus dies, ab eodem Plauto ibidem mortuus dicatur. *Dies*, inquit, *iam ad vmbilicum eſt dimidiatus mortuus.* id eſt, prior diei pars ad meridiem iam exacta, & conſumpta eſt.

Macrob. Cæterùm *dies atri* apud Macrobium lib. 1. Satur. cap. 16. dicuntur omnes poſtriduani, id eſt, qui poſt Calendas, Nonas, atque Idus ſequuntur. *Dies atri, qui.* Attilius enim retuliſſe dicitur ad Senatum, Romanos, quotieſcunque poſtriduanis diebus arma capeſſerent, occidione occiſos eſſe. Vide A. Gel. lib. 5. c. 17. Quam rem cùm Senatores ad Pontifices reiicerent, ab iiſdem decretum eſt, ne quid per eos dies Romani auſpicarentur. Hæc omnia facilè ex Ouid. 1. Faſt. intelligentur, dum ita canit:

Ouid. *Vendicat Auſonias Iunonis cura Calendas;*
Idibus alba Ioui grandior agna cadit.
Nonarum tutela Deo caret: omnibus iſtis,
Ne fallare caue, proximus ater erit.
Omen ab euentu eſt: illis nam forte diebus,
Marte ſub aduerſo, triſtia damna tulit.

CAPVT X.

An rectè dicat Plinius in Panegyr. Principi nemo leges ſcripſit?

51. PLinij placitum multis Iuriſperitorum ſententiis poterat ſtabiliri. Et quidem quoad vim cogentem ita eſt, loquor modò vt Theologus, non tamen quoad vim dirigentem. Cæterùm Princeps multis ſe legibus debet alligare. Vnde Plato in Politica, *Illex principatus moleſtus eſt, & cui haud facilè ſubſiſtit.* Rectè Seneca in Troiade,

Soar. de legib. lib. 3. c. vlt. & Vaſq. d. 566. *Fusè iura allegant & probant Auctoris reſolutionem.* Plato. Sen.

Minimum debet libere, cui nimium licet.

Tull. Audio Tullium pro Rabirio. *Meminerit Princeps non ſolum, quantum ſibi commiſſum, ſed etiam quatenus permiſſum ſit.* Illud autem Lucani lib. 8. non placet.

Lucan. *Sceptrorum vis tota perit, ſi pendere iuſta*
Incipit, &c.

Tacit. Nec illud Taciti 15. annal. *In ſumma fortuna id æquius, quod validius.* Placet tamen illud Ciceronis in Parad. *Ius, & æquitas vincula ciuitatum.* Nec minus illud Auguſtini 4. de Ciuit. *Remota iuſtitia, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia.* Euripidem laudo, Auguſt.

Euripid. *Non fas potentes poſſe fieri quod nefas,*

Thucid. Euphemum verò vitupero apud Thucyd. lib. 6. *Viro principi nihil iniuſtum, quod fructuoſum.* Nam vt pulchrè Seneca, de Clem. *Principi non traditur ciuium ſeruitus, ſed tutela: nec Reſpub. illius eſt, ſed ille Reipub.* qualis ille Claudiani princeps. Seneca.

Claud. *Tu ciuem patrémque geras, tu conſule cunctis,*
Non tibi; nec tua te moueant, ſed publica dāna.

SATVRNALIORVM decas II.

CAPVT PRIMVM

Quínam fuerint pontes vbi ſuffragia imponebantur.

POntes in quibus ſuffragia imponi, ac dirimi conſueuerunt, menſulas anguſtiſſimas fuiſſe exiſtimat Manutius, pontis ad ſimilitudinem dictas, non ad veritatem: & ſingulas ait ſingulis tribubus, vel centuriis appoſitas ciſtis ſuper ſtratas, ſuffragiorum tabellas continentibus. Ne ſi omnes tribus ad vnum tantùm cogerentur, inconditè admodum, & tumultuatiè omnia fierent. Cicero 1. Rhetor. ad Her. *pontes diſturbat, ciſtas deijcit, impedimento eſt, quò ſeriùs feratur lex*, Ab his igitur pontibus ſexagenarij deiiciebantur, quia lege cautum erat, ne ſenes ſexageſimum annum ineuntes ſuffragia ferrent. Tullius pro Roſcio. *Habeo etiam dicere, in quem contra morem maiorum minorem ſexaginta annis in Tybrim deiecerint.* Et poëta, 52. Manut. Tull. *Depontani ſenes.*

Pars putat, vt ferrent iuuenes ſuffragia ſoli
Pontibus infirmos præcipitaſſe ſenes.

CAPVT II.

Quid ſit apud Horatium Ode Monocolos, Dicolos, Tricolos, Diſtrophos, & Tetraſtrophos.

QVò facilior nobis aditus ad Horatium explicandum aperiatur, opus eſt, vt expendamus omnes titulos, cui cuiuſque odæ fronti præfiguntur. Quod igitur attinet ad vocabulum, Monocolos, Dicolos & Tricolos, ſciendum in primis eſt, hoc nomen κῶλον Græcè *membrum* ſignificare. Item μόνον idem eſſe, atque *ſolum*, δὶς verò ſonare *bis*, τρὶς *ter*, τετράκις, *quater*, & ſic de cæteris. Itaque ex connexione horum aduerbiorum, cum illo nomine, κῶλον adiectiua nomina euadere, Monocolos, Dicolos, & Tricolos. Vnde ode Monocolos, quæ Latinè *vnimembris* dici poteſt, illa eſt, quæ vnico carminum genere conſtat. Cuiuſmodi eſt prima Ode primi libri Horatij. 53.

Mæcenas

Digitized by Google

Mæcenas atauis edite regibus,
O & præſidium, & dulce decus meum, &c.
Cuius omnes verſus ſunt Aſclepiadei. Dicolos, id eſt, bimembris illa erit, quæ ex duplici verſuum genere conflabitur. qualis eſt ſecunda Ode eiuſdem libri,

Iam ſatis terris niuis atque diræ
Grandinis miſit pater, & rubente
Dextera ſacras iaculatus arces
Terruit orbem.

In qua primi tres verſus ſunt Saphici, quartus Adonius. Tricolos, id eſt, trimembris, illa dicetur, quæ ex triplici carminum differentia coaleſcet: qualis eſt Ode 9. eiuſdem libri,

Vides vt alta ſtet niue candidum
Soracte: nec iam ſuſtineant onus
Syluæ laborantes, geluque
Flumina conſtiterint acuto.

54. Vbi primi duo verſus conſtant Spondeo, Iambo, ſyllaba longa, & duobus dactylis. Tertius Spondeo in primo & tertio loco, & Iambo in ſecundo & quarto, & ſyllaba in fine. Quartus duobus dactylis, ac duobus Choreis. Porrò, ſi ode vnimembris non ſit, ſed variis carminum generibus compacta: animaduertendum erit, quónam in verſu varietas ſit, ſiue ex quo verſu recurratur ad alios prioribus ſimiles: ſi enim id accipiat in ſecundo verſu, Diſtrophos appellabitur, vt ſe habet tertia Ode primi libri,

Sic te diua potens Cypri
Sic fratres Helenæ, lucida ſidera.

Et rurſus,

Ventorúmque regat pater,
Obſtrictis aliis præter Iapyga.

Si verò in quarto verſu huiuſmodi recurſus contingat, Tetraſtrophos dicetur, qualis eſt prima Ode lib. 2.

Notum ex Metello conſule ciuicum,
Bellique cauſſas, & vitia, & modos,
Ludúmque fortunæ, grauéſque
Principum amicitias, & arma.

Et iterum,

Nondum expiatis vncta cruoribus, &c.

Componuntur autem hæc vocabula diſtrophos, & tetraſtrophos ex aduerbiis iam dictis, & ex nomine, *Tropus*, quod mutationem ſignificat, π. tenui in ſuam aſpiratam φ. mutata.

Caput III.

Quid apud varios, præſertim Ouidium, Liber Iambus.

55. Pes autem Iambus maledico carmini eſt habilis: vt ipſius etymon nominis oſtendit; deriuatur enim à verbo Græco, ἰαμβίζειν quod eſt *maledicere*, conuiciari, contumeliis proſcindere, vel παρὰ τὸ ἰὸν βάλλειν, id eſt, *à ſagitta emittenda*. Hanc ob cauſam ab Ouidio in Ibin vocatur liber. Ouid.

Poſtmodo ſi perges, in te mihi liber Iambus
Tincta Lycambæo ſanguine tela dabit.

Archi. Nam Archilochus poëta Lycambem (à quo neſcio quia iniuriis fuerat laceſſitus) carmine Iambico tam acerbè perſtrinxit, vt illum ad animam laqueo intercludendam coëgerit. Abſterret igitur poëta maledicum, ne ſibi conuiciari pergat; ſin minus, ſe in eum adeò ſeuerum carminibus Iambicis futurum, vt etiam ad vitam laqueo finiendam compellat. Horatius 1. carm. Od. 16. Horat.

Me quoque pectoris
Tentauit in dulci iuuenta,
Feruor & in celeres Iambos
Miſit furentem.

Catullus cùm maledicta minaretur, ait: Catull.

At non effugies meos Iambos.

Papinius in Sylu. Papin.

Siue minarum vltorem ſtringis Iambum.

Horatius in art.

Archilochum proprio rabies armauit Iambo. Horatius.

Caput IV.

Latus clauus quid ſit.

Claui ſunt quidam veluti flores panno inſerti, à quibus clauata veſtis illa dicitur quæ huiuſmodi clauis, vel intextis, vel aſſutis diſtinguitur: eadem à palmarum ſimilitudine palmata, à verrucis clauo ſimilibus verrucata appellatur. Cæterùm clauorũ quidam lati erant, quidã anguſti: vnde anguſtus clauus pro ipſa veſte vſurpatur anguſtis clauis circundata, quæ Romanorum equitum erat inſigne. At verò latus clauus ſumitur pro ipſo veſtimenti genere latis clauis diſtincto, quod Senatorum duntaxat inſigne erat. Lampridius in Alexandro, *conſtituit, vt equites Romani à Senatoribus claui qualitate diſcernerentur, nimirũ vt illi anguſto, hi verò lato clauo vterentur.* Plinius lib. 33. *Annuli diſtinxerunt alterum ordinem à plebe, ſicut tunica ab vngulis ſenatũ tantùm.* quo in loco Bayfius pro tunica latũ clauum intelligit. Hinc factum eſt, vt qui anguſtum clauum vſurpabant, Anguſticlauij dicerentur; qui lato clauo vtebantur, Laticlauij. Per Metonymiam accipitur latus clauus pro ipſa ſenatoria dignitate. Tacitus in dialogo citatus à Bayſio, *Equidem, vt de me ipſe fatear, non eum diem latiorem egi, quo mihi latus clauus oblatus eſt*, id eſt, dignitas ſenatoria. Vnde ius lati claui apud Iuriſperitos, teſte Budæo in Pandectas, Ius eſt ſenatoriæ dignitatis. Nonnunquam pro ipſo ſenatore vſurpatur. Tranquillus ſcribit Neronem à quodam Latoclauo prope ad necem cæſum fuiſſe. Martialis in Gelliam,

56. *Veſtis clauata, quæ.* — Lamprid. — Plin. — Bayſ. — Tacit. — Bud. — Tranq. — Martial.

Dum te poſſe negas mihi lato Gellia clauo
Nubere, nupſiſti Gellia, caſtigero.

Aliquando tamen clauus tantùm pro dignitate ſenatoria accipitur. Ouid. 4. lib. Triſt. eleg. 9. Ouid.

Curia reſtabat, claui menſura coacta eſt.

Caput V.

Quid ſibi velint apud Iuuenalem, cùm de Neſtore loquitur, hæc duo carmina,

Felix nimirum, qui tot per ſecula mortem
Diſtulit, atque ſuos iam dextra computat annos.

Ad hunc locum explanandum, neceſſariò nobis digitis micandum eſt. Igitur cùm poëta 57.

Digitized by Google

poëta ſatyrographus de Neſtore loquatur, qui, vt ait M. Tullius in Catone, tertiam hominum ætatem vixit, felicem eam nuncupat, *quòd ſuos iam dextra computet annos*, id eſt, quòd centeſimo vitæ anno egrediatur. Nam veteres ad rationes ſubducendas digitis vtebantur hoc modo. Variis geſticulationibus digitorum manus ſiniſtræ, quoſcumque numeros infra centenarium indicabant. Inferiores tres digiti, nimirum auricularis, annullaris, & medius ab vno vſque ad nouem oſtendebant: ſi enim auricularem ad volam molliter inflectas, vnum ſignificabis: ſi auricularem & annularem, duo: ſi auricularem, annularem, & medium, tria: ſi medium & annularem tantùm, quatuor; ſi medium dumtaxat, quinque: ſi ſolum annularem, ſex: ſi auricularem preſſe admodum inflectas ad radicem ipſius digiti, ſeptem: ſi eodem modo inflectas auricularem, & annullarem, octo: ſi verò auricularem, annullarem, & medium nouem.

Cicero. — *Digitorum ſupputatio.* — *Digiti tres inferiores.*

58\. Cæterùm pollice, & indice inter ſe multipliciter implicatis, à decem vſque ad nonaginta proceditur. Nam extremitas indicis ad medium pollicem conſtituit decem. Extenſio pollicis iuxta indicem extenſum viginti. Oſculatio pollicis & indicis in ſuis extremitatibus, triginta. Crux pollicis ſuper indicem, quadraginta. Depreſſio pollicis, quinquaginta. Poſitio indicis ſuper pollicem depreſſum ſexaginta. Tornatio indicis ſuper extremitatem pollicis, ſeptuaginta. Poſitio indicis ſuper pollicem extenſum, octoginta. Toreulatio indicis ſtricta, nonaginta. Hæc omnia in ſiniſtra: verùm vbi computare volebant numeros centenarios, & millenarios, tranſibant ad dexteram. Et quibus digitis in ſiniſtra ab vno vſque ad nouem numerabant; iiſdem numerabant in dextera centum vſque ad nonagenteſimum numerum. Rurſus quibus digitis in ſiniſtra à decem vſque ad nonaginta recenſebant; iiſdem recenſebant in dextra à numero milleſſimo vſque ad nouem millia, vltrà. Quare ſignificatus poëta Neſtrotem vltra centum annos vixiſſe, rectè quidem, & erudite ait, dextra annos computare: in qua numeri centenarij ſedem habebant. Hac de re lege Britanicum in locum Iuuenalis citatum, & Pierium lib. 37. hieroclyphic. Eraſmum in D. Hieronymum, id eſt, contra Iouin. in corpore, & in appendice ſcholiorum, quæ eſt in fine primi libri. Nec me fugit Tertullianus lib. 2. cap. 16. vbi ita, *Multis inſtrumentis cum digitorum ſupputatoriis geſticulis aſſidendum eſt*, &c. vbi Pamelius, & alij. Nec latet Seneca epiſtol. 89. nec Sidon. Apollinar. epiſtol. 9. lib. 9. nec Ambroſius de Tobia cap. 7. nec Apuleius in Apolog. nec Spartianus in Iuliano. nec Plinius lib. 34. cap. 7. nec alter Plinius lib. 2. epiſt. 10. nec Nazianzenus orat. 3. neque etiam alij, qui omnes de hac digitorum ſupputatione, & plicatione mentionem faciunt.

Britan. — *Pier.* — *Eraſm.* — *Tertull.* — *Pam.* — *Senec.* — *Sidon.* — *Ambroſ.* — *Apul.* — *Spart.* — *Plin.* — *Plin.* — *Nazianz.*

* * *

CAPVT VI.

Aliquot formæ loquendi Plautinæ, quibus ſignificatur aliquis acriter puniendus.

59\. CRibrum carnificinum vocat Plautus in Moſtellaria, eum, cuius pellem ita loris, flagris, & virgis laceratum, perforatum ac pertuſum iri à lorariis indicat, vt cribri ſpeciem exhibere videatur. *O carnificinum*, inquit, *cribrum, quod credo fore; ita te forabunt patibulatum per vias ſtimulis.* In Aſinaria vocat gymnaſium flagrorum illum; in quo aſſiduè verberando flagra & virgæ exercentur. Ita enim inducit duos ſeruos ſe inuicem ſalutantes, *Gymnaſium flagrorum ſalueto.* Cui alter: *Quis ais cuſtos carceris?* Rurſus prior, *O catenarum colone.* Tum ſecundus, *O virgarum laſcinia.* In Aulularia vocat ſtimulorum ſegetem illum, quem crebris ſtimulis, & aculeis pungi oportebat. Hiſce enim verbis ſenex inuehitur in anum, *Te dignam mala malam ætatem exige ſtimulorum ſeges.*

Cribrum carnificinum. — *Gymnaſium flagrorum.* — *Catenarum colonus.* — *Virgarum laſcinia.* — *Stimulorum ſeges.*

CAPVT. VII.

Poppyſma, *vel* Poppyſmus *quid?* *Item* Religio in me inceſſit, *apud Terentium.* Vale *venientibus, ne, an recedentibus dumtaxat dicatur.*

60\. POppyſma ſignificat ſonum illum, quem manus cauæ inter ſe comploſæ ſolent efficere, ſiue illa vocis blandimenta, quibus equiſones equi indomiti aures demulcent. Vnde poppyſmate alicuius aures ferire, id eſt, palpum alicui obtrudere, ſeu adulari alicui. Iuuenal.

Poppyſma, quid. — *Iuuen.*

--- frontémque, manúmque
Præbebit vati crebrum poppyſma roganti.

Id eſt, oſtendet manum & frontem chiromanti petenti, vt ſibi tanquam diuino honorem deferant & ſumma veneratione adulentur. Poppyſmus dicitur à Plinio lib. 2. c... *Fulgetras poppyſmis adorare, conſenſus gentium eſt, ad delimendum Iouem iratum.*

Poppyſmus. quid. — *Plinius.*

61\. Religio idem eſt aliquando, atque ſcrupulus, vt dici ſolet, conſcientiæ. Vnde vſitatiſſimæ ſunt illæ formæ loquendi apud Ciceronem, & alios non infimæ notæ auctores, *Religionem alicui inijcere*, vel, *offerre*, *fazer eſcrupulo à alguem. habere aliquid religioni, ter eſcrupulo dalgua couſa. religione aliquem ſoluere*, vel, *liberare*, *tirar o ſcrupulo a alguem.* Terentius verò in Adelph. ita inquit, *Noua tunc religio in te iſthæc inceſſit*, id eſt, *noua tibi eſt religio.*

Religio, quid. — *Tull.* — *Terent.*

Imperatiuo *vale* vtimur plerumque in diſceſſu, aut in calce epiſtolarum. Sicut *ſalue* in acceſſu, aut in litterarum principio. Reperitur tamen *ſalue* in fine epiſtolarum, & in diſceſſu. Cicero lib. 16. epiſt. *Vale mi Tyro, vale, & ſalue.* Virgil. 11. Æneid.

Vale, quid. — *Salue, quid.*

----- ſalue æternum mihi maxime Palla,
Æternúmque vale.

Eodem

62. Eodem modo non ſolùm accedentes, ſed etiam recedentes ſalutare dicimur. Statius Thebaid. 4. *Stat.*

Stant tamen, & nota puppim de rupe ſalutant.

Iuuenis apud Plautum in mercat. domum primò aduenien, & ſtatim receſſurus, *Limen*, inquit, *ſuperùm, inferùmque ſalue, ſimul autem vale.* *Plaut.* D. Hieronym. epiſt. ad Iulianum, *Mihi præſentiam ſui tandè dedit, citò abſtulit: atque in puncto temporis ſalue pariter, ac vale dixit.* loquitur de quodam Auſonio. *Hieron.* Catilina apud Saluſtium epiſtola ad Catulum, ita concludit, *Eam ab iniuria defendas per liberos tuos rogatus, aueto.* *Salluſt.*

Capvt. VIII.

Liber Opiſthographus qualis ſit.

63. Veterum libri non eadem ratione compacti erant atque noſtrates: ſed vnam tantùm membranam habebant oblongam, quæ circum cylindrum conuoluebatur. Interior verò membranæ facies duntaxat ſcribi ſolita erat; niſi fortè tot eſſent ſcribenda, vt intus capi non poſſent. Hinc factum eſt, vt longiſſimus liber, in tergo etiam ſcriptus diceretur. Iuuenal. ſatyr. 1. cùm de Oreſtis tragœdia loqueretur, quæ longiſſima erat,

Iuuen.

----& ſummi plena iam margine libri
Scriptus, & in tergo, nec dum finitus Oreſtes.

Itaque huiuſmodi libri Opiſthographi dicebantur, à verbo Græco ὄπισθεν, id eſt, *retro*, & γράφω, id eſt, *ſcribo*, quaſi retrò ſcripti. Vnde Plinius iunior lib. 3. epiſtol. ad Macrum ait, ſibi relictos commentarios Opiſthographos, minutiſſimè ſcriptos. *Plin.* Eadem ratione chartæ Opiſthographæ dicuntur illæ, quæ ex vtraque parte ſunt exaratæ. Conſule Alexand. ab Alexand. lib. 2. Gen. dier. cap. 30. *Charta Opiſthographa. Alex. ab Alex.*

Capvt IX.

De natali hominum die.

64. Qvamuis Thraces natalem diem lacrymis proſequerentur, Romani tamen eum quotannis ſumma religione celebrabant, vnde Genethlia dicebant feſta iis diebus celebrati ſolita: *Thraces natalem diem lugebant.* Genethlius verò cognominabatur Iupiter, quòd illis præerat, ſic enim rebus omnibus propagandis conſulit, & incumbit Genethliacum carmen, quod tunc decantabatur. *Romani natalem diē feſtiu celebrabant.* Huius diei meminit Virg Eclog 3. *Virgil.*

Phyllida mitte mihi, meus eſt natalis, Iola.

Hunc autem diem quiſque ſibi feliciſſimum appellabat, vnde Perſius ad Macrinum ſat. 2. *Perſ. Natalis dies felix.*

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos:
Funde merum genio, &c.

& Iuuenalis ſat. 12. *Iuuen.*

Natali Coruine die mihi gratior hæc lux.

Porrò inter omnia lege 1. Epigram. Martial. lib. 4. *Mart.*

Cæſaris alma dies, & luce ſacratior illa,
Conſcia Dictæum, quæ tulit ida Iouem.
Longa precor, Pylioque venit numeroſior æuo
Semper, & hoc vultu vel meliore nite, &c.

Mendoçæ Viridarium.

Solemne autem erat, vt amici natalem celebrantibus munera mitterent: vnde multi auaritia adducti, non ſolùm diem natalem ſemel, ſed ſæpiùs in anno celebrabant, quo plura ab amicis munera acciperent. 65. *Amici munera mittebant in natali die.* Quare à Martial. Clytus taxatur,

Vt poſcas Clyte munus, exigáſque,
Vno naſceris octies in anno. *Martial. Auaritia cogit na ci ſæpe in anno.*

Id moris (inquiunt Varro & Cenſorinus) maiores noſtri tenuerunt, vt cùm die natali munus anniuerſarium Genio ſoluerent, manum à cæde, & ſanguine abſtinerent, ne die, qua ipſi lucem accepiſſent, alijs demerent. *Varro. Cenſor. Natalis dies ſine ſanguine.* Roſinus lib. 2. cap. 14. *Roſin.* Natalis etiam vrbis dies ille dicebatur, in quo condita erat: vel in quo magno è diſcrimine vendicabatur. Cicero pro Flacco, *O Nonæ illæ Decembres, quæ me conſule fuiſtis: quem ego diem verè natalem huius vrbis, vel certè ſalutarem appellare poſſum.* *Natalis vrbis dies, qua- lis.* *Tull.* Plautus in Pſeudolo, *Mihi hodie natalis eſt: mihi munera multa huc conueniunt: penus annuus hodie erit. ----Scena exite.* *Plaut.*

Capvt X.

Quid ſibi velint hæ loquendi formæ, Conturbare; vertere ſolum; foro cedere.

66. Hæ tres loquendi formæ eundem habent ſignificatum, nimirum decoquere, pecuniam diſſipare, negotiationem menſariam, vt loquuntur Iuriſperiti, abrumpere: vulgò, *quebrar banco.* *Conturbare, quid.* Ita intelligendus eſt M. Tullius oratione pro Planco, Syluio interprete, *Virum igitur me conturbare oportet, an cæteris nomen debitoris, tunc cùm petitur, diſſoluere?* *Tull. Syluius.* Eodem modo accipiendum eſt illud Martial. lib. 9. Epigr. 4. ad Domitianum, *Mart. Domitianus liberalis.*

Quantum iam ſuperis, Cæſar, cœlóque dediſti,
Si repetas, et ſi creditor eſſe velis:
Grandis in æthereo licèt auctio fiat Olympo,
Coganturque Dei vendere quidquid habent:
Conturbabit Atlas, & non erit vncia tota
Decidat tecum qua Pater ipſe Deùm.

67. Vnde conturbator, vt docet Budæus, pro decoctore vſurpatur, qui multa deuorat, & conſumit: *Bud.* qua ratione contendit intelligendum eſſe illud Martialis lib. 10. cùm diſcrimen conſtituat inter vitam ruſticam & vrbanam.

Hic pretioſa fames, conturbatórque macellus;
Menſa ibi diuitiis ruris operta ſui. *Martial. Conturbator quis?*

Illud item eiuſdem lib. 7. cùm de apro loquitur, qui nonniſi ſummo pretio, maximóque impendio condiatur.

Ad dominum redeas: noſter te non capit ignis,
Conturbator aper; vilius eſurio.

68. Eundem habent ſignificatum, *cedere foro*, & *ſolum vertere.* *Vertere ſolū. Foro cedere.* Numularij namque, argentarij, menſarij, &, vt verbo vtar Græco, Trapezitæ, & Collybiſtæ, cùm nimio ære alieno oppreſſi non ſunt ſoluendo, foro cedunt; id eſt, negotiationem interrumpunt; ſolúmque vertunt; id eſt, aliò confugiunt, ac ſedem mutant. Iuuenalis ſatyr. 11. *Iuuen.*

Hi plerunque gradus, conducta pecunia Romæ,
Et coram dominis conſumitur: inde vbi paullum
Neſcio quid ſupereſt, & pallet fœnoris auctor:
Qui vertêre ſolum, Baias, & ad oſtia currunt.

Digitized by Google

Cedere namque foro iam non tibi deterius, quàm
Æſquilias à feruenti migrare ſuburra.

SATVRNALIORVM decas IV.

CAPVT I.

Quo pacto interpretandus ſit Perſius ſatyra prima cùm de Iano loquitur, O Iane à tergo, quem nulla ciconia pinſit.

69. CIconiis tergum alicuius pinſere, parœmia eſt non admodum vulgaris: ſignificátque irridere, vel imponere alicui. Extremis enim digitis in roſtri formam collectis, crebra manus, & brachij motatione ciconiæ collum, & caput exprimitur, in eius vituperationem, qui à nobis irridetur. Quia verò Ianus, quem hoc loco rectè hominem prudentem interpretari poſſumus, bifrons erat, irrideri minimè poterat à tergo. Quamobrem à poëta hoc loco commendatur. Et quidem D. Hieronymus hoc prouerbium vſurpauit ad Ruſticum, cùm ait, *Ne credas laudatoribus tuis, imò irriſoribus aurē ne libenter accommodes; qui cùm te adulationibus fouerint, & quodammodo impotem mentis effecerint; ſi ſubitò reſpexeris, aut ciconiarū deprehendas poſt te colla curuari, aut manu aures agitari aſini, aut æſtuantem canis portendere linguam.* Quæ tria irriſionis genera Perſius perſtrinxit,

Ianus bifrons prudentis ſymbolum. Hieron.

O Iane à tergo, quem nulla ciconia pinſit;
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas;
Nec linguæ, quantum ſitiat canis Apula, tantū.

CAPVT II.

Qua re diſtinguantur, Congiarium, Donatiuum, Anathema.

70. HÆc tria vocabula munus ſignificant: ſed hoc diſcriminis intercedit, quòd Congiarium eſt munus imperatorium, quo populus donatur: Donatiuum munus quod militibus tribuitur: Anathema verò munus, quod ſuperis offertur. Et quidem diſcrimen inter congiarium, & donatiuum Conſtitutum Cornelij Taciti teſtimonio in primis confirmatur. *Additum*, inquit, *donatiuū militi, congiarium plebi.* Plinius item in panegyrico Traianum laudat, quòd congiarium populos, donatiuum milites accepiſſent. Non me latet congiarium quandoque vſurpari pro quouis munere, quo quis priuatim à Principe afficitur: vti apud Sueton. lib. de claris Rhetoribus, vbi ait Clodium ab Antonio ingens congiarium accepiſſe. Anathema verò dicitur ἀπὸ τ͂ ἀναθέμαι, id eſt, à ſuſpendendo, quia huiuſmodi donum in fanis è columnis ſuſpendebatur.

Congiarium quid? Donatiuum, quid? Anathema, quid? Plin. Tacit. Sueton. Vide Beroal. in Sueton. in Aug. c. 41.

* * *

CAPVT III.

Quid ſit apud Plautum, Cor facit hiſtrioniam.

HIſtrionia, ars hiſtrionum eſt, & ludionum, 71.
qui in ſcenis perſonati variis geſticulationibus fabulas agunt. Appoſitè verò tranſtulit Plautus hiſtrioniam ad cor hominis aliqua nimia affectione geſtientis, & exultantis: dū enim ait, *cor facere hiſtrioniam*, ſignificat illud feſtiuo quodam motu exilire. Eodem modo Æſchylus inter Græcos ait. ὀρχεῖται δ' καρδία φόβῳ, id eſt, *ſaltat cor metu.* Conſule Turnebum tom. 2. lib. 19. cap. 22.

Plaut. Æſchyl. Turneb.

CAPVT IV.

De ritu vngendi capillos in epulis.

IN lautioribus conuiuiis vnguentorum vſus 72.
præcipuè vigebat; cùm extremi ferculorum miſſus quos ſecundas menſas appellamus, inducebantur, teſte Rhodiginio: at verò in tenui apparatu, & victu huiuſcemodi delitiis locus non erat: vnde parœmia orta eſt, *In lente vnguentum*, iactari ſolita, cùm duo aliqua inter ſe contraria coniunguntur. Multa ſunt huius conſuetudinis apud auctores teſtimonia. Horatius lib. 2. Od. 3.

Vnguenta in conuiuiis. Rhodig.

Huc vina, & vnguenta, & nimium breues
Flores amœnæ ferre iube roſæ
Tum res, & ætas, & ſororum
Fila trium patiuntur atra.

Horat. *Roſæ in conuiuio.*

Idem lib. 3. Od. 29. cùm Mecœnatem ad cœnam inuitet,

Tyrrhena Regum progenies, tibi
Non ante verſo lene merum cado
Cum flore, Mæcenas, roſarum, &
Preſſa tuis balanus capillis
Iamdudum apud me eſt.

Rurſus lib. 2. Od. 7.

Cum quo morantem ſæpe diem mero
Fregi coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.

Vtebantur etiam conuiuantes coronis; vt flo- 73.
rum frigore auerterent ebrietatem. Vnde apud Plautum in Amphitruo, Mercurius; *Capiam*, inquit, *Coronam mi in caput, aſſimulabo me eſſe ebrium.* Vide Lambertum in Horatium lib. 2. ſatyr. 3.

Plaut. Lamb. Horat.

—— Furtim poſuiſſe coronas
Fertur.

& Od. 11 lib. 4.

—— Eſt in horto,
Phylli, nectendis apium coronis.

Cicero Catal. 2. *Accubantes in conuiuiis, vino languidi, conferti cibo, ſertis redimiti, vnguentis obliti, eructant ſermonibus ſuis cædem bonorū, atque vrbis incendia.* Cæterùm, qui hiſce delitiis vacabant, malè ſemper apud optimos quoſque audierunt. Cicero Piſonem reprehendens, *Erant illi*, inquit, *compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ.* Idem oratione poſt red. de eodem Piſone multa in hanc ſententiam commemorat; vbi eum vocat *vnguentis oblitum, madenti coma, compoſito* capillo

Tull.

capillo, grauibus oculis, inflatis buccis. Et poſt pauca, *Non te illinc vnguentorum odor, non vini anhelitus, non frons calamiſtri notata veſtigiis in hanc cognitionem adducebant.* Id etiam vituperationi vertitur à Turno Æneæ apud Virgilium lib. 6.

Virg. *---Fœdare in puluere crines*
Vibratos calido ferro, myrrhâque madentes.

Vnde Philippus Macedo iudicem à magiſtra-

74. Alexandri elegans ſententia. Cœlius lib. 8. c. 12. tu remouiſſe dicitur, quod animaduerteret eum inficere ſolitum capillos, addito elogio, *qui in pilis infidus eſt, qualem in negotiis ſperemur futurum?* Meritò, vt exclamet Lucr. lib. 1. de hac effœminata conſuetudine loquutus,

Lucret. *---Cultus geſtare decoros*
Vix nuribus, rapuere mares.

Verùm quemadmodum coma diligenter nutrita, eneruati animi indicium habetur: ita eadem negligenter reiecta fortis, & erecti animi ſpeciem præbet. Vnde Ouidius Numam laudaturus, ait:

Ouid. *---Intonſi regia magna Numæ.*

Vide ſup. à lib. 5. pictol. 2. & 4. Horatius libro 1. ode 12. viros aliquos robore, & fortitudine præcellentes commemorans ita canit,

Horat. *Hunc & incomptis Curium capillis*
Vtilem bello tulit, & Camillum
Sæua paupertas, & auitus apto
Cum lare fundus.

Idem lib. 2. carm. od. 15. Catonem honoris gratia vocat intonſum,

---Non ita Romuli
Præſcriptum, & intonſi Catonis
Auſpiciis, veterúmque norma.

Aliis parco teſtimoniis. Cæterùm Tertullianum

Tertull. laudo, qui in Apolog. cap. 42. grauiter carpit hominem capillos vngere ſolitum in conuiuiis, & quidem ſuo exemplo. *Non emo,* inquit, *capiti coronam,* &c.

Capvt V.

Dies Curiæ *apud Ciceronem*; Cœna pollucibilis *apud Macrobium*; Cœna recta *apud Suetonium.*

75. Tull. Cicero lib. 1. de oratore, non procul ab initio, *Tanta,* inquit, *fuit in homine iucunditas, & tantus in iocando lepos, vt dies inter eos curiæ fuiſſe*

Dies Curiæ. *videretur, conuiuium Tuſculani.* Sunt, qui hunc locum ita interpretantur, vt dicant, *diem curiæ* appellari à Cicerone illum, qui ſumma orationis grauitate tranſigatur; qualis ille eſt, qui à Senatoribus in curia habetur. Nonnulli *diem curiæ* eundem eſſe contendunt, atque illum, in quo rem diuinam Curiales peragebant, hilaritérque epulabantur; à quo ſermo de mœſtis, & inauſpicatis rebus inſtitutus exulabat. Horum ego ſententiam ſuperiori præfero libentiùs, quia lepos ille in iocando, cuius meminit Cicero, *in diem Senatus non ſatis mihi videtur conuenire; in quo nullis facetiarum condita ſalibus orationis grauitas effluebat.* Accidit, quia conuiuium, cuius ibi meminit M. Tullius, non apud Senatores, ſed apud Curiales celebrabatur. Cæterùm Curiales epulæ ſum-

Curiales epulæ. ma omnium hilaritate, feſtiuiſque, & plauſibilibus ſermonibus, celebrari ſolitæ erant: quas, au-

Tertull. ctore Plutarcho, Solon primus Athenis inſti-

Plutarch. tuit; vnde in Latium emanarunt. De quibus Tertullianus in Apologetico, *tot tribubus, & curiis, & decuriis ructantibus aceſcit aër.*

76. Macrob. Pollucibilis cœna, quæ. Hac de re in lib. 8. Plaut. Bud. Macrobius lib. 3. Saturnaliorum cap. 17. Pollucibilem cœnam vocat opiparam, & ſplendidam. Pollucere enim eſt lautum, & ſplendidum ſacrificium Herculi facere, in quo decima patrimonij pars impendebatur. Plautus in Sticho, *vt decimam,* inquit, *partem Herculi polluceam.* Vnde Budæus, optimus latinitatis auctor, ait, pollucere patrimonia hodie de illis dici poſſe, qui decimam facultatum ſuarum partem in erogationes pias vouerunt. Factum igitur hinc eſt, vt epulari pollucibiliter pro lautè, & ſplendidè vſurpe-

Plaut. tur. Plautus in Moſt. *Pergræcamini,* inquit, *obſonate pollucibiliter:* Cœna verò pollucibilis, ſeu polluctum, lauta, & opipara dicatur. Plaut. *Spectatores vos ad cœnam vocem, cùm non ſit quicquam pollucti domi.*

77. Cœna recta. Cœna recta illa dicitur, quam liberaliores Principes clientibus, ac ſalutatoribus ſuis recto ordine diſcumbentibus exhibebant: cùm ſportulæ non niſi à ſordidis, ac de parcis hominibus darentur. Laudat igitur Tranquillus Domitia-

Sueton. in Domit. c. 7. Domitiani conſuetudo conuiuandi. num, quòd ſportulas publicas ſuſtulerit *reuocata cœnarum rectarum conſuetudine.* Dicitur aliquando abſolutè, *recta.* Idem in Auguſtin. *Conuiuabatur aſſiduè, nec vnquam, niſi recta, non ſine magno ordinum hominúmque delectu.* Et Mart. lib. 8. Domitiano adulatur.

Martialis. *Promiſſa eſt nobis ſportula, recta data eſt.*

Capvt VI.

Ad clepſydram orare quid ſit.

78. Clepſydra, quid. Non eſt aliud orare ad clepſydram, quàm definitum orandi tempus habere. Erat enim clepſydra vas quoddam vitreum graciliter fiſtulatum; in cuius ima parte foramen erat, quod aquam guttatim emitteret; per diminutionem verò aquæ horæ deſignabantur. Vnde ab aquæ furto clepſydra dicitur, κλέπτω enim, idem eſt, quod *furor,* ὕδωρ verò aquam ſignificat. Igitur apud veteres actoribus forenſium cauſarum dicendi tempus præfinitum erat, datis clepſydris, quibus exhauſtis vlteriùs progredi vetabantur.

Alexand. ab Alex. Alexander ab Alexand. lib. 4. genialium dierum cap. 11. ait accuſatori ſex horas, reo verò nouem dari ſolitas, ne tempore paucioribus clepſydris circumſcripto cauſas præcipitarent. Poſt-

Tempus præſcriptum oratoribus. ea verò, quia multi data opera tempus & cauſas diffundebant, à Pompeio conſtitutum, vt accuſatori duæ tantùm, reo tres horæ ad dicendum præberentur. Quanta verò fuit menſura clepſydræ, ingenuè fatetur Budæus ſibi non

Bud. Alex. ab Alex. Domit. conſtare. Alexand. ab Alexand. libro 4. cap. 20. ait tribus clepſydris, aut paulo pòſt horam finiri. Domitius in Martial. lib. 6. affirmat ſingulas clepſydras ſingulis horis reſpondere. Ita interpretatur Epigramma illud perpulchrum ad Cœcilianum,

Mart. *Septem clepſydras magna tibi voce petenti*
Arbiter inuitus Cæciliane dedit.
At tu multa diu dicis: vitreiſque tepentem
Ampullis potas ſemiſupinus aquam.
Vt tandem ſaties vocémque ſitimque, rogamus
Iam de clepſydra, Cæciliane, bibas.

78. Clepſydris ſimilia ſunt apud noſtrates vaſcula illa turbinata, quæ in medio anguſta quadam fiſtula cohærentia arctantur, qua puluiſculus ſenſim elabans horarum ſpatium oſtendit.

Capvt VII.

Quid ſit apud Ouidium, ire interiorem.

79. *Senibus debitus honos.* ILle dicitur ire interior, cui comitatus ab alio præſtatur. Ouidius 5.Faſt. cùm de ſene loquitur, cui iuuenes honorem, & reuerentiam exhi-
Ouid. bent, ita inquit:

In medio iuuenum non indignantibus ipſis
Ibat,& interior.ſi comes vnus erat.

Ita etiam ire exterior ille dicitur, qui comitatum alteri præſtat.Horat.2.ſerm.ſat.5.

Horat. *Qui quamuis periurus erit ſine gente, cruentus,*
Sanguine fraterno,fugitiuus;ne tamen illi
Tu comes exterior,ſi poſtulet,ire recuſes.

Sed quid propriè ſibi velit apud Ouidium, *Inte-*
Seruius. *rior*, dubitant non ſine cauſa docti viri. Seruius enarrans Virgilianum illud 5. Æneid. *Radit iter lænum interior*, interpretatur, ſiniſterior; citátque
Tull. Ciceronem dicentem, *In quem omnia intus*;& Salluſtium,*Introrſus prima Aſia Bithynia eſt.* Vbi Ci-
Salluſt. cero intus,& Salluſtius introrſus, pro ſiniſtrorſus acceperunt.Eodem libro,

----Dum proram ad ſaxa ſuburget
Interior,ſpatióque ſubit Sergeſtus iniquo.

Interior dixit pro ſiniſterior, vt interpreta-
Cælius. tur Cælius libro 9. capite 10. Item libro 11. Æneid.

Virgil. *Eludit gyro interior,ſequitúrque ſequentem.*

Interiorem poſuit pro ſiniſteriore. Horat. item 2. ſerm.ſat.6.ita inquit:

Horat. *Siue Aquilo radit terras,ſeu bruma niualem*
Interiore diem gyro trahit,ire neceſſe eſt.

Meridies ſiniſtra orbis pars. Vbi interiore pro ſiniſteriore ponitur, quia meridies, de quo poëta agit, ſiniſtra mundi pars à poëtis appellatur,vt patet ex Lucano lib.3. Pharſaliæ,

Lucan. *Ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem*
Vmbras mirati nemorum non ire ſiniſtras,

Ouid. ex Ouid item 2.Metam.

Neu te dexterior tortum declinet ad anguem,
Néve ſiniſterior preſſum rota ducat ad aram.

80. Atqui anguem inter duas arctos, hoc eſt, ad Septentrionem, in morem fluminis labi; & aram ad meridiem ſitam eſſe, nullus poëtarum, ſeu Aſtrologorum ignorat. Quæ cùm ita ſint, vt ille, cui comitatus exhibetur, interior, hoc eſt, ſiniſte-
Nebriſſ. rior ire dicatur, colligit non immeritò Nebriſſenſis honorificentius fuiſſe apud veteres ad ſiniſtram,quàm ad dexteram ſedem. Quò mihi videtur illud Virgilianum 10. Æneid. non procul ab initio pertinere,

Virgil. *----Palláſque ſiniſtro*
Affixus lateri.

Neque enim Æneas adeò erat vrbanitatis ex-
Siniſtra locus honoratior. perts, vt Pallanta ad ſiniſtram haberet; niſi is locus dignitate præſtaret. Huc pertinet, quod Xe-
Xenoph. *Cyrus erga conuiuas.* nophon refert, Cyrum ſingulari prudentia viros adhibitos conuiuas, quò honoratius exciperentur, in ſiniſtra locare ſolitum, eámque partem
Alex. ab Alex. velut cordi affinem,digniorem duxiſſe. Vide Alexand. ab Alex. lib. 2. Gen. dier. cap. 19. in medio. Argumento etiam eſſe poteſt, quod in D.Petri ac Pauli ſimulacris pictores obſeruant., & in diplomatis Pontificum ſigillo munitis aduertimus, vt D. Petrus ad ſiniſtram D. Pauli exprimatur.

Capvt VIII.

Quæ figura menſarum erat apud veteres.

DIuitum menſæ citreæ plerunque erant; vnde Mauri, vel Libyci orbes à Martiale ap- 81. *Menſarum figura apud veteres.*
pellantur, nam Atlas mons Libyæ citro abundat. Sic igitur canit lib.2.

Tu Libycos Indis ſuſpendis dentibus orbes. Martial.

& alibi.

Vt Mauri Libycis centum ſtent dentibus orbes.

Menſas, quæ vnico tantùm pede ſuſtinebantur, monopodia vocabant; erántque in magno pretio, vt ex Plinio & Liuio colligitur. Nonnullæ Plin. Liuius.
bipedes erant,canente Martiale lib.12. Mart.

Ibat tripes grabatus,& bipes menſa.

Aliquot tripedes fuerunt; & quidem inferiorum hominum propriæ; vnde Tigellus apud Tigel.
Horat. 1. ſerm.ſat.3. affectando paupertatem dicebat, Horat.

----Modò ſit mihi menſa tripes,&
Concha ſalis puri, & toga, quæ defendere frigus,
Quamuis craſſa,queat.

At verò fortunatorum hominum menſæ à 82.
bellua aliqua magni artificij ſuſtentabantur, ex ebore plerunque fabrefacta. Vnde Iuuenalis ſatyr.11.

----Latos niſi ſuſtinet orbes Iuuen.
Grande ebur,& magno ſublimis Pardus hiatu.

Earum autem figura erat inſtar hemicycli, & quia σ, Græcum olim ſcribebatur vt media luna, factum eſt, vt menſa diceretur ſigma. Mart. cùm de menſa loquitur lib. 14. epigr. 88. tit. ſtibadia, Mart.

Accipe lunata ſcriptum teſtudine ſigma *Conſule Bayſium de vaſculis ſub finem, vbi Martialem refutat.*
Octo capit:veniat,quiſquis amicus erit.

& alibi,

Septem ſigma capit.

Capvt IX.

Quid ſit apud Ciceronem Strumam dibapho tegere.

CIcero lib.2. epiſt. ad Atticum in eos inuehi- 83.
tur,qui Strumam dibapho veſtiunt. Quem Tull.
locum vt intelligas, ſciendum in primis eſt Strumam eſſe tumorem quendam ex pure, & ſanguine concretum, quo fauces præcluduntur, dicitur *Strumam dibapho tegere, quid?*
etiam ſcrophula, ab ſcrophis: *alporca* Luſitanè. *Struma quid, Dibaphum quid.*
Dibaphum verò ſignificare purpuram bis tinctam. Rurſus Strumam vſurpari aliquando pro vitiorum colluuie qua reſpublica obruitur. Ci-
cero oratione pro Sextio, *Illi medentur reip. qui* Tull.
exſecant peſtem aliquam, tanquam Strumam ciuitatis. Dibaphum verò quandoque ſignificare magiſtratus, quibus fas erat dibapho vti. Idem Tullius lib. 2. Epiſt.ad M. Cælium, *Curtius*, inquit, *noſter*

noſter dibaphum cogitat, ſed eum infeſtor moratur: hoc eſt ad magiſtratum ineundum adſpirat; illi tamen res ex animi ſententia non cedit. Igitur Strumam dibapho veſtire, non eſt aliud, quàm infamiam ex ſceleribus contractam ſplendore dignitatis occultare. Huc mihi videtur pertinere illud Martialis epigramma in eum, qui ſeruus aliquando cùm fuiſſet, poſtea ad altiorem dignitatis gradum euectus ſpleneis ſtigmata occultabat. Sic igitur ſcribit ad Rufum lib. 2. propè ſiſtitium.

Martial.
Ruſe vides illum ſubſellia prima tenentem,
Cuius & hinc lucet Sardonychata manus,
Quaque Tyron toties epotauêre lacernæ,
Et toga non tactas vincere iuſſa niues:
Cuius olet toto pinguis coma Marcelliano.
Et ſplendent vulſo brachia trita pilo.
Non extrema ſedet lunata lingula planta,
Coccina non læſum cingit aluta pedem.
Et numeroſa linum ſtellantem ſplenia frontem,
Ignoras quid ſit? ſplenia tolle, leges.

CAPVT X.

Quid ſit odium nouercale.

84. *Nouercale odium.* NOuercale odium prouerbiali ſchemate dicitur, de odio inteſtino: propterea quòd nouercis innatum ſit fatale quoddam odium in priuignos, quod ne morte quidem ipſa extinguatur: ferunt enim, cùm aliquando puer ſtatuam demortuæ nouercæ floribus exornaret; illam ſubitò corruiſſe, puerúmque oppreſſum exanimaſſe. Vnde celebrari cœptum eſt odium nouercæ in priuignum, cùm etiam mortua eius vitæ inſidietur. Hac de re elegans eſt epigramma illud Callimachi, quod Latio donatur, ita habet.

Callimach.
Exiguo lapidi puer addit ſerta nouercæ
Mutaſſe vt vitam ſit ratus ingenium.
At puerum extinguit tumulo hac illapſa, nouerca
Priuigni exanimem vel tumulum fugite.

Flere ad tumulum nouercæ, quid? Hinc etiam alia parœmia exoritur; *Flere tumulum nouercæ*; quia ſimulatus mœror ſignificatur, ſiquidem priuigni nonniſi fictis lacrymis nouercæ interitum proſequuntur. Eundem habet ſignificatum illud prouerbium, *Megarenſium lacryma*; ſed alio ex capite deductum eſt. Lege Manutium. *Megarenſium lacryma. Manutius.*

SATVRNALIORVM decas V.

CAPVT I.

Oſculandæ manus conſuetudo vnde defluxerit.

85. *Manus oſculandæ conſuetudo, vnde. Alexand. ab Alex. Auris memoriæ dicata.* CRediderunt veteres Philoſophi in ſingulis hominum membris religionem ineſſe, cùm ſingulis numinibus conſecrata dicerentur: qua de re non minus copioſè, quàm eleganter agit Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 19. Itaque auris memoriæ dicata erat; vnde eſt Virgilianum illud Eclog. 6.

Mendoça Viridarium.

Cùm canerem Reges, & prælia, Cynthius aurem Virgil.
Vellit, & admonuit; paſtorem Tytire pingues
Paſcere oportet oues, deductum dicere carmen.

Genua, miſericordiæ. Vnde ſupplices ad genua ſolebant accidere Virg. 3. Æneid. 86. *Genua miſericordiæ dicata.*

—— *Genua amplexus, genibúſque volutans*
Hærebat.

Dextera verò, vt cæteris ſuperſedeam, fidei: quare qui fidem ſuam promittebant, porrigebant dexteram, vt ex illo Virg. cat. 7. Æneid. colligi poteſt, *Dextera fidei dicata.* Virgil.

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe Tyranni. Virgil.

Item lib. 3.

Ipſe pater dextram Anchiſes, haud multa moratus
Dat iuueni; atque animum præſenti pignore firmat.

Hinc igitur oſculandę manus conſuetudinem defluxiſſe, non obſcurè innuit Plutarchus in Catone Vticenſi, cùm dicat ſolis Imperatorib. hunc honorem apud veteres exhiberi ſolitum, quibus duntaxat populus fidem ſuam promittebat. Eandem ob cauſam ſolemne fuit Principibus Romanis, vt ex tranquillo colligitur in Nerone, vt abeuntes, redeuntéſque peregrè, Senatorum manus oſcularentur, vt fidem ſuam in Senatum firmam, & integram exhiberent. Vnde Numidarum Reges maieſtatis ſpecie nemini oſculum impertire ſolebant; vt oſtenderent ſe nullius fidei obſtrictos teneri. Sed apud Homerum & ſuperiores inferiorum, inferioréſque ſuperiorum manus oſculantur, vt rectè proſequitur Lambinus in Horat. epiſt. lib. 1 8. illo carmine, Plutarch. Bud. in Pand. Sueton. Alexand ab Alex. ſupra citatus. Homer. Lamb.

Deme ſupercilio nubem, &c. Horat.

Hæc etiam conſuetudo è ſacris literis colligitur. 3. Reg. 19. *Omne os, quod non adorauit Baal oſculans manum.* Muretus lib. 10. var. lect. c. 1. Eadem conſuetudine vſos fuiſſe veteres in venerando Numine oſtendit. Sed non dicit cauſam talis conſuetudinis; vt idcirco certior mihi videatur, quam propoſui. Muret.

CAPVT II.

Pancraticè valere *quid ſignificet apud Plautum.*

87. *Pancraticè valere, quid?* PAſſim inuenies apud Plautum *Pancraticè valere*, vel *pugilicè*, vel *athleticè*, quæ loquendi formæ eodem reciderunt omnes: ſignificantque firmam ac robuſtam corporis valetudinem habere. Cùm enim pancratium, pugilatus & athletica, magnas vires, robuſta latera, ac firmos toros requirant, fit, vt qui huiuſmodi certamine ineunda aptus eſt, integram habere valetudinem dicatur. Eſt autem Pancratium Gymnicum certamen, quod ex quinque certaminum generibus conſtat, videlicet curſu, diſco, ſaltu, lucta, pugilatu: in quorum ſingulis qui victor euaſiſſet, palmam ferebat. Vnde iuxta Hermolaum, pancratium dicitur ἀπὸ τοῦ πάντων κρατεῖν, hoc eſt, *à vincendo omnia.* *Pancratium, quid?* Hermol.

88. Budæus tamen, ἀπὸ τῶν πάντων κρατῶν, dictum autumat pancratium, hoc eſt, ab omnibus viribus, quas in hoc certaminis genere omni neruorum contentione effundebant. Huius certaminis deſcriptio apud Lucianum inuenitur; *Quidam*, inquit, *iuuenum mutuò ſe ſupplantant: quidam ob-ſtricta gula ſtrangulant: nonnulli inter ſe vi flectuntur, & cœno more ſuum volutati mutuò ſe conſpergũt, iam primùm poſitis veſtimentis pingui alter* Bud. Lucian. *Pancratij deſcriptio.*

alterum affricantes placidiſſimè; mox neſcio qua vi impulſi obtrudunt inuicē ſeſe nutatu obuerſario, frontéſque oblidunt, pecudum more inter ſe arietantes. Lege Budæum in Pand. verbo, *Pancratium*, vbi multa inuenies ſcitu digna. Acrochiriſtas verò appellat eos, qui ſummis inter ſe manibus depugnant, nullo complexu hærentes. ἄκρον enim, id eſt, *ſummum*, χειρὸς, id eſt, *manus*. Pancratiaſtas verò, qui manibus, pedibúſque, quaſi omni ope, omnibúſque (vt dicitur) vnguiculis certant.

Bud. *Acrochiriſta, quis?* *Pancratiaſta, quis?*

CAPVT III.

Bellerophontis litteræ quæ?

89. CVm quiſpiam literas affert commendatitias, vt ipſe quidem putat, re autem vera, accuſatorias: aut cùm aliquis nuntiat, facitve, quo ſe prodit, ſibique nocet, dicitur afferre literas Bellerophontis. Quod prouerbium hoc ex fonte creditur emanaſſe. Bellerophon à Præto Argiuorum Rege hoſpitio exceptus fuit, & non multò pòſt apud eundem falſo crimine accuſatus. Rex tamen, ne hoſpitij religionem violare videretur, ſi hominem ſuapte manu occideret; id negotij commiſit ſocero ſuo Iobatæ, in Lycia commoranti; ad quem legauit Bellerophontem cum literis in ipſius perniciem ſcriptis. Quibus lectis, multis eum laboribus agitauit Iobates, multa in pericula induxit: è quibus tamen ille ſemper ſaluus & incolumis euaſit. Hoc vtitur prouerbio Plaut. in Bacchidibus. *Bellerophontem*, inquit, *iam tuus me fecit filius. Egomet tabellas detuli, vt vincirer.*

Bellerophontis litera, quæ? Vide Lamb. in Horat. lib. 3. car. od 7. *Fabula apud Hygin. & Hom. lib. 6. Iliad.* Plaut.

CAPVT IV.

Quid in ſacrificiis fuerit ſalſa mola?

90. SAlſa mola non eſt aliud, quàm far toſtum, aqua ſaléque conditum, à mollito farre nuncupata. Huius frequentiſſimus fuit vſus in ſacrificiis peragendis. Pompilius enim, vt ſcribit Alexander ab Alexandro lib. 3. Genial. dier. cap. 12. cenſuit nullum ſacrificium ratum fieri, in quo ſalſa mola hoſtiis non aſpergeretur; quia verò ad ſalſam molam far in primis toſtum requirebat, *Fornacalia* inſtituit, hoc eſt, religioſos dies, quibus farra in fornacibus torreri poſſent. Cuius rei meminit. Ouid. 2. Faſt.

Mola ſalſa, quid? Alexand. ab Alex. *Numa de ſalſa mola legē condidit.*

Ouid.

Facta Dea eſt Fornax: læti fornace coloni
Orant, vt fruges temperet illa ſuas.
Curio legitimis tunc Fornicalia verbis
Maximus indicit, nec ſtata ſacra facit.

91. Sed quàm frequenter veteres ſalſa mola vterentur in ſacris peragendis, multis confirmari poteſt grauiſſimorum auctorum teſtimoniis qui de ſacrificiis loquuti, molæ ſalſæ mentionem ineunt. Cicero 2. de diuin. *Cor eſt extis, iam abſcedet, ſimul ac molam, & vinum inſperſeris.* Plinius lib. 12. mataph. hiſtor. cap. 18. *Nec minus proprij erant Dij mola ſalſa ſupplicantibus, imò verò vt palam eſt, placatiores.* Plaut. in Amphit. *Prodigiali Ioui aut mola ſalſa hodie, aut thure comprecatum oportuit.* Luc. 1 lib.

Tull. Plin. Plaut. Luc.

——*iam fundere Bacchum*
Cœperat, obliquóque molas inducere cultro.

Horat. 2. ſerm. ſat. 3.

Tu cum pro vitula ſtatuis dulcem Aulide natam Horat.
Ante aras, ſpargíſque mola caput, improbe, ſalſa.

Virg. denique Eclog. 8.

Sparge molam, & fragiles incende bitumę lauros. Virgil.

Idem. 4. Æneid.

Ipſa mola, manibúſque piis altaria iuxta.

Hinc verbum, *immolo*, proficiſcitur, quod ſignificat adhibita mola ſacrificare. Quo vſus eſt Tertull. loquens de ſacrificio: quod Ethnici Saturno faciebant. *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palàm.* Et paulo infrà. *Infantibus blandiebantur ne lacrymantes immolarentur.* vbi Heraldus curioſè notat Tertulliani mentem. Nam cùm mola ſalſa ſpargerent victimas, obſeruabant ſumma cura an conſperſionem iſtam lubentes, & placidi paterentur? Occurrit Seneca in OEdip. 92.

Tertull. Herald.

Et ſparge ſalſa colla taurorum mola, Seneca.
Placido ne vultu ſacra & admotas manus
Patiuntur?

Afri namque blanditiis, & oſculo filiorum vagitus comprimebant, ne flebilis hoſtia Saturno immolaretur, vt Minutius interpretatur. De his verò Saturni ſacrificiis latè Macrobius.

Minutius. Macrob.

CAPVT V.

De ſalutandi ritu apud veteres.

ROmanorum fuit conſuetudo, vt primariæ nobilitatis viri quantoplurimos haberent clientes, qui ſingulis diebus ſe ſalutatum venirent. Hos autem, quia ſimplici, ſeu raſa toga induebantur, turbam togatam appellabant: iiſdem ſportula dabatur, vtriuſque rei auctores habeo, Iuuenalem ac Martialem, quorum ille ſat. 2. ita canit. 93.

——*Nunc ſportula primo* Iuuenal.
Limine parua ſedet, turbæ rapienda togatæ.

Hic verò in apophoretis ita inquit,

Si matutinos facile eſt tibi rumpere ſomnos, Martial.
Attrita veniet ſportula ſæpe toga.

Quia verò in primo domorum ingreſſu ſalutatores conſiſtebeant, donec introeundi copia daretur; primi domorum aditus veſtibula dicti ſunt à veſtando, hoc eſt, à nimium ſtando: particula enim, *ve*, in compoſitione valde, ſeu nimium ſignificat. Vnde apud Horat. lib. 1. ſatyr. 2. conſule Lamb. loco citato Horatij. Gellium lib. 5. cap. 12. & lib. 16. cap. 5. *Vepallida mulier eſt*, valde pallida, & apud Cicer. de lege agraria. *hominem vegrandi macie torridum*, id eſt, nimium grandi macie confectum. Et apud Virgil.

Horat. Lamb. Gellius. Tull.

Mantua vę miſere nimium vicina Cremonæ. Virgil.

Quamuis alia ſit aliorum interpretatio. Cæterùm, quo tempore clientes ſalutatum conuenirent, non immeritò in quæſtionem adducetur. Virgil. enim 2. Georg. matutinum tempus aſſignat. 94.

Tempus ſalutandi.

——*Ingentem foribus domus alta ſuperbis* Virgil.
Manè ſalutantum totis vomit ædibus vndam.

Martialis item celebri illo epigrammate libri 4. primam ac ſecundam diei horam huic officio obeundo conſtitutam affirmat. Martial.

Prima ſalutantes, atque altera continet hora.

Delrius tamen affirmat huiuſmodi Dynaſtas, ac principes viros libros habere ſolitos, in quibus Delrius.

admit

admittendorum erant conſcripta nomina, diſtributa per claſſes primam, ſecundam, & deinceps, vt nimirum eo ordine ſalutare permitterentur, quo relata eſſent in album; qua in re illius probo ſententiam, cùm Senecæ Philoſophi teſtimonio confirmetur lib. 6. de benef. qui de clientibus loquutus, ita inquit; *Non ſunt iſti amici, qui agmine magno ianuam pulſant, qui in primas & ſecundas admiſſiones digeruntur.* Et paulò inferiùs ad Dynaſtas ipſos orationem conuertens, *Habuerunt*, inquit, *iſti amicos primos, habuerunt ſecundos, nunquam veros.* Quibus verbis ad eos ordines ſpectare videtur, in quos clientum nomina digeſta erant. Eodem etiam pertinet illa loquendi forma D. Hieronymi in epiſtola ad Euſtochium de virginitate ſeruanda, *ſalutationes diſponere*, id eſt, ſalutantes varias in claſſes diſtribuere. Rectè igitur his auctoribus ſuam ſententiam Delrius confirmauit. Ait præterea, vt iam ad inſtitutum accedam, cùm tot eſſent ſalutantium claſſes, tam multiſque refertæ clientibus, contingere, vt qui ſummo manè veneat, partem nonnunquam de ſolida morte demeret expectando, antequam intromitteretur: id autem Iuuenalis teſtimonio confirmat ſatyr. 5. in initio, qui clienti cuidam irridens, ita inquit ironicè,

Ordo ſalutandi apud veteres. — *Hieron.*

---Habet Trebeius propter quod rumpere ſomnum
Debeat, & ligulas demittere, ſolicitus, ne
Tota ſalutatrix iam turba peregerit orbem
Sideribus dubiis, aut illo tempore, quo ſe
Frigida circumagunt pigri ſerraca Bootæ.

Iuuen.

Affert item Senecæ teſtimonium choro 1. Herc. Fur. vbi ſic de cliente,

Ille ſuperbos aditus regum
Duráſque fores expers ſomni
Colit.

Seneca.

95\. *Clientum labor.* Ex quibus locis colligit, ad multam noctem in Regum veſtibulis clientes inſomnes perſeuerare, ſuos vt dominos ſalutent. Quidquid tamen ſit de hac re, certè allata teſtimonia id quod propoſitum erat, non efficiunt. Illud enim Iuuenalis non de veſpertino, ſed de matutino crepuſculo interpretatur Britanicus; qua ratione explicari etiam poteſt illud ex Seneca adductum. Præſertim, quia nocte ſæpenumero intempeſta clientes ſurgebant, vt cœlo vixdum albente ſalutatum venirent, vt inquit Martialis,

Britan.

Manè, vel a media nocte togatus ero.

Clientum veterũ ſtudium & celeritas. Quin etiam tanta celeritate vtebantur, ne in ſalutando ſegnes viderentur, vt nonnunquam ligulis reſolutis, veſtibúſque diloricatis, domo egrederentur, quò ſpectat illud Martialis lib. 3.

Martialis.

Horridus, vt primo ſemper te manè ſalutem,
Per medium que trahat me tua ſella lutum.

96\. *Horridus, pro inuenuſte.* *Horridus*, id eſt, inuenuſtè, & indecorè veſtitus. Quare dicendum mihi potius videtur matutinum tempus ſalutationibus duntaxat præfinitum fuiſſe. Neque hanc ſententiam labefactat illud Martialis ad finem primi libri,

Mart.

Ipſe ſalutabo decima, vel ſerius hora:
Manè tibi pro me dicat auere liber.

Ait enim ſe præter conſuetudinem facturum, vt integrum diem literis impendat. Illud vnum non omittam, huiuſmodi principes viros, ad quos ſalutandos cæteri confluebant, Reges appellari ſolitos: vt patet in primis ex loco citato Senecæ,

Senec.

Ille ſuperbos aditus Regum, &c.

ex Iuuenale ſatyr. 1.

Optima ſyluarum interea pelagique vorabit *Iuuen.*
Rex horum vacuiſque toris tantum ipſe iacebit.

Conſule Britanicum, hunc Iuuenalis locum explicantem, pluraque teſtimonia hac de re ex Plauto, & Terentio afferentem. Huc pertinet Plautinum illud in Aſin. *Ni impetro, regem perdidi.* Item in Capt. *Rex meus poſtquam potitus hoſtium eſt.* Vtrobique enim loquitur paraſitus de illo, qui ſe alebat, vt interpretatur Lambinus. Illud item Horatianum lib. 1. epiſt. 17. eodem ſpectat,

Britan. — *Plaut.* *Terent.* *Plaut.* — *Lamb.* *Horat.*

---Equus vt me portet, alat Rex.

CAPVT VI.

Cur Laribus canes appingerentur.

HAnc reddit cauſam Plutarchus in problematis, cùm Laribus cuſtodia domus committatur, oportere, vt terrore aduerſus exteros; amore erga domeſticos canum naturam imitentur, qua de re latè Roſin. lib. 2. c. 14. de Laribus. Id, quod ab Ouidio priùs fuerat decantatum 5. Faſtor. non procul ab initio.

97\. *Multus eſt in hac re Roſinus, quem vide.* *Plutarch.* *Roſin.*

Et canis ante pedes ſaxo fabricatus eodem
Stabat: quæ ſtandi cum lare cauſa fuit?
Seruat vterque domum: domino quoque fidus vterque
Compita grata deo, compita grata cani.
Exagitant & Lar, & turba Dianiæ fures.
Peruigilántque Lares, peruigilántque canes.

Ouidius. *Canes laribus appicti.*

CAPVT VII.

Quid apud Virgil. Liber, & alma Ceres.

VIrgilius 1. Georg. ita Deorum implorat opem, 98.

---Vos ô clariſſima mundi *Virg.*
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum
Liber, & alma Ceres.

Quem locum Mancinellus ita explicat; vt dicat clariſſima illa lumina, &c. ſolem ac lunam ſignificare; at verò Liberum ac Cererem ſeorſim à poëta inuocari. *Imitatus enim*, inquit, *eſt poëta Varronẽ prologo primi voluminis de re ruſtica, vbi primum Iouẽ, ac Tellurem, deinde Solem ac Lunã; tertiò, Liberum ac Cererem implorat.* Non mihi tamen videtur ea in re ad Varronem poëta acceſſiſſe. Cùm enim non inuocet Iouem ac Tellurem, vt Varro; qui dici poteſt, Varronem imitatus? Multò igitur aptiùs Seruius & Macrobius interpretantur; quorum ille affirmat ex doctrina Stoicorum, qui vnum Deum, vnámque Deam crediderunt, diuerſa nomina ob diuerſa officia habentes, Solem Liberum, Lunam Cererem à Virgilio nuncupatam. Hic autem ex Ariſtotele, Orpheo, Euripe, & aliis oſtendit Solem Liberum eſſe, ita dictum, quia liberè euagatur. Vnde etiam iuxta Cleanthem Dionyſius appellatur, ἀπὸ τοῦ διανύειν, hoc eſt, à peragendo, quia perpetua agitatione diem noctémque conficit.

Mant. — *Seruius.* *Macrob.* *Cleant.* — *Liberi ſignificationes.*

99\. *Sol dicitur liber, & cur?* Idem colligit ex plurimis ſacrificiis in Thracia & Lacedæmonia, quæ ſimul Libero, & Soli fiebant. Vnde poſtremò carmẽ Virgilianum ita interpretatur, vt Liberum pro Sole, Cererem pro

Digitized by Google

Luna accipiat:quorum opera aſperior ille hominum victus quercubus petitus, mitior fieri cœptus eſt. Sol enim ac Luna fertilitatibus glebæ, & maturandis frugibus, vel nocturno temperamento,vel diurno calore moderantur.

Capvt VIII.

Inferorum,terreſtrium,ac cœleſtium Numinum ſacrificia,quibus rebus differant.

100. *Altaria tantū ſuperis, aræ terreſtribus, & inferis dicata.* Feſtus. Silius. Virgil. *Sacrificia Numinum.*

Loco in primis. Nam,vt inquit Feſtus,veteres diis ſuperis in altaribus, terreſtribus in aris, inferis in effoſſa humo ſacra faciebant. Plura ſunt apud poëtas exempla.Silius lib.12.

----Sed enim ante omnes altaria fument
Feſta Ioui.

Virg.Eclog.5.

----Duóque altaria Phœbo.

Et idem 8. Æneid. de ſacrificiis Herculis loquutus,

Vna omnes iuuenum primi,pauperque Senatus
Thura dabāt,tepidúſque cruor fumabat ad aras.

Stat. Statius lib.4.Theb.

---Tibi Rector Auerni
Quāquā infoſſus humo ſuperat tamē agger in auras
Pineus,&c.

Delrius fol. 120. Delrius refert illa carmina, quæ de vanis ſacrificiorum ritibus à Cacodæmone Porphyrius accepit.Vbi præter alia,

---Capiuntur apertis
Terreſtres aris:foueas cum numina contrà
Expoſcant atro imbutas inferna cruore.

Diſcrimina ſacrific.orum Callixenus apud Delriū in OEpid. n.549. Virg.

Differunt prætereà tempore. *Quia*, vt inquit Callixenus, *Inferis ſub occaſum Solis ſacrificāt,cœleſtibus verò diis ſub Solis naſcentis ortum operātur.* Vnde Virg.6. Æneid.

Tum Stygio Regi nocturnas incboat aras.

in 7.autem,

Surge age Nate Dea, primiſq; cadētibus aſtris
Iunoni fer ritè preces.

& ſtatim,

--- Nox Ænean, ſomnúſque reliquit.
Surgit,& ætherei ſpectans orientia Solis
Lumina,ritè cauis vndam de flumine palmis
Suſtulit,ac tales effudit ad æthera voces.
Nymphæ Laurentes,&c.

Ac tandem ſuem inuentam Iunoni ſacrificat. Præterea ſuperis diis victimas albas immolabāt, inferis,ac terreſtribus nigras. De nigris victimis inferis dicatis multa ſunt apud Maronem teſtimonia in 6.

Quatuor hic primùm nigrantes terga iuuencos
Conſtituit,frontique inuergit vina ſacerdos.

& ſtatim,

---Ipſe atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum,magnæque ſorori
Enſe ferit,ſterilémque tibi Proſerpina vaccam.

In 5.vbi Anchiſes hoc ſacrificium Æneæ prædixit,

---Hùc caſta Sibylla
Nigrarum multò pecudum te ſanguine ducet.

Non pauciora apud Virg.de candidis hoſtiis ſuperis dicatis teſtimonia inueniēntur.In 3.

---Superìsque nitentem
Cœlicolūm Regi mactabam in littore taurum.

in eodem,

Nigram hyemi pecudē,Zephyris felicibus albā.

In 8. albam ſuem cum grege concolori Iunoni mactat,

Sacra ferens & cum grege ſiſtit ad aras.

Capvt IX.

Solemne fuiſſe Græcis & Latinis victimarum cornua inaurare.

De Græcis in primis nulla eſt dubitatio. Cùm dicat Plato in Alcibiade, exceptis Lacedæmoniis,Græcos omnes boues cornibus auratis ſacrificaſſe. Idémque ab Homero ſignificatur.Odyſſ.11. 101. *Victimarum cornua deaurata.* Plato. Homer.

Τὴν σοὶ ἐγὼ ῥέξω,χρυσὸν κέρασιν περιχεύας.

Id eſt,*hanc ego*(bouem ſignificat)*tibi ſacrificando, aurum cornibus circumfundens.*Solemne hoc fuiſſe etiam Romanorum luce clariùs demonſtrari poteſt ex multis poëtis Latinis.Valerius Flaccus lib.1.

---Dabit auratis & cornibus igni Flaccus.
Colla pater.

& lib.3,

-- Ibat agens lectas aurata fronte iuuencas.

Cic. 2.de diuin.

Nos ci cum latices gelidos,fumantibus aris Tull.
Aurigeris diuum placantes numina tauris.

In antiquo lapide Romæ inſculptum erat hoc carmen,

Vota fauentinus bis deni ſuſcipit orbis,
Vt mactet repetens aurata fronte bicornes.

Trebellius Pollio in vita Gallienorum.*Proceſſerunt*,inquit,*centeni albi boues cornibus auro iugatis.*Plutarchus item Pauli Æmilij triumphum deſcribens, *Poſt eos*,inquit, *ducebantur auratis cornibus boues centum vigenti*,&c.Accedunt tandem duo poëtarum lumina,tam inter Epicos, quàm inter Tragicos longè clariſſima, Virgilius & Seneca.Quorum ille lib.9. Trebel. Plutarch.

Et ſtatuam ante aras aurata fronte iuuencum. Virg.

Hic verò in OEdip.choro 1.

Aureo taurus rutilante cornu Seneca.
Labitur ſegnis.

De tauro loquitur,qui ad aras ſacrificandus conſiſtebat. Ex Delrio in OEdip.numero 137. alia poteris haurire.

Capvt X.

Quæ ſis tibia dextra,quæ ſiniſtra.

102. *Tibiarum genera.* Scalig. Victor.

Ex Sententia Scaligeri lib.1. poët. cap.20.tibia dextra appellatur,à dextro latere, vnde inflatur; ſiniſtra item,à ſiniſtro.Victorius tamen lib. 28.variar.lect. c. 11. exiſtimat dextras appellari, quæ dextra parte oris,manúque itidem dextra tenebantur: ſiniſtras,quæ contraria oris parte, & manu ſiniſtra.Aldus Manutius lib.3. de quæſitis per epiſt.4. dextras tibias vocat, quæ dextra hiſtriones ſpectabant, ſiniſtra ſcilicet ſpectatores: ſiniſtras contrà, quæ ſiniſtra hiſtriones, dextra ſpectatores.Vtræ tamen funeribus adhiberentur, dextræne,an ſiniſtræ,dubitari poteſt.Nōnulli dicūt,vt videre eſt apud Scaligerū, dextras funeribus dicatas eſſe:cuius rei rationem illā aſſignāt, quia tibiæ dextræ grauem ſonum emittunt, Aldus. Scalig.

qui

Digitized by Google

qui rebus funereis aptior videtur, vt colligi poteſt ex Papinio 6. Thebaid.

Cum ſignum luctus cornu graue mugit adunco,
Tibia, &c.

103. Scalig. Victor. Aldus. Plin.

Verùm, cùm Scaliger, Victorius, & Aldus Manutius ſonum acutum dexteris, grauem ſiniſtris tribuant: nec immeritò, cùm ex Plinio lib. 16. cap. 36. conſtet internodium radici proximum ad læuam tibiam; quod ſubeſt cacumini ad dexteram excidi ſolitum; proindéque hanc ex graciliori materia compactam ſonos effundere acutiores; dicendum eſt, propterea Romanos in funeribus vſos fuiſſe tibiis dextris, quia ſonos acutos fundebant; qua in re, ſicuti in plurimis, Troianos imitati ſunt, qui in funeribus ſonis acutiſſimis vtebantur. Quod ita colligo, ait enim Scaliger barbaros, ſonos acutiſſimos in funeribus adhibere. Barbaros autẽ Troianos interpretari poſſumus, qui à Latinis auctoribus præſertim barbari appellantur. Sic apud Catullum, *barbara tibia*, id eſt, *Troiana* apud Ciceronem ex vetere poëta, *aſtante ope barbarica*, id eſt, *Troiana*; apud Virgil. 2. Æneid.

Scalig. *Troiani barbari appellantur.* Catul. Tull.

Barbarico poſtes auro, id eſt, *Troiano*.

Virg. Bernant. Rozin.

Conſule Bernantium in ſcholiis ad lib. 6. Thebaid. citatum proximè, & Roſin. lib. 5. cap. 11.

Capvt XI.

Quæ ſint apud Ciceronem imagines fumoſæ.

104. *Fumoſa imagines antiqui generis ſtemma.* Bud. Iuuen.

Cicero in Piſonem, *Obrepſiſti*, inquit, *ad honores errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum, quarum ſimile nihil habes præter colorem.* Fumoſas imagines appellauit, vt interpretatur Budæus, antiquiſſimi generis ſtemmata. Quò videtur Iuuenalis ſpectaſſe, dum ait,

Fumoſos equitum cum dictatore Magiſtros.

Viri enim è prima nobilitate ſui generis imagines conſeruabant, quæ quò erant fumoſiores, eò antiquiorem nobilitatem arguebant. Nam qui obſcuro loco nati erant, nullas habebant imagines. Tranquillus in Veſp. *Flauia gens*, inquit, *obſcura illa quidem, ac ſine vllis maiorum imaginibus, ſed tamen reipubl. nequaquam pœnitenda.* Cicero de lege Agraria ſignificare volens ſe nouum hominem, conſulem tamen factum, *Quemadmodum*, inquit, *cùm petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt; ſic ſi quid deliquero, nulla ſunt imagines, quæ me à vobis deprecentur.* Vnde Plinius lib 9. epiſt. *ſubitas imagines* appellat nobilitatem parum antiquam, ſed repentè, fortunæque beneficio quæſitam. Sed de hac re fuſiùs in Scipionis ſomnio. Illud tamen cum Ouidio carmine illo ad Piſon. velim vt teneas; ſcilicet nullum eſſe ſtemma nobilius virtute, nullam imaginem nec antiquiorem, nec pulchriorem optima viuendi forma.

Tranq. Tull. Plin.

Ouid.

Nam quid imaginibus, quid auitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroſo conſule faſti
Profuerint, ſi vita labat, &c.

Illos ego laudo, qui potius de ſuis, propriáque manu pulchrè perpetratis facinoribus, quàm aliena, & auitis gloriantur. Optimè Cothurnatus ille poëta,

Qui genus laudat ſuum, aliena iactat.

Capvt XII.

Imagines inanes *apud Ouidium.*

Apud Ouidium 5. Faſtorum imago inanis pro anima è corpore ſoluta vſurpatur, ita enim, inquit, poëta, 105.

Nunc ſum elapſa rogi flammis, & inanis imago, Ouid.
Hæc eſt ex illo forma relicta Remo.

Et quidem animi corporea concretione liberati paſſim imagines appellantur. Virgil. in 4.

Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.

Eoſdem inanes ſeu vacuos appellant. Vnde Virgilius 6. Æneid. laborem æneæ irritum fore prædicit: dum gladio diſtricto in animos incurriſſet.

Virg. *Imagines inanes quæ.*

Et ni docta comes tenues ſine corpore vitas
Admoneat volitare caua ſub imagine formæ
Irruat, & fruſtrà ferro diuerberet vmbras.

Capvt XIII.

Stare ænneum *apud Horatium*; effari templa, ſiſtere fana, inaugurari.

Horatius de iis loquutus, qui magiſtratibus ineundis, cæteriſque honoribus acquirendis adſpirant, ita inquit lib. 2. ſerm. ſat. 4. 106.

Horat. *Stare anneũ quid.*

Latus vt in circo ſpatiere, aut anneus vt ſtes.

Quem locum ita omnes interpretantur, vt dicãt ænneum ſtare aliud non eſſe, quàm ſtatuæ ænneæ honore affici. Lambinus verò ſeorſim ſubdit, Græcam eſſe conſtructionem; dicunt enim Græci ἑϛάναι χαλκοῦν, *ſtare anneum*, ſtatuam ænneam habere. Et *ἱϛάναι χαλκοῦν erigere anneum*, ideſt, ſtatuam ænneam alicui erigere. Iam verò *effari templa*, non eſt aliud, quàm templi exædificandi certos fines præſcribere, teſte Varrone. Augures enim captis auguriis effari ſolebant, quo loco templum iuxta obſeruata auguria eſſet collocandum. Vnde à fando fana dicuntur. Cicer. ad Atticum lib. 3. *Orat Lepidus vt veniam ad templum effandum Saturni*. Liu. lib. 1. decad. 1. *Romulus fanum effatus fuerat.*

Lamb. *Effari templa, quid.* Varro. Tull. Liuius.

Idem ſignificat, eodem Varrone auctore, *ſiſtere fana.* Ad quem Pompeius Feſtus accedit, *Siſtere*, inquit, *fana, ſignificat loca futurorum fanorum in oppido conſtituere.* Cornelius Tacitus lib. 4. hiſtor. de templo Iouis Capitolini à Veſpaſiano reſtituto, *Haruſpices*, inquit, *monuere, vt templum iiſdem veſtigiis ſiſteretur; nolle Deum mutari veterem formam.* At verò, *inaugurari*, eſt auguriis ab auibus captis templa reddere ſanctiora; quæ antequam fierent huiuſmodi auguria, non templa, ſed ædes ſacræ dicebantur: vt videre eſt apud Agellium lib. 14. cap. 7. Contrarium eſt exaugurari, id eſt, quod augurio conſecratum erat addicentibus auibus profanum reddere.

107. *Siſtere fana quid.* Varro. Feſtus. Tacit. *Inaugurari quid.* *Templa ſic dicta poſt auguria, ante verò ædes.* Agell. *Exaugurari quid.*

* * *

SATVR

Digitized by Google

SATVRNALIORVM decas VI.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit, diſcinctus, & altecinctus.

108. VT perfectio operi nos præcingamus, altius nobis ab *Altecincto* exordium ſumendum eſt. *Alte* igitur *cinctum* veteres fortem virum, ac planè maſculum appellarunt; quòd ſcilicet hoc vnum cincturæ genus ab effœminato viro atq; molli remotiſſimum eſſet. Huc enim ſpectat illud ex Seneca lib. epiſt. 4. vbi de Mecænate. *Altecinctum*, inquit, *putes dixiſſe, habuit enim ingenium & grande, & virile, niſi illud ipſum diſcinxiſſet.* Vnde non parum etiam luminis duobus ex Horatio locis ſuboriri videtur. *Hoc iter*, ait, *ignaui diuiſimus, altiùs ac nos, præcinctis vnum*, id eſt, quod maximè ſtrenuis vnum eſſe ſolet. Idémque alibi: *Hic vbi ſublatis puer altecinctus acernam Gauſape purpureo menſam pertерſit.* Perinde eſt enim ac ſi dixiſſet; fortis quidem & ſtrenuus ſeruus menſam terſit.

Altecinctus vir fortis. Sen. Horat.

Diſcinctus igitur, diſſolutum, negligentem, & nimio luxu ac mollitie diffluentem ſignificat, ſic enim ſcholiaſtes ad eum locum Horatij Epod. Od. 1.

Diſcinctus mollis eſt homo.

Horat. Perſ.

Diſcinctus aut perdam vt nepos.

Quò item ſpectat illud Perſij ſatyr. 3.

Non pudet ad morem diſcincti viuere nanæ?

109. Macedon. Idémque ex veteri & egregia Macedonum lege palàm fiet, apud quos iccirco lege cautum erat, vt ſemper cincti, caligatique milites incederent, quòd diſcinctos velut ignauos & lanæ magis quàm ferro aptos homines, præcinctos verò fortiſſimos, & ad arma maximè natos arbitrarentur; vnde adeò ad Carthaginenſes etiam mores admiſſum crediderim, vt diſcinctos quoſque vehementer infames & eneruatos homines iudicarent. Idque poſtea vitio etiam & ignominiæ dedère Romani, apud quos milites victi, aut qui flagitium aliquod militare admiſerant, diſcincti ſub iugo tranſire cogebantur, aut palàm ſtare, teſte Suetonio in Auguſt. cap. 24. *Pro cætero delictorum genere variis ignominiis affecit; vt ſtare per totum diem iuberet ante prætorium; interdum tunicatos diſcinctóſque.* Itaque turpe erat non militibus modò, ſed quibuſcunque hominibus apud veteres illos Romanos, diſcinctos in lucem prodire. Quò alluſiſſe videtur Horatianum illud ſatyr. 2 lib. 1.

Carthaginenſes. Romani. Suet. *Augusti ſententia in milites flagitioſos.*

Diſcincta tunica fugiendum eſt, ac pede nudo.

Horat. *Diſcincta veſtis. Diſcinctus animus.* Virg.

Ex quo etiam prouerbia emanarunt, *Diſcincta veſtis, & diſcinctus animus.* In quam etiam ſententiam ad eum Virgilij locum Æneid. 1.

Illi ſe prædæ accingunt.

atque ad eum libri eiuſdem operis 8.

Diſcinctos mulciber Aphros.

Seruius.

Egregius ſcholiaſtes Seruius poëtam interpretatur, diſcinctóſque militiæ inhabiles eſſe tradit, ídque probri in aphros coniecit poëta, vt qui effluxa ad talos veſte luxurioſorum more incederent.

110. *Demiſſa tunica.*

Tunicas enim demiſſas inter Romanos, tunicas fuiſſe conſtat talares, ac fœmineas, & à virili quidem cultu vehementer abhorrentes; quibus tamen elegātiæ ſtudioſi, & politioris cultus peramantes adoleſcentes vterentur. Huc enim reſpexit Propertius,

Propert. Plaut.

Mundus demiſſis inſtitor in tunicis;

Plautum ſcilicet imitatus: qui in Pænulo, *Quis*, inquit, *hic homo, cum tunicis longis, quaſi puer Cauponius*, in quos Tertull. de pallio cap. 4. præſertim ab illis verbis: *Qualem demens*, &c. Cùm igitur laxas ac molliter defluentes tunicas cinctura virili more modóque collectas ſuſpenderet, diſcinctum ambulare probro & infamiæ vertebatur. Vt Cæſari nimirum non tam diſcincto, quam malè præcincto; & Mæcenati, in cuius etiam Epicedio id excuſatur à poëta neſcio quo, his carminibus.

Cæſar diſcinctus & malè præcinctus.

Quod diſcinctus eras animo quoque, carpitur vnū;
Diluitur nimia ſimplicitate tua.

Mæcenas diſcinctus.

Itaque quamuis diſcinctus luxurioſum & intemperantem, diſcingi verò mollitiem ferè, ac turpitudinem quandam præ ſe ferat; aliquando tamen pro eo accipitur qui remiſſiore ac liberiore quidem interdum victu atque ludo vitæ quotidianæ ſeueritatem, ſine flagitio recreat, ac temperat. Quò pertinet illud Horatij ſat. 1. lib. 2.

Horat.

Nugari cum illo, & diſcincti ludere donec
Decoqueretur olus.

vbi diſcinctus non in vitio ponitur, ſed ad animi laxamentum tantùm pertinet. Cæterùm de his conſule Clem. Alex. 2. Pæd.

Diſcinctus propriè quid ſignificet. Clem. Alex.

CAPVT II.

Silius Italicus exponitur.

ILlud apud Silium Italicum lib. 8. eruditione non caret, vbi inter militaria ſtudia, natandi quoque exercitationem ac peritiam poſuit, qua ſuos milites Scipio exercebat. 111.

Militare natandi ſtudium. Silius.

---Vndoſum frangere nando
Indutus thoraca vadum, ſpectacula tanta
Ante acies virtutis erant.

Quò etiam pertinere videtur Horatianum illud carmin. 1. Od. 8.

Horat. Acron.

Cur timet flauum Tyberim tangere?

id eſt, vt interpretatur Acron, natare. quod adoleſcentibus inter virtutis ſtudia militaria erat, ídque militibus neceſſarium eſſe Porphyrió dixit. Iccircóque veteres Romani campum Martium vicinum Tyberi delegerunt, in quo iuuentus poſt armorum exercitium, ſudorem, puluerémque dilueret; ad quem morem alluſit Horatius eo loco.

Porphyr. *Cāpus Martius cur electus à Romanis?*

Inde adeò Vegetius lib. 1. rei militaris cap. 17. ait, *Natandi vſum æſtiuis menſibus omnis debet Tyro condiſcere, non enim ſemper flumina pontibus tranſeuntur.* Accedit etiam Suetonius in Auguſto cap. 64. *Nepotes*, inquit, *& literas & natare, aliáque rudimenta per ſe plerunque docuit.* Idem verò de Caligula prodidit, Imperatorem eum ad cætera magnopere docilem, natare tamen neſciuiſſe. Hinc porrò illud emanauit; *Neque natare, neque literas*, ſcilicet, *nouit*, prouerbiali nimirum ſchemate in eos dictum, qui ſupra modum indocti eſſent, nihílque prorſus bonarum artium in pueritia addiſcerent, hæc enim duo ſtatim pueri Athenis addiſcebant. Quod tamen à ſe nō factum Alexander Macedo apud Plutarchum in ipſius vita vehementer dolet. *O deterrimus*, inquit, *ego qui nare non didici; móxque rapto incumbens clypeo tranat.* Atque hæc omnia atteſtatur Alexand. ab Alex. Gen. lib. 1. cap. 20. vbi inter alia

112. Veget. Sueton. *Auguſtus docuit per ſe literas, & alia. Caligula natare neſciuit.* Plutarch. *Alexāder dolet neſcire natare.* Alex. ab Ale.

Digitized by Google

alia militum ſtudia, natandi quoque exercitatio-
nem ſuperauit. nec proinde *Delio natatore* Silij
carmina non egent.

Capvt III.

Saliares dapes, & veterum cœnæ prælibantur, & inſtaurantur.

113. Conuiuia ſplendida in ſacris. SAliares dapes nobis prælibandæ ſunt; illud
verò præmonendum eſt, in omnibus olim
Deorum ſacris ſplendidum, & magnificum con-
uiuiorum apparatum adhiberi ſolitum. cuius rei
Ariſtip. cura ſeptem viris epulonibus demandabatur.
Hinc adeò Ariſtippus reprehenſus quòd homo
philoſophus cùm eſſet, ſumptuoſè tamen viue-
ret, *ſi crimen*, inquit, *hoc eſſet, in ſuis id ſacris Dij*
Salij vnde dicti. *non paterentur.* Vetuſtiſſimum autem ſacerdotum
genus fuit apud Romanos, Salij iccirco appel-
Saliares dapes. lari, quòd ancylia, quæ cœlo delapſa credeban-
tur, ſaltantes ferrent. à quorum item feſtis die-
bus atque ſacris opiparum quodque & magnifi-
cum conuiuium Saliare dicebatur. Hinc enim
Apul. Apuleius lib. 4. Metamorph. *Vt equus quidem
meus tanta copia*, inquit, *& quidem ſolus potitus,
Saliares cœnaſſe cœnas crederet.* Tertull. in Apo-
log. cap. 39. luſit, & alluſit his verbis, *Saliis cœ-
naturis creditor erit neceſſarius*, & Impenſa adeò
magna cœnitabant, vt mutuam pecuniam acci-
Horat. perent, & illis creditore opus foret. Horatius ve-
rò in Odis lib. 1. od. 37.

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus, nunc Saliaribus
Ornare puluinar Deorum
Tempus erat dapibus ſodales.

114. Vbi Saliares pro Pontificalibus à poëta di-
Saliares pro Pontificalib. ctum arbitramur, quaſi pro genere ſpeciem po-
Cœna pontificales. ſuerit? Pontificales enim cœnas pro ſumptuo-
ſis atque lautis veteres vſurpabant. Quò nimi-
rum idem alibi alludens carmin. lib. 2. od. 14.
ſic ait,

Horat. *Abſumet heres Cæcuba dignior,*
Seruata centum clauibus: & mero
Tinget pauimentum ſuperbum
Pontificum potiore cœnis.

Adipales, & adipoſa cœna & adiiciales. Quo in loco prælautas cœnas, pontificales ſcho-
liaſtes interpretantur. Legimus etiam, & adipa-
les cœnas, & adipoſas, & adiiciales pro eodem.
Terent. Terentius tamen dubiam cœnam pro lauta, &
Cœna dubia. copioſa dixit. Et Tertullian. loquens de ſplen-
Tertull. dida cœna, *Dubiam poſſis appellare cœnam.* De
qua Horatius,

Horat. *Vides vt pallidus omnis cœna deſurgat dubia?*

Dubia, quia dubitas, quid potiſſimum ſumas, vt
Plaut. ait Plautus. Sanctum autem huiuſmodi conui-
uium, hoc eſt, vetuſtiſſimam Pontificum cœnam,
ſummo apparatu atque omnium rerum lautitiis
Macrob. ac deliciis affatim inſtructam, vide apud Macro-
bium Saturn. lib. 3. cap. 13. Quo in loco illud in-
terim obſeruandum ſe ſe offert, quòd in lautiſſi-
Primi quique ferculorum miſſus. mis conuiuiis primi quique ferculorum miſſus,
ante cœnam dicebantur; ij verò plerumque ite-
Secunda fercula. rabantur: ſecunda tamen fercula, ac veluti ſoli-
dum conuiuij corpus, cœna appellabatur. Vnde
patet quid ſit apud Macrob. Ante cœnam Echi-
nos, oſtreas crudas, quantum vellent; in cœna ſu-
115. Cereales cœnæ. mina, ſinciput, aprugnum.

Cereales autem cœnas conſimili figura dixit
Plautus in Menæchmis, *Cereales cœnas dat, ita* Plaut.
*menſam extruxit, tantas patinarias ſtruices concin-
nat. Standum eſt in lecto ſi quid de ſummo petas.* vbi
Cereales, nimirum opimas, & lautiſſimis ferculis
oneratas interpretamur, quòd Cerealibus ſacris
genio indulgere vulgò conſueuiſſent; idque ex
Marone colligere procliue eſt, cùm ait;

In primis venerare Deos, atque annua magna Virg.
Sacra refer Cereri, lætis operatus in aruis.
Extremæ ſub caſum hyemis iam vere ſereno,
Tunc agni pingues, tunc ſunt molliſſima vina.

At enim non rectè cœnabimus, niſi rectam quo- Cœnare rectè.
que cœnam attingamus. Recta igitur cœna de
conuiuio dicebatur omni lautitiarum genere ap- Rectè conuiuari.
paratiſſimo, vnde &, rectè conuiuari. Sic enim Rectè viuere.
Tranquillus: *Sed & conuiuabatur aſſiduè*, inquit,
nec vnquam, niſi rectè, & dapſile. Sic etiam, *rectè* Cœna recta. Tranq.
viuere, pro lautè & opiparè viuere, Seneca vſur- Seneca.
pauit. *Hanc petunt*, inquit, *omnes iſti, qui, vt ita di-
cam, rectè viuunt.* Apud eundem rurſus, *rectus
apparatus*, lautus eſt. *Non magnam rem facis*, ait,
quòd viuere ſine recto apparatu potes. Eadem etiam
ſignificatione Horatius in arte ſub finem, *rectè* Horat.
vnctum, pro apparatè condito cibo; dixiſſe vi-
detur. *Si verò eſt*, inquit, *vnctum rectè qui ponere
poſſit.* Cùm eodem verò poëta in hanc ſenten-
tiam liber, licétque exclamare,

O noctes cœnæque Deûm.

Cœnæ enim Deûm, pro apparatiſſimo conuiuio Cœna Deorum.
dixit.

Capvt IV.

Laureata Romanorum munera explicantur.

PArta olim victoria multis rebus alligata lau- 116.
ro veteres Romani publicam lætitiam teſta-
bantur. præferebantur enim conſulibus faſces, &
laureati & laureæ virgæ, teſte Cicerone lib. 2. de
diuin. vbi dixit, C. Marium cum faſcibus laurea- Faſces laureati.
tis inceſſiſſe. Eôdem verò reſpexit idem lib. 8. Virga laureata.
epiſtol. ad Atticum, *Adde iã has compedes, faſces,*
inquam, hos laureatos, hæc ex Italia ferre quam mo- Cicero.
leſtum eſt. Et libr. 7. ad eundem Atticum, *Subitò,*
inquit, *conſilium cepi, vt antequam luceret, exirent,*
ne qui conſpectus fieret, aut ſermo, lictoribus præſer-
tim laureatis. At Philipp. 2. de Antonio loquens, Lictores laureati.
Vehebatur in Eſſedo tribunus plebis, lictores laurea-
ti antecedebant. Tacitus item huc alluſit lib. 13. Tacit.
Nero, inquit, *ob res à Quadrato, & Corbulone
proſperè geſtas, laurum faſcibus imperatoriis addi* Capit.
iuſſerat. Adde ex Iulio Capitolino in vita Maxi-
mini, vbi ſcribit Gordianum ſeniorem per Car-
thaginem veniſſe cum faſcibus laureatis. Accedit Caſſiod.
Caſſiodorus variarum lib. 9. in ea epiſtol. quæ in-
cipit: *Quid P. C.* Vbi de conſulatu loquens ſcri-
bit. *Hunc honorem Deciorum familia non mira-
tur, quia eorum plena ſunt atria faſcibus laureatis.*
Iam verò ex poëtis Martialis libr. 10. Epigram- Mart.
mat. 10.

Cùm tu laurigeris annũ qui faſcibus intras, &c.

Hinc apud Herodianum libr. 7. *Sequebantur*, ait,
*Gordianum laureatæ virgæ, quo inſigni principes à
priuatis dignoſcuntur.*

Mittebantur etiam *literæ laureatæ*, victoriam 117.
prænuntiantes. Hinc enim Liuius decad. 1. lib. 5. Herod. Literæ laureatæ.
Literæ, inquit, *à Poſthumio laureatæ ſequuntur vi-*
ctoriam Liu.

ctoriam populi Romani. Quò etiam ſpectat illud
eodem decad. 5.lib. 5.*Tabularius, qui ſe ex Ma-*
cedonia venire diceret, laureatas literas attuliſſe di-
Plin. *citur.* Huc etiam pertinet illud Plinij libr. 15.
cap.vltim. *Laurus Romanis præcipuè lætitiæ, victo-*
riarumque nuntia additur literis. Confer huc, &
Capitol. illud apud Iulium Capitolinum in Maximino,
Statim, inquit, *Romam laureatas literas miſit, quæ*
in vrbe ingentem lætitiam fecerunt. Eaſdem autem
Lamprid. literas Lampridius in Alexandro, *laureatas tabu-*
las vocat. Neque hinc abluſit Tacitus libr. 19.
Tacit. *Ipſe lauream proſperè geſtæ rei ad fratrem miſit,*
Laureata tabula. Lauream enim pro laureata epiſtola dixit. Simi-
Iulius Cæſ. le eſt illud Cæſaris belli ciu. libr. 3. *Sed neque in*
literis, quas ſcribere eſt ſolitus, neque in faſcibus in-
ſignia lauri prætulit. Ex Poëtis item Perſius ſa-
tyr.6.

Perſ. ----*Miſſa eſt à Cæſare laurus*
Inſignem ob cladem Germanæ pubis.
Mart. Leuiter eodem alluſit, & ſubobſcurè Mart. lib. 7.
epigr. 5. ad Domitianum,
Sed iam lætitiæ quò ſit fiducia maior
Sarmaticæ laurus nuntius ipſe veni.
Ouid. Apertè tamen Ouidius,
Non ego victrices lauro redimire tabellas,
Nec Veneris media ponere in æde morer.
Claud. Cui affine eſt Claud. in bello Gildonico,
Laurea pro epiſtola. *Rumoremque ſui præuenit laurea belli.*
Haſtæ laureatæ. Lauro etiam redimiri haſtæ conſueuerunt; ſic
enim interpretari debet illud Papinij carmen ſyl-
Stat. uarum 5. vbi de pietate Abaſcantij,
Iacula laureata. *Omnia nam lætas pila attollentia frondes;*
Sidon. frondes ſcilicet lauri. Atque ad hunc morem per-
tinet illud ex Sidonio,
Atque ſuas ad ſigna iubet reuireſcere lauros.
118. Lauro namque ſigna quoque inſigniri moris
Signa laureata. erat. Addiderim etiam ex Plutarcho in Pompeio,
Plut. vbi tradit tabellarios literas è Ponto ad Pom-
peium afferentes de morte Mithridatis, habuiſſe
iaculorum cuſpides lauri frondibus coronatas.
Laureatæ naues. Laureatæ quoque naues mittebantur victoriæ
tempore; victo enim Mithridate, *laureatam na-*
Lucullus Romam miſit nauim laureatam. *uem*, & bellico apparatu inſtructam Romam mi-
ſiſſe dicitur Lucullus, vt ſi auctor eſt Plutarch. in
eodem. Ad hunc etiam morem alluſit Propertius
Plut. lib. 2. Eleg. 22.
Propert. *Ecce coronatæ portum tetigere carinæ.*
Laureati legati Adde verò & *laureatos legatos* ex Herodiano lib.
Herod. 7. Ac proinde inſigne triumphantium eſſe lau-
Ouid. rum non ſolùm ex illo Ouidij loco conſtat;
Laurus triumphantium inſigne. *Tu ducibus lætis aderis, cùm læta triumphum*
Vox canet, & longas viſent capitolia pompas.
Seneca. Sed ex iis omnibus quæ attulimus, quibus adde
Delrius. ex Seneca in Agamemn. actu 2. verſu penult.
Alexand. ab Alexand. *Namque haſta ſummo lauream ferro gerit.* apud cu-
ius ſcholiaſtem Delrium ad hûc locum multa in
Pier. hanc rem. & apud Alexand. ab Alexand. lib. 1. c.
Eraſm. 27. & Pierium libr. 50. vbi de Lauro. ex quibus
Laureum baculum geſtare ferme hæc delibauimus, quibus annectes ex E-
raſmo adagium *laureum baculum geſtare.* quæ
Martialis. omnia Martialis lib 7. epigr. 5.
Publica victrices teſtantur gaudia chartæ,
Martia laurigera cuſpide pila virent.

Capvt V.

Locus ex Suetonia in Nerone.

ILlud ex Suetonio in Nerone cap. 22. haud ſa- 119.
tis explicant interpretes; *Aliquo liberto mitten-* *Quid ſit mappā mittere apud Suetonium.*
te mappam, vnde magiſtratus ſolent. In quo expla-
nando Sabellici in primis, eruditiſſimi alioquin
viri interpretamentum reiiciendum puto, vt qui Sabell.
tam ineptè ex aliorum ſententia loquatur, quàm
nihil de ſuo addat. Beroaldi verò accuratiſſimi Beroald.
auctoris diligentiam partim laudo, partim etiam
requiro. Nam ea verba, *Aliquo liberto mittente*
mappam, egregiè expendit. In Circenſibus enim
ludis, mappa dari ſignum à Prætore emittendis
quadrigis conſueuit; quo dato Circenſem cur-
ſum equi auſpicabantur: ſic enim præter Ale- Alexand. ab Alex.
xandrum ab Alexand. lib. 2. cap. 15. & eius ſcho- Tiraq.
liaſtem Tiraquellum, veterum plerique atte-
ſtantur. Quò ſpectat illud ex Epigrammatario
poëta,
Cretatam prætor cum vellet mittere mappam. Martial.
Hinc etiam Quintil. dixit, mappam circo vſi- 120.
tatum eſſe nomen, propterea quòd in Circenſibus Quintil.
ſpectaculis pro ſigno mittebatur à magiſtratu.
Erat autem, vt ſcribit Varro, antiquitus mappa, ſi- Varro.
gnum, quo emittẽdis quadrigis ſignum daretur.
Idque à magiſtratibus fieri autor eſt Liuius ab Liuius.
vrb. cond. libr. 8. Vnde adeò cùm olim Lucius
Plautius prætor graui morbo eſſet implicitus, Plaut.
Dictatorem crearũt, qui in Romanis ludis emit-
tendis quadrigis ſignum efferret, qui tamen eo
munere functus Dictatura ſe abdicauit. Cùm au- *Prætoris munus.*
tem officium prætoris id foret vt ſignum daret
equis ad curſum incitandis immodicam aurigan-
di cupiditatẽ in Nerone taxat Suetonius, vt qui Sueton.
ab aliquo id libertorum ſuorum dari voluerit, vt
egregiè hac ex parte Beroaldus exponit. Cęterùm Beroald.
ad ſequẽtia verba explanãda haud feliciter im- *Neronis cupiditas in aurigando.*
pegit interpretis calamus, cùm ſic explicauit *Vn-*
de magiſtratus ſolent; hoc eſt, *ex carceribus.* Non *Signum à curru triumphali dari ſolitum.*
enim à carcerib. ſignum efferebatur, ſed è trium-
phali curru, in quo triumphali quoque indutus
ornatu prætor in medio puluere viſebatur. Id
enim inſinuauit Iuuenal. ſatyr. 8.
Nec dubitant Celſi prætoris vendere ludis. Iuuen.
Clariùs verò ſatyr. 10 vbi ait;
Quòd ſi vidiſſet prætorem in curribus altis
Extantem, & medio ſublimen in puluere circi
In tunica Iouis.
In curribus enim *altis*, id eſt, in curru triumphali, *Currus triumphalis.*
qui & auratus erat, & quatuor albis equis trahe-
batur. *In tunica* verò *Iouis*, idem eſt, atque habitu
triumphali. de quo meminit Liuius libr. 10. ab Liuius.
vrb. *Qui Iouis optimi Maximi ornatu decoratus,* *Tunica Iouis.*
curru aurato per vrbem vectus in Capitoliũ aſcen-
derit. Nam qui triumphabãt, tunicam ſibi indue- *Tunica ex templo Iouis deſumpta ad triumphos.*
bant ſumptam ex templo Iouis. Vnde eſt illud
apud Plin. lib. 7. c. 44 loquentem de Metello Ma-
cedonico, *& tracto in Capitolium illo, in quo triũ-* Plin.
phans Deorũ exuuiis, ne captiuos quidem ſic traxe-
rat. Vbi planè per Deorum exuuias intelligamus
æquum eſt, quod & Liuius ſenſit Iouis optimi or-
natu. Atque adeò non è carceribus, ſed ex trium-
phali curru ſublimis in medio circo prætor
triumphali condecoratus ornatu ſignum effun-
dendis quadrigis extollebat.

Capvt

Digitized by Google

CAPVT VI.

Fax obſcuro Martialis loco.

121. DOrmitarunt Calderinus, atque Merula ſcholiaſtes ad eum locum Martialis lib. 4. Epigramm. 42.

Calderinus. Merula. *Tunica moleſta.*

Nec Scombris tunicas dabis moleſtas.

Cuius interpretamentum ab eo pœnarum genere petendum eſt, quo veteres vtebantur. Nam tunica igneis illita fomentis damnati induebantur; eaque incenſa ad palum deligati admotis facibus adurebantur. De quo ſupplicij genere Seneca ad Lucilium ſic loquutus eſt: *cogita hoc loco illam tunicam alimentis ignium, & illitam, & contextam, & quidquid aliud præter hæc commenta ſæuitum eſt.* Huc etiam leuiter alluſit Iuuenalis ſatyr. 1.

Seneca.

Pone Tigillinum tæda lucebis in illa.

Iuuen.

& ſatyr. 8.

Auſi quòd liceat tunica punire moleſta.

Idémque Martial. lib. 10. Epigramm. 25. de Mutio ſic ait;

Nam cùm dicatur tunica præſente moleſta, &c.

Martial.

Quod item ſupplicij genus reſpexit in eo loco quem explicandum ſuſcepimus.

Nec Scombris tunicas dabis moleſtas.

Nam Scombri ſalliti, & reliqua ſalſamenta chartis obuoluta ſub prunis torreri conſueuerunt. Librum igitur ſuum alloquutus non adeò contemnendum admonet, vt ad inuolucra tantùm ſalſamentorum inſeruiat.

Libri contemnendi.

CAPVT VII.

Ciceronis locus explicatus.

122. VEteres illi Romanorum pleraſque dicendi formas prouerbiali figura non ſine lepore quondam enuntiatas vulgò iactabant. Earum plures reconditiſſimæ eruditionis vir Alexander ab Alex. recenſuit Gen. dierum libro 5. cap. 15. Plurimas verò, ac penè dicam omnes infatigabilis ſanè lectionis Eraſmus, quamuis non tam luculentus alioquin, quàm lutulentus autor; incredibili certè cura, & ſtudio collegit, ſingulari, & arcana quadam eruditione adauxit inuenta, multis aucta orationis ornamentis, pluribus etiam explicando luminibus illuſtrauit. In hac tamen enarranda non Eraſmo Pedarius tantùm Senator ero; neque claudi more modoque pilam tenebo, ſed ex aliis alia ſcriptoribus petita addiderim.

Alexand. ab Alex. Eraſm.

123. Ergo ex Pompeio Læneo grauiſſimo iuxtà, atque antiquiſſimo ſcriptore Plin. libro 15. cap. 30. præter duodecim lauri genera Muſtacem quoque adiecit. Hanc ait eſſe folio maximo, flauidóque, & albicante. Quam Muſtacem idcirco appellauit, quoniam Muſtaceis ſubiiceretur. Eſt autem *Muſtaceum*, ſiue *Muſtaceus* libi genus, cui abraſæ virgæ laureæ detrimenta admixta decoquuntur; ſuppoſitis lauri foliis. Cuius rei autorem habeo inſtar omnium Catonem de agricultura cap. 121. Cùm igitur laurus alioqui triumphalis eſſet, & magnificum nobilium, ac Pontificiarum ædium ornamentum, hanc qui non poterant aſſequi, illa alia viliore contenti

Leonæus. Plin. *Muſtaceus, quid?* Cato.

Mendoçæ Viridarium.

velut miſeriæ ſolatium, *in muſtaceo laureolam quærere dicebantur.* Quò proinde limatulè ac politulè Cicero alluſit epiſtol. ad Attic. lib. 5. epiſtol. cuius initium; *Saturnalibus manè*, &c. Vbi ſic, *Bibulus*, inquit, *credo voluit hac appellatione inani nobis eſſe par; in eodem Amano cœpit laureolam in Muſtaceo quærere.* Sic ille. Enim verò in prouincia Syria apud Amanum fluuium, qui Syriam à Cilicia aquarum diuortio diuidit, egregias bello res à ſe glorioſè & præclarè geſtas Cicero magnopere gloriabatur: Bibulum verò ſuggillabat, qui cùm defluentis cuiuſdam, & emorientis paſſim naturæ, languidioriſque animi in bellico negotio peragendo, ſimili quidem ſtudio, diſſimili tamen conſilio, & miſerando prorſus euentu Ciceronem imitaretur.

Laureola in muſtaceo. Tull. *Tullius in bello alacer. Bibulus in bello remiſſus.*

Etenim lectiſſima atque optima populi Rom. 124.
cohorte fœdum in modum per ignominioſam cladem perdita atque deleta odioſam ſanè plagam expertus ipſe inſanabile quoque, & æternum vniuerſo imperio perpetui, & immortalis dedecoris vulnus inflixit. Eúmque iccirco Tullius incuſat quòd in tam graui re perficienda tam fuerit negligens, tam remiſſo, tam diſſoluto ac ſtupido animo, vt tot opes ſub vnum præcipitis fortunæ ictum temerè daret, quaſi *in Muſtaceis laureolam*, hoc eſt, in leui ac futili re gloriolam per otium ludúmque venaretur. Huc etiam ſpectat Tull. epiſtol. ad Cæl. Ruffum; vbi qualemcumque triumphum laureolam appellat. *Velles enim*, ait, *tantummodo, vt haberem negotij, quod eſſet ad laureolam ſatis.* Ergo ſic ſtatuo, *laureolam in muſtaceis quærere*, nihil aliud eſſe rei, quàm in leui, futili, & inani rerum genere nullius pretij, nullius negotij, nullius ponderis, ac momenti gloriam aucupari.

Tull. *Laureola pro triumpho.*

CAPVT VIII.

Alexander ab Alex. & Macrobius emendati.

SIngulis ferè diis plena ſuperſtitionis antiqui- 125.
tas ſingulas propè arbores conſecrauit. Sic Ioui quercus, eſculúſque tribuitur; Apollini dicata laurus triumphat: Mineruæ præſidium olea intuetur. Venerem myrtus tutelarem Deam agnoſcit. Baccho laſciuiens hedera tripudiat: Pana verò, vel ipſa nominis ſimilitudine pinus ſibi præſidere prædicat iactabunda: ſub triſti Plutone atra cupreſſus funereum luget: Herculem denique populus ita ſibi patronum vendicat, priùs vt Ioui fulmen, Homero carmen, littori fluctus, arenas mari, fluuiis piſces, cœlo ſidera, ſyluæ ligna, Herculi demum clauam, quam Herculi populum quiſquam detraxerit. Quæ omnia complexus eſt poëta Eclog. 7.

Arbores quæque cuique ſuo Deo conſecratæ.

Populus Alcidæ gratiſſima vitis Iaccho,
Formoſa myrtus Veneri ſua laurea Phœbo.

Populus Herculi ſacra. Virg. Plin.

Populum igitur Herculi ſacram eſſe præter Virgil. teſtatur etiam Plin. multis in locis. *Populus* inquit, *alia alba, alia nigra, alia quæ Libyca appellatur, minima folio ac nigerrima, fungiſque enaſcentibus laudatiſſima. Hanc albam populum Herculi indigeni ſacram*, &c. Hæc Plin. rectè proinde hoc reſpexit poëta Æneid. 8. cùm Herculeam populi vmbram appellauit;

Herculea bicolor populus vmbra.

Virg.

Cc Vbi

Digitized by Google

Vbi illud item non temerè additum à poëta nos exiſtimare par eſt, *bicolor*, bicolorem enim dixit à colore duplici, quo à natura inſigniter nobilitatur. Populus enim ſemper folio tremulo, ſupernè candicanti, & inferiori parte viridi collucet. Etenim pleræque ſunt arbores, quarum folia duobus certè coloribus luxurient, vt ſunt oleæ, ſalices, citri; in iis tamen color penè idem, licet altera parte dilutior, altera denſior, atque coloratior habeatur.

126. *Populus, alba.* In populo verò, alba præſertim, candor vna ex parte niueæ ſimilis, ac ceruſſatus, ex altera porracei folij inſtar viridiſſimus exhibeatur. Huius ergo colorum varietatis cauſam, eam vulgò fuiſſe tradunt, quòd eius arboris coronam geſtaſſe Herculem narrent, cùm ad inferos deſcenderet, eámque partem, quæ foris eſſet conſpicua, tartarea fuligine infectam, & obſcuratam, quæ condebatur interiùs, Herculeo madefactam ſudore, & ablutam candidiorem euaſiſſe, iccircóque bicolorem Virgilius appellat. Aditus hinc nobis ad Ægyptiorum adyta patet, vt aliquid ex myſticis eorum ſacris miſceamus, apud quos, teſte Pierio libro 52. populo arbore tempus ſignificari compertum eſt; quòd ſcilicet bicoloribus foliis diem, noctémque referre videatur. Atque hæc ſub amœniſſima Virgilianæ populi vmbra luſiſſe, ac veluti per licentiam remerè decertantis ſermonis, & ludibundæ orationis laſciuiam delibaſſe ſatis eſt. Illud vnum tamen non poſſum quin vehementer carpam, quòd præter alios reconditiſſimæ ſanè eruditionis viros, & antiquitatis ſtudioſiſſimos: Alexander enim ab Alexand. & Macrobius doctrinæ viri bene multæ, & in expendendis præcipuè Virgilianis locis accuratiſſimi interpretes, ſola lauru in peragendis Herculis ſacris coronari ſolitos fuiſſe veteres contendant, cùm in ea re, non pleriſque modò omni diſciplina excultis viris, ſed Virgilio etiam antiquatio poëtæ, & priſcorum rituum veritati, ceremoniarúmque maieſtati obluctentur; ſic enim apud Virgilium Rex Euander Herculi ſacra facturus populea redimitus corona incedebat,

Piet. Populus arbor tempus ſignificabat apud Ægyptios.

Alexand. ab Alex & Macrob. emendantur.

Euander populo coronatus Herculi ſacrificat.

Virg.

Dixerat; Herculea bicolor cùm populus vmbra
Velauitque comas, foliiſque innexa pependit.

Non igitur eſt quod ſub hac populo diutiùs immorati otio & vmbra deſides langueamus.

CAPVT IX.

Plauti locus in Menæchmis explicatur.

127. *Sepulchrum habere. Diem comburere.* PLautinum illud eruditiſſimis etiam dubitationem iniicere poſſe non immeritò fortaſſe videatur; vbi *ſepulchrum habeamus, atque hanc comburamus diem*, quem locum ſic explicamus. Orto ſole aperiri cœlum: aduentante verò nocte claudi rurſus veteres arbitrabantur. Idque vt confirmemus obſignatis iam tabulis, & literarum autoritate, veterúmque poëtarum teſtimoniis agendum eſt. Ac primò quidem, quod ad apertum idem attinet, ipſum Solis ortum φυλὰν appellare Græci conſueuerunt. Haud ſecus Latini dicunt, Solis rotam, rota enim Solis eſt ipſius orbis, atque rotunditas. Hinc adeò Sidonius;

Sidon.

Vnde patefecit radiis rota candida cœlum. *Solis rota*

Hoc eſt, ſol exortus, nocte clauſum cœlum, luce ſua adaperuit. Nam totam Solis, pro rotundo eius globo, poſuit etiam Lucretius lib. 5. Lucret.

Hic neque tum Solis rota cerni lumine claro
Altiuolans poterat, neque magni ſidera cœli.

Quemadmodum igitur reſerari cælum illuſtri die, 128.
ſic etiam premente nocte claudi arbitrabantur. De die proinde iam exacto, ac velut emerito, tanquam de mortuo loqui plerumque ſolebant. Sic enim alibi Plautus; *dies quidem iam ad vmbilicum dimidiatus eſt mortuus.* Hinc adeò verbo *compono* vſus eſt Virgil. Æn. 1.

Plautus.

Ante diem clauſo componet Veſper Olympo. Virgil.

Ducta videlicet à cadaueribus metaphora, quorum oſſa, cineres, & reliquiæ collectæ vndique in vrna componebantur. Quod atteſtatur Horatius ſatyr. 9. lib. 1.

Dies compoſitus quid?

Horat.

Omnes compoſuit felices, nunc ego reſto.

Mori verò diem dixit Papinius Sylu. lib. 4.

Iam moriente die rapuit me cœna benigni
Vindicis. Stat.

Dies moritur quid?

Igitur componere, ſepelire, & comburere diem idem valent apud poëtas; cùm illud apud veteres ſepulchri genus eſſet, ſi cadauera comburerentur. Porrò Plauti locus quem explicandum ſuſcepimus, eam habet ſententiam; vbi, *ſepulchrum habeamus, & hanc comburamus diem*, quaſi dixerit, quo in loco, diem hunc iam quaſi moribundum, & in occaſum præcipitantem conſumamus, atque adeò abſumamus, iucundè ſcilicet, & hilariter viuendo, epulando, & compotando; vt eo iam emortuo & exacto genium curemus. Eo enim tempore cœnare veteres ſolebant, atque ita ex morte & ſepulchro diei, cœnandi tempus intellexit, proinde quaſi cœna ſit eius buſtum, & ſepulchrum.

Plautus explicatur.

Cœna diei ſepulchrum.

CAPVT X.

Quæ ſint apud Liuium, alióſque paſſim autores, velamenta ſupplicum.

ILlud apud antiquiſſimos Græcos inter alia ſupplicandi genus vſurpatum eſt, vt oleæ ramum, velamenta ſupplicum veniam pacémque expoſcentes offerrent. Idque vel oleæ duntaxat ramum manu geſtantes; vel olea coronati & ornati vndique præſtabant. Hinc enim, autor eſt Liuius decad. 3. lib. 4. *Præferentes ſolum ramos Hippocratem, & Epicidem ramos oleæ porrigentes hoſtes orare, vt ſe reciperent, ac tutarentur.* Item eiuſdem decad. libro 9. *Decem legatos Locrenſium obſitos ſqualore, & ſordibus in comitio ſedentibus conſulibus velamenta ſupplicum, ramos oleæ, vt Græcis mos eſt; porrigentes ante tribunal, cum flebili vociferatione humi procubuiſſe.* Decad. verò 5. libro 5. de Rhodiorum Legatis loquutus, *ſecundùm talem*, inquit, *orationem vniuerſi rurſus prociderunt, ramóſque oleæ ſupplices iactauerant, tandem excitati curia exceſſerunt.* Ramos etiam præferebant Legati apud Virgil. Æneid. 8.

129. *Græcorum legatorum mos.*

Liuius.

Paciferaque manu ramum prætendit oliuæ. Virgil.

Idem etiam illi alij præſtiterunt, de quibus Lucanus lib. 3. Lucan.

——Durámque viri deflectere mentem,
Pacifico ſermone parant, hoſtémque propinquum
Orant,

Digitized by Google

Orant, Cecropia prolata fronde Mineruæ.

Diodorus. Concinit Diodorus Siculus lib. 16. cap. 10. de Sidoniis agens, *aduenerant ex vrbe quingenti primarij viri, ramis oleæ prætenſis, ei ſupplicantes.* Aliquando verò non ſolùm prælatos manibus ramos oſtentabant, ſed oleæ veſtiti foliis, ramuſculiſque ſupplices pacis fœdera, & conditiones poſtulabant. Inſinuat certè Virgil. Æneid. 7.

Virgil.

Centum oratores auguſta ad mœnia regis.
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes:
Donaque ferre iubet, pacémque expoſcere Teucros.

Innuit item lib. 11.

Iámque oratores aderant ex vrbe Latina
Velati ramis oleæ veniamque rogantes.

130. Liuius. *Nauis olea ramus coronata.*

Apertè Liuius decad. 3. lib. 10. de ſupplicis nauis habitu, ornatúque loquutus, *Haud procul aberat, inquit, cùm velata infulis, ramiſque oleæ Carthaginienſium occurrit nauis.* Idem verò hiſtoriographus paulò infrà ſic: *Qui cùm ad puppim prætoriæ nauis acceſſiſſent, velamenta ſupplicum porrigentes,* &c. Veriuis fauet Statius Thebaid. 12.

Statius.

——& ſupplicis arbor oliuæ.

Dionyſius. Conſonat Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 1. *Adueatantibus autem, ait, cùm magno exercitu Aboriginibus occurrunt Pelaſgi cum oleæ ramis inermes, & ſupplices.* Interim tamen Papinij ſcholiaſtem Lactantium perſtringam, vt qui intra ſuum quoque regnum alias res agere videatur, & in Grammatices pomœrio deerrantis calami vitio, & malè caſtigata laſciuientis ſtyli luxuria ſpinoſos verborum aculeos vepréſque protulerit. Igitur cùm ait, hanc ſupplicis oliuæ arborem vocari apud Athenienſes *Reſionem*, à reliquis verò Græcis, *Diriteron*, prodigia planè loquutus eſt, & ea portenta verborum ſunt iſthæc, quæ ſi à ſuis quidem ſedibus, hoc eſt, inferorum tenebris Lactantius excitetur, nec percipiat ipſe, nec agnoſcat. *Reſionem* igitur cum irriſione explodo, emendóque cum Rhodiginio: ab Athenienſibus, *Ereſionem*, à Græcis verò, *heteriam* vocitari. Hac de re plura ab eodem Cœlio petenda libro 22. cap. 19. Ego ſupplices imitabor, & loco coronidem ipſe adhibeo, ſupplices enim coronantur, vt eſt apud Tertull. lib. de coron. milit. cap. 7. vt lanæ coronam oleæ ramo illi imponebant: auctore Plutarcho in Theſeo.

Lactantius Papinij ſcholiaſtes caſtigatur. Rhodig. Tertull. Plutarch.

SATVRNALIORVM decas VII.

CAPVT I.

Horatius in Oda illuſtratus, & beneficentia laudata.

131. CVm Deo, Græcis, quod fauente numine, Latinis idem eſt. Contrà verò, ſine Deo, apud illos, quod abſque Deorum fauore apud hos fieri dicitur. Nam Pindarus in Pythiis hymno 5. οὐ θεῶν ἄτερ, id eſt, *non ſine Diis.* Rurſum eiuſdem operis lib. 10. τῶν τελέσαντων, hoc eſt, *cum Dij peregerint,* &c. σὺν ταῖς μούσαις, quod eſt, *muſis fauentibus.* σὺν τοῖς θεοῖς, id eſt, *Diis bene iuuantibus.*

Virgil.

Haud equidem ſine mente reor, ſine numine Diuûm.

En Virgilius apud Latinos. Itaque quod præter hominum ſpem, & opinionem obtingebat, diuinitus id quidem fieri dicebatur. Sic enim M. Tullius in Verrem Act. 5. *Qui Metello diuinitus hoc venit in mentem?* Quò alluſit item Salluſtius, cùm ſcripſit; *vt tanta repentè mutatio non ſine Deo videretur.* Muſas grato ſanè animo Deas appellauit Horatius, cum de ſe locutus dixit,

Tull. Salluſt. *Nihil factum ſine Deo.*

Non ſine Diis animoſus infans. Horat.

Atque id quidem more modóque maiorum à poëta factum paulò fuſiùs oſtendo. Etenim veteres illi ſapientes ſubitæ, & inſperatæ ſibi ſalutis auctores, aut eos qui magno aliquo beneficio aliquem iuuarent, Deos eſſe prædicabant. Nihil enim aliud eſſe Deum arbitrabatur antiquitas, quàm hominum generi prodeſſe.

Antiquitas quempiam bene iuuantem pro Deo colebat.

132. Hinc adeò, frugum, vini, oleî, legúmque auctores, & pleroſque omnes, qui ad humanæ vitæ commoditatem aliquid attuliſſent, veluti Deos vetuſtas venerabatur. Adeò vt belluas quoque pro Diis coleret. Sic Ægyptij Ciconiam, quòd infeſtam ſerpentium peſtem arcere, ac delere penitus crederetur, vt Deorum aliquem ſuſpiciebant. Anſerem qui excitatis clangore cuſtodibus Capitolinam arcem à Gallorum impetu, & eruptione ſeruarit, inter Deos immortales Romana reſp. admirabatur. Inanima etiam, & inertia quædam corpora ab antiquis olim propter beneficium conſecrata concludam. In his fuêre, Luna, Sol, aqua, terra, quia ſcilicet ad hominum vitam conducere viſa, quòd eorum commoditate mortales iuuarentur. Scythas quidem per ventum, gladiúmque tanquam per Deos iurare ſolitos conſtat, ea tantùm de cauſa, quòd ſpirandi ille, hic verò expirandi, hoc eſt, vitæ, neciſque auctores exiſtimarentur. Muſis igitur vitæ ſuæ præſidium ac tutelam in manifeſto periculo acceptam ferens Horatius, eaſdem ſibi Deas fuiſſe teſtatur, cùm ait,

Scytharum iurandi mos.

Non ſine Diis animoſus infans. Horat.

Solemnis paſſim apud Homerum & Heſiodum, loquendi forma, θεοὶ δωτῆρες ἐάων, *Dij bonorum largitores.* Atque idcirco authore Tullio pro Ligario, *Nulla alia re homines propius accedunt ad Deos, quàm ſalutem hominibus dando.* Cui affine eſt illud Strabonis libro 10. *Rectè dictum eſt mortales tunc maximè Deos imitari, cùm benefici ſunt,* quod ab Horatio ſæpè aliàs vſurpatum conſtat. alibi enim;

Homer. Tull. Strab.

Sic me ſeruauit Apollo. Horat.

Rurſum in Odis, belli quidem per Mercurium, domi verò Fauni ope à collabentis arboris ictu ſe ſeruatum eſſe fatetur. Eodem alluſit etiam Iuuenalis, cùm dixit,

Quadringenta tibi ſi quis Deus, aut ſimilis Dîs, Iuuen. ſat. 5. 14.
Et melior fatis donaret homuncio, quantus.

Adde Virgilianum illud in Tytiro, Virgil.

O Melibæe Deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi ſemper Deus, illius aram
Sæpe tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus.

En cauſam cur Auguſtum, Auguſti numinis inſtar reuereatur;

Ille meas errare boues, vt cernis, & ipſum
Ludere quæ vellem calamo permiſit agreſti.

133. Plinium poſtremum audiamus impiè profectò de Deo ſentientem, ac ſtultè deſipientem, rem tamen ipſam, quam peragimus, egregiè inculcantem. Ergo cùm æquè ſapienter Deorum multitudinem, cæteráſque irriſiſſet, atque ſtolidè ſummo illi orbis conditori, rerúmque adminiſtratori Deo, mortalium curam prorſus denegaſſet, *Deus eſt, inquit, mortali iuuare mortalem. Et hæc ad æternam gloriam via. Hac proceres iêre Romani, hac nunc cœleſti paſſu, cum liberis ſuis*

Deus eſt mortali iuuare mortalem.

Digitized by Google

vadit maximus omnis aui rector Veſpaſianus Auguſtus,feſſis rebus ſubueniens. Hic vetuſtiſſimus referendi bene merentibus gratiam mos,vt tales numinibus adſcribant. Quippe & omnium aliorum nomina Deorum, & quæ ſupra ſiderum retuli, ex hominum nata ſunt meritis. Hactenus Plinius.

134. Nazianz.

Cæterùm non omittam auream Nazianzeni ſententiam, qua Principem ſuum alloquitur. *Nihil tam diuinum habet homo,quam beneficentiam, ac bene de hominibus merendi ſtudium. Licet tibi nullo labore diuinitatem aſſequi:noli oblatam diuinitatis occaſionem adipiſcendæ amittere.* Hæc Theologus. Rem claudo cum prouerbiali formula, *Homo homini Deus*; de qua luculentus Eraſmus, licèt alioquin lutulentus auctor. Plutarchus verò in commentario quem aduerſùs indoctum Principem edidit,negat hoc vno nomine Deos eſſe felices,quod immortales ſint,ſed quòd virtutis principes,& auctores ſe ſe præbeant. Rectè itaque ab antiquis prouerbiali ſchemate dictum, *Homo homini Deus*. Illi enim profectò in Deorum numerum referendi ſunt, qui alienæ commoditatis ſoliciti, aliorum ſemper vtilitati ſtuduerunt. Memor igitur acceptæ à Muſis ſalutis Horatius, Deas iccirco appellauit, quòd earum beneficio animi ſui magnitudinem attribuit, qua magnopere gloriabatur,

Homo homini Deus. Plutarch. *Principum munus eſt munificētia.*

Non ſine Diis animoſus infans.

Capvt II.

Explicatur locus Virgilij, & exornatur.

135. INterpretationem Seruij ad illud Virgilij carmen Eclog. 5.

Candidus inſuetum miratur limen.

alij legunt, *lumen Olympi*; ſi refellas amplectar; ſi probes reiiciam, cùm nimirum *candidus*, hoc eſt, *Deus*, interpretatur. Nam, vt aſſentiar Seruio, facit in primis poëta ipſe, cuius eam fuiſſe mentem ex ſequenti profectò verſu patere poteſt, in quo addit Virgilius,

Candidus pro Deo.

Sub pedibúſque videt nubes & ſidera Daphnis.

Vbi Cæſarem Deorum numero additum, ſidera calcantem, terráſque deſpicientem apertè fatetur. Addo quod Deorum filios, ac Deos quidem ipſos albos appellare veteres conſueuerunt,auctore Platone lib. 5. de Republ. ex eodem referente Plutarcho libro de diſcrimine adulatoris & amici; ac proinde *candidus* apud Virgilium,id eſt, Deus. Etenim ad hæc veluti rationis pondera, & momenta,antiquiſſimi iuxta,atque vſitatiſſimi inter priſcos mortales moris auctoritas accedit. Priſco namque veterum poëtarum ritu, & ab heroicis vſque temporibus perdiuturno, permanentique ad longinquum & immenſum penè ſpatium laudationis genere vſus Virgilius ad maiorum exemplum Cæſarem Imperatorem, quem ſub Daphnidis nomine laudandum ibi ſuſceperat, Deum facit in eo carmine Cæſarem poëta; ſic etiam de viris illuſtribus, ac ſingulari laude dignis facere plerique veterum conſueuere. Hinc enim paſſim apud Homerum illa obuia; θεῷ ἴκελος, καὶ θεοειδὴς, id eſt, *Deo ſimilis, & diuina ſpecie.* καὶ ἰσόθεος, καὶ ζάθεος, *Deo par, & admodum diuinus.* Huc etiam alluſiſſe videtur Iliad. cùm de Hectore loquentem inducit Priamum;

Plato. Plutarch. Homer.

Nec iam hominis ſanè mortalis filius ille
Eſſe videbatur, ſed diuo ſemine natus.

Laconibus porrò peculiare id moris erat, eodem atteſtante Homero, vt quem vehementer ob virtutem aliquam ſingularem admirarentur, diuinum hominem appellarent. Commemoratque apud Platonem Socrates in Memnone ad Laconum mores admiſſum fuiſſe, vt cùm virum aliquem bonum laudabant,diuum prædicarent.

Lacones. Plato. *Homo virtute aliqua ſingularis erat habitus Deus.*

136. Atque ad hunc veterum laudandi modum reſpexiſſe Virgilium nos exiſtimare par eſt, cùm dixit,

Candidus inſuetum miratur,&c.

Nam vt recentiorum quoque demum accedat auctoritas, hac dicendi forma præter Ariſtotelem vſus eſt etiam Terentius in Adelphis,cùm de quopiam loquutus, *Deum te*, inquit, *facio*, id eſt, ſummis laudibus effero. Huc etiam ſpectat illud ex Tullio,qui oratoris ſui lib. 2. *In quo tu*, inquit, *mihi Deus eſſe videris*, id eſt, ſingularis planè, ac ſummus vir. Inde nimirum natum dicendi genus,quòd priſci mortales, ſi quem ob egregias, ac minimè vulgares animi corporíſque virtutes ſuſcipiebant, ac venerabantur, eum Diis proximum, ac planè Deum eſſe iactitabant; id ſcilicet quod euenit Alexandro Magno. Scipioni Africano, Octauio, Auguſto, aliiſque compluribus, quibus non imparem Cæſarem ſuum Virgilius arbitrabatur, de quo cecinit,

Ariſtot. Terent. Tull. Alex. Mag. African. Auguſt. *Habiti pro Diis.*

Candidus inſuetum miratur,&c.

Rectè proinde Seruius, candidum pro Deo poſuit. Cæterùm temerè locum illum interpretatum fuiſſe Seruium liquere poteſt, tum ex ipſius poëtæ ſententia, tum etiam ex veterum auctoritate; ſunt enim plerique, qui locum illum ſic interpretantur, vt *candidum* bonum intelligant; idque de mente poëtæ qui paulò inferiùs Daphnidem ſuum *bonum* appellauit, cùm addit: *Amat bonus otia Daphnis*. Huic etiam concinnè concinit Seneca ad Lucillium epiſt. 3. *Omnes*, inquit, *candidatos viros bonos diximus*. Neque verò leui huic rei probandæ momento erit Horatianum illud epiſt. ad finem,

Seruius. *Candidus pro bono.* Seneca. Horat.

Quódque capit vultu mutabilis, albus, & ater.

137. Ibi namque albus, & ater Porphyrio doctore, idem eſt,atque bonus & malus. In quo etiam ſenſu prouerbialiter ab Eraſmo dictum vide apud Manutium,adagio; *albus,an ater ſis neſcio.* Vbi plures in hanc ſententiam auctores inuenies; quibus tamen addas velim Pythagoram, qui quidquid eſſet colore candido, ad boni naturam pertinere arbitrabatur: quidquid verò atro colore inficeretur,apertam mali ſpeciem præ ſe ferre. *Candidum* igitur pro bono dixit Virgilius, cùm præſertim Lyrici auctoritatem, qua malè vtitur, Seruius ad ſuam ſententiam trahere fruſtrà conatur. Vt enim ad eum locum interpretes,

Porphyr. *Albus bonus, ater malus.* Eraſm. Manut. Pythag.

Hic niger eſt,hunc tu Romane caueto;

quem verſum Seruius laudat,non tam ad mortuos, vt Seruius,quàm ad mores animique naturam, vt Scholiaſtes; niger,id eſt,malo ac venenato animo. Sic etiam Seruius ad illud Æneid. 4.

Horat. *Seruius caſtigatur.* Virgil.

—Nigri cum lacte veneni.

nigri, inquit, id eſt, noxii. *Candidus* ergo bonus eſt intelligendus, Seruius quoque vel inuitus nobis inſeruiet.

Digitized by Google

CAPUT III.

Quid ſit apud poëtas, ac Virgilium in primis,

Dextræ coniungere dextram.

138. HOc vnum literatiſſimo cuipiam, & eruditiſſimo viro, non dubitationem modò, ſed errorem etiam iniicere poſſe mihi videtur, quid ſit apud Virg Æn.8. Virgil.

Dextra coniungere dextram.

quo in loco omnium interpretum eruditionem requiro; quamquam enim Seruij ſententiam de amicitia id exponentis non penitus reiicio, aliter tamen, nouitiùs quidem, & fortaſſe meliùs explicabimus. Enim verò in ea re illud ſcitu ſanè perquam digniſſimum eſt, maximam in dextra olim fuiſſe religionem; cuius rei autor eſt Alexand. ab Alex.lib.2.Gen.dierum cap.19.idque deſumptum videtur ex Plinio lib.3.c.45.Vnde adeò dixit Virg. Æn. 1. cùm de matre Venere fugiente quereretur,

Seruius. *Religio in dextra.* Alexand. ab Alex. Plin. Virg.

---Cur dextra iungere dextram
Non datur?

Ad quem locum Seruius, id apud antiquos in more poſitum fuiſſe tradit, vt dextris ſe inuicem conſalutarent, cuius rei cauſam Varro Calimachum ſecutus eam aſſignat, quòd omnis mortalium virtus dextris conſtitiſſe putaretur. Quamobrem ea maximè corporis parte ſe magnopere venerabantur. Quòd iuuenili quondam ardore, & animi cupiditate compulſus adhuc adoleſcens Euandrus Anchiſi ſe reuerentiam ac venerationem præſtare voluiſſe profitetur.

Seruius. *Dextris ſe ſalutabant veteres.* *Euandri erga Anchiſen reuerentia.* Virgil.

--- Mihi mens iuuenili ardebat amore
Compellare virum, & dextram coniungere dextrã.

139. Quaſi dicat: Ego verò deſiderio vehementi afficiebar compellandi, conſalutandíque præclariſſimum illum virum, mihíque gratiſſimum Anchiſen. Fidem verò atque amicitiam eò loquendi genere apud Virgilium ſignificari colligere procliue eſt, multis ipſius poëtæ locis. Nam Æneid.3.

In dextra fides, & amicitia.

Iungimus hoſpitio dextras, ac tecta ſubimus.

& rurſus.

Ipſe pater dextram Anchiſes haud multa moratus,
Dat iuueni, atque animum præſenti munere firmat.

Cùm de Achimenide miſero, & afflicto homuncione exulante, Troianíſque venientibus ſupplice ſermo eſſet. Cuius animum labantem, ac penè iacentem cum erigere conaretur Anchiſes, dextram porrexit, cuius maximè coniunctione amicitia confirmatur. Hinc adeò libro 4. Æneid.

Nec te noſter amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido.

Itidémque,

---En dextra fidéſque
Quam ſecum patrios aiunt portare penates.

Pleraque alia prudens, ſcienſque omitto, ne multus ſiam.

Mendoça Viridarium.

CAPUT IV.

Reges Sacerdotis munere fungebantur.

APud Ægyptios ex Philoſophis ſacerdotes, ex ſacerdotibus reges eligebantur, vt refert Alexand ab Alex.lib.2.c. 8. Apud Græcos non eſt dubium Reges, & ſacerdotes eoſdem eſſe, cùm Anius vtroque munere in inſula Delo fungeretur. Virg.3.Æneid. 140.

Alexand. ab Alex. Virgil.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbiq; ſacerdos.

Iam verò eandem fuiſſe Romanorum conſuetudinem, ex Liuio præſertim lib. 1.ac Dionyſio lib.2 cognoſces: qui ſcribunt Numam multa ſacrificia obire ſolitum; & Florus. *Ille ſacra, & ceremonias atque omnem cultum Deorum immortalium docuit.* Idem Cæſares poſtea factitaſſe deprehendes. Nec iniuria; cùm id moris à priſcis illis Latinis deriuarent: apud quos conſul ipſe ſacris veſtibus indutus religioſiſſimas Iani fores reſerabat, cùm bellum erat indicendum, qua de re Virg. 7.Æneid.

Liuius. Dionyſ. Flor.lib. 1. c.2. Virgil. *Hac ad meas manus non venerunt.*

Ipſe Quirinali trabea, cinctúque Gabino
Inſignis, reſerat ſtridentia limina Conſul.

Vide quæ notauimus ad illum locum Virg.ex 7. 141.

Hic & tum pater ipſe petens reſponſa Latinus. *Probatur ex Scriptura.*

vbi hac de re latè egimus, interim pauca accipe ex diuinis oraculis. Nam Abimelech erat quidem Rex Salem Geneſ 14.18. ſed & ſacerdos erat magni Dei. Teſtem laudo Paulum 7. ad Hebr. n. 1. Iam verò 2.Reg.c.8.18.Latino ſermone dicuntur ſacerdotes, qui Græco aulæ principes ex 1. Paral. c.18.17.Et quidem Hebræa vox *Coachim* vtramque habet ſignificationem. Quaſi verò idem eſſet munus apud Hebræos, & Regem & Sacerdotem eſſe. Non prætermittam, quod noſtra hac memoria vidimus in Luſitania, nimirum Henricum vltimum Luſitaniæ Regem Luſitanum: hic autem cùm eſſet Archiepiſcopus, & ſanctæ Eccleſiæ Cardinalis, regiam geſſit dignitatem per aliquot annos, quin amitteret pontificiam.

Henricus Rex Luſitaniæ.

CAPUT V.

Rex Aricinus quis.

PRope Romam lucus erat Aricinus. Vnde Horatius, 142.

Rex Aricinus, quis. Horat.

Egreſſum magna me cœpit Aricia Roma
Hoſpitio modico, &c.

In eo ſitum erat templum Dianæ Aricinæ, cuius ſacerdos Rex Nemorenſis, ſiue Aricinus dicebatur. Eiúſque ſacerdotium Regnum. Conſtat in primis ex Tranquillo in vita Caligulæ c 35. *Nemorenſi Regi, quòd multos iam annos potiretur ſacerdotio, validiorem aduerſarium ſubornauit.* Ex Valer. Flac.lib.2.Arg.

Sueton. Flaccus.

---& Soli non mitis Aricia Regi.

Ex Ouid.3.Faſt.de ſacerdotio Dianæ Aricinæ loquutus, Ouid.

Regna tenent fortes, manibus, pedibúſque fugaces,
Et perit exemplo poſtmodo quiſque ſuo.

Item in 1.de arte,

Ecce ſuburbana templum nemorale Dianæ,

Digitized by Google

Partaque per gladios regna nocente manu.
ex Luc.lib.3.pharſaliæ, Lucan.
Qua ſublime nemus, Scythica quà regna Dianæ.
ex Mart.
Qua Triuiæ nemoroſa petit dum regna viator. Martial.

143. *Homines immolari apud Tauricam.* Huius nominis rationem illam ego optimam eſſe credo, quam tradit Beroaldus in Tranquil. citato loco. Cùm Dianæ in Taurica, vnde huc aſportata fuerat, homines immolarentur; ita etiam in Aticino luco ſacerdotem delectum eſſe, qui fugitiuus, primúſque victimæ mactator ad illius aram exiſteret. Deinde fugitiuis poteſtatem dari, vt monomachia cum fugitiuo templi dimicaret. Quod ſi is, qui antea ſacerdos erat, victor exiſteret, victum pro hoſtia numini immolari: ſi tamen vinceretur, ſacerdotio alteri cedere. Vnde hoc dianæ ſacerdotium, quia certamine comparari ſolebat, & valentioribus deferebatur, regnum appellari cœptum, ipſúmque ſacerdotem, Regem.

Capvt VI.

Luperci vnde dicti?

144. *Luperci vnde dicti.* Liquidò conſtat in Arcadia templum eſſe Fauni Lycæi, à monte Lycæo, qui ἀπὸ τοῦ λύκου id eſt, *lupo*, Lycæus dicebatur, multi enim in eo lupi graſſabantur. Hos autem ſolemni ritu Arcas Euander, ex Arcadia tranſlatos in colle Palatino conſtituit. Quod quidem Dionyſius teſtatur apud Roſinum lib. 3. cap. 2. (Dionyſ. Roſin.) Poſt multos verò annos cùm eueniſſet, vt in eodem loco Romulus à Lupa educaretur, hoc nomen, quod fortaſſe diuturnitate temporis exoleuerat, inſtaurari cœptum eſt: & quem locum Græci patrio vocabulo Lycæum appellabant, Latini nomine, non ſignificatione variata, lupercal nuncuparunt. Et quidem Plutarchus ſacerdotes Lupercos Arcadibus adſcribit (Plutarch.); quamuis non inficietur, aliqua ratione à Lupa Romuli altrice deriuari potuiſſe. Ouidius autem 2. Faſt. eò melius eſt à nobis auſcultandus, quia Latinus cùm ſit, tamen hunc honorem Græcis tribuendum non inficiatur. Cùm enim dixiſſet à Romuli lupa lupercos, & lupercal appellatum,

Illa loco nomen fecit, locus ille lupercal
Magna dati nutrix præmia lactis habet, Ouid.

Subdit, quaſi veriorem ſententiam annectens,

Quis vetat Arcadio dictos à monte Lupercos?
Faunus in Arcadia templa Lycæus habet.

& Virgil. 8. Æneid. in eadem eſt opinione cùm ait, (Virgil.)

---Gelida monſtrat ſub rupe lupercal
Parrhaſio dictum Panos de monte Lycæi.

Capvt VII.

Dextrum, & ſiniſtrum fulmen,

145. Tull. *Fulmen dextrum, & ſiniſtrum, quod?* Ennius. Avctor nobis eſt M. Tullius 2. de diuinat. Siniſtra fulmina felicia Latinis; Græcis verò dextera meliora videri. Illud confirmat Ennij verſus,

Cum tonuit læuum bene tempeſtate ſerena,

idem Ennius de felici Romuli augurio,

Et ſimul ex alto longè pulcherrima præpes
Læua volauit auis.

Ad quem ſtudioſiſſimus eius ſectator Virgil. accedit 2. Æneid. Virgil.

---ſubitóque fragore
Intonuit læuum, & de cælo lapſa per auras Homer. Tull.
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.

Hoc autem planum facit Homericus Aiax apud Achillem quærens de ferocitate Troianorum,

Proſpera Iuppiter his dextris fulgoribus edit.

Cicero de diuinat. *Fulmen ſiniſtrum auſpicium optimum habemus, præterquam ad comitia.* Vnde diſſolui poteſt ille nodus, quem Delrius citando loco indiſſolubilem credit. (Delrius.) Huius diſcriminis ratio illa eſt, quia cùm vtrique exiſtimarent, fulmina, quæ ab Oriente iaculantur, feliciora eſſe, quæ ab occaſu infeliciora: tamen Græci Solis orientis partem dexteram, Latini ſiniſtram appellabant. (*Dexter locus felicior.*) Qua in re Græci veroſimilius loquuntur; naturalis enim motus viuentium à dextra cœptus ad ſiniſtram fertur; Sol autem ab Oriente curriculum diurnum conficit. Hinc eſt, quod cecinit Orpheus, *Solem, cùm dexter eſt, auroram: cùm læuus, noctem gignere*, id eſt, (vt rectè Parrhaſius) ab ortu diem, ab occaſu noctem producere. (Orpheus poëta. Parrhaſ. *Solis ortus, & occaſus.*) Romani tamen, vt auctores ſunt Varro & Plinius, non vt Geographi ad polarem ſtellam, ſed, vt Aſtronomi, ad meridiem inſpiciunt, vt ſtellarum planetarúmque motus obſeruent, (Varro. Plin.) quare neceſſum eſt, vt illis Oriens ſiniſtra pars, Occidens verò dextera dicatur, quam doctrinam ab Hetruſcis (teſte Varrone) ſunt mutuati. Del. fol. 400. eſt videndus, & ab iſto vinculo ſoluendus. (Varro. Delrius.)

Capvt VIII.

Calceus mulleolus quorum fuerit inſigne.

Senatores, & qui dignitate præſtabant inter Romanos, mulleos calceos geſtare ſoliti erant. 146. *Calceus mulleolus Senatorum inſigne.* huiuſmodi autem calcei medio crure tenus pertingebant, vt ait Ioſephus Scaliger, de quibus Tertullianus in lib. de pallio, *Impuro*, inquit, *cruri purum, aut mulleolum inducit calceum*; (Scalig. Tertul. lib.1.c.4.) vbi per *puros calceos*, qui ex puro corio, quíque perones appellantur, intellexiſſe videtur; per *mulleolos* verò, *lunulatos*, à mullando verbo antiquo, id eſt, ſuendo; lunulam enim aſſutam habebant. Turneb. lib. 10. cap. 2. à rubro mulli colore mulleos dictos arbitratur. (Turneb.) Cato orig. lib. 7. *Qui curulem magiſtratum cepiſſent, calceos mulleos, alios lunatos, cæteri perones.* (Cato.) Feſtus, *Mulleos*, inquit, *genus calceorum aiunt eſſe, quibus Reges Albanorum primi, deinde patricij vſi ſunt*; (Feſtus.) Iuuenali verò de Quintiliano locutus,

Appoſitam nigra lunam ſubtexit aluta. Iuuenal.

147. Sed præter alias cauſas, quæ de his calceis traduntur, illa mihi potiſſimum arridet, quam Plutarchus in problem. quæſt. 79. inculcat. (Plutar. *Luna nobilitatis argumentum.*) Ait enim Arcades, qui luna priores dicebantur, hoc inſigne habuiſſe, quo ſui generis antiquitatem teſtarentur. De quibus Ouidius 2. Faſtorum, (Ouidius.)

Ante Iouem genitum terras habuiſſe feruntur
Arcades, & Luna gens prior illa fuit.

Vnde qui inter Romanos nobilitatem ſuam ad antiquiſſimos heroas referebant, Lunam pro inſigni in calceis geſtabant. Roſinus lib. 5. cap. 36. (Roſin.)

alia

Cælius. alia addit. Sed priùs Cœlius lib. lection. antiq. 22. cap. 26. & 28. Vnde locus ille ſatyrographi de luna planè illunis, & tenebricoſus, perſpicuus manet. Ego autem addo, mulleos hos calceos magnam crurum partem velare apud Romanos, ideo dicit Tertullian. *impuro cruri inducit.* Laudo in meam mentem Ouid. 3. Amor.

Pes malus in niuea ſemper celetur aluta,
Arida nec vinclis crura reſolue tuis.

Capvt IX.

Patritij maiorum, & minorum gentium. Et quid curia, & curiata comitia.

148. Patritij qui. DVbium non eſt, quin ducenti illi Senatores à Romulo primùm lecti, eorúmque progenies, patritij maiorum gentium dicerentur. Illi verò, qui à Tarquinio priſco V. Romanorum Rege, ex plebeiis in patritiorum ordinem optarentur, patritij minorum gentium. Tandem illi, quos Patres conſcripti, qui. L. Brutus & Valerius Publicola primi Conſules poſt exactos ab vrbe Reges, in Senatum admiſerunt Patres conſcripti. Auctor eſt præter Liuium Liuius. Plutarch. Tacit. in 1. Plutarchum in Publicola, Cornelius Tacitus 2. annalium: cuius hæc ſunt verba, *In numerum Patritiorum aſciuit Cæſar vetuſtiſſimum quemque è Senatu, aut quibus clari parentes fuerant; paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum* Curia, & curiata comitia quæ. *gentium, Tarquinius minorum, Brutus conſcriptorum appellauerant.* Sed iam dico quæ fuerit Curia, Roſin. lib. 5. c. 2. & curiata comitia? Curiæ tales fuerunt Romæ populi partes, quales ſunt noſtro tempore in vrbibus parœciæ; vt enim noſtræ parœciæ habent deſtinatas quaſdam ædes, & domos, in certa quadam vrbis parte ſitas, vbi communia ſacra fiunt à communi ſacrorum antiſtite: ita Curiæ erant populi partes non modò loco, ſed etiam ſacris ſibi peculiaribus diſtinctæ: quibus qui præerant Curiones vocabantur.

149. Curiarum numerus. Dionyſ. Curiæ fuerunt numero triginta à Romulo inſtitutæ; qui, vt refert Dionyſius lib. 2. *in tres partes diuiſa vniuerſa multitudine, ſingulis præclarum aliquem virum ducem præpoſuit: deinde vnamquamque rurſum in decem partitus, totidem fortiſſimos viros eis præfecit: has curias, illas tribus vocari* Roſin. *voluit.* Hæc ille. Quamuis autem (vt Roſinus obſeruat ad finem capitis) curiæ principio tribuum partes eſſent; tamen poſterioribus temporibus, creſcente tribuum numero, eadem ratio obſeruata non eſt. Fuerunt igitur comitia curiata, in quibus populus curiatim ſuffragia dicebat, hoc eſt, in quibus populi per curias diuiſi ſententia rogabatur, vt quod plures ſtatuiſſent, id iuſſum populi eſſe diceretur. Agellius lib. 5. c. 27. Agell.

150. Comitia curiata. Liuius. Dionyſius. Antequam comitia centuriata, & tributa eſſent, omnia, quæ ad rempubl. pertinebant, curiatis comitiis agebantur. colligitur ex Liuio, ac Dionyſio. Poſtea verò duabus potiſſimum rationibus haberi cœpta ſunt; vna legum ferendarum, altera verò ſacerdotum creandorum. Poteſtas conuocandi comitia curiata fuit in primis penes Reges: deinde verò etiam penes alios magiſtratus, Patricios, Conſules, Dictatores, Prætores, Interreges, Pontifices.

Capvt X.

Quæ fuerit centuria, & centuriata comitia: & quæ Tribus, & comitia tributa.

CEnturiarum auctor fuit Seruius Tullius, vt referunt Liuius, Florus, Eutropius, Dionyſius, quorum hic tota hac de re diligentiſſimè agit: ait itaque Seruium primùm in ſex claſſes vniuerſum populum diſtribuiſſe, iuxta ſingulorum hominum cenſum; ita vt ditiores in prima continerentur; deinde verò ſeruato diuitiarum ordine claſſium ſeries inſtitueretur. Singulas autem claſſes in centurias diuiſiſſe, ſingulis item centuriis arma imperaſſe, pro facultatibus ſingularum: fuerunt porrò centuriæ numero 193. Erant igitur centuriata comitia, quibus populus per claſſium centurias diuiſus ſuffragia ferebat: ita vt ſuffragia colligerentur centuriatim, & quod plures centuriæ iuſſiſſent, id ratum haberetur. Centuriata comitia fiebant ad creandos magiſtratus, leges ferendas, bellum indicendum, auctore Dionyſio, &c. Ea verò à magiſtratibus maioribus conuocari ſolebant, Conſulibus, Prætoribus, Cenſoribus, Dictatoribus, &c. in campum Martium. 151. Centuriarũ quis auctor. Liuius. Florus. Eutrop. Dionyſiu. Cẽturiarum numerus. Dionyſius.

Si in ipſis comitiis morbo Herculeo correptus quiſquam repentè concidiſſet; diſſoluenda erant comitia. Vnde illi morbo nomen eſt *comitialis,* vt Serenus docet his verſibus, 152. Morbus Herculeus.

Et ſubiti ſpecies morbi, cui nomen ab illo,
Quod fieri nobis ſuffragia iuſta recuſat,
Sæpe etiam membris acri languore caducis,
Concilium populi labes horrenda diremit.

Tribus autem Romulus primùm conſtituit: vt auctor eſt Dionyſius lib. 2. de Romulo loquutus, *In tres, inquit, partes diuiſa vniuerſa multitudine, ſingulis præclarum aliquem virum ducem præpoſuit: deinde vnamquamque rurſum in decem partitus, totidem fortiſſimos viros eis præfecit: has curias, illas tribus vocari voluit.* Hæc ille. Tribus dictæ ſunt à numero, ſeu à tributo, quod tributum ſoluebatur. Singularum nomina hæc erant. Prima Ramnenſis à Romulo. Secundo Titienſis à Tito Tatio Sabinorum Rege, qui à Romulo victus ab eodem in imperij ſocietatem receptus eſt. Tertia Luceres, à luco aſyli, ad quem multi confugientes ciuitate donati fuerunt; quæ eſt ſententia Plutarchi in Romulo, Pædiani in 2. act. in Verrem, quos Roſinus veriùs ſentire arbitratur. Hunc tribuum numerum alij atque alij ita auxerunt, vt ad 35. peruenirent. Cogebatur igitur populus tributim, ſeu fiebant comitia tributa, quatuor præcipuè ob cauſas. Primam, ad creandos minores magiſtratus. Secundam, ad ſacerdotes Collegiorum cooptandos. Tertiam, ad leges ferendas. Quartam, ad iudicium exercendum. His comitiis habendis non erat vnus deſtinatus locus. Quare modò in campo Martio, interdum in Capitolio, aliſque in locis haberi ſolita erant. Eò etiam diſtinguuntur huiuſmodi comitia à cæteris, quia nullis adhibitis auſpiciis fiebant: vt teſtatur Liuius, ac Dionyſius. Tribus, quæ. Dionyſius. Tribuũ ſingularum nomina. Plutarch. Pædian. Roſin. Cauſa comitiorum tributorum. Liuius. Dionyſius.

Digitized by Google

SATVRNALIORVM decas VIII.

CAPVT I.

De funerum ritu præſertim apud Virgilium.

153. SI vnum in aceruum omnes funerum ritus, ac ceremonias colligamus, quos antiqui homines diligentiſſimè ſeruabant; infiniti propè laboris negotium aggrediemur. Quare hac de re plura non dicam, quàm quæ apud Maronem ſæpe alias obſeruaui, qui, meo iudicio, ſtudioſiſſimus fuit antiquitatis obſeruator. Primùm igitur veterem illa fuit conſuetudo, vt cùm æger ad moriendum iamiam eſſet vicinus, illi qui propiùs eum conſanguinitate attingebant, eius morientis ſpiritum exciperent. Teſtis eſt huius conſuetudinis M.Tullius in 5.Verr. *Matres, inquit, miſeræ pernoctabant ad oſtium carceris ab extremo complexu liberorum excluſæ, quæ nihil aliud orabant, niſi vt filiorum extremum ſpiritum excipere ſibi liceret.* Ouid. de morte Druſi,

Infiniti funerum ritus.
Propinqui morientis animam accipiebant.
Tull.
Ouid.

Non animam appoſito fugiente excepit hiatu.

Virg.

Quid igitur Virg. idne moris ignorauit? Minimè verò. In 4. de Didonis obitu loquutus eius ſororem inducit, ita loquentem,

---Extremus ſiquis ſuper halitus errat,
Ore legam.

Præterea morientis oculos propinquiores occludebant: quod Plutarchus ea ratione affirmat, vt dicat infelices exiſtimari ſolitos eos omnes, qui à propinquorum ſocietate auulſi animum exhalarent; quod videlicet non haberent, qui ſibi oculos ſuggillarent; hoc enim proprium verbum eſt in hac materia. Sed neque hæc conſuetudo latere potuit Maronem. Apud quem 9. Æneid. Euryali mater ita filij interitum lamentatur,

Conſanguinei morientis oculos claudebant.
Plutarch.
Virgil.

---Nec te tua funera mater
Produxi, preſſive oculos, aut vulnera laui.

Sed cùm ab omnibus, apertis, vt aiunt, tibiis decantetur, eos, qui maiori neceſſitudinis vinculo cum mortuo coniunguntur, defuncti oculos ſemper obtexiſſe; nuſquam tamen aliquem in locum incurri apud Maronem, qui dicat huiuſmodi obſequium à filiis erga parentes præſtitum fuiſſe. Cùm tamen Virgilius non ſemel narret parentum funus diligenter à filiis procuratum; vt videre eſt 5. Æneid. cùm Æneas ſe comparat ad iuſta parenti Anchiſæ ritè perſoluenda. Item libr. 12. cùm Lauinia parentis Amatæ funus lamentatur: quorum neutro in loco ait parentis oculos à filiis coopertos, cùm cætera membratim proſequatur. Huius rei cauſam cùm ſemel atque iterum indagarem, neque animum inducerem, tam ſolemnem ritum temerè, & inconſultè à poëta prætermiſſum; fortè incidi Mæuiam in legem, quæ, vt inquit Varro, interdixit, ne quis filius p.rentis iamiam morituri oculos clauſiſſet. Huius autem legis rationem cum paulo altiùs explorarem, venit in mentem illius loci Ciceronis pro Roſcio Amerino, *Portentum, atque monſtrum certiſſimum eſt eſſe aliquem humana ſpecie & figura, qui tantum immanitate beſtias vicerit, vt propter quos hanc ſuauiſſimam lucem aſpexerit, eos indigniſſimè luce priuarit.*

Filij parentis oculos non claudebant.
Virgil.
Lex Mæuia.
Varro.
Tull.

154. Ne igitur vel hoc leuiſſimo argumento à filiis lucis vſura parentibus degenerata videretur, cautum à veteribus, ne quis parentibus oculos ſuggillaret.

Filiorū reuerentia & amor debitus erga parētes.

Deinde verò defuncti corpus per interualla conclamabant. Vnde Terentius, *Deſine*, inquit, *iam conclamatum eſt.* Hoc ne vt Virgilium effugeret? Haudquaquam; in 4. Didonem inclamat ſoror,

Clamare defuncti corpus.
Terent.
Virg.

---Morientem nomine clamat.

in 3. Æneas Polydorum,

---animámque ſepulchro
Condimus, & magna ſupremum voce ciemus.

Illius autem conclamationis verba in hanc erant compoſita ſententiam. *Vale, vale. Nos te ordine, quo natura permiſerit, ſequemur.* Hæc autem quàm appoſitè cum Virgilianis verbis concinunt, & cohærent, in 11.

Vale, vale conclamationis verba.
Virgil.

---Salue æternum mihi maxime Palla,
Æternúmque vale.

Nos te ordine, quo natura permiſerit, ſequemur.

Nos alias hinc ad lacrymas eadem horrida belli
Fata vocant.

Aqua item calida veteres cadauera abluebant: eam ob cauſam, vt refert Plinius, vt experiri poſſent, ſolutúſne iam eſſet omnino animus è corpore: quandoque enim euenerat, vt viui homines pro mortuis flammis inferrentur. Virgil. in 4.

Cadauera aqua calida abluebantur.

---Date vulnera lymphis
Abluam.

& in 6.

Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis
Expediunt, corpúſq; lauant frigentis, & vngunt.

Cadauera vngebantur.

Non modò enim lauabant, ſed etiam vngebant. Ennius,

Ennius.

Tarquinii corpus bona fœmina lauit, & vnxit.

Perſius ſatyr. 3. de primario homine vita functo,

Perſ.

Compoſitus lecto, craſſiſque lutatus amomis.

Audio lacrymas illius puellæ apud Ouid. epiſtola 10.

Ouid.

Spiritus infelix peregrinas ibit in auras,
Nec poſitos artus vnget amica manus.

His ita procuratis, defuncti corpus ſeptem integros dies domi ſeruabant; vt præter alios refert Lucianus, eo quidem ritu, vt cadauer foras ſpectaret, facie, pedibúſque in publicum verſis, vnde Perſius citato loco,

Lucian.
Cadauer ſeptem dies domi ſeruatum.

In portam rigidos calces extendit, &c.

At etiam Virg. 5. Æneid. ait æneam funebres ludos in Sicilia celebraturum, in nonum diem illos reieciſſe, interiectos verò ſeptem diebus parentis funeri curando operam nauaſſe.

Perſ.
Virg.

Præterea, ſi nona diem mortalibus almum
Aurora extulerunt, radiiſque retexerit orbem.

& ſtatim,

Expectata dies aderat, nonámque ſerena
Auroram Phaetontis equi iam luce vehebant.

156. Sed iam cùm ad rogum ventum erat, propinquiores vultu aliorſum conuerſo flammam inferebant. Auctor eſt Plutarch. in problematis, Dion item, qui in Seueri funere filios eius ſcribit pyram auerſos accendiſſe. Virgil. igitur 6. Æneid. de Miſeno,

Fax auerſa in funeribus.
Plutarch.
Dion.
Virg.

---Subiectam more parentum,
Auerſi tenuere facem.

Cadauer alicuius viri primarij veſtibus, auro, purpuráque diſtinctis indutum cremabatur; qua de

Cadauer cremabatur, & quomodo?

Digitized by Google

Polyb. Plutarch. de re latiſſimè agit Polybius libr.6. Ciues vulgati vulgata toga,id eſt,veſte alba induti cremabantur. refert Plut.in Probl.q. 26. Magiſtratus prætexta, cenſores purpurea toga.refert Polybius,Virg.6.de Miſeno,

Virg.

Purpureáſque ſuper veſtes velamina nota
Coniiciunt.

Rectè igitur apud Maronem lib.11. Æneas Pallanta optimis quibuſque veſtibus exornat.

Tum geminas veſtes;oſtróque, auróque ſuperbas
Extulit Æneas,&c.

& ſtatim,

Harum vna iuueni ſupremum mæſtus honorem
Induit,arſuráſque comas obnubit amictu.

157. *Cupreſſus in funeribus nobilium.* Lucan.

Cupreſſus quamuis feralis arbor eſſet, non tamen in plebeiorum hominum funeribus præferebatur.Lucan.

Et non plebeios vulens teſtata cupreſſus.

Virgil.

Quare Virgilius in Polydori funere, qui filius erat Priami,cupreſſum conſtitutam memorat in 3.

---Stant manibus aræ
Cæruleis mæſtæ vitis,atraque cupreſſo.

Amicorum conſuetudo. Tull. Virgil.

Ex iis, quos defunctus in vita habuit cariſſimos, ſemper aliquis ſe in rogum cum illo inſerebat. Meminit huius conſuetudinis Tullius q. 5. Tuſc. poſt medium, vbi ait, *in India vnam ex vxoribus cum viro in rogum conſcendiſſe.* Virgil.igitur 5. Æneid.cùm de angue loquatur,qui ſubitò ex Anchiſæ tumulo proſiliit,ſubdit,

Incertus geniúmne loci,famulúmve parentis
Eſſe putet.

Seruius. *Ludi gladiatorij in funeribus.* Homer.

Famulum interpretatur Seruius animum famuli, qui ſimul cum Anchiſe in flammis occubuerat. Tandem ludi gladiatorij fieri ſolebant, ex victis hominibus, mortique deſtinatis. refert Homerus eos ludos gladiatorios, quos Achilles ad Patrocli tumulum celebrauit. Æneas igitur 11. Æneid.miſſurus Pallanta mortuum ad Euandrum, eos quoque mittit qui ad eius tumulum mactentur,

Virgil.

Vinxerat,& poſt terga manus,quos mitteret vmbris
Inferias,cæſo ſparſuros ſanguine flammas.

& alibi,

Captiuoque rogi perfundam ſanguine flammas.

158. Polyb.

Ad ſepulchrum præfigi ſolita erant vniuſcuiuſque inſignia, gentilitiaque ſtemmata. Vt eruditè proſequitur Polybius libr. 6. Virgil. in 6.de Miſeno,

Virg. *Inſignia ad ſepulchrum appenſa.*

---Decorántque ſuper fulgentibus armis.

& paulo pòſt;

At pius Æneas ingenti mole ſepulchrum
Impoſuit,ſuáque arma viro,remúmque tubámque.

Cadauer domi ſepultum. Tull. Plutarch. Sueton. Roſin. Seruius.

Defunctorum corpora, vbicumque obiiſſent, in domum referri, ibique ſepeliri ſolebant, hoc autem Cicero 2. de legibus affirmat de Valerio Publicola, in Philippicis de Seruio Sulpitio. Plutarchus de Fabricio. Suetonius de Claudij familia. Lege Roſinum fol.237. quod poſtea legibus duodecim tabularum cautum eſt.Id quod Seruius affirmat.Virg.6.

Virgil.

Sedibus hunc refer ante ſuis,& conde ſepulchro.

Pyra pro dignitate perſonarum fiebant. Virg.

Pro dignitate perſonarum pyræ fiebant. Vnde Homorus ſcribit Patroclo centum pedum pyram extructam eſſe. Virg.de Miſeno,

---pinguem tædis & robore ſecto
Ingentem ſtruxère pyram.

Aqua ſacra putabatur. Pindar. Ouid.

Liquores, quibus præſertim veteres in his ſacris vtebantur, erant aqua, quæ propterea dicitur à Pindaro elementorum præſtantiſſimum, ἄριστον μὲν ὕδωρ. Et Ouidius reprehendit veteres, quòd exiſtimarent omnia crimina aqua expiari.

Ah nimium faciles,qui triſtia crimina cædis
Fulmina tolli poſſe putatis aqua.

159. *Oleũ in pyras coniectum,& cur? Vinum in pyras cõiectum, & cur?* Homer. Euripid. Virg.

Oleum, quod etiam in Patrocli pyram iniectum eſt,referente Homero, vt meliùs accenderetur. Vinum etiam,ibidem.Sanguis,mel,& lac.Iphiginia apud Euripidem in tragœdia ſui nominis cùm fratri parentare vellet,ſanguinem, & mel in terram effudit. De his omnibus mentionem facit Virg.6.

Aqua,

Idem inter ſocios pura circumtulit vnda.

Oleum,

Thurea dona,dapes,fuſo crateris oliuo.

Vinum,lac,ſanguis,in 5.

Hic duo rite mero libans Carcheſia Baccho
Fundit humi,duo lacte nouo,duo ſanguine ſacro.

Macrob.

Illud tamen aduerte, quod Macrobius libro 3. capite 1. obſeruauit; Superis ſacrificia facturos, ſe integros abluere ſolitos. Vnde Virgil.2.

Virg. *Ablutiones ante ſacrificia.*

---Donec me flumine viuo
Abluero.

Inferis verò ſe tantùm aqua aſpergere.In 4.

Dic corpus properet fluuiali ſpargere lympha.

in 6.

Ter ſocios pura circumtulit vnda
Spargens rore leui,&c.

160. *Ferales arbores ad ſepulchra.*

Ferales arbores erant cupreſſus, piceæ, ſeu tædæ, ilex, ſeu robur. de cupreſſu Ouidius libro 3. Triſt. quæ cauſa? quia ſemel inciſa non renaſcitur.

Ouid.

Funeris ara mihi ferali cincta cupreſſo
Conuenit.

De tæda poëta neſcio quis, quæ verò cauſa? quia ſuccoſa cùm ſit,aptam præbet ignibus materiam,

Homer.

----Buſtalibus horrida tædis
Agmina.

Dè ilice ſæpe Homerus mentionem facit in ſacris funebribus, cuius rei cauſam reddunt, quia numquam effloreſcat. Sed iam Virg. audiamus in 9.de cupreſſo,

Virgil.

---ferales ante cupreſſos
Conſtituunt.

De tædis,ſeu piceis;robore,ſeu ilice,in 6.

Principio pinguem tædis,& robore ſecto
Ingentem ſtruxere pyram.

& paulo ſuperiùs,

Procumbunt piceæ,ſonat icta ſecuribus ilex.

in 4.

At Regina pyra penetrali in ſede ſub auras
Erecta ingenti,tædis,atque ilice ſecta.

Eandem ob cauſam 5. Æneid. Metam.ex illice poſuit Æneas in ludis fetalibus,

Et viridem ſtatuit frondenti ex ilice metam.

Inſignia coniecta in pyras ferales.

Multa etiam inſignia,aurum, arma, pretioſæ veſtes, aliaque huiuſmodi in rogum cum cadauere abſumenda coniiciebantur; quòd vel inde perſpicuum fiet, quia lege duodecim tabularum cautum eſt,ne deinceps tantæ fierent impenſæ. Virg. 11.de exequiis Troianorum,

Hinc alij ſpolia occiſis direpta Latinis
Coniiciunt igni,galeas enſéſque decoros
Frenaque ferventéſque rotas,&c.

CAPVT

Digitized by Google

Capvt II.

Tubæ ac tibiæ, quibus funeribus adhiberi ſolitæ.

161. *Tuba, ac tibia in funeribus.*

VEteres in principum virorum funebris tubis pariter, ac tibiis vtebantur: ſolas tamen tibias vel pueris, vel hominibus abiectioris notæ efferendis adhibebant. Et quidem vtrunque inſtrumentum funebre fuiſſe, docet in primis Alexand ab Alex. libro 3. Gen. dier. cap. 7. vbi ait, *Senatoribus, & Patritiis, atque ſummis ducibus tuba: minoribus & plebeiis exequiali tibia canere tibicines.* Hoc ego confirmo ex Apocal. 18. 22. *Et tibia canentium, & tuba non audietur in te amplius.* Nam, Ribera interprete; idem eſt, ac ſi dicat: Non reperientur in te amplius funebres pompæ, quia nulla erit vox tubicinum, nec tibicinum quæ defunctorum cadauera comitatur; iam enim nulli erunt qui moriantur, omnes vnà fato conceſſerunt. Non abludit ab hoc teſtimonio Alexandri illud Seruij in 5. Æneid. quem citat Roſinus tum libro 5. cap 39. fol. 236. tum etiam libr. 8. cap. 6. fol. 331. cuius hæc ſunt verba. *Antiqua fuit conſuetudinis, vt maioris ætatis funera ad tubam; minoris vero ad tibiam proferrentur.* De tibia verò ſeorſim illud Ouidij teſtimonium ſatis eſto libro 6. Faſt. versùs finem,

Alex. ab Alex. — Seruius. Roſin. — Ouid.

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mæſtis tibia funeribus.

Cuius etiam illud eſt de tuba, quam propterea funeſtam appellat, quia funeribus inſeruiret.

At mihi funeſta in flebiliora tuba.

Propert.

Eodem appoſito vſus eſt Propertius, cùm funebrem à nuptiali tibia diſtingueret,

Tibia funeſta triſtior illa tuba.

162. Sed vnde teſtimonia comparabis, quibus planum fiat, principum virorum funera ad tubas pariter, ac tibias efferri? Ex Plutarcho in primis, qui ait tubicines diuitum funeribus adhiberi. Certè illuſtre illud eſt quod de Demetrij funere prodit. Nam Xenophantus totius antiquitatis tubìcen celeberrimus in Regia biremi, in qua erat Regis cadauer, iuſta ſoluit ad ſuauiſſimum tubæ ſuæ concentum. Remiges verò tanta aptitudine fluctus ciebant, vt remorum pulſu tubæ modulationibus reſponderent, harmoniámque redderent iucundiſſimam. Deinde ex Perſio ſatyr. 3. qui de primarij viri funere loquutus, ita ait,

Plutarch. — Perſ.

Hinc tuba candelæ, tandémque beatulus alto
Compoſitus lecto, craſſiſque lutatus amomis
In portam rigidos calces extendit.

Propert.

Ex Propertio lib. 4. eleg. vlt. cuius hoc eſt diſtichon de Corneliæ funere,

Sic mæſtæ cecinêre tubæ, cùm ſubdita noſtrum
Detraheret lecto fax inimica caput.

Nebriſſ. Brod. Mag. Vict.

Tubam item maiorum natu funeribus propriam eſſe obſeruarunt præter alios Nebriſſenſis in Perſium, Brodeus libro 4. Miſcellan. cap. 30. Magius libro 1. Miſcel. cap. 13. Victorius libro 9 var. lect.
163. cap. 14 Sic tuba in funere Pallantis apud Virgilium,

Virg. *Tuba in diuitum funeribus.*

It cœlo, clamórque virûm, clangórque tubarum.

Tull. *Tibia in puerorum funeribus.*

Iam verò in diuitum iuſtis tibias etiam adhibitas fuiſſe teſtatur in primis M. Tullius lib. 2. de legibus propè finem, aiens, *principes viros vita functos cantu ad tibiam celebrari; & ſancitum legibus 12. tabularum vltra decem tibicines neminem conducere.* Cæterùm ſolas tibias in puerorum funeribus præferri, ſignificare mihi Statius videtur lib. 6. Thebaid. de funere Archemori, dum inquit, *Tibia, cui teneros ſuetum producere Manes.* Eodem ſpectant verba illa Lactantij. *Iubet*, inquit, *religio vt maioribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur.* Accedit, quod in ſacris literis reperitur, puellam Archiſynagogi filiam cum tibiis efferri. nam Mat. 9. dicitur, *cùm vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem,* &c. Sed & inferioris notæ homines ad tibias efferebãtur. Ouid. 5. de triſt. Eleg. 1. cùm ſuam miſeriam lamentetur,

Stat. — Lactan. — Ouid. *Tibia in funeribus miſerorum.*

Tibia funeribus conuenit iſta meis.

Propert.

Et Propertius cùm non ſumptuoſo, ſed tenuiorum funere efferri vellet, ait:

Nec mea tunc longa ſpatietur imagine pompa,
Nec tuba ſit faſi vana querela mei.

Deltius. *Tuba nunquã adhibita in funeribus inopum.*

Vnde colligo tubam in inopum iuſtis nunquam adhibitam; tibiam omnium funera comitari. Lege Delrium in Hercul. fur. chor. 3. fol. 182.

Capvt III.

Epitaphium, Nænia, Epicedium.

EPitaphium eſt inſcriptio, quæ ſepulchris inciditur in laudem mortuorum; quaſi ἐπὶ τῷ ταφῷ, id eſt, *in ſepulchro.* Tale illud eſt apud Virg. in Daphnide, 164.

Epitaphium quid? — Virgil.

Et tumulum facite, & tumulo ſuperaddite carmen
Daphnis ego in ſyluis, hinc vſque ad ſidera notus
Formoſi pecoris cuſtos, formoſior ipſe.

Nænia, quid?

Nænia ἀπὸ τοῦ νεάτου, id eſt, *vltimo*, carmen erat ad rogum decantari ſolitum, cuius mihi exemplum videtur illud apud Virgil. 4. Æneid. quod Dido cecinit, vbi primùm conſcendit furibunda rogos,

Virgil. *Didonis Reginæ nænia.*

Dulces exuuiæ, dum fata, Deúſque ſinebant,
Accipite hanc animam, méque his exoluite curis.
Vixi, & quem dederat curſum fortuna, peregi.
Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.
Vrbem præclaram ſtatui; mea mœnia vidi.
Vltra virum, pœnas inimico à fratre recepi.
Felix, heu nimium felix, ſi littora tantùm
Nunquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ;
Dixit, & os impreſſa toro, moriemur inultæ?
Sed moriamur, ait. Sic ſic iuuat ire ſub vmbras.
Hauriat hunc oculis ignem, crudelis ab alto
Dardanus, & noſtræ ſecum ferat omnia cædis.

Epicedium carmen erat, quod in exequiis decantabatur, &, vt ſcribit Ammonius, laudem de mortui continet cum commiſeratione. Exemplo ſit apud Virgilium carmen illud, quo mater extinctum Euryalium lamentatur. 165.

Epicedium, quid? — Virgil. — *Euryali epicedium.*

Hunc ego te Euryale aſpicio, tunc ille ſenectæ
Sera meæ requies; potuiſti linquere ſolam
Crudelis; nec te ſub tanta pericula miſſum
Affari extremum miſeræ data copia matri?
Heu terra ignota canibus, data præda Latinis
Alitibúſque iaces; nec te tua funera mater
Produxi, preſſi've oculos, aut vulnera laui
Veſte tegens, tibi quam noctes feſtina, diéſque
Vrgebam, & tela curas ſolabar aniles
Quò ſequar? aut quæ nunc artus, auulſaque membra,
Et funus lacerum tellus habet; hoc mihi de te
Nate refers; hoc ſum terráque maríque ſecuta?

Pallãtis epicedium.

Item illud libr. 11. quo Æneas Pallantis immaturum interitum deplorat:

Digitized by Google

Te,ne,inquit,miſerande puer,cùm læta veniret
Inuidit Fortuna mihi,ne regna videres
Noſtra,nec ad ſedes victor veherêre paternas?

Rurſus illud eodem libro, quo Euander demortuum filium excepit,

Non hæc ô Palla dederas promiſſa parenti,
Cautius vt ſæuo velles te credere Marti;
Haud ignarus eram,quantū noua gloria in armis,
Et prædulce decus primo in certamine poſſet.

Tandem illud in 10. quo Mezentius filium ſuum Lauſum dolet interemptum,

Lauſi epicedium.

Tanta ne me tenuit viuendi nate voluntas,
Vt pro me hoſtili paterer ſuccedere dextræ
Quem genui?tua ne hæc genitor per vulnera ſeruor
Morte tua viuens,&c.

CAPVT IV.

Amoris vis, & potentia, ex Virgilio 1. Æneid.

Nate meæ vires,mea magna potentia ſolus.

196. HAud inficiabor ſub turpicula aliquando ſpecie ſacra multa ſanctáque apud prioris illius æui mortales obtegi,quæ qui retexerit, ad inſtar magni alicuius Pontificis mihi ſemper obſeruabitur. Ergo age,& bono Deo auſpice, ad laſciuientem illum Veneris puerum, cautè tamen, pergamus. Quem potentiſſimum & inuictiſſimum ſub tenello illo corpuſculo appellitare haud verentur priſci illi heroës. Audi Virgilium in Cyri.

Cauta Auctoris modeſtia.

Virgil.

Seu malus ille puer quem nec ſua flectere mater
Iratum potuit,quem nec pater,ac auus idem
Iuppiter,ille etiam Pœnos domitare leones,
Et validas docuit vires manſueſcere tigris.

Alciat.

Amor de ipſis etiam Dijs triumphauit.

Videndus Alciatus Emblem.6.vbi ſcitè Cupidinis potentiam notat.Nec verò in miſeros ſolùm homunciones, & indomitas feras, verùm etiam in Deorum maieſtatem auſus eſt deſæuire.Vnde multos Deorum ab eo victos celebrauit antiquitas. illud de Arcadio Deo , quem paſtores Pana dicunt,non poſſum,quin attingam,quem à Cupidine victum in certamine nemo neſcit, de eorum lucta illud Epigramma tantùm appingo Strozij poëtæ,

Strozius.

Pan,& Amor quondam luctâ certare volentes,
Deponunt calamos ille,vel ille ſacros.
Hic onus alarum,villoſa Nebridos ille:
Proiicit hic arcus,proiicit ille pedum.
Tum liquido exutos artus profundit oliuo
Cecropiaque modum ſeruat vterque Pales.
Conſeruare manus totis conatibus ambo,
Robore Pan fidens,dexteritate puer.
Aſpera pugna fuit,primiſque aſſultibus anceps:
Nunc Pana aiebant vincere,nunc Puerum
Ac demum elato prenſauit cornua ſaltu,
Panaque,qui vincit omnia,vincit Amor.

167. Quæ omnia in caſtum , & cæleſtem amorem inflectere haud erit operoſum, quibus adde Amoris elogium,*Triumphat de Deo Amor.* Quod Bernardus calamo planè aureo ſcripſit in ſermone 64.in Cant.ad finem Amor verò , vel in ipſos defunctos mortales poteſtatem habet, & ius ſeruat ſuum. laudo Mantuanum in 6. vbi Dido Regina in Æneam totum inducitur, nihilominus memor, & beneuola in Sichæum , etiam defunctum , qui quidem mutuo Reginam ſuam amore vel etiam apud inferos proſequitur,

Bernard.

Amoris vis, & potentia vel etiam in defunctos.

---Coniux vbi priſtinus illi
Reſpondet curis,æquátque Sichæus amorem.

CAPVT V.

Virgilius in 1.Æneidos explicatus.

MEmini paulo humanioribus non dicam imbuto,ſed vel leuiter inſperſo,illud ex Æn.1. tantum à Sole & luce abeſt,vt Sole & luce non ſit illuſtrius. 168.

Virgil.

Non obtuſa adeò geſtamus pectora Pœni,
Nec tā aduerſus equos Tyria Sol iungit ab vrbe.

Quòd tamen ad Lyram Perſij mihi ſonet,non diſplicet Satyrographum inducere ſatyrâ 1. vbi ita,

Perſ.

—Si quid tamen aptius erit
Laudari metuā;neque enim mihi cornea fibra eſt.

Quem locum Franciſcus Syluius Politiani in epiſtolis feliciſſimus interpres interpretatur , & dilucidat,epiſt.vltima lib.1. *Quaſi*, inquit, *ego ſim brutus , ruſticiſque & amuſus , & cornutus.* Ex ſententia verò aliorum Perſij interpretum , pro duro pectore,& quod cum Virgil.concinit,obtuſo, intellectum vult. Ex vero etiam etymo pro dura corporis cute idem explanat Syluius , quod mirè arridet , & cum noſtro Virgilio facit. *fibrum* enim Latini pro eo quod eſſet extremum , dixerunt: vnde cornea fibra pro dura cute venuſtè exponi poteſt.Iam verò qui dura ſunt cute, nullus amicus Philoſophiæ,niſi ſtolidos dicet,& obtuſo ſenſu, & (quod aiunt) elephanti corio tectos , quod de ſe Carthaginenſes haud facilè patiebantur,vnde

Syluius.

Durus cute eſt ſtolidus.

Carthaginenſes.

Non obtuſa adeò geſtamus pectora Pœni,&c.

CAPVT VI.

Horatius illuſtratus in poëtarum gratiam lib.4.od.2.

HOratij illud decantiſſimum odarum lib. 4. od.2.obiter notarim.Ita ille, 169.

Horat.

---ego apis Matinæ
More,modóque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus,vuidique
Tiburis ripas,operoſa paruus
Carmina fingo

Vbi Lyricus poſtquam Pindarum honorificè admodum cygno ſimilem fecit , ſe ipſum apiculæ , poëſimque ſuam melleficio comparauit. Quod mihi non humile ſolùm opificium, & carminis abiectum genus inſinuat , ſed multò etiam probabilius feſtiuitatem, morem, & naturam poëtarum. Facit illud ex Platone in Ione. Nobis enim poëtæ dicunt ſe à fontibus , quibus mel ſcaturit, haurientes, & à Muſarum viridariis , collibúſque decerpentes ad nos carmina transferre : quemadmodum apes mel ex floribus, & inſtar apum volare ſe aſſerunt. Hæc Plato. Quæ an ſemper Lyrici verſiculis concinnant, eſto iudex. Boni autem poëtæ per hortos Gratiarum

Pindari carmina ſuauiſſima.

Plato.

Poëta apes.

Digitized by Google

rum vagantes, & ex his dulciſſimum quodque carpentes, ea concinunt carmina, vt illis ne me quidem ipſum mellitius videri poſſit. Pulchrè Lucretius,

Lucret. *Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant,*
Omnia nos item depaſcimur aurea dicta.

170. *In poëtis prævalet natura potius, quàm ars.* Sed cur poëtæ apibus comparantur, iure optimo rogas? paucis ſatisfacio. Primò, quia apes naturam, non artem ſequuntur: ſic poëtæ natura, non arte valent, de qua re alibi. Secundò, quia apes niſi irritentur, innocuæ ſunt, irritatæ verò infigunt aculeos. Idem poëtis ingenium vbi non læduntur, nulla hominum natio innocentior, laceſſiti ita vlciſcuntur, vt vel ad mortem adigant. *Poëtarum ſtimulus.* Muretus. Nam præter id quod de Archilo legimus, & nos alibi diximus, teſtatur Muretus libro 8. variarum cap. 1. fuiſſe ætate poëtam, qui tam ſeueris verſibus inimicum præſtrinxit, vt præ dolore interierit. Poëtæ ipſi fatentur & iactant, quorum illa ſunt,

Caue, caue namque in malos aſperrimus
Parata tollo cornua.

Item,

Ne quiſquam noceat cupido mihi pacis: at ille,
Qui me commorit, melius tangere clamo
Flebit, & inſignis tota cantabitur vrbe.

Capvt VII.

Læuum Virgilij omen, & aliorum captatur.

171. *Læuum omē, quod* Plutar. INcidi nuper in Plutarchi problema, in quo illud vocat in dubium, quod multos Virgilij interpretes malè torquet, vbi poëta de auguriis meminit, & læua appellat, ita enim ad primam Eclogam,

Virgil. *Sæpe malum hoc nobis ſi mens non læua fuiſſet,*
De cælo tactas memini prædicere quercus.

& Georgicorum lib. 4.

---Si quem numina læua ſinunt.

& Æneid. 2.

Intonuit læuum.

Quæ omnia viri docti ita interpretantur, vt felicia & proſpera auguria ſint. In reddenda tamen huius ænigmatis ratione mirè diſſentiunt. Scio Plin. ego Plinium id referre ad mundi partem; ex Etruſcorum enim diſciplina partem eam, quæ ad ortum reſpicit, dextram dicit, quæ ad occaſum, ſiniſtram. Auſpicia igitur læua ideò proſpera, quòd ad ortum, hoc eſt, læuam mundi partem pertineat; Beroal. non verò ad occaſum. Ita fermè doctiſſimus Beroaldus, Varro. & M. Varro; Ita Ennium interpretabere illo Ennius. verſu,

Contonuit læuum bene tempeſtate ſerena.

Ita Statio lucem afferes Theb. 3.

Stat. *Signa feres, læuúſque tones.*

172. *Siniſtra nobis ſunt ſuperis dextra.* Sententiæ autem tantorum hominum non repugnabo; ſed adhuc inueſtigandum altiùs. Scio præterea ea quæ nobis ſiniſtra ſunt, ſuperis eſſe dextra, cùm ex aduerſo reſpondeant: idque multos eſſe in cauſa dixerint, quare ſiniſtra ap- Plutarch. pellemus proſpera, & ſecunda. Cæterùm adhuc hæreo. Ad Plutarchum redeo. A ſinendo enim ſiniſtrum interpretatur: id videlicet ſiniſtrum eſſe augurium, quo quaſi hortamur alios, vt nos ſinant rem peragere, vel potiùs, quo cœlum nos ſinit feliciter operari. Ineſt neſcio quid feſtiuitatis huic cenſui, quamobrem fortaſſe Feſto Pompeio comprobatur. Festus. Ego tamen adhuc moror in meo Plutarcho. *Vide*, inquit, *ne cùm ſiniſtra partes natura infirmiores ſint, auguriis ac ſignis quaſi corroborentur, atque his mirè ſuppletis viribus adæquentur.* Arguta ſanè hæc, & omnibus reliquis, meo iudicio, plauſibilior ſententia, quæ vel ipſa nouitate ſibi ſtudioſum animum conciliat. Itaque læua, & ſiniſtra auguria ideò felicia, quoniam ſiniſtras hominum partes debiles ex ſe, & imbecillas fauſto ſuo, & felici attactu ſolidas reddat, & valentes.

Non me latet Hemiſtichium illud,

Numina læua ſinunt,

de Vejoue, hoc eſt, numine pernicioſo commodè poſſe interpretari, *Vejouis numen pernicioſum.* cùm huius ſimulachrum Romæ fuerit ſagittis manu geſtans, cuius mortalibus cladem minitetur; quamobrem ne nocumento eſſet, à mortalibus ſæpe rogabatur: quod hîc fortè Virgilius.

Capvt VIII.

Voti reus, & voti damnatus quis.

VIde Alexandrum ab Alex. Genialium dierum libro 3. cap. 22. ibique Andr. Tiraquell. 173. *Voti reus, quis. Voti damnatus quis?* Alexand. ab Alex. Tiraq. Virgil. vbi hæc Virgil. carmina exponuntur. Ex lib. Æneid. 5.

Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum
Conſtituam ante aras voti reus.

& ex Eclog. 5.

---tibi ſic vota quotannis
Agricolæ facient: damnabis tu quoque votis.

Vbi voti reus is dicitur, qui emiſſo ſuſceptóque voto ſe Diis obligauerat. Voti damnatus ille qui voti compos factus eſt, rémque, pro qua votum emiſerat, conſecutus, atque adeò obnoxius manet, tenetúrque ad ſolutionem. Nam ita hominum vulgus Deo vouere ſolet, vt ſub conditione quaſi cum ipſo contrahat, ſubeátque leges pacti, vt ſcilicet non alia ratione ſe voti damnatum, & reum velit, quàm ſi votis petita obtinuerit. Sed hac re plenus eſt Erythræus, verbo *damnatis.*

Capvt IX.

Terentius explicatus.

ÆQuè omnes, ac ſuos vngues illa Terentij 174. nouerunt in Andriæ prologo, ſed prius corrodent integros quàm verum ſapiant. *Nam*, inquit, *in prologis ſcribundis operam abutitur, non qui argumentum narret.* Turnebius ſapit: Turneb. *Ego*, inquit, *abuti operam interpretor eſſe operam impendere, & conſumere.* *Abuti operā quid?* Hoc ſenſu, in prologis poëta operam non ponit, nec conſumit in argumenti narratione, ſed in calumniæ, & maledictorum depulſione: qui autem valet, id eſt, non ope- Plaut. ram ponit, vt argumentum narret, ſed, &c.

Sic Plaut. Aſinaria. *Vbi ſunt quæ dedi?*
C. Abuſa, id id, ea conſumpſi.
Turneb. aduerſ. lib. 1.
Cap. 8.

Digitized by Google

CAPVT X.

Quid Porcus Troianus, *quid* proteruiam facere, *qui* pileati fratres *apud Catullum.*

175. *Porcus Troianus.* Macrob. *Pontificalis cœna.*

POrcus Troianus, qui ſit diſco apud Macrobiũ Saturnal.lib.3.c.13. vbi pontificalis cœnæ luxum notat. *Vbi*, inquit, *iam luxuria tunc accuſaretur, quando tot rebus farta fuit cœna Pontificum: ipſa verò edulium genera quam dictu turpia? Nam Cincius in ſuaſione legis Fanniæ obiicit ſeculo ſuo, quòd porcum Troianum menſis inferat: quem illi ſic vocabant, quaſi aliis incluſis animalibus grauidum, vt ille Troianus equus grauidus armatis fuit.* Hæc Macrobius, aliaque de luxu pontificalis cœnæ.

Proteruiam facere quid? Macrob. *Catonis iocus.*

Lepidiſſimus ille Catonis iocus, referente Macrobio Saturn.lib.2.c.11. *Sacrificium*, inquit, *apud veteres fuit quod vocabatur proteruia: in eo mos erat vt ſi quid ex epulis reliquum eſſet, igne conſumeretur: hinc Catonis iocus eſt. namque Albinum quendam, qui ſua bona comediſſet, & nouiſſimè domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidiſſet, proteruiam feciſſe dicebat, quod comediſſe non potuerit id combuſſiſſe.*

Catul. *Pileati fratres.* Beroald.

Catullianus verſus Epigrammat. 38 *A pileatis nona fratribus pila*, parum diligenter explicatur, ſed à Beroaldo optimè dilucidatus eſt in commentariis in Suetonium in vita Iulij Cæſaris capite 10. Nonam igitur pilam à pileatis fratribus intelligit ſalacem illam tabernam, de qua loquitur, quæ erat in foro nona ordine à templo Caſtoris, & Pollucis, quos pileatos fratres appellat, quòd eſſent Lacones, his pileatis pugnare moris fuit.

SATVRNALIORVM decas IX.

Scipionis ſomnium diuinatur,

CAPVT I.

Somnij oraculum.

176. SEx libros de Republica à Cicerone in lucem editos temporum iniquitas coniecit in tenebras. Cùm enim Italia ab hoſtibus paſſim incenderetur, neceſſe erat, vt antiquæ bibliothecæ, veteres archiui, peruetuſta tabularia, pariter cum illa omnia deflagrarent. Aliqua ſuperſunt analecta, ex quibus princeps illud eſt, quod vulgò ſomnium Scipionis nuncupatur. Librorum ratio (quæ Ciceroni familiaris eſt, & ex fontibus hauſta Academicis profluxit) tota dialogis continetur. Diſputatio igitur in perſonam Scipionis. Lelij, & Manlij confertur, eorum dictis aucupes, & venatores adſunt ingenui, benéque morati adoleſcentes, Tubero, Rutilius, Scæuola, & Fannius. Inter eos Scipio, vt inquit Tullius, quaſi præſagiret mortem ſibi paucis pòſt diebus affuturam, luculentiſſimè diſſeruit de immortalitate animorum, id, quod in quiete peruiſum ex Africano audiſſe memorabat.

Tull

Liraitio.

Cæterùm, vt faciliùs intelligas quòd de Scipione hîc ſermo habeatur; ita accipe. Scipionum familia primariam inter Romanos habuit dignitatem. Autor illi extitit Cornelius quidam, qui, teſte Macrobio 1. ſaturnal. 6. cùm parentem cæcum pro Scipione, hoc eſt, baculo ſuſtentaret, Scipionis nomen ſibi inuenit, ac ſuis poſteris delegauit. Natus ex hoc Scipio, qui ab Africa ſubacta, Africani nomine celebratur: ſed quia aliquando, vt cecinit Horatius,

Macrob. *Scipionis nomen, vnde?*

—*imbellem feroces*
Progenerant aquilæ columbam;

Horat.

Africanus filium genuit Scipionem, tum corporis, tum mentis viribus à parente maximè degenerem, qua de re conſule Valerium libro 3. cap. 5. Quod ſi verum eſt, quod ait Tull. in Bruto, nunc Scipionem diſertum, & eruditum extitiſſe; certè ea te videri debuit prudentiſſimus, quòd Scipionem Æmilianum Pauli Æmilij filium adoptauit, cuius virtutibus effectum eſt, vt Scipionum familia paulatim degenerare cœpta in auitam dignitatem inſtauraretur; hic enim adoleſcens Numantiam euertit. Conſul Carthaginem deleuit: Tribunus militum Africam obiuit vniuerſam, vnde Africani nomen, non ſolùm habuit hæreditarium, ſed etiam propriorum factorum amplitudine comparatum. Hunc M. Tullius inducit, cùm de aliis rebus, tum de ſuo ſomnio colloquentem.

Scipio filius degenerauit à Scipione Africano. Valer. Tull.

Scipionis Æmiliani facta.

CAPVT II.

Ad quartam legionem Tribunus militum.

DE legionibus Romanorum conſule Vegetium libro 2. de re militari cap. 2. A. Gellium libro 16. noctium Atticarum, cap. 4. De tribunis militum lege Feneſtellam cap. 16. & Pomponium Lætum cap. 19. Vtrumque de magiſtratibus Romanorum. Tribuni igitur quatuor fuêre quadripartitum imperium habentes. Vnde Scipio vnus è quatuor, quartæ dicitur legioni præfuiſſe. 177.

Legiones Romanorum. Agell. Pomp. Feneſt. *Tribuni Romani.*

Maſiniſſam.

De Maſiniſſa multa Liuius decade 3. libro 8. illud encomium apud Ciceronem in Catone celebre eſt, *Maſiniſſa*, inquit, *nonaginta annos natus cùm ingreſſus iter pedibus ſit, in equum omnino non aſcendit: cum equo ex equo non deſcendit: nullo imbre, nullo frigore adduci poteſt, vt capite operto ſit: ſumma in eo eſt corporis ſiccitas: itaque exequitur omnia Regis officia, & munera.* Idcirco non immeritò dicitur à Silio,

Maſiniſſa encomia. Liuius. Tull.

Feruidus ingenij Maſiniſſa, & feruidus æui.

Quo carmine oſtendit Turnebus Maſiniſſam ſimplo ſigma priori loco, non Maſiniſſam, duplo ſcilicet efferendum. Quod etiam probat Ouidij

---*ſuperata Maſiniſſa Syphacem.*

Silius. *Maſiniſſa Regis laus.* Turneb. Ouid.

Familiæ noſtræ amiciſſimus.

Huius amicitiæ cauſæ variæ traduntur à Liuio citato: ob quas inter Africanum, & Maſiniſſam ius hoſpitij conſtitutum erat, vt ex Tull. in Cat. palàm eſt: hoſpitij verò ius tale eſt, vt ſi alter duorum fœdere coëuntium, in alterius regione peregrinetur, nonniſi apud illum diuerſetur. Hu- 178.

Hoſpitij ius, quale? Plaut. Teſſera hoſpitij quid?

ius autem iuris nota, ſiue ſymbolum erat quædam teſſera, quam frangere dicebatur, qui hoſpitij leges violaret. Plaut. in Ciſtellaria. *Hic*, inquit, *apud nos iam fidei confregiſti teſſeram.* Conſtabat autem teſſera binis tabellis certis quibuſdam commiſſuris inter ſeſe coëuntibus; quarum ſingulæ apud ſingulos ſocios ſeruabantur: vt ſi quando in poſterũ minores natu ſociorum aliquem in locum conuenirent, inſpectis teſſeræ partibus, an inter ſe rectè cohærerent, mutua ſe hoſpitij neceſſitudine complecterentur. Vnde apud Plaut. in Pænulo, duo hoſpites ita ſe mutuò examinant, *Teſſeram* (inquit vnus) *ſi vis conferre hoſpitalem, eccam attuli.* Cui alius, *Age dum huc oſtende; eſt par probè: O mi hoſpes: ſalue multum.*

Plaut. Vide infrà dec. 10. c. 4. n. 114.

Grates tibi ago ſumme Sol.

179\. Crediderim hoc loco ſummum ſolem vſurpare pro ſummo Ioue. Cùm enim ex doctrina etiam Stoicorum, vt egregiè Macrobius, vnum tantùm Numen ab antiquis coleretur, illud diuerſis nominibus, nunc Solem, nunc Liberum, nunc Iouem appellabant. Iouis autem fieri mentionem à Maſiniſſa oportebat; quippe qui hoſpitij iuri præeſſe credebatur: vnde Iouem hoſpitalem antiquitas nuncupabat. Illúmque Dido 1. Æneidos tanquam hoſpitij præſidem implorat.

Sol pro Ioue. Macrob. Iupiter præſes hoſpitij. Virg.

Iuppiter hoſpitibus nam te dare iura loquuntur;

Arctior quàm ſolebat.

180\. Scipio ſomni parcus fuit; talis eſſe debet bonus Imperator. Ideo Virgilius Æneam facit vigilantem in 1. Æneid.

Imperator bonus, vigilans. Virgil. Æneas dux vigil. Epaminondas Thebanus fuit vigilãtiſſimus. Plutar. Alexand. ab Alexand.

At pius Æneas per noctem plurima voluens.

Epaminondas dux Thebanus quando milites iacebant ſomno, vt aiũt, preſſi Endimionis, ſolus vigil vrbem circumibat. Rogatus cur id faceret: reſpondit, *vt dormire cæteris liceret*; autor eſt Plutarc. Idem Epaminondas cùm militem, qui erat in excubiis, ſomno ſopitum inueniret, gladio transfixit, aſſerens *dormientem inueniſſe, dormientem reliquiſſe.* Refert Alexand. ab Alex. libro 1. cap. 12. Perſarum conſuetudo laudatiſſima illa fuit, vt qui regio cubili præerat cùm primùm ſe dies cœlo redderet, regem his vocibus compellaret, *Rex vigila, ac negotia cura.* Notum illud eſt ex Homero, quod prouerbij loco celebratur,

Homer.

Non decet principem ſolidam dormire noctem.

Quare ſicut dies gerendis prœliis, ita nox capiendis conſiliis aptiſſima eſt: vnde Græcè *εὐφρόνη* dicitur, à verbo *εὐφρονεῖν*, id eſt, *bene ſapere.* Ex quo prouerbium illud natum eſt, *Nox dabit conſilium.* Eôdem alluſit Tullius 2. de Oratore, *Nox te Antoni expoliuit, hominémque reddidit.*

Tull.

Capvt III.

Fit enim ferè, vt cogitationes, &c.

181\. Ea plerumque ſomniamus; quibus dediti ſumus, vel, quibus vigiles occupamur. Quod Lucretius lib. 4. graphicè depinxit.

Somnia vnde oriantur? Lucret.

Et cui quiſque fere ſtudio deuinctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati;
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens,
In ſomnis eadem plerumque videmur obire.
Cauſidici cauſas agere, & componere leges,
Endoperatores pugnare, & prælia obire:

Nautæ contractum cum ventis ponere bellum.

Hinc eſt, quod refert Tiraq. tract. de pœnis temperandis, aut remittendis fœminam fuiſſe, quæ dormiens è lecto ſurgeret, panémque faceret, quia vigilans ea munera exercebat. Item Piſis vixiſſe hominem, qui nocte dormiens ſe armaret, & per vrbem cantando vagaretur, quia illis rebus vigilans nauabat operam. Tertium Pariſiis commoratum, qui dormiens exiret domo, & ad flumen Sequanam puerum interimeret; neque dum expergefactus reciperet ſe in lectum; fortaſſe, quia vigilans ludum gladiatorium frequentabat. Quod planè in rebus ferè omnibus euenit: de ſuo ſtudio diurno fatetur Claudianus in præfat. libro 3. Proſerp.

Tiraq. Vide Auctorem ſupra lib. 4. prob. 16. Claud.

Omnia quæ ſenſu voluuntur vota diurno,
Pectore ſopito reddit amica quies.
Venator defeſſa toro cùm membra reponit,
Mens tamen ad ſyluas, & ſua luſtra redit.
Iudicibus lites, aurigæ ſomnia currus,
Vanaque nocturnis meta cauetur equis.
Furto gaudet amans, permutat nauita merces,
Et vigil elapſas quærit auarus opes;
Blandaque largitur fruſtrà ſitientibus ægris
Irriguus gelido pocula fonte ſopor.
Me quoque muſarum ſtudium ſub nocte ſilenti
Artibus aſſuetis ſollicitare ſolet.

Ex imagine eius.

Veteres quò erant nobiliores, eò diligentiùs ſuorum maiorum imagines conſeruabant. Vnde familia ſine imaginibus, erat humilis, & obſcura: contra verò multarum imaginum familia erat clara, & illuſtris. Imagines fumoſæ antiquioris dignitatis indices erant. Vnde eſt illud Ciceronis in Piſonem, *Obrepſiſti*, inquit, *ad honores, errore hominum, & commendatione fumoſarum imaginũ, quarum ſimile habes nihil præter colorem*, vbi Tull. teſte Budéo in Pand. fumoſas imagines appellauit antiquiſſimi generis ſtemmata, vt legere omnino debeas apud Iuuen. 182.

Homo multarum imaginum. Tullius.

Fumoſos equitum cum Dictatore magiſtros.

Iuuen. Bud. Turneb.

Budæo ſubſcribit Turneb. lib. 21. cap. 15. qui & dat cauſam coloris. *Nã*, inquit, *cùm in atrio foris eſſent, idcirco vetuſtate fumoſa reddebantur.* Subitæ imagines apud Plinium iuniorem nouam, ac recens natam, ſignificant dignitatem. Fiebant huiuſmodi imagines non ſolùm ex auro, æréve, ſed etiam teſte Plinio 35. naturalis hiſtoriæ 2. ex cera, quod adeò verum eſt, vt non magis vera Apollinis oracula; imò eas poëtæ vulgo appellant ceras, vt ſtatim Iuuenalis, & iam Ouidius,

Plin. Imagines ſubitæ.

Nec te decipiant veteris plena atria ceræ.

Iuuen. Ouid.

Imagines etiam in clypeis, quibus veteres militauerant, depingi ſolitas, ſi credis Plinio lib. 35. cap. 33. Id in cauſa fortaſſis cur tanti olim fuerint clypei. Plurima huius coloris relinquo Lipſio 1. Elect. c. 29. & Budæo in Pand. ad l. priorem, de origine iuris. Imagines autem in primis domorum atriis locabantur, vt prius maiores ſuos, quàm ſe ipſum quiſque venientibus oſtentaret. Hinc Ouidianum illud explicatur,

Plin. Lipſ. Bud.

Perlege diſpoſitas generoſa per atria ceras.

Ouid.

Illud item Iuuenalis ſatyra 8.

Iuuen.

Tota licèt veteres exornent vndique ceræ
Atria nobilitas ſola eſt, atque vnica virtus.

Ibidem ait has imagines ſine virtutum monumentis nihil profuturas.

Stemmata quid faciunt? quid prodeſt Pontice lõgo
Sanguine cenſeri? pictóſq; oſtendere vultus

Maio

Digitized by Google

Maiorum,& ſtantes in curribus Æmilianos
Si coram Lepidis malè viuitur.

Seneca. Laudo in poëtæ ſententiam Senecam. *Non facit*
nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus,animus
Nazianz. *eſt qui facit nobilē*.Addo Nazianz.*Nobilitatis au-*
ctorem poſteris eſſe preſtat,quàm à maioribus acce-
ptam labefactare, quemadmodum bonum eſſe ſatius
eſt,quàm à bonis originem traxiſſe.Et alibi; *Melius*
bonum eſſe,quàm crearier bonus. Sed hac de re lege
Tullius. Ciceronis orationem in Salluſtium,vbi oſtendit
virtutem propriis factis comparatam acceptæ à
maioribus præferendam. Vnum illud non omit-
tam ex eodem Cicerone pro Archia ſub finem.
An,inquit,*cum ſtatuas,& imagines non animorum*
ſimulachra,ſed corporum ſtudioſè multi ſummi ho-
mines reliquerunt,conſiliorum relinquere, ac virtu-
tum noſtrarum effigiem nonne multò malle debemus
ſummis ingeniis expreſſam & politam?

Oſtendebat etiam Carthaginem.

183. Romanis cum Carthaginenſibus acre fuit
Carthago bellum, ac diuturnum: meritò vt diceret Cato,
Roma æmu- *Carthaginem inſtar cotis fuiſſe, in qua Romanorum*
la *virtus ſubigi & acui videretur*.Hinc eſt illud Tul-
Tull. lianum pro lege Manilia, cùm de Scipione lo-
Vide ſuprà queretur,*Non dico*,inquit,*duas vrbes potētiſſimas,*
lib.5.n.79. *quæ huic imperio maximè minabantur,Carthaginē,*
atq; Numantiam ab eodem Scipione eſſe deletas.Il-
lud item pro Murena,*Africanus*, inquit,*duos ter-*
rores huius imperij, Carthaginem, Numantiámque
Carthaginē- *deleuit*. Hoc verò odium Carthaginenſium iam
ſium in Ro- inde à Didonis temporibus mihi videtur deriua-
manos odiū. tum in Romanos,quæ iam iam moritura ſuis po-
ſteris illud vnum ſtudium delegauit Æneæ po-
ſteritatem euertendi.

Virg. *Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus vltor,*
Qui face Dardanios,ferróque ſequare colonos
Nunc,olim,quocunque dabunt ſe tempore vires,

CAPVT IV.

De excelſo,& pleno ſtellarum.

184. CIrculum lacteum intelligit, interprete Ma-
Circulus la- crobio lib.1.cap.5.qui adeò manifeſtus eſt,
cteus, & cur vt indice non indigeat, quo monſtretur. Vnde
lacteus. Manilius,
Manil. *Non quærendus erit,viſus incurrit in ipſos*
Sponte ſua,ſéque ipſe docet,cogitque notari.
Huius circuli duplex cauſa traditur, poëtica, &
philoſophica.Poëtica rurſus quadruplex. Prima,
quia illac ſolarem currum Phaëton egerat, &
præcipitarat.Manilius,

----*Manet illa fides per ſecula priſca*
Illac Solis equos diuerſis curribus iſſe,
Atque aliam triuiſſe viam,longúmque per æuum
Exuſtas ſedes,incoctaque ſidera flammis
Cæruleam verſo ſpeciem mutaſſe colore.

Secunda; quia Iuno expreſſo vberibus lacte tin-
xerat eum locum, qui propterea lacteus dicitur
à Latinis,& à Græcis Galaxia, à verbo Gala, id
eſt,lacte. Vnde Manilius famam eſſe ait vulga-
tiſſimam,

----*Lactis fluxiſſe liquorem*
Pectore Reginæ diuûm,cælúmque liquore
Infeciſſe ſuo:quapropter lacteus orbis
Dicitur,& nomen cauſa deſcendit ab ipſa.

Tertia,quia in illa cœli parte illuſtrium virorum

Mendoça Viridarium.

domus ſita eſſe credebatur. Manilius,
Huc migrant ex orbe, ſuúmque habitātia cælum
Æthereos viuunt annos,mundóque fruuntur.
Atque hic Aiacides,hîc & veneramur Atrides.
Quarta,quia animi ab inferis redeuntes illac ſibi
aditum in cœlum moliuntur.Ouid.1.Met.
Eſt via ſublimis,cælo manifeſta ſereno, Ouid.
Lactea nomen habet,candore notabilis ipſo:
Hac iter eſt ſuperis ad magni regna Tonantis.
Philoſophica verò cauſa illa eſt, quam mihi vi- Tull.
detur Tullius indicare,ſcilicet in eo loco confer-
tiſſimas ſtellas reperiri:quas cùm cernere diſtin-
ctas non poſſimus,propter interuallum, promiſ-
cuè,& confusè candicantes intuemur.

Conſiliis nepotis mei.

Tiberium Gracchum intelligit Scipionis Afri- 185.
cani ex Cornelia filia nepotem,qui vnà cum fra- Tib.Gracc.
tre germano Gaio Graccho legem Agrariam
promulgandam curauit, vt ita plebis in ſe ſtudia
transferret:cui cùm Patres omnes ſe obieciſſent,
atrociſſimæ ſeditionum procellæ in Republ. te-
nuerunt. Vnde Gracchi turbulentiſſimi, ac ſedi-
tioſiſſimi credebantur: vt meritò dicat Iuuenalis
ſatyr.2.
Quis cælum terris non miſceat, & mare cælo, Iuuen.
Si fur diſpliceat Verri? Ac homicida Miloni?
Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?
Quibus carminibus oſtendit nihil eſſe indignius,
quàm aliena vitia reprehendi ab eo,qui ex vitiis
totus concretus,& conflatus ſit; nempe ſi Grac-
chi ſtudioſiſſimi ſeditionum autores ad ſeditio-
nes comprimendas multa hortarentur.

Septenos octies Solis anfractus.

Id eſt, cùm tua ætas ſextum & quinquageſi- 186.
mum annum attigerit, quàm viuendi periodum *Numerus*
ſatis plenam eſſe oſtendit ex numero annorum *ſeptenarius.*
ſeptenario octies repetito:numerus enim ſepte-
narius,& octonarius pleni, id eſt, ampli crede- Macrob. &
bantur.qua de re nimis multa Macrobius in hūc Alciat.
locum: nonnulla Alciatus lib.11. Parergon cap.
11. Numerum igitur ſeptenarium pro ingenti
vſurpari colliges ex Marone 1.Æneid.
----*O térque,quatérque beati.* Virg.
Id eſt, ô ſæpiſſimè beati.Item ex Tibullo lib.3.
Elegiarum,
O mihi felicem térque,quatérque diem. Tibul.
O diem mihi multis nominibus fortunatum!Ea *Conuiuæ ſo-*
cauſa eſt, quare ad conuiuia ſeptem tantùm ab *lum ſeptem,*
antiquis admittebantur conuiuæ, quia is nume- *& cur.*
rus plenus,ac iuſtus credebatur. Vnde prouer-
bium illud eſt,*Septem conuiuium,nouem cōuitium.*
Numerum verò octonarium ſumi aliquando *Numerus*
pro ingenti ex Martiali deprehendes,ita ſcribenti *octonarius*
quemdam in Clytum. *quid ſigni-*
ficet.
Vt poſcas Clyte munus,exigáſque, Martial.
Vno naſceris octies in anno.
Quod vt intelligas, noueris quondam veteres
natalem diem celebrare ſolitos,in quo ab amicis
munera exigebant, illíque donare tenebantur:
hic igitur Clytus,vt ſæpe munera repeteret,
ſæpe natalem ſuum celebrabat.Vnde
octies in Martiali,eſt idem,
quod ſæpiſſimè.

* * *

Capvt V.

Inſidiarum à meis.

187. *Inſidia propinquorum.* INſidiæ,quæ à propinquis intenduntur, magis perterrere ſolent,quàm , quæ ab hoſtibus parantur:ab his enim facilè te expedies. illas numquam euitabis. Hinc eſt vetus illud Epigtamma ex poëta Græco,

Non is tam lædit,liquidè qui dixerit,odi;
Quàm qui ſynceram ſingit amicitiam.
Vitabis certè quem noueris eſſe nocentem;
Aſt illum numquam,qui tibi dicit,amo.
Peſſimus hic certè eſt inimicus , quiſquis amicus
Creditur , & tacita ſubdolus arte nocet.

Cæterûm inſidiæ Scipioni paratæ ſunt , vel à Sempronia vxore,quæ propinato veneno dicitur illum è medio ſuſtuliſſe;vel à Cornelia Gracchorum matre , quæ filiorum mortem ne inultam abire pateretur ; eam Scipionis morte curauit compenſandam. *Timor in morte dedecet virum.* Rectè verò dictum eſt Scipionem mortis metu minimè perturbatum. hoc enim virum decet,vt egregiè Lucanus,

Lucan. ----*Mors vltima pœna eſt,*
Nec metuenda viris.

Ouid. Niſi fortè mortis genus fuerit inhoneſtum ; de quo Ouidius 1.Triſt.

Nec mortem timeo,genus eſt miſerabile lethi.
Demite naufragium, mors mihi dulcis erit.

Capvt VI.

Ex corporum vinculis tanquam è carcere.

188. *Corporis miſeria.* HVmani corporis miſeriam vt veteres exprimerent , appellabant vinculum, carcerem, ſepulchrum,inferos. Trismeg. Vinculum appellat Triſmegiſtus in Aſclepio ; *Philoſophus* , inquit , *corpus exuat , tanquam inſcientia indumentum , interitus vinculum.* Virg. Carcerem appellat Virgilius in 6.Homerum imitatus.

Hinc metuunt,cupiunt,dolent , gaudéntque , nec auras
Reſpiciunt clauſæ tenebris & carcere cæco.

Plato. Sepulchrum appellat Plato in Cratilo,& inGorgia : quod vel ipſa nominum vicinitate declarat. nam σῶμα *corpus* ſignificat,σῆμα verò *ſepulchrum.* Quaſi corpus & ſepulchrum non magis natura, quàm voce diſtinguantur. Inferos tandem veteres illi Mythiologi, teſte Macrob. lib. 1. cap.10. *Hoc*,inquit,*Plutonis concaua , hoc inferos vocaverant.*

Nec iniuſſu eius.

189. *Mors proprijs manibus illata ignauia eſt.* Multi veteres Philoſophorum ſibi manus intulerunt,vt ſe vitæ calamitatibus eriperent , Lycurgus,Empedocles,Cleantes , Cato,& alij ; ſed neque piè,neque fortiter egerunt. Non fortiter, D.Auguſt. quia hoc facto , vt bene D. Auguſtinus lib. 1.de ciuitate Dei cap. 23. non demonſtratur honeſtas turpia præcauens,ſed infirmitas aduerſa non ſuſtinens. *Vide Authorem ſuprà lib.4.problem 9.* Vnde egregiè Mart.in 1.

Martialis. *Nolo virum facilis redimit qui ſanguine vitam,*
Hunc volo laudari,qui ſine morte poteſt.

Et alibi,

Rebus in aduerſis facile eſt contemnere vitam.
Fortiter ille facit,qui miſer eſſe poteſt.

Rurſus lib.2.

Hoſtes cùm fugeret ſe Fannius iſte peremit,
Dic mihi:non furor eſt, ne moriare,mori?

Non piè,quia , vt bene Thebani dicere ſolebant, qui ſeipſum interemit,ſui,& naturæ carnifex eſt. Vnde Athenienſes illius manum, qui ſeipſum interficeret , abſcindebant , & vt ſceleſtam . atque impiam relinquebant inhumatam , vt auctor eſt Alexánder ab Alexandro lib.5.cap.vltimo. Alex. ab Alex. Quare Virgilius in 6.illorum ſortem,qui ſeipſos interfecerint,& apud ſuperos excrucientur, lamentatur.

Virg. *Proxima deinde tenent mœſti loca, qui ſibi lethū*
Inſontes peperere manu,lucémque peroſi
Proiecere animas,quam vellent æthere in alto
Nunc in pauperiem,& duros perferre labores.

Veſtra verò,quæ dicitur vita,mors eſt.

Hic locus potius eſt illuſtrandus , quàm explicādus. 190. *Miſeria humana vita.* Igitur humana vita tot miſeriis premitur(quas videre poteris apud Pliniū in Procem. lib.7.& apud Auſoniū in Ecloga de vita humana) Plin. Auſon. vt potius mors , quàm vita appellāda videatur. Hinc illa Thracum conſuetudo ab omnibus ferè dilaudatur,qui natos fletibus,mortuos cantibus proſequebantur, quòd illi in vitæ miſerias ſe inducerent , hi ſe è vitæ calamitatib. expedirent. Non minus laude digna eſt illa Græcorum ſententia,*Optimū eſt nō naſci,aut certe,quam ocyſsimè mori*;ad id mihi videtur alluſiſſe Plautus in Plaut. Bacchidibus,*Vixiſſe nimio ſatius eſt,quam viuere.* Phalaris. Opportune Phalaris,*Singuli*,inquit , *naſcimur in miſerias,& cùm vita fungimur,tū demū miſeri eſſe deſinimus.* Laudatur ille in iure ciuili, qui teſtamentum ita condidit , velle ſe vt ſua bona in die natalis ſui his illis perſonis deſcriberentur. Extremum vitæ diem natalem appellauit. Iam verò humanæ vitæ breuitas eleganter à Plinio deſcribitur 7.naturalis hiſt. 5.vbi addit,naturam nihil hominibus breuitate vitæ melius præſtitiſſe , & lib.25.cap.5. Optimus , inquit,portus eſt mori. Plin. *De vitæ breuitate eleganter Auctor operis n tom.3. Reg.* Cæſar apud Salluſtium in Catilina,Mors,inquit, ærumnarum requies,& non cruciatus. Cæſar. Salluſt.

Hegeſias. Hegeſias de calamitatibus vitæ tam multa diſputauit , vt multos ad mortem ſibi inferendam coëgerit; ideóque à Rege Ptolomæo prohibitus fuerit,ne de his pergeret diſputare. Quid autem Seneca. Seneca?Sic ille epiſt.ad Paulin. de breuitate vitæ,*Præſens tempus breuiſſimum eſt,ante deſinit eſſe, quàm venit*,&c. Ipſe Philoſophus de Tranquill. animæ c.15. multa affert ad probandas huiuſce vitæ miſerias , docétq; Democritum potius imitandum,quàm Heraclitum. Democ. Heracl. *Vita lonis.* hic enim quoties in publicum proceſſerat , flebat , ille ridebat ; huic omnia quæ agimus miſeriæ , illi ineptiæ videbantur. Hæc ferè Seneca,& concludit,*Humanius eſt deridere vitam,quàm deplorare de humano genere melius meretur,qui ridet illud, quàm qui luget. Ille ſpei bonæ aliquid relinquit,hic ſtultè deflet , quæ corrigi poſſe deſperat*,&c.*Omnis hæc vita ſcena,& iocus eſt*,vt dixit poëta Græcus , & prouerbium Latinum,*Vita mimus.* *Vita hominis mimus.*

Digitized by Google

Capvt VII.

Erant autem eæ ſtellæ.

191. Dvo in ſtellis Scipio admiratur, nouitatem, magnitudinem. Nouitatem, quia tunc primùm illas viderat, quæ ad Auſtralem cardinem recedunt. Quod vt intelligas, vnum exploratum habeas neceſſe eſt; cœlum duobus verticibus includi, Septentrionali, & Auſtrali, quos polos vocant; illiſque prorſus immotis mirabili celeritate circumuolui. Deinde Septentrionalem verticem nobis ſublimem apparere; Auſtralem verò nobis ſubditum occultari. Vnde rectè Mantuanus 1. Georgicôn, cùm de Septentrione, ac de Auſtro loqueretur,

Cœlum duobus incluſum verticibus.

> *Hic vertex nobis ſemper ſublimis: at illum*
> *Sub pedibus Styx atra videt, Manéſq; profundi.*

Hinc fit primò, vt ſtellæ Septentrioni vicinæ nobis nunquam occidant. Vnde Virgilius vbi ſuprà,

Virg.

> *Arctos Oceani metuentes æquore tingi.*

Lucan. Lucanus lib. 8.

> *Axis inoccidnus gemma clariſſimus Arcto.*

Ouid. Ouidius in Elegiis,

> *Magna, minorq; feræ, quarũ regit altera Graias,*
> *Altera Sidonias, vtraque ſicca, rates.*

Stellarum magnitudo.

Fit ſecundò, vt ſtellæ Auſtro vicinæ nobis nunquam oriantur. Quare cùm illas è ſublimi loco Scipio intueretur, meritò aſtrorum nouitatem admiratur. Magnitudo verò mirabilis viſa eſt. Nam cùm eminus intuenti non maiores, quàm exiguæ lucernæ videantur; tamen intuenti cominus videntur, quod res eſt, multis partibus terra ampliores.

Hac de re vide ſuprà lib. 5.

Terra ita parua viſa eſt.

192. Hunc locũ nemo melius, quàm Plinius commentatur ſecundo naturalis hiſtoriæ cap. 68. Vbi poſtquam habitabilem terræ portionem anguſtiſſimam eſſe confirmauit, admirabundus exclamat, *Hæc eſt materia gloriæ noſtræ, hæc ſedes. Hic honores gerimus, hic exercemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuatur humanum genus, hic inſtauramus bella, mutuiſque cædibus laxiorem facimus terram.*

Plin.

Telluris anguſtia.

Cui ſubiecti ſunt, &c.

Deſcribit errantium aſtrorum orbes, qui ab occaſu in ortum rapiuntur: diuerſaſque tradit naturas ſingulorum; quod etiam Lucanus lib. 10. oſtendit,

Aſtra errantia.

Lucan.

> *——Sideribus diuerſa potentia prima*
> *Mundi lege data eſt. Sol tempora diuidit anni.*
> *Luna ſuis vicibus Thetyn, terrenaque miſcet.*
> *Frigida Saturno glacies, & Zona niualis*
> *Ceſſit: habet ventos, incertaque fulmina Mauors.*
> *Sub Ioue temperies, & nunquam turbidus Aër.*
> *At fœcunda Venus cunctarum ſemina rerum*
> *Poſſidet: immenſæ Sillenius arbiter vndæ eſt.*

Ab his ſeptenis aſtris ſepteni hebdomadũ dies nominantur: non tamen eodem ordi ne dies, atque aſtra continentur. qua de re vide Politianum in Miſcellaneis cap. 8.

Dies ſeptem hebdomadæ, vnde orti.

Sol obtinet, &c.

193. Tria ſunt præcipua, in quibus Solem reliquis aſtris anteponit: Locus, Splendor, Magnitudo. Locus medius eſt, non ſolùm inter reliqua aſtra, ſed etiam inter omnia corpora à Deo condita, quæ ad quindecim numerantur: cœleſtes orbes vndecim, vt tradit vulgaris & communis opinio, elementa quatuor. Inter omnia octauus, ac medius locus à Sole obtinetur: vt inde tanquam dux, & imperator quoquò verſum æquabilem virtutem fundat, & propaget. Splendor tam eſt eximius, teſte Plinio 2. naturalis 6. vt cœli triſtitiam diſcutiat, tenebras auferat, humani nubila animi ſerenet, ſuum lumen cæteris quoque ſyderibus fœneret; imò rebus omnibus miniſtret: & ſicut vno ex fonte oppidani omnes aquam hauriunt, nunquam exhauriunt: ita Sol (inquit egregiè Plutarchus) cùm res omnes luce repleat, ipſe luce nunquam expletur. Iam verò Solis magnitudo tanta eſt, vt centies, ſexagies, ſexies terram ſuperet. Ex quibus tanta huius aſtri dignitas exiſtit, tanta pulchritudo effloreſcit; vt dicat non immeritò Plutarchus, duo eſſe æterni numinis ſimulacra, non vanis adumbrata coloribus, ſed viuis expreſſa pigmentis, in terris Regem, in cœlo Solem. Pulchriùs proſequitur D. Ambroſ. lib. 4. hexaëm. cap. 1. quem prætermitto.

Solis encomia.

Mendiça Viridarium.

Plin.

Plut.

Solis magnitudo.

Plutar.

Ambroſ. Vide ſup. lib. 4. & 5.

Luna radiis Solis, &c.

194. *Luna, inquit Plinius 2. naturalis 9. nouiſſimum ſydus, terriſque familiariſſimum, & in tenebrarum remedium a natura repertum, multiformi ambage torſit ingenia contemplantium, & proximum ignorari maximè ſidus indignantium, creſcens ſemper, aut ſeneſcens: & modò curuata in cornua, modò æqua portione diuiſa, modò ſinuata in orbem, maculoſa, eadémque ſubito prænitens, immenſa orbe pleno ac repente nulla: aliàs pernox, aliàs ſera, & parte diei Solis lucem adiuuans. Iam verò humilis, & excelſa: & ne id quidem vno modo: ſed aliàs admota cœlo, aliàs contigua montibus; nunc in Aquilonem elata, nunc in Auſtros deiecta.* Hæc Plinius. Venuſta ſunt, quæ afferunt PP. Baſil. & Ambroſ. in libris Hexaëm.

Lunæ encomia.

Plin.

Vide lib. 4. vbi latè de Luna ad finem.

Capvt VIII.

Quis eſt, qui complet aures, &c.

195. Mvſica triplex eſt, vocalis, inſtrumentaria, metaphorica. ſingulas ſinguli autores cœlo tribuerunt. Primam Plato: ſecundam Pythagoras: tertiam Ariſtoteles. Igitur Plato in ſua Republica affirmat ſingulis orbibus cœleſtibus ſingulas Cyrenes præſidere, quæ ſuauiſſimos vocum concentus effundunt, quibus Deorum aures mulceantur. Pythagoras dicebat cœleſtia corpora dum ſe inuicem magna vi deſticant, & collidunt, conditiſſimos cantus excitare: ita nimirum, vt quò quis orbis celeriori curſu fertur, eò ſonitum edat acutiorem: vnde fieri neceſſe eſt, vt orbis lunaris, qui infimus eſt & tardiſſimus (ſi de motu diurno ſermo ſit) tenuiſſimum excitet concentum: adeò vt eius non tam ſonus, quàm ſilentium à Virgilio 2. Æneid. Seruio interprete, celebretur,

Muſica triplex acceptio.

Plato.

Cœlorum concentus.

Pythag.

Seruius.

Virg.

> *----Tacita per amica ſilentia Lunæ.*

Politian.

Quamuis Politianus in Miſcellaneis cap. 100. alio ſpectaſſe poëtam rectiùs confirmat. Seruio autem ſuffragatur Tertullianus de pallio cap. 1.

Tertul.

Digitized by Google

Luna, inquit, *modulationibus menſtruis variat*, &c.
Luna ſonus. Senſus eſt, Luna certa menſura, quaſi numero-
rum ratione, & dulci chordarum concentu mẽ-
ſem efficit. Quod nos Luſitani dicimus, *ao com-*
Ariſtot. *paſſo*. Tandem Ariſtoteles, conſequenteſque Phi-
loſophi cœleſtibus ſphæris muſicam ineſſe cre-
dunt metaphoricam, quæ in rerum ordine, con-
ſenſu, proportionéque conſiſtit: qualis in con-
Reipub. ordo eſt cœli concentus. cordi Republica reperitur, de qua Tullius 2. de
Rep. *Vt in fidibus*, inquit, *ex diſſimillimarum vo-*
cum moderatione concors, & congruẽs efficitur cõcẽ-
tus, ita in Rep. ex ſũmis, mediis, infimiſq; ordinibus
aptiſſima harmonia exiſtit. Iam verò quãta in cœ-
leſti mundo conſenſio, æquabilitáſque ſeruetur,
Tullius. teſtatur Marc. Tullius 2. de natura Deorum, vbi
ait, *in cœlo nec fortunam, nec temeritatem ineſſe, ſed*
ordinem, & conſtantiam dominari; adeò, vt admo-
Plato. neat Plato in Tymæo ad cœleſtium orbium ſta-
bilitatem hominum mores conformandos.

Eadem vis duorum Mercurij & Veneris.

196. Quamuis cœleſtis harmonia ex octo ſphæra-
rum motibus eliciatur; tamen quia illarum duæ,
Mercurius & Venus, ſimilem prorſus concen-
tum edunt; ideo ex ſeptenis tantùm vocibus, di-
citur coaleſcere. Quod veteres in cithara ſunt
imitati; in qua licet octo fides annecterent, ex-
tremæ tamen in concinendo adeò concordes
erant, vt vnus tantùm vtriuſque ſonus videre-
tur. Quò Virgilius alluſit 6. Æneid. de Orpheo
locutus,
Virg. *Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.*
Septem autem efficit *diſcrimina vocum*, quia,
Turneb. l. 28. c. 46. Turnebo interprete, ſeptem tantùm fidibus Or-
pheus vtebatur, vt ſeptem planetarum concen-
tum imitarentur; quamuis alij quatuor tantùm
neruos in cithara annecterent, vt anni quadri-
partitam varietatem indicarent; alij autem no-
Horat. uem, vt nouem Muſarum chorum perhiberent;
alij decem, vt totidem diuinæ legis dogmata in
decachordo inſtrumento complecterentur. Cæ-
terùm ſeptem fidium teſtudo ſuauior erat, & ſo-
Pindar. nantior, quæ à Pindaro dicitur ἑπτάφωνος, id eſt,
ſeptem vocum, de eadem Lyra cecinit Venoſina
3. carm. 11.

Túque teſtudo reſonare ſeptem
Callida nervis.

Et quidem Amphion egregius aulœdus hac
cithara vtebatur; vnde Thebana mœnia, quæ ab
illo condita dicuntur, ſeptem portis conſtabant,
Phil. auctore Philoſtrato, quia totidem in eius lyra
chordæ intentæ erant, quarum ille concentu ſa-
xa natiuis è ſedibus conuulſit, & in Thebanam
ſtructuram exportauit.

Catadupa nominantur.

197. Catadupa ſunt loca illa, in quibus Nilus an-
guſtè means, & prææltis rupibus vndique inter-
ſeptus magno cum ſtrepitu aquarum ſe præcipi-
tat, ita vt non tam fluere, quàm ruere videatur.
Plin. Vnde Plinius 5. naturalis 9. *Nilus*, inquit, *ſubinde*
inſulis impactus, totidem incitatus irritamentis, po-
ſtremò incluſus montibus, nec alibi torrentior, victus
aquis properãtibus, nouiſſimo cataracte inter occur-
ſantes ſcopulos, non fluere immẽſo fragore creditur,
ſed ruere. Dicuntur autem Catadupa à verbo
Græco, κατὰδουπέω, id eſt, *cum ſonitu cado*. Alij vo-
cant cataractas, à verbo καταῤῥάττω, id eſt, *frango,*
collido, erumpo. Quamuis etiam cataractæ in vrbi-
bus ſignificent cãcellatas portarum fores ad ho-
ſtilem impetum excludendum pendulas: item in
fluminib. ſignificent quoſdam portarum vectes,
qui ad aquam coërcendam, & effundendam nũc
demittuntur, nunc attolluntur. De Nili catara-
ctis hæc Lucanus lib. 10. Lucan.

---- Quis te tam lene fluentem
Moturum totas violenti gurgitis iras
Nile putet? Sed cùm lapſus abrupta viarum Nili cataracte.
Excepêre tuos, & præcipites cataractæ,
Ac nuſquam vetitis vllas obſiſtere cautes
Indignaris aquis: ſpuma tunc aſtra laceſſis,
Cuncta tremunt vndis, ac multo murmure montis.
Spumeus inuictis caneſcit fluctibus amnis.

Raris, & anguſtis locis, &c.

Significat ſolas duas zonas, quæ mediam clau- 198.
dunt, extremiſque clauduntur, habitari, imò eaſ- Zonæ habitabiles.
dem zonas ſignificat magna ex parte eſſe infre-
quentes, & hominum hoſpitio vacantes. Quà
enim interfuſo Oceano obruuntur, quà fluuiis
ſtagnantibus inũdant, quà præ altis rupibus hor-
reſcunt, quà profundis ſpecubus dehiſcunt, quà Vide de hac re ſup. librum 5. prob. 13.
incultis arenariis ſterileſcunt, quà belluarum lu-
ſtris efferantur, quà in cæduis dumetis ſylueſcẽ-
tes in omnes partes nimiæ funduntur. Ita fieri
neceſſe eſt, vt nimia terrarum portio hominum
laboribus exculta domiciliiſque habitata fre-
quentetur, quod Plinius 2. naturalis c. 68. ſuprà Plin.
iam citatus ingenioſè obſeruauit.

CAPVT IX.

Obliquos, Tranſuerſos, Aduerſos.

QVa ſubtilitate Aſtrologiam hactenus tra- 199.
ctauit, eadem deinceps Geographiam cõ-
mẽtatur. Terræ incolas diuidit trifariam, in obli- Telluris incolarum diuiſio.
quos, tranſuerſos, aduerſos. Græci vocant
περιοίκους, ἀντοίκους, ἀντίποδες. Obliqui, ſeu Periœ-
ci, ſunt illi, qui habitant in eâdem zona, ſed in di-
uerſis hemiſphæriis. hi quidem eadem temporũ
viciſſitudine vtuntur: vtriſque enim ſub idem
tempus hyemat, vernat, æſtuat, autumnat. Du-
plex tamen eſt diſcrimen: primum, quòd die no-
ctéque alternis perfruantur: ſecundum, quòd
ea cœli pars, quæ alteris ortus eſt, ea alteris ſit
occaſus. Tranſuerſi, ſeu Antœci ſunt illi, qui in
eodem habitant hemiſphærio; ſed in diuerſis zo-
nis, videlicet temperatis: his quidem diuerſo
tempore ver eſt, & autumnus: diuerſo item
æſtas, & hyems; ſcilicet cum his vernat, illis au-
tumnat; cùm his æſtuat, illis hyemat: vtriſque
tamen ſub idem tempus meridies, & media nox
conſurgit. Aduerſi, ſeu Antipodes (quos etiam Antipodes, qui.
Antictones vocant) ſunt illi, qui aduerſa nobis
vrgent veſtigia: & hi quidem vel ſunt in diuer- Pompon.
ſis hemiſphæriis, & in diuerſis zonis, ſi de qua-
tuor extremis loquamur: vel etiam in diuerſis
hemiſphæriis, & in eadem zona, ſi de media tan-
tùm ſermo ſit. Hos fabuloſos eſſe, & commenti-
tios credidit Lucretius lib. 1. vbi veterum ſenten-
tiam ita refert,

Illi cùm videant Solem, nos ſydera noctis Lucret. ad finem primi lib.
Cernere, & alternis nobiſcum tempora cœli
Diuidere, & noctes pariles agitare, dieſque.
Sed vanus ſtolidis hæc omnia parturit error.

Feſti

Digitized by Google

200. *Lactãtij opinio de Antipodibus.* Feſtiuiùs hanc ſententiam illuſit Lactant.lib. 3.de falſa ſapientia cap.24. *Eſt quiſquam*, inquit, *tam ineptus, qui credat eſſe homines , quorum veſtigia ſint ſuperiora, quàm capita? Aut ibi quæ apud nos iacent vniuerſa pendere? Fruges, & arbores deorſum versùs creſcere? pluuias, & niues, & grandinem ſurſum verſum cadere in terram? Et miratur aliquis hortos penſiles inter ſeptẽ mira narrari, cùm Philoſophi, & agros, & maria, & vrbes, & montes, penſiles faciant?* Hæc Lactantius , ſed perperam.

Lactantius refutatur. *Macrob.* Rectiùs Macrobius lib 2. cap.5. *Noſtri*, inquit, *Antipodes calcabunt aquæ, vt nos humum: & ſemper verticem, ſemper cœlum videbunt: nec metus erit, ne de terra in cœlum decidant; cùm nihil vnquàm poſſit ruere ſurſum. Affirmauerim quoq; & apud illos minus rerum peritos hæc exiſtimare de nobis: nec credere poſſe nos in quo ſimus loco degere: ſed opinari ſi quis ſub pedibus eorum tentaret ſtare , caſurum; nunquam tamen apud nos quiſquam timuit ne caderet in cœlum. ergo nec apud illos quiſquam in ſuperiora caſurus eſt.*

Redimitam , & circundatam cingulis.

201. *Zonæ cæleſtes, ac terreſtres.* Zonæ , quæ etiam dicuntur faſciæ , cingula, plagæ, & maculæ, in cœleſti, ac terreſtri orbe deſignantur: cœleſtes primariæ ſunt, quarum ſingulis ſingulæ terreſtres ſubiiciuntur. De cœleſtibus loquitur Virgilius 1.Georgicôn. *Virg.*

Quinq; tenent cœlum zonæ, quarum vna coruſco
Semper ſole rubens, & torrida ſemper ab igne:
Quam circum extremæ dextra, læuaq; trahuntur
Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atris.
Has inter, mediámque duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ Diuûm: & via ſecta per ambas
Obliquus quà ſe ſignorum verteret ordo.

De terreſtribus, quæ cœleſtibus ſubditæ ſunt, loquitur Ouidius 1.Met.

Ouid.

Vtque duæ dextra cœlum, totidémque ſiniſtra
Parte ſecant zonæ, quinta eſt ardentior illis:
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura Dei, totidémque plagæ tellure premuntur.
Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu,
Nix tegit alta duas, totidem inter vtramque locauit,
Temperiémque dedit, mixta cum frigore flãma.

Veterum opinio de zonis terreſtribus falſa. *Luſitanorum experientia naualis admiranda.* Itaque credebant veteres è quinque zonis mediam, & extremas incultas eſſe: illam, quia Solis radiis ſubiecta, perpetuo ardore æſtuabat: has; quia à Solis vicinia remotæ diuturno gelu obrigebant. Sed eorum errorem Luſitanorum experientia in omnes partes nauigantium profligauit. Exploratum enim eſt terrarum plagam nullam eſſe tantis æſtibus , frigoribúſve obnoxiam, quæ ab aliquo cultore non frequentetur.

Vertens annus.

202. *Duplex annus.* *Annus magnus, qui.* Annum magnum veteres Aſtrologi duplum diſtinguebant: alterum Solarem, alterum vertentem appellabant. Solaris ille erat, qui Solis curſu abſoluebatur, de quo Virg. 3. Æneid.

Interea magnum Sol circumuoluitur annum.

Dicebatur magnus , vt à Lunari diſtingueretur, qui minori temporis ſpatio concluditur , & annus quoque appellari conſueuit. *Annus vertens.* Annus vertens ille eſt, qui non alicuius aſtri ſingularis periodo conficitur: ſed omnium prorſus curſibus ab vno ad idem punctum redeuntium continetur. Magnus non immeritò dicebatur , quia ſi bene ab Aſtrologis rationes ſubducuntur , intra quindecim annorum millia abſoluitur, vt Macr. lib.2. cap.11.teſtatur. *Macrob.*

Cum Romuli animus.

Referendus locus eſt ad eum Solis defectum, 203.
qui naſcentis vrbis exordiis dicitur contigiſſe. *Vana de Romulo opinio.* nam cùm denſiſſimæ tenebræ orbi effunderentur , & paulo pòſt in priſtinum ſplendorem aër expurgaretur , Romulus ab hominibus ad ſuperos ea in caligine creditus eſt ſeipſum recepiſſe. Fabulam, ita enim libet appellare, narrat Liuius lib.1.decad.1.& Ouid.2.Faſtor.ab eo carmine, *Liuius.* *Ouid.*

Proxima lux vacua eſt; at tertia dicta Quirino.
Qui tenet hoc nomen Romulus antè fuit.

Sunt, qui ita fabellam interpretentur. Romulum in patrum maleuolentiam veniſſe , & ab eiſdem in ſeditione interemptum: quod ne vulgus reſciret , datos rumores ad ſuperos Romulum euolaſſe: quam famam Romani ſcriptores poſteritati prodiderunt, ne Senatus infamiam ad poſteros tranſmittere cogerentur.

CAPVT X.

Suis illecebris ipſa virtus.

DVo ſunt bonorum genera, quæ ab hominibus expetuntur: alterum propter vtilitatem, vt pecunia; alterum propter dignitatem, vt virtus. nam, vt bene Tullius Tuſc. 4. *Virtus per ſe ſua ſponte , ſeparata etiam vtilitate laudabilis eſt.* Quam ſententiam poëtæ quoque confirmatam reliquerunt. Ouidius, 204. *Duplex bonũ.* *Tull.* *Ouidius.* *Virtutis pretium.*

---Sola petenda eſt
Externis virtus incomitata bonis.

Silius lib.13. *Sylius.*

Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces, *Claud.*

Non minus grauiter Claudianus,

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque latè
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus vllis
Erigitur, plausûve petit clareſcere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diuitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus ex alta mortalia deſpicit arce.

Hæc licèt ita ſint, tamen Satyrographus ſatyr.8. non tam dignitatis, quàm vtilitatis gratia ſibi virtutem expetendam eſſe duxit.

Iuuen. *De virtutis pretio vide ſuprà lib.8.*

Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis,
Stratus humi palmes viduas deſideret vlmos
Eſto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer.

Te non eſſe mortalem, &c.

Duo hîc Tullius affirmat; alterum quidem falſum, alterum autem verum. A verò auerſum eſt 205. *Anima immortalis.* in ſolo animo totam hominis cõſiſtere naturam, cùm etiam corporea mole opus ſit , ex qua pariter, & animo tota hominis perfectio abſoluatur; quod Philoſophi ſubtiliùs, & locupletiùs oſtendunt. Vero verius ſi quid eſt, hoc ipſum ait, cùm affirmat hominum animos nũquam eſſe interituros, hoc enim nõ ſolùm veris Philoſophorum aſſertis, ſed etiam certiſſimis fidei dogmatis confirmatur. Qua de re Marcus Tullius in Catone luculentiſſimè diſſerit, grauitérque concludit, *Tullius* *Quòd ſi in hoc error, quòd animos hominum immortales eſſe credam, libenter erro: nec mihi hunc errorem, quo delector dum viuo, extorqueri volo.*

Optimæ curæ de ſalute.

206\. *Virtus negotioſa, quæ.* Macrob.

Sub finem operis Africanus ad negotioſas, & otioſas virtutes, vt Macrobius appellat, nepotem ſuum adhortatur: vt dominando pariter philoſophetur, dominetúrque philoſophando. Prima verò ex negotioſis virtutibus illa eſt, quæ patriæ defendendæ conſeruandæque incumbit. Nam, vt bene Homerus, *optimum auſpiciũ eſt pugnare pro patria.* Lucianus verò ait, nullam ducis orationem plus virium apud milites habituram, quàm illam, quæ admoneat pro patria depugnandum, Tyrtæus verò ille, qui militum animos ad pugnandum verſibus acuebat, teſte Horatio in Arte,

Homer. Lucian. Horat. *Studium patriæ defendendæ.* *Carmina apta ad inflammandos militum animos.* Horat.

Tyrtæúſque mares animos in Martia bella
Verſibus exacuit.

Ille, inquam, eo tantùm carmine vſus fuiſſe dicitur, *glorioſum eſſe pro patria pugnantem inter primos mori*, quò mihi videtur Horatius alluſiſſe 3. carm. 2.

Dulce, & decorum eſt pro patria mori.

Tull.

Accedit Tullius 1. officior. cùm ait, *Chari ſunt liberi, propinqui, familiares: ſed omnes omnium charitates patria vna complexa eſt; pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus?*

Quæ extrà erant contemplans.

207\. *Virtus operoſa quæ.*

Hæc illa eſt virtus otioſa, id eſt, quæ procul à forenſi ſtrepitu, militarique tumultu exercetur: ad quam Africanus nepotem ſuum adhortatur. Nam optimus quiſque Imperator aliqua tinctus eruditione eſſe debet; qualem de ſe Cæſar prædicabat apud Lucanum lib. 10.

Luc.

---- Media inter prælia ſemper
Stellarum, cælique plagis, ſuperiſque vacaui,
Nec meus Eudoxi vincetur faſtibus annus.

Cæſar Aſtronomiæ deditus. Seneca. Ammian. *Iulianus Imperator.* Sueton. *Sapiẽtia immoderata dedecet Regem.*

Non tamen totus ita vacare debet Muſis, vt ſui oblitus muneris imperium peſſumdet. Nam, vt bene Seneca Philoſophus, ſicut omnium rerum, ita quoque literarum intemperãtia laborare poteſt Imperator. Vnde, Ammiano teſte, Iulianus Imperator malè audiuit, Philoſophis nimiũ deditus. Nec Hadrianus extra culpã fuit affectatæ ſupra modum doctrinæ. Agrippina verò, teſte Suetonio, in Nerone cap. 62. filium Neronem à Philoſophia morali arcuit, monens contrariam eſſe imperaturo: ſed experta eſt eius ſine Philoſophia imperantis diritatem.

Qui ſe corporis voluptatibus.

208\. *Præmia, & ſupplicia ſtimulos habent ſeueris.* Vide ſuprà lib. 6. problem. 39.

Propoſitis præmiis, ad bene beatéque viuendum hactenus Scipionem incitarat Africanus: nunc etiam malefactorum ſuppliciis in memoriam reuocatis à peccando deterret. Rectè quidem, nam præmia miram habent illecebram impellendi ad virtutem: contrà verò ſupplicia acres ſubiiciunt ſtimulos à flagitiis retrahẽdi. Ita ſuum hunc libellum de ſomnio Scipionis Marcus Tullius abſoluit, omnibúſque numeris expleuit. Nã in eo neque Oratoris eloquentia, neque Aſtrologi ſolertia, neque Geographi acumen, neque Philoſophi ſubtilitas, neque vllius artificis doctrina deſiderantur: quem proinde velim, vt non dormientes, ſed vigilantes, manibus atteratis, ſtudio voluteris, memoria complectamini, &c.

* * *

SATVRNALIORVM decas X.

CAPVT PRIMVM.

Virgilianus Dædalus, vt eius opera illuſtrantur, commendantúrque.

Redditus his primum terris, tibi, Phœbe, ſacrauit
Remigium alarum, poſuítque immania templa,
In foribus lethum Androgeo, &c.
Æneid. 6.

SVm Dædali in fabula. Vulgaris illa eſt, & nota. Expediuit ſe Dædalus Cretico è labyrintho, vbi incluſus tenebatur: præſidiũ verò fugæ extitit ſingulare ingenij monumentum. Alas fecit, linit cera, aptauit humeris, erexit ſe in illas; librauit totum corpus, tandem liberos ſe dedit in volatus, emenſúſque vndarum tractum prope immenſum in Italia conquieuit. *Redditus his primùm terris.* Sed, cur redditus ille dicitur, qui pedem in Italia antea nunquam fixerat; Athenienſis enim erat, Italus non erat. Soluo nodum, & quidem ſine gladio Pellæo: explico ambagem, certè Dædaleo ſine filo. Duplex ineſſe poteſt in verbis ſenſus. Vnus facilis, obuius, procliuis. *Redditus*, id eſt, datus, allatus, appulſus. At verò quis inſuſurrat; verbum *reddere*, iteratum habet ſignificatum: certè habet, ſed non ſemper, exoluitur aliquãtum ab hac lege. Profero teſtem, imò locupletiſſimum, Iuriſperitum, Latinitatis interpretem non vulgatem, Celſum. Quid ille verò? *Reddendi*, inquit, *verbum, quamquam ſignificatum habet iterum dandi, recipit tamen & primo dandi.* Celſo affero adſtipulatores, Maronem 3. Georg.

209\. *Dædali fabula.* *Cur redditus.* Celſus.

Reddebant dulces animas præſepia tauri.

Hoc eſt, dabant. Ouid. 5. Faſt.

Ouid.

Nullus erat iuſtis reddere iura labor.

Hoc eſt, dare. Tullium ad Tironem, *Muſis operam redde*, hoc eſt, da. Mitto plures. En primus explicatus. *Redditus*, ac *datus* hîc, tantundem eſt. Addo alterum. Redditus hîc proprium & germanum ſignificatum retinet iterum dãdi, ſeu reſtituendi. Seruiana eſt interpretatio; cui pedarium me præſto aſſenſorem. Quî fieri iſtud poteſt, ſi Dædalum nunquam Italia poſſederat, vt illi modò reſtituatur; Regem expedit Mantuanus. Non Italiæ, inquit, redditus, ſed terris. *Redditus his primùm terris.* Scilicet Dædalus ab humana natura degenerauerat in ferinam: non terram incolebat vt homo, aëre vagabatur vt ales; non humano gradiebatur inceſſu, volucri ſe volatu agitabat, terreſtre reliquerat alimentum, cœleſte quæſiuerat elementum; terris exul, cœlo hoſpes. Quid tandem? Volatilem exuit naturam, reducitur ad terreſtrem. Redditus his primùm terris Hoc interpretamentum libentiùs vt amplectar, facit apta illa iugatio verborum, quæ ſibi inuicem reſpondent, & cohærent, credendi ſcilicet, & reddendi. *Præpetibus pennis auſus ſe credere cælo.* Quid reliquum eſſe oportebat, niſi vt à

210\. Tull. Seru.

cœlo

Digitized by Google

cœlo terris redderetur. *Redditus his primùm terris.* nam quod credimus redditum nobis eſſe iure merito optamus. Sic Horatius aptiſſimè ea verba colligauit, 1. car. 3.

Horat.

Nauis quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddat incolumem precor.

211. Alexand. ab Alex. Sic Colanus ille natandi peritiſſimus, de quò multa Alexander, ab Alexand. qui non ſecus quàm marina bellua, maxima pelagi interualla, ad quingenta ſtadia, & vltrà, reluctantibus vndis, reflantibus ventis, vi, robore, natatu peragrabat: ille, inquam, ſæpe dicitur mari creditus, terræ redditus. Ita ergo

---- Dædalus, auſus ſe credere cœlo,
Redditus his primum terris, tibi Phœbe ſacrauit
Remigium alarum.

Cur ſacrauit. Cur Phœbo? Cur Remigium? Cur ſacrauit? Sacrauit, quia illa erat veterum religio; vt nauigatione abſoluta vota ſoluerentur. Virgil. 1. Georg.

Virgil.

Votaque ſeruati reddent in littore nautæ.

Vota, veterū templis affixa. Sacrauit iterum ex more antiquo, ſolemne quippe fuit templis Deorum illa appendere, quæ vel vſui, vel ornamento fuerant. Leges enim arietem Phryxi ſacratum Marti apud Colchos, quo ille per maria vectus fuerat. Leges regiam ſellam Apollini Delphico oblatam à Mida, in qua ipſe ſedens iura dederat. omitto reliquos. Virgilius tamen ſibi facem ferat. Quid paſtor ille ſuus?

Virgil.

Hic arguta ſacra pendebit fiſtula pinu.

Quid item ille emeritus Veianius?

Horat.

----Veianius armis
Herculis ad poſtem fixis latet abditus agris.

Quid denique poëta ipſe?

Nunc arma, defunctúmque bello
Barbiton hic paries habebit.

Remigium verò ſacrauit, quia illud ipſum, quo quis è periculo ſoſpes euadebat, illud ipſum Numinis in gratiam conſecrabat 11. Æneid.

Virg. *Trophæa diis erecta.*

----Tibi magne trophæum
Bellipotens, aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaque trunca viri, clypeúmque ex ære ſiniſtra
Subligat, atque enſem collo ſuſpendit eburnum.

212. *Phœbus ingeniorum patronus.* Phœbo, quia ingeniorum arbiter, & patronus credebatur; vnde choros Muſarum, quæ bonarum artium fuerant inuentrices, ductabat. Meritò, vt cecinerit de Apolline Ouidius,

Ouid.

----Opifexque per orbem
Dicitur.

Dædali ingenium. Cui ergo ingenioſiſſimum inuentum ingenioſiſſimus artifex, niſi ingenioſiſſimo Numini dicaret? *Tibi Phœbe*, &c. Cæterùm de ingenio Dædali nihil hîc ſaltem in tranſcurſu prælibare nefas eſt. Dico vnum verbum, vti plura explicē, quæ ad doctrinam humanitatis non mediocriter conducunt. Dædalus ingenio tantum valuit, vt quidquid arte limatum, perfectum, expolitúmque ſit, Dædalum nuncupetur: terræ ingenium

Lucret. *Telluris ingenium.* Lucretius demiratur, quæ hortos expingit floribus, vinetis circundat colles, ſegetibus fœcundat agros, arboribus inumbrat nemora, pellucidis amnium liquoribus campos irrigat, Bacchatum vbertate incuruat ramos, herbarum viridiſſimo veſtitu montes, valles, ripas iucundiſſimè pictutat. Quo illam appellat nomine? Dædalam,

Virg.

----Tibi Dædala tellus
Submittit flores.

213. Virgilius apum ingenium, ſolertiam, molitiones cùm attentiùs, & otioſiùs contemplatur obſtupeſcit. *Apum ingenium.* Quid faciunt? Primò quodam veluti tectorio alueum illinunt amarioribus ſuccis cōtra aliarum beſtiolarum auiditates; id ſe facturas conſciæ, quod expetatur; deinde ſortitò officia partiuntur; quædam ſtruunt, quædam poliunt, quædam ſuggerunt: textum aluei, & concamerationem ad ſumma tecta perducunt; ſingulos arcus binis limitibus diſtinguunt, vt aliis aditus, aliis exitus concedatur: fauos ſuperiori parte affingunt, penſiles demittunt intra latera ne alueū contingant, nūc obliquos, nunc rotundos: ruentes ceras fulciunt pilarum intergerinis à ſole fornicatis priores verſus inanes faciunt, furantémne inuitant; nouiſſimos conſtipant melle, nonniſi auerſo alueo eximendos: mira inter eas alacritas operandi, notantur inertes, deſides caſtigantur: munditia mira eſt; amoliuntur è medio florum omnia excrementa: totus alueus domus eſt, regia eſt, reſp. eſt, non tumultuantium hominum, & feriantium; ſed eorum, qui arte, qui doctrina, qui ingenio gubernentur. Quid Virgilius, vt hanc artem, hanc ſolertiam, hæc opera tanto exculta ingenio, verbis exprimat? Quid?

Virg.

Et munire fauos, & Dædala fingere tecta.

Lucret. *Lingua ingenium.* Lucretius non ſatis laudat humanæ linguæ agilitatem, facilitatem, volubilitatem; quę in ore ſita, finitur dentibus, quæ molitum, & extenuatum cibum ſuis motibus verſat, aptátque vt deuoretur; quæ vocem immoderatè profuſam fingit, & terminat; quæ ſonos vocis diſtinctos, & preſſos efficit, cùm modò ad dentes pellitur, modò ſurſum flectitur, modò introrſum colligitur: quæ plectri ſimilis miras edit varietates ſonorum, fuſcum, leuem, aſperum, grauem, acutum, flexibilem, durum, canorum. Quid ingenioſiùs fingi poterat? hanc natiuam artem, hanc artificem naturam, meliùs exprimi non poëta iudicauit, quàm ſi Dædalam linguam appellaret,

Mobilis articulat verborum Dædala lingua.

Iam verò eloquenti homine quid artis plenius? 214.
Oratoris ingenium. qui orationem verbis illuminat, ſententiis locupletat, claritudine vocis in vulgus edit, totius corporis conformatione in mentibus inſerit audientium ita, vt illa ipſa quæ extorquet, impetrare eum credas; & cùm tranſuerſum vi ſua iudicem ferat; tamen ille non rapi videatur, ſed ſequi. Quid magis artis eſt? quid magis ingenio præcellit? hos igitur tam ingenioſos verborum artifices, tam ſolertes orationum architectores appellauit M. Tullius, quo nomine? *Logodædalos*, id eſt, ſermonis Dædalos, id eſt, orationis conſtruendæ peritiſſimos opifices. En Dædali ingenium. Sed illud nulla in re clarius eluxit, quàm in fabricando remigio alarum: alas enim, teſte Platone, ita conſtruebat, ita annectebat, non ſolùm hominibus, ſed etiam quibuſcunque ſimulacris, vel æneis, vel argenteis, vt niſi illa retinerentur, niſi vincirentur, niſi colligarentur, eo tanquam remigio alarum ſe attollerent, & in quaslibet partes, peruias, inuias, vicinas, remotas quàm ocyſſime auolarent. Crediderim Dædalum hanc artem ita fabricandi à Vulcano accepiſſe, fabro inter cæteros cautiſſimo. nam pleraque Vulcani opera alata erant, & ſua ſponte mouebantur; vnde cecinit Homerus, tripodas factos à Vulcano, qui ſuopte motu prælia inirent; nunc irruerent in hoſtem, nunc ſe reciperent ad caſtra, hac illac libratis alis vagarentur.

Tullius. *Alarum inuentum.* Plato. *Vulcanus artifex ingenioſus.* Homer.

Ad

Plaut. Ad hunc locum illuſtrandum mihi videtur admodum illuſtris ille in Epidico Plautina. *Mulciber*, inquit Plautus, *Mulciber, credo, arma fecit, quæ habuit Stratippocles; tranſuolarunt ad hoſtes.* Iocatur Plautus quendam in Stratippoclem, qui in prælio arma demiſerat, vt effuſiorem ſe in fugam liberior, & expeditior penetraret. Iocatur, inquam, feſtiuiſſimè. Hæc, inquit, arma Stratippoclis, ita credo, ita iudico, ex Vulcani officina prodierunt. Cur ita? alata ſunt, tranſuolarunt ad hoſtes. Non enim credo, dictum ironicôs, Stratippoclem tam fuiſſe deſidem, & imbellem, vt ſuis exutus armis in fugam ſe proriperet; non in illum culpam confero, in arma confero: vulcania ſunt, alata ſunt, ſua ſponte, non Stratippoclis deſidia, ad hoſtes tranſuolarunt. Hæc de remigio. Pergo.

Poſuitque immania templa.

215. *Poſuit*, hoc eſt, ædificauit. Verbum hoc ſignificatu amplum eſt. Ponere hominum, ponere diuum, eſt, fingere hominis, ſeu diui ſimulacra. Horat.

Horat. 4. carm. 8.

Hic ſaxo, liquidis ille coloribus ſolers
Nunc hominem ponere nunc Deum.

Ponere lucos, eſt, lucos carminibus deſcribere. Perſius ait, ſe vidiſſe nonnullos,

Perſ. ſat. 1. *Ponere, quid ſignificet?*

Nugari ſolitos Græcè, nec ponere lucos.

Artifices, hoc eſt, qui cùm velint carminibus Græcis ludere, tamen imperiti, & inertes ſint etiam ad lucos deſcribendos; quod tamen eſt facillimum. nam de amœnitate nemorum, de ſcaturigine fontium, de opacacitate arborum, de viriditate herbarum, de venuſtate floſculorum, déque aliis huius coloris multa ſe poſſe dicere confidunt etiam, qui prima collocarunt eloquentiæ tyrocinia. Ponere fabulam, eſt, dare fabulam, ſpectandam exhibere in theatris. Iuuenalis,

Iuuen. *Fabula, ſeu mœſto ponatur hianda tragœdo.*

Curt. Cæſ. Tull. Virg. Tandem *ponere*, eſt, ædificare: carinas ponere, apud Curtium, caſtella ponere apud Cæſarem, fundamenta ponere apud Tullium, aras ponere apud Virgilium. Vti meritò hic dicatur,

---*Poſuitque immania templa.*

Hoc eſt, ædificauit,

Immania, hoc eſt, grandia. Sic,

Antrum immane petit.

216. Quid ſi dicam, immania eſſe hic idem, quod propitia, quod ſecunda, quod fauſta, quod clementia? Certè per me ita cuilibet integrum ſit interpretari. Itaut vocabulum immane, & proprio ſignificatu crudelitatis, ſeſe transferat in oppoſitum pietatis. Antiphraſis erit, quæ paſſim occurrit; de Parcis, quia non parcunt; de Luco, quia non lucet; de Manibus inferorum, quia non mani, hoc eſt, quia non boni. nam *manum* & bonum apud veteres idem erat. Nota iſta ſunt, ac decantata. Vnum afferò non ita vulgare. Nauis illa, quæ Iaſonem, & cæteros heroas Græcos ad capiendum vellus aureum feliciter deuexit, citatiſſima fuit: meritò vt illam dicat Varro citiremem, & Catullus,

Immania, quid? — *Nauis Argonautarum.* — Varro. Catull.

Auſi ſunt vada ſalſa cita decurrere puppi.

Et ſtatim cùm eadem de naui loqueretur, non nauigare dixit, ſed volare.

Diua leui fecit volitantem flamine currum.

Currum, id eſt, nauem; iam id expoſui cum primùm carmen huius libri explicarem. *Immiſit habenas*, Itaque nauis illa fuit,

Par leuibus flammis, volucrique ſimillima vento.

Bene eſt. Quo tamen appellatur nomine? Argo Quid eſt Argo? Idem, quod tardum, quod pigrum. Martialis aptiſſimum eſt epigramma ad hanc rem, loquitur de tardiſſimis quibuſdam nautis,

Ceſſaſtis pueri, nihilque moſtis. Martial.

id eſt mouiſtis,

Vecentione, aſináque pigriores,
Iam prono Phaetonte ſudat Æthon,
Exarſitque dies, & hora laſſos
Interiungit equos meridiana,
At vos tam placidas vagi per vndas
Tuta luditis otium carina.

Itaque concludit eleganti verborum luſu, & oris riſu, 217.

Non nautas puto vos, ſed Argonautas.

hoc eſt, non celeres, ſed tardos; non alacres, ſed pigros, non delphinos, ſed teſtudines; non nautas, ſed argonautas. Itaque *Argo*, ſi oratio propria ſit, pigrum ſignificat: ſi figurata, per antiphraſim, citum & velox. Haud ſecus, immane, propriè crudele eſt; figuratè, placidum eſt, mite eſt, exorabile eſt.

Poſuitque immania templa, id eſt, mitia & propitia.

In foribus lethum Androgeo.

Hic locus locupletiſſimus eſt eruditione. Hic potius exordiri vellem, quàm perorare. Princeps templorum ornatus apud veteres in foribus ſitus erat; eas cælaturis, cruſtulis, emblematis, ſpoliiſque ex hoſte partis curioſiùs excolebant. Virg. 3. Georg. *Templorum veterum veſtibula.*

Et viridi in campo templum de marmore ponā, Virg.

&c. addit,

In foribus pugnam ex auro, ſolidóque elephanto
Gangaridum faciam, victoriſque arma Quirini.

Et multa, quæ eleganter proſequitur à ſe in illius delubri foribus exprimenda. In 7. Æneid.

Multaque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captiui pendent currus, curuæque ſecures,
Et criſta capitum & portarum ingētia clauſtra,
Spiculaque clypeique ereptaque roſtra carinis.

In 1. Æneid.

Talis erat Dido, talem ſe læta ferebat
Per medios inſtans operi, regniſque futuris
Tum foribus Diuæ, &c.

Sic enim exiſtimat Seruius hæc carmina colliganda: quaſi velit Dido magnam operam vtbi adhibendam, maiorem tamen in expoliendis Diuæ foribus collocandam, & quamuis locus aliter ab aliis explicetur: qui integrum carmen ita nectunt, & à ſuperiori penitus abſcindunt. 218. Seru.

Tum foribus Diuæ media teſtudine templi,
Septa armis, ſolióque altè ſubnixa reſedit.

Tamen Seruianus ſenſus facilior, ac liberior decurrit: illi enim laborioſè ſe expediunt ab eo nodo, quo pacto fores Diuæ, cùm media teſtudine templi coniungantur, vt Regina & in foribus, & in media teſtudine dicatur conſediſſe. Quare Dido ſtudioſiùs inſtat foribus Diuæ extruendis, dedolandis, poliendis, illuminandis. Hic enim Æneas,

----*Videt Iliacas ex ordine pugnas*
Bellaque iam fama totum vulgata per orbem.

Et reliqua, quæ apud Troianos geſta ſunt, tam viuis expreſſa coloribus, tam expreſſis animatā pigmentis, vt non cælata viderentur, ſed locata. Quorſum tamen in primo templorum aditu tantus labor? Quia ibi Numen ineſſe credebatur. 219. *Veſtibula templorum quorſum olim tam cælata?*

Vnde

Digitized by Google

Vnde Charinus ille in Plautino mercatore, de ſuis rebus deſperans, & in externas plagas abiturus, primos templorum aditus religioſè ſalutauit, *Limen, inquit, ſuperum, inferúmque ſalue, ſimul autem vale.* Ea cauſa eſt, quare Mantuanus in 2. appellauit *Religioſa Deorum limina*; quibus videlicet multum religionis, ſanctitatis multum inhęreret. Quid Troianæ fœminæ? Certè huius ritus, huius diſciplinæ, huius religionis expertes non fuere. Cùm enim intelligerent ſe in communi patriæ ruina ruituras, abripiendas eſſe in exilium in communi direptione totius vrbis. Quid faciunt, inquit Maro? Plaut.

Virg.

----tectis ingentibus errant

Amplexaque tenent poſtes, atque oſcula figunt.

Ad ipſa Deorum limina confugiunt, ipſos poſtes amplectuntur, tenaciter inhæreſcũt; vt prius animi à corporibus ſeparentur, quam corpora à ſacris poſtibus diuellantur. Eãdem poſtium ſanctitatem iiſdem ferè verbis Tibullus explicauit.

Tibul.

Non ego ſi merui dubitem procumbere templis,

Et dare ſacratis oſcula liminibus.

Imò verò tantam ineſſe putat ſactis liminibus religionẽ, vt ſi opus ſit ad illos poſtes excubare, ibidem caput tundere, cerebrum elidere, totum locum cruentare, tanquam victimam cadere exanimem; non dubitet totum id ſibi proponere deuorandum, dummodo illius loci ſanctitas incolumis conſeruetur, & illæſa.

Non ego tellurem dubitem perrepere ſupplex,

Et miſerum ſancto tundere poſte caput.

220\. *Limina templorum veneranda.* Plutarch. Varro.

Hinc illa Romanorum conſuetudo inueterauit, vt nemini liceret primum limen pedibus terere, vel etiam ſummis veſtigiis contingere; tranſiliendum limen erat, ſi quis vellet ad aras penetrare. Huius conſuetudinis Plutarchus, & Varro meminerunt: cauſam illam afferunt ne limen numini ſacratum proterui pedes violarent, ſi calcarent. Ad eundem ritum celebratiſſimi poëtarum alluſerunt. Catullus,

Catul.

Transfer omine cum bono

Limen egregios pedes.

Hoc eſt, tranſili, tranſmigra, tranſducere, vlteriorem partem ſaltu ſupera, ne ſi pedetentim repas, limen violes Lucanus,

Lucan.

Turritaque premens frontem matrona corona

Tranſlata vetuit contingere limina palma.

Hoc eſt, vetuit, in primo limine pedem figere; monuit tranſeundum primum limen ab omni veſtigio illibatum. Ouidius quandam alloquutus, quæ incauto pede limen preſſerat ingreſſura, foras reuocat, iubétque iterum, vt tranſeat, neque limen pedibus contingat.

Ouidius.

Miſſa foras, iterum limen tranſire memento

Cautius, atque altè ſobria ferre pedem.

Plaut.

Tandem Plautino teſtimonio rem conficio in Caſina, ita ille ad quendam ſe in templum receptutum. *Senſim, inquit, ſuperauole limen pedes.* hoc eſt, Tollere vltra limen, ne ſi pede premas, religione opprimaris. &c.

Capvt II.

M. Tullius Cic. de ſenectute explanatur.

221\. Tullius.

NOn enim viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, ſed conſilio, authoritate, & ſententia, quibus non modò non orbari, ſed etiam augeri ſenectus ſolet, &c.

Benigna quadam ſalutarium ſyderum conſpiratione hodierna felicitas mihi auſpicatò euenit dum ſuauiſſimam Ciceronis ſenectutẽ explicatum pergimus, aliam enim longè prudentiorem contemplari datum eſt, necnon oculis, his, inquam, oculis vſurpare, cuius matura grauitas, iucũda benignitas, & amœna felicitas omnes propemodum ingraueſcentis in dies moleſtias ſenectutis valet abſtergere. Egregia quidem ſimilis prudentiæ commendatio, cuius matura vis iuuenilibus etiam neruis longè robuſtior res arduas haud ſegniter aggreditur, efferatos in mutuum cruorem animos edomat, ſpiritus ferociter exultantes emollit, æſtuantium irarum fluctus tranquillat, debacchantes compeſcit, diſſidentes componit. Ita expertus eſt iuuenilis ille tumultus apud Virgilium Æneid. 1. *Senilis prudentię fortitudo.*

Virgil.

Ac veluti populo in magno cùm ſæpe coorta eſt

Seditio, ſæuítque animis ignobile vulgus,

Iamq; faces, & ſaxa volãt, furor arma miniſtrat,

Tũ pietate grauem ac meritis, ſi fortè virũ quem

Conſpexere, ſilent, arrectíſque auribus adſtant,

Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Meritò igitur Tacitus, inquit, *maiora ſummis conſiliis, quàm telis, & manibus geri*; à quo Valerius Flacc. 4. Argon. non aberrat, 222. Tacit.

Flaccus.

Sæpe acri potior prudentia dextra;

non abludit Euripid.

Eurip.

Mens vna ſapiens plurium vincit manus.

Prudentia námque vnicum frænum eſt, quo homines in obedientiæ gyrum compelluntur; ſeruitutis enim impatientes ægerrimè ferũt domari, niſi ab illis, qui prudentia vtuntur. Nam, vt grauiter docuit Seneca, *homine nullum eſt animal moroſius; nullum maiori arte tractandum*; & vt Xenophon, *homines in nullos magis inſurgunt, quàm in eos, quos imperium in ſe affectare præſentiunt*; & ſtatim venuſtè addit, *omnibus animalibus facilius, quàm hominibus imperitabis.* Vnde illud eſt effatum Liuianum; *Excellentibus ingeniis citius defuerit ars, qua ciuem regant, quàm qua hoſtem ſuperent.* Cæterùm præ omnibus omne tulit punctum Nazianzenus inter clariſſimos humanitatis antiſtites decantandus etiam. Sic ille Apol. 1. *Ars quædam artium, & ſcientiarum mihi eſſe videtur hominem regere animal omnium maximè varium, ac multiplex.* Ideo Vlyſſes apud Homerum ſtrenuè iactitabat; *ſi mihi adſiſtas ò prudentia, vel trecentum contra hoſtes concurrere pugna auſim.* Portò meliùs apud Ouidium Metam. lib. 13. Fab. 1. aduerſùs Aiacem gloriabundus inſultabat. Seneca. Xenoph. Liuius. Nazianz. Homer. Ouid.

----tibi dextera bello

Vtilis, ingeniũ eſt, quod eget moderamine noſtro,

Tu vires ſine mente geris, mihi cura futuri eſt.

Tu pugnare potes, pugnandi tempora mecum

Eligit Atrides, tu tantum corpore polles,

Nos animo quantóque ratem, qui tẽperat, anteit

Remigis officium, quantóque eſt dux milite maior,

Tantum ego te ſupero.

O fortitudinem prudentiæ ſingularem! ô inuictum conſilij propugnaculum! Hebeſcunt ſpiritus, frigent animi, fluunt artus, labant pedes, languent brachia, conſternuntur acies, fugiunt milites, deſtituuntur duces omnis virtus profligatur ſine hac virtute, omne robur ſuperatur ſine hoc robore, omnis vis infringitur ſine hac conſilij vi, quam belle Lyricus 3. carm.

Horat.

Vis conſilij expers mole ruit ſua.

Vim temperatam dij quoque prouehunt

In maius.

Tem

223. Iſocr. Temperatam, inquam, prudentiæ miſtura. nam,vt Iſocrates cordatè dixit; *Vis prudentia adiuncta vſui eſt.Non enim viribus*, ait noſter, *aut velocitatibus,aut celeritate corporum res magnæ geruntur,ſed conſilio & authoritate,& ſententia.* Sin minus dicamus nihil gerere qui prouincias maximi ponderis abſque magnis corporum viribus diligenter obeunt.

Feſtiua Naucleri ſimilitudo. Semper mihi arriſit feſtiua illa ſatis de nauis gubernatore ſimilitudo,in quem ſi aduertas,nullum neruorum munus exercere videtur. Nam cùm quidam vela erigant,antennas demittant,rimas obturent,compages obſtruant; alij malos aſcendant,per foros excurrant,ſentinā exhauriant. Ille autē quæ munia exercet?quæ pericula, quos labores ſibi elegit ſubeundos? Vbi inſudat? vbi elaborat?vbi fatigatur?Ille autem clauo aſſidens in puppi,nauim placidiſſimus moderatur.O deliramentum! hos vocas labores, hos ſudores, quando laborant omnes, ille quieſcit, quando negotiantur omnes,ille otiatur. O vim ſine viribus admirandam! ô laborem abſque laboribus operoſum!Deſine mirari mi homo; non facit fateor,ea,quæ iuuenes faciunt,attamen longè præſtantiora munia exercet, ad quæ non requiritur ingens lacertorum robur,ſed maturum cōſilium, grauis authoritas,& prudentia, quæ omnia, vt addit noſter,in ſenibus reperiuntur.

Quibus non orbari modò, ſed etiam augeri ſenectus ſolet.

224. Prudentia ſenum eſt robur. Non vires, nec robur poſtulatur à ſenectute, ſed conſilium & authoritas. Nam quemadmodum infirmitas propria eſt puerorum, & ferocitas iuuenum,& grauitas iam conſtantis ætatis;ſic ſenibus naturalis eſt quædam maturitas,quæ ratione,& conſilio plena ſenibus authoritatem cōciliat,& grauitatem;quibus,vt inquit Salluſtius, (Salluſt.) licèt annis ſit corpus infirmum, ingenium ſapientia eſt validiſſimum,vnde Plutarchus in Lycurgo ex Pindaro, ait, ſenum conſilia eſſe iuuenum haſtas.

Senum authoritas apud veteres. Apud Lacedæmonios tanta pollebant authoritate ſenes,vt ætate grandior, dignior imperio haberetur; vnde ſicut apud eoſdem qui ſupremū magiſtratum gerebant,ſenes erant, ſic etiam nūcupabantur. Iam apud Romanos ſimilis authoritas, & ſummum conſilium idem erant. Ideo placet Solon qui iure vetuit, iuuenem neq; magiſtratum gerere,neque conſulere,etiamſi optima mente conſtitutus videretur;fortè quia non cadit in illam ætatem authoritas, neque vires illæ rationis, mentiſque robur, & dexteritas, quibus non modò orbari, ſed etiam augeri ſenectus ſolet. Hæc ſufficiant de ſenibus,in quibus pluris æſtimatur verborum moderatio, quàm ſermonis garrulitas,vt ait Seneca ad Polybium; de qua tamen taxantur ad poëtam,

Seneca. *O ſola fortes garrulitate ſenes.*

Quòd ſi aliquis per ſummum ſcelus, & audaciam,prudētiam, & rationem ſenibus audeat derogare;vnà cum filiis Sophoclis aduersùs cordatiſſimū ſenem deſcendat in arenam. Nucem fregit Tullius,nos nucleum eruamus,&(Tull.) reguſtemus.

225. Sophocles à filiis accuſatur de dementia. Sophocles tragœdiographus à filiis accuſatur, & ipſis obſecrantibus in iudicium defertur, vt eum iudices non ſolùm vt capularem,& depontanum,verùm etiam vt inſanum,& elleboroſum à re familiari curanda remouerent. Quid conſilij capeſſeret bonus ſenex,tam ſanus,vt nec ex tanta iniuria ad inſaniam adigeretur? Ad cuius patrocinium exiſtimatis cōfugiſſe?Cuius ſuppetias implorâſſe?Cuius præſidiis vſum ad calumniam tā atrocem repellendam? Vnam ad poëticam ſe cōtulit plorabundus, quam nouerat omnium miſeriarum præſidium,& leuamen ſingulare. (Poëtica ſui cultorib. præſidium.) Tragœdiam illam promit,quam nuperrimè inſcripſerat Oedipum Colonæū;quærit an ſanæ mentis opus videatur.Legunt iudices, admirantur grauitatem verborum,maieſtatem ſententiarum, ſuauitatem numerorum,cultum,decorem, venuſtatem, ingenioſum totius operis artificium; negant poëma tam elaboratum,tam lucubratū, tam ad vnguem expolitum,perfici,& abſolui potuiſſe ab homine inſano; aiunt inſanire eos, quibus ille videretur inſanus, & quam in parentem filij machinabantur techinam,eandem ſuo capiti conſuerunt. Videris,vt non inſaniant ſenes,ſed potiùs,qui de illis hoc ferunt iudicium,inſanire iudicentur? Videris vt non ſint elleboroſi ſenes,ſed ſtudioſi;nō deſipientes,ſed prudentes;non iracundi, ſed māſueti;non leues,ſed graues? Itaque in Anticyras maiori iure relegentur, qui delirationis probro bene cordatam ſenectutem dehoneſtare conantur, vt elleboro purgati ab inſaniæ morbo conualeſcant, & ad priſtinam rationem, & conſilium,mentiſque iudicium reuocentur,quibus non modò non orbari, ſed etiam augeri ſenectus ſolet;vt claudam,ne multus ſiam.

CAPVT III.

Fiſtula Ouidiana de Fabiorum morte inflatur, 2.Faſtor.

Hæc fuit illa dies, in qua Veientibus armis
Ter cētū Fabij ter cecidere duo.
Vna domus vires, & onus ſuſceperat vrbis,
Sumunt Gentiles arma profeſſa manus, &c.

BEllum gerebat populus Romanus, illúdque atrociſſimum cum Veientibus, in quo Q. Fabius conſularis vir magno omnium cum doloris ſenſu occubuerat.Iniuriam vlciſci reliqui de gente Fabiorum moliuntur.Senatum adeunt, Patres conſcriptos obſecrant, atque obteſtantur,vt ſibi deferendam cenſeant hanc prouinciā,grauiſſimas à Veientibus pœnas ob patratam Fabij necē expetendi: velle ſe priuatis impenſis, iniuriam ſibi priuatim irrogatam vindicare; interim dum reſp. aliis alibi præliis detinetur: facta à ſenatu cum ingenti gratia,abeundi facultate, ſeni ſupra trecentos de gente Fabia in Veientium exitium,internecionémque conſpirant; 226. (Fabiorum erga patriā amor.)

Egreditur caſtris miles generoſus ab Iſdem,
E queis dux fieri quilibet aptus erat.

Ita omnes mutuæ caritatis vinculis colligati,vt ne validiſſima hoſtium impreſſione diſſiparētur: adeo auitæ dignitatis recordatione inflāmati, vt eo caput inferrent, vbi plus diſcriminis videretur.Sic bellandi gloria inſignes, atque expediti, vt

Digitized by Google

vt ſinguli nō minus ſtrenuiſſimum decem,quàm fortiſſimum militem præſtarent. *Nunquam*,inquit Liuius,*exercitus,neque minor numero, neque clarior fama,& admiratione hominum per vrbē inceſſit.* Itaque in hoſtiles munitiones acriter incurſum ; aliquando æquata planitie collatis ſignis, & aperto Marte, vehementer decertatum. Ingens à Veientibus clades accepta. Sed cùm felix præliādi euentus longius proueheret Fabios, quàm par erat;ecce tibi ab hoſtibus ex inſidiis repentè conſurgentibus, effuſa victoriæ cupiditate Fabiorum manus circumuenitur, magis deinde ac magis Veientium ordinibus in arcto multiplicatis; magis etiam, ac magis ſe in orbem Fabij colligentes breuiore ſpatio cogebantur. Tandem,vt faciam compendium, cæſi ſunt ad vnum omnes Fabij, præſidiúmque vnde in hoſtes excurrebant,omnino profligatum; quod Silius Italicus de Fabiis loquutus in hunc modum decantauit,

Liuius.

Fabiorum cædes.

Silius.

Primoréſque patrum Fabius Tyrinthia proles
Tercentū memorabat auos,quos turbine Martis
Abſtulit atra dies,cùm ſors non æqua labori
Patritio Cremera maculauit ſanguine ripas.

Hæc tamen Ouidius hoc loco elegantiſſimis carminibus decantat;collecta tamen ſtrictim rei ſumma, ad ſingula membratim enodanda accedamus.

Carmentis portæ, &c.

227. *Viua rei deſcriptio commendatur.*

Prima commendatio in Scriptoribus,aut certè in præcipuis numeranda, illa eſt, vt cum locum,in quo facinus aliquod patratum ſit, ita depingant, vt non ſolùm animo ſpectandum, ſed oculis prope intuendum exhibere videantur. Id quod poëtarum princeps Virgilius, cùm hiſtoriam cum agebat,diligentiſſimè ſeruauit;& ne multus ſim,dum exempla per omnia pergo,illud ſatis ſit ex ſecundo.

Virgil.

Eſt in conſpectu Tenedos notiſſima fama
Inſula,diues opū,Priami dum regna manebant
Nunc tantùm ſinus, & ſtatio malè fida carinis.

Ergo Ouidius breui quidem,ſed cōcinnè eam vrbis portam,quà exierant depingit.Illud ego inſuper adiungam,quod grauiſſimi quíque hiſtoriographi prætermittendum eſſe voluerunt:immenſam hominum frequentiam, nobiliſſimum exercitum ad portas vſque proſequutam, fauore & admiratione ſtupentem; ire fortes, ire felices, iterum,atque iterum iubere; pares tantis inceptis exitus precari;Superos deinde obteſtari, vt illud agmen fauſtum,fortunatúmque in hoſtes comitentur,iterúmque in patriam ad parentes clariſſimos milites ſoſpites reducant.Simili prorſus ſtudio Troiani quondam deduxerunt Niſum,& Euryalum,per confertiſſimos hoſtium cuneos viam ſibi ad Æneam munituros.Sic enim Virgilius in 9.cecinit,

Virg.

Protinus armati incedunt,quos omnis euntes
Primorū manus ad portas,iuuenúmq;,ſenúmque,
Proſequitur votis,necnon & pulcher Iulus,&c.

228. *Dies atri apud Romanos qui?*

Sed verò vtrorumque euentus longè affinior fuit inter ſe;ſiquidem vtrique glorioſè pro patria in interitum abiêre voluntarium.Porrò tum ex aliis, tum etiam ex hoc euentu factum eſt,vt dies proximi poſt Calendas,Nonas, & Idus atri, ſyderatíque à Romanis haberentur; vnde tritum eſt prouerbio(ex illis Atticis noctibus aliquādo deducto,)*poſtriduani dies*,hoc eſt,dies, in quibus bellum cum hoſtibus inire non liceret. Namque

Dies poſtriduani,qui?

ad Idus Februarij ad pugnam Fabij prodierunt,vt conſtat ex Ouidio hoc loco de Idibus agente,

Ouid.

Hæc fuit illa dies in qua Veientibus armis
Tercentum Fabij ter cecidêre duo.

Sed iam hæc minutiùs concidantur. *Carmētis Porta*,Carmenta,ſeu Carmentis, mater fuit Euādri,ita dicta à carminibus effundēdis. nam antea Nicoſtrata vocabatur, quæ dicitur prima literarum rudimenta inueniſſe, indéque per manus tradita ad noſtram vſque tempeſtatem effluxiſſe; en præclaram inuentricem literarū,quibus vtuntur Latini,trium & viginti.Eadē verò ea potiſſimum de cauſa diuinos honores promeruit, quia rerum futurarum præſcia credebatur.nam Troianorum in Italiam aduentum multò antea prædixerat. quare in altero Ianiculi vertice templum habuit, vnde ad vrbis portam non procul inde ſitam Carmentalis nomen deriuatum. quæ omnia Virgil.in 8.ita exprimit,

Nicoſtrata prima literarum rudimēta inuenit.

Virg.

Vix ea dicta:dehinc progreſſus,monſtrat & arā,
Et Carmentalem Romano nomine portam:
Quā memorant Nymphæ priſcū Carmētis honorē
Vatis fatidicæ,cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos,& nobile Pallanteum.

Sed verò propter infelicem Fabiorum exitum, ſcelerata porta deinceps nuncupari cœpta eſt; 229.
quemadmodum & ſceleratus vicus dictus ille eſt, in quo Seruij Regis filia, debitæ pietatis immemor, crudelitate pluſquam belluina efferata ſuper truncū,ac deforme Genitoris cadauer carpētum egit. Itémque ſceleratus campus illi,in quo Veſtales Virgines, quæ nuncupatum votum infirmarent, lapidibus ac terra viuæ obruebantur.

Campus ſceleratus, qui?

Carmentis portæ dextra eſt via proxima Iano;

ita verba ipſa recto ordine inſerentur. Via Carmentis portæ proxima eſt dextro Iano, hoc eſt,è Carmentali porta via tendit,ſeu ſternitur, ad cuius dexteram Iani templum ſitum eſt. Animaduertendum tamen hoc loco eſt, quendam ex his ſeptem collibus, quibus Roma conſtructa aſſurgit, vnum quidem eſſe in radice; tamen non in acutum faſtigiari, ſed in duplicem verticem abire;huiuſmodi etiam fuiſſe Parnaſſum Perſius in prologo commemorat,ſeu vt ille alter,

Perſ.

Nec fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo
Memini,&c.

Horat.

Itaque illud culmen, quod ſpectaret ad occaſum,Ianiculum vocari,à Iani templo ibidem cōſtructo;illud verò,quod ad Aquilonem vergeret, dici Vaticanū,ibique auguſtiſſimum Carmentæ
fanū collocatū eſſe. Hinc igitur illius viæ caput 230.
oriebatur,qua Fabij prælium cū Hetruſcis inituri proceſſerunt:ad dexterā Iani templum viſebatur,de quo latiſſimè Ouid.in 1.Faſt.Virg.in 7.

Ouid. Virg.

Sunt geminæ belli portæ,ſic nomine dicunt
Religione ſacræ,& ſæui formidine Martis,
Centum ærei claudunt vectes,æternáque ferri
Robora;nec cuſtos abſiſtit limine Ianus,&c.

Itemque in 1.

---Diræ ferro,& compagibus arctis
Claudentur belli portæ:furor impius intus
Sæua ſedens ſuper arma,& cētum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis fremet horridus ore cruento.
Ire per hanc noli,quiſquis es,omen habet.

Romani non ſolùm eos dies, quibus infeliciter dimicatum eſſet,tanquam atros & infauſtos execrabantur,vt ſuperiùs tetigimus: & colligitur ex Ouid.1.Faſt.illis verſibus,

Ouid.

Omen ab euentu eſt:illis nam Roma diebus
Damna ſub aduerſo triſtia Marte tulit.

Digitized by Google

Verùm etiam ipſis locis, in quibus haud quaquã propitium Martis numen inuenirent, diras imprecabantur, ab iiſdémque tanquam infortunatis ſe remouendos curabant. Vt ex hoc loco deprehenditur, itémque ex illo Virgiliano in 3.

Virgil.

Effugimus ſcopulos Ithacæ Laertia regna,
Et terram altricem ſæui execramur Vlyſſis,

Rurſus ex Lucano,

Lucan.

Et damnata diu Romanis alia faſtis,
Ire per hanc noli, quiſquis es, omen habet.

231. *Omen unde dictum? Augurium unde dictum?* Virg.

Sed verò omen quamuis propriè dicatur illud, quod ab ore hominis deſumitur, ſicut augurium id, quod ab auibus auſcultatur; tamen vtrunque aliter atque aliter nonnunquam vſurpatur; itavt à rebus etiam vitæ expertibus deriuetur: vt intelliges ex eo loco Virgiliano Georg. vbi ait Augusti Cæſaris interitum admirabiles quoſdam euentus conſequutos fuiſſe; ex quibus diuerſi generis auguria ſiue omina deducerentur. Sic igitur canit,

Tempore quanquã illo tellus quoque, & æquora põti
Obſcœnique canes, importunæque volucres
Signa dabant: quoties Cyclopum efferuere in agros
Vidimus vndantem, ruptis fornacibus Ætnam,
Flãmarũque globos, liquefactaque voluere ſaxa:
Armorum ſonitum toto Germania cœlo
Audiit: inſolitis tremuerunt motibus alpes.
Vox quoque per lucos vulgò exaudita ſilentes
Ingens: & ſimulacra modis pallentia miris
Viſa ſub obſcurum noctis: pecudéſque locutæ:
Infandum! ſiſtunt amnes, terræque dehiſcunt:
Et mæſtũ illacrymat tẽplis ebur, æraque ſudat, &c.

Illud ſub finem meminerim, vt infelix omen paſſim euenitur, ita felix & fortunatum rarius quidem aliquando tamen ſe offerre; huiuſmodi illud eſt, quod mihi hodierna die tanta audiendi beneuolentia exhibitum fuiſſe credo, & quidem quamuis gratus, nunquam ſatis dignè gratulabor mihi, nec vobis grates dignas valebo perſoluere.

CAPVT IV.

Regis Deiotari erga Romanos fides commendatur ex oratione Tulliana pro ipſo Rege.

232. *PEr dexteram iſtam oro, quam Regi Deiotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti: iſtam, inquam, dexteram, non tam imbellis, & in præliis, quàm in promiſſis, & fide firmiorem*, &c.

Ditiori ex penu delicatiores dapes officioſus promit Oratorum facilè princeps Tullius; dum regale memorat hoſpitium, quod per ſummam lautitiam, & epularum luxum Deiotarus Galatiæ Rex Cæſari quondam exhibuit, cùm poſt bellum Alexandrinum ad bellum Ponticum proficiſcebatur; ſed iucundius epulum apud ipſoſmet hoſpites, & conuiuas fuit mutua amoris beneuolentia, in cuius ſignum dexteras adinuicem porrexerunt, veluti integerrimas amicitiæ teſſeras; talem profectò poſtulabat vetus illud & perhumanum Regis hoſpitium, cuius neceſſitudo tanta erat, vt pro amicitia ſæpenumero vſurpetur; fuit namque ſolemne apud veteres teſſeram dimidiatam dare hoſpitibus, qua inter ſe agnoſcerentur. hoc autem ius ad poſteros tranſibat. Plautus, *Deum hoſpitalem, & teſſeram mecum fero*; qui autem hoſpitium violabat, is teſſeram frangere dicebatur. Idem Plaut. *Apud nos iam fregiſti teſſeram.* Apud Romanos nihil ſolennius, quàm hoſpitium; vnde Regibus & Legatis ex vltimis terrarum regionibus Romam profectis publicum hoſpitium, & munera, quæ lautia dicebantur, per quæſtorem vrbanum publico nomine largè, & hoſpitaliter indulgebant. Germanis hoſpitij ius ſanctiſſimum vſque adeò erat, vt arcere hoſpites inexpiabile nefas duceretur; idem ſeruatum inter Lucanos, Calabros, Corinthios, Megarenſes, & alios, qui mos inuiolatus apud noſtrates viget. Sed apud veteres nonnullos barbara, & inhoſpitalis conſuetudo extitit, nullum enim hoſpitij ius admittebant, inter quos numerat Alexander ab Alex. lib. 4. cap. 10. Spartas, Lacedæmones, Athenienſes, Carthaginenſes, Gamphrantes, Seres, Ægyptios, & Scythotauros. Inter Indos quoque niſi triduo, hoſpitem diuertere minimè licebat, ne ciues longo vſu diſſimiles mores imbuerent, & in alienas leges, ritúſque tranſirent. Porrò hoſpitalis illa Regis Deiotari dextera iam nos inuitat ad hoſpitium; ergo Lingonum more, qui dextræ effigiem pro hoſpitij ſymbolo vendicabant, dexteras porrigamus, & ad hoc oppiparum ſatis conuiuium diſcumbamus.

Deiotarus Rex Galatiæ.

Dextera beneuolentiæ, & amoris ſignum.

Plaut.

Hoſpitij ius varium apud varias gentes.

Alex ab Alex.

Per dexteram iſtam oro, &c.

In primis dexteram pro amicitiæ ſymbolo vſurpamus. Ita Liuius lib. 1. Hercules & Euandrus hoſpites facti, nihil prius habuerunt, quàm dexteras mutuò date, in ſempiternũ ſcillicet amicitiæ monumentum. Concinit Mantuana muſa. 3. Æneid.

Iungimus hoſpitio dextras, & tecta ſubimus.

& infra,

Ipſe pater dextrã Anchiſes haud multa moratus
Dat iuueni, atq; animũ præſenti munere firmat.

Cùm de Achæmenide miſero, & afflicto homuncione, à Troianiſque venientib. hoſpitium poſtulante loqueretur, cuius labantem, ac penè iacentem animum cum erigere conaretur Anchiſes, dextram illi dedit veluti amoris obſidem, hoſpitaliſque amicitiæ domicilium, vt Seruius bellè interpretatur. Hinc adeò lib. 4. Æneid. Dido Regina queritur de Troianorum duce Æneia,

Nec te noſter amor, nec te data dextera quondã, Virgil
Nec moritura tenet crudeli funere Dido.

Planè quaſi videat fractam amicitiæ teſſeram, & violatum amoris ſymbolum. Cùm igitur Tullius in priſtinam Cæſaris amicitiam Deiotarum reuocare contendat, meminit veteris hoſpitij teſſeram nempe porrectam ad inuicem dexteram, minimè vnquam à Rege violatam. *Per dexteram iſtam oro, quam Regi Deiotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti.* Sed lubet rurſus vertere ad mutuam amborum ſalutationem, ſiue reuerentiam; quod ſolenne fuit apud antiquos; qui mos valde frequens inter Germanos, ſe enim ad inuicem ſalutantes dexteras porrigunt, cuius rei cauſam Varro Callimachum ſecutus eam aſſignat, quòd omnis mortalium virtus dextris conſtitiſſe putaretur; quamobrem ea maximè corporis parte ſe magnopere venerabantur, & conſalutabant. Quod iuuenili quodam ardore, & animi cupiditate compulſus adoleſcens adhuc Euandrus Anchiſi ſalutationem, & reuerentiam ſe præſtare voluiſſe profitetur. *Mihi mens iuuenili ardebat amore Compellare virum, & dextram coniungere dextra.* Hoc fuit in cauſa, quòd Æneas de matre Venere fugiente quæreretur, vtpote qui eam incredibili cupiditate venerari, ſalutaréque ſimul affectauerit. *Cur dextra iungere dextram non datur.* Virg.

233. *Teſſera amicitiæ.*

Dextera ſalutationis argumentum. Varro. Callimach.

Atta

Dextera venerationis ſymbolum. Attamen non minus clariſſimum fidei, quàm amicitiæ & venerationis ſymbolum, vel apud antiquos dextra habebatur. Vnde pulchrè proſequitur Noſter. *Per dexteram iſtam non tam in bellis, & in prœliis, quàm in promiſſis & fide firmiorem.* Tull. In dextera quidem maxima ſemper fuit religio, & promiſſæ fidei integritas. Vnde Cicero inuehitur in Antonium Philipp. 11. *Dextræ, quæ fidei teſtes eſſe ſolebant, perfidia ſunt, & ſcelere violatæ.* Idem poſt reditum in Senat. Qui primus mihi afflicto, & iacenti conſularem fidem, dextrámque porrexit. Non abludit Mantuanus 4. Æneid. Virg.

---En dextra fidéſque,
Quam ſecum patrios aiunt portare penates.

Idem in 7.

Pars mihi pacis erat dextram tetigiſſe Tyranni.

Non diſſentit Ouid. in epiſt. Phyllidis. Ouid.

Iura, fides, vbi nunc? commiſſaque dextera dextræ,
Quique erat in falſo plurimus ore Deus.

234. Liuius. Liuius multa affert teſtimonia; hæc ille lib. 10. *Data dextra in id, quod petebatur obligandæ fidei.* Apud Perſas nihil antiquius, & religioſius; teſtatur Diodorus Siculus lib. 16. cap. 10. & Æmylius in vita Damati non longè à fine. Diodor. Vnde Numa Pompilius, vt author eſt Alexander ab Alex. lib. 2. cap. 19. in dextra fidem ſacratam eſſe voluit; Alex. ab Alex. ſacrúmque ſolemne fidei inſtituit, ad quod flamines curru arcuato manu ad digitos inuoluta, celebri pompa vehi iuſſit. *Dextera fidei argumentum.* Illud ſcitu perquam digniſſimum, quòd plena Religionis antiquitas in aduerſa parte Iconum duas manus annexas ingerebat, ad ſignificandam prorſus fidem; cuius hieroglyphici animus erat illud ex 8. æneid.

Virgil. *Accipe, dáque fidem.*

Cæterùm quæ bella, quæ promiſſa, vbi Rex Deiotarus fidem ſuam erga Romanos oſtendit? Bella fuerunt illa, & grauiſſima quidem, quæ geſſit Cæſar aduerſus Alexandrinos, & alias vicinas gentes, in quibus omnibus Rex Deiotarus *Rex Deiotarus erga Romanos fidus, & munificus.* præſtò fuit, ſuppetias enim Cæſari attulit paratiſſimus, auxiliares copias miſit, commeatus militibus non negauit, ingentem pecuniam obtulit; quid plura? proprias vires, ſuámque vitam pro vno Cæſare defendendo, quamuis iam ſenex, per mille pericula, bellorúmque traxit euentus. Iam verò promiſſa quæ non adimpleuit? Promiſſa exiſtimo præſertim illa, quæ Cæſari exhibuit poſt finitum cum Pompeio bellum. Nam Deiotarus ſecutus eſt partes Pompeianas, poſtea tamen ad ipſummet Cæſarem deficiens perpetuam ei fidem, amicitiámque promiſit, quam Rex optimè ſeruauit. Rurſus intelligo de bellis, & promiſſis erga populum Romanum, mira enim extitit huius Regis erga Rempub. beneuolentia, quippe qui nō ſolùm ſocius Imperatorum Romanorum in bellis fuerit, ſed etiam dux copiarum ſuarum. Eum enim Cn. Pompeius vnum in toto orbe terrarum amicum ex animo, veréque beneuolum, vnum fidelem populo Romano iudicauit. *Per hanc igitur dexterā non tam in bellis, & in prœliis, quàm in promiſſis, & fide firmiorem*, veniam contendit exorare; ego autem concludo, ne promiſſam fidem violari, & hoſpitalem teſſeram à me frangi videatur.

* * *

CAPVT V.

Sopor Virgilianus in 6. excitatur, & illuſtratur.

Et conſanguineus lethi ſopor.

Libet hoc in loco ſpatiari latiùs, & ab hoc ſopore minimè ſuperari, imo vigilantiſſimus aſſurgo. 235. *Soporis variæ ſimilitudines.* Quæ in hanc ſententiam Virgiliani Doctores prodidere, ſub vnum aſpectum propono. Quidam appellant ſomnum morti ſimilem; quidam mortis conſanguineum; quidā ipſam mortem. Per omnes excurro humanitatis Antiſtites. Similem morti appellauit Tullius in Catone. Tull. *Iam verò, inquit, videtis nihil eſſe tā morti ſimile, quam ſomnum.* Plin. Plin. 1. nat. hiſtor. c. 50. *Æſtimatione nocturnæ quietis dimidio quiſque ſpatio vitæ viuit, pars æqua morti ſimilis exigitur.* Plutarchus, Plut. *Breue viuendi tempus homini eſt tributum, nā ſomnus veluti publicanus dimidium aufert.* Hinc natū eſt illud Ariſtotelicum, Ariſtot. *Felices nihil diſtare à cæteris dimidio vitæ.* Plutarchi ſententiam ſequitur Clem. Alex. Clemens Alex. 2. pæd. 9. *Somnus non ſecus, ac publicanus dimidium vitæ tempus nobiſcum diuidit.* Quid autem poëtæ in hanc rem? Virgil. in 6. Virg.

Dulcis, & alta quies placidæ ſimillima morti.

Silius lib. 15. Silius.

Nox ſimiles morti dederat placidiſſima ſomnos.

Ouidius 2. Amor. eleg. 9. Ouid.

Stulte, quid eſt ſomnus gelidæ niſi mortis imago?

Horat. 1. carm. n. 24. Quintilij mortem ſomnum item vocat. Horat.

Ergo Quintilianum perpetuus ſopor vrget.

Plaut. Plautus paſſim vſurpat ſomnum pro morte, in Amphitr. *Homines quatuor in ſoporem collocaſti*, id eſt, interfeciſti. Et paulo pòſt. *Quatuor viros ſopori ſe dediſſe hic autumat*, id eſt, necaſſe. Et rurſus, *Quid ſi ego illum tractim tangam vt dormiat*, hoc eſt, vt moriatur. Mitto reliqua. Catullum audio. Catull.

Nobiſcum ſemel occidit breuis lux,
Nox eſt perpetua vna dormienda.

Suffragatur tandem, & iterum Virgil. in 10. Virg.

Olli dura quies oculos, & ferreus vrget
Somnus. In æternam clauduntur lumina noctem.

236. *Somnus parua mors.* Pergo ad Philoſophos, & ſapientum iudicia. Quidam ex Philoſophis conſultiſſimus ſemel rogatus, quid ſomnus eſſet, reſpondit, *Parua mors.* Rurſus quid mors eſſet, reſpondit, *magnus ſomnus.* Epaminondas ipſe circumiens militum vigilias quendam interfecit. Et cùm reprehenderetur, reſpondit, *Talem reliqui, qualem inueni.* inuenerat enim dormientem. Iam verò mortis conſanguineum non ſolùm Virgilius ſomnum dixit, ſed Homerus, & Heſiod. vatum anteſignani: Homer. Heſiod. qui præterea, addunt, *fratrem mortis germanum eſſe*, cum quibus Pauſanias cohæret lib. 5. dum ait, Pauſ. *noctem mortis, & ſomni parentem extitiſſe.* Conſonat Tragicus poëta. Seneca.

Frater duræ languide mortis.

Valerius Flaccus 8. Argon. Valer.

Tunc age maior ades, fratriſque ſimillime letho.

Orpheus in Hymno loquens cum ſomno, Orph.

Germanus tu es obliuionis, & mortis.

Georgias Leontinus apud Ælian. 2. variar. hiſt. Ælian. cap. 35. cùm ſub vitæ exitum reſolueretur in ſomnum, rogatúſque eſſet, cur ita? reſpondit, *Iam ſomnus incipit me commendare fratri*, id eſt, morti.

Digitized by Google

Hom. Seru. morti. Homer. Ill. 14. de Iunone, *Ibi ſomno occurrit obuiam fratri mortis.* Optimè igitur Seruius ſententiæ huius teſtem locupletiſſimum Homerum implorat. Iure optimo poſſim excandeſcere in Naſcimb. Naſcimbænum, dum Seruium reprehendit, dúmque dicit Seruium penitus ariolari, cùm id Homerus non dixerit. Poëta autem ad fratrem ſignificandum, conſanguineum appellauit ex vſu Parrhaſ. Claud. veterum, quod Parrhaſius monet in Claudianum. qui ita 1. Rap.

Te conſanguineo recipit poſt fulmina feſſum
Iuno ſitu, &c.

id eſt, ſororio. Sic etiam Stat.

Stat. *Et conſanguineo gliſcis regnare ſuperbo*
Sophocl. *Exule.*

id eſt, eiecto fratre. Sic Sophocles in Aiace, Teucrum fratrẽ Aiacis vocat ὅμαιμον, id eſt, *conſanguineũ.* Hæc ex profanis literis libare placuit; faciliùs, & lubentiùs ex diuinis; his tamen interim abſtineo, ne videar miſcere ſacra prophanis. Nihilominus te remitto ad Tertull. Tertull. de anima c. 43. qui quidem hanc rem præ omnibus illuſtrauit.

Capvt VI.

Maronis columbæ in 6. defenduntur præpete curſu.

Geminæ cum fortè columbæ, &c.

237. *Columba timida, ſuapte natura. Columba timor.* PErperam, dicet aliquis, columbarũ auſpicium commentus eſt hoc loco Mantuanus. Primò, quia columba timiditatis ſignum præfert, vnde à Græcis τρήρων, id eſt, *trepidans* appellatur. Earum timida natura ab Ouidio in Met. exprimitur. *Sic aquilam fugiunt penna trepidante columbæ.* Et apertiùs in primo de Arte, vbi Sabinæ à Romanis raptæ trepidis columbis comparantur.

Ouid. *Vt fugiunt aquilas, timidiſſima turba, columbæ.*
Vtque fugit viſos agna nouella lupos.
Sic illæ timuere viros ſine lege ruentes,
Conſtitit in nulla qui fuit ante color.

Huc pertinet illud Antipatri epigramma, ad quod alluſit Alciatus embl. 33.

Alciat. *Stiparint pauidæ timidorum buſta columbæ,*
Aſt ego delector fortibus vſque viris.

Columba impietatis ſymbolum. Quare Æneæ fortiſſimo Heroi nõ à timidis columbis, ſed potiùs à generoſis aquilis auſpicium captandũ eſſe videbatur. Secundò, quia columba ſymbolum quoque eſſe ſolet impietatis. Nã vbi adoleſcit, parentẽ inuadit, lacerat, vellicat, cruentat. Vnde Ægyptij impium, & ingratũ hominem, & in ſuos perduellẽ expreſſuri, columbã fingere Pier. conſueuerunt. Conſule Pierium lib. 22. ſub init. Quapropter Æneæ pietate præſtantiſſimo nõ à columbis impiis, ſed potiùs à ciconiis piẽtiſſimis augurium obiiciendum erat. Hæc ita licèt ſint, non tamen imprudenter fingit Virgilius columbarum auſpicium Æneæ oblatum eſſe. Nã olim credebantur columbæ felices rerum euentus Regibus prænunciare. Sic Auguſtus, Suetonio au-Suet. c. 94. ctore, palmam à ſe inuentam, & columbarum nidis frequentatã boni ominis loco duxit. Sic Alex. *Colũbã auſpiciũ regale.* Seuerus futuri imperij liquidiſſimum auſpicium captauit ex colũba, quæ matri muneris loco oblata eſt, quo die ipſe editus in lucẽ fuit. Vnde Seruius. Seruius columbã regiam volucrem appellat, quia vt *Columba typus ſapientis viri.* illa nunquam volat ſolitaria, ita Rex ſine ſuorum comitatu nunquam incedit. Quare Æneæ Regi, vt regia volucris obiiceretur oportebat. Præterea columba ſymbolum gerit hominis ſapientis, & naturæ arcana ſtudioſè explorantis, quia columba faciliſſimo & perniciſſimo vtitur volatu. Quod Virgil. in 5. expreſſit, vbi de columba locutus ita canit,

Radit iter liquidum, celeres neq; commouet alas. Virg.

Quare cùm Æneas ſapientiſſimus naturæ veſtigator à Virgilio fingeretur, obuias habere debuit eas volucres, quæ naturam rerum omnium exploratricem habere dicerentur.

Capvt VII.

Maleſuada fames, & turpis egeſtas, *apud Virgilium in 6.*

NVllum tam atrox ſcelus eſt, ad quod rerum inopia non impellat. Vnde Silius, 238. *Fames, & egeſtas ad vitia impellunt.*

Sceleri procliuis egeſtas.

Martialis,

Quantum cogit egeſtas.

Horatius,

Paupertas impulit audax.

Virgilius,

---- Labor omnia vincit
Improbus, & duris vrgens in rebus egeſtas.

Perinde, ac ſi nihil tam ſanctum ſit, quod inopia non violet; nihil tam munitum, quod paupertas non labefactet. Vnde Plautinus ille ſycophanta Plaut. in Trin. *Vide, inquit, egeſtas quod negotij mali de homine miſero? Ego nunc ſubigor trinumnumorũ cauſa, vt has epiſtolas dicã ab homine me accepiſſe, quẽ ego, qui ſit homo, neſcio; neque noui, neq; natus fuerit, nec ne, ſolidè ſcio.* Præclara eſt illa Scipionis ſentẽtia, qui rogatus in ſenatu, vter videretur mittẽdus in Hiſpaniam contra Venatum pugnaturus, Galbáne, an Aurelius? *Neutrum,* inquit, *mihi placet mitti, quia alter nihil habet, alteri nihil ſatis eſt.* Videlicet æquè malam iudicauit, inopiam licentis imperij magiſtram, & auaritiam multorum ſcelerum nutricem. Nã, vt bene Tullius, Tullius. *duæ ſunt res quæ poſſũt homines ad turpe compendium commouere, inopia, & auaritia* Quare optimè Plato; Plato. *Quæcunque in Repub. mendicos videris, in eadẽ neceſſe eſt latrones, ſicarij, manticularij omniũ ſcelerum artifices, omniũ malorum architecti deliteſcant.* Laudo Philippum *Philip. I. Rex in Luſitania.* huius nominis primum Luſitaniæ Regem, qui eiuſdem Regni ſenatoribus auxit ſtipẽdia, vt ius dicerent liberiùs, & nulla corrumperentur pecunia; turpes enim iudices, qui egeſtatis cauſa leges violant, torquent iura, & fas omne abrumpunt. Deinde quàm multi vendiderunt pecunia pudicitiam, famam, patriam; imò vrgente egeſtate, ipſum etiam Numen denegarunt. Turpis ſanè egeſtas Lucretius lib. 3. Lucret.

Turpis enim fama & cõtemptus, & acris egeſtas
Semota ab dulci vita, ſtabilique videntur,
Et quaſi iam lethi portas cunctarier ante.

Claudian. de monſtris quoque Inferorum, Claud.

Et luxus populator opum; cui ſemper adhærens
Infelix humili greſſu comitatur egeſtas.

Egeſtas tamen, & non paupertas. Nam hæc diuina virtus, & diues poſt Chriſtum pauperem, Egeſtas de perditis, ac ſceleratis hominibus prædicatur. Tull. Tullium laudo in Parad. *Iſta paupertas, vel potiùs egeſtas, & mendicitas tua.* Vides verbi correptionem? Vide lib. 4. Prob. 25. Meritò inter monſtra Inferorum ſtabulatur. Poëtis iam affixis annecte Senecam in Senec. Thyeſte, ad quem te remitto. De maleſuada fame iam alibi.

Capvt

Digitized by Google

Capvt VIII.

Æneæ lacrymæ apud Virgilium defenduntur.

239. *Æneæ lacrymæ.*

IMpellunt me inuitum penè, ac reſtitantẽ multorum ſomnia, qui in libris componendis, exponendiſque minutula quæque diſquirunt, non vt imitentur, ſed vt cauillentur. In tam præcipitem audaciam ſe dederunt, vt non vereantur affirmare perperam lacrymas à Virgilio fortiſſimo duci Aeneæ fuiſſe attributas. Enimverò non ſemel inducit Mantuanus ſuum Ducem collacrymantem, & ſuorum miſeros caſus lamentantem. In 1. Aeneid.

Cõſtitit & lacrymãs quis iã locus, inquit Achate.

in 6.

Sic fatur lacrymans, claſſique immittit habenas.

Rurſus,

Demiſit lacrymas, dulcique affatus amore eſt.

in 11.

Sic ait illacrymãs, recipítque ad limina greſſum.

Conſtãtia in à lacrymis abſtinendis.

Non decet, inquiunt, virum fortem lacrymari; déque multis proditum eſt ita obfirmato fuiſſe animo, vt nihil eis lacrymas vnquam excuſſerit, vti videre eſt apud Valerium Max. lib. 3. c. 3. quod etiam atteſtatur Plinius lib. 7. cap. 19. Vnde eſt illa vnanimis & iurata animorum conſenſio, qua ſe omnes Hethæi Abrahamo, externo quamuis homini, & peregrino tanquam proprio, & naturali principi ſubdiderũt, dicentes, *Princeps Dei es apud nos?* Geneſ. 23. 6. Planè ex animi conſtantia, qua Abrahamus vxoris funus ſuſtinuit, quæ non niſi in generoſum virum, ac imperio dignum cadere exiſtimabant. Ita Philo lib. de Abrahamo egregiè philoſophatur. Vnde antiquitas inſignes Heroas admiratur, qui quos filios magno cum gaudio viuos habuerunt, eoſdẽ nullo mœroris ſigno mortuos deplorarunt. Nam Anaxagoras illuſtri pallio Philoſophus cùm in amicorũ conuentu ſubitam filij mortem audiuiſſet, nihil perturbatus, *Noueram*, inquit, *me genuiſſe mortalem.* Rex Antigonus denunciata filij morte in bello ſtrenuè ſuſcepta, adeo non ingemuit, vt potiùs elato animo exclamarit, *Serius ô fili tam glorioſam mortem obiiſti.* His adde alios, quos lege in Plutarcho orat. conſolatoria ad Apollonium ſub finem. Plures tamen affert D. Hieronymus epiſtol. 3. ad Heliodorum, illorúmque conſtantiam commendat. *Quorum* inquit, *non minor in luctu, quàm in bellis virtus fuit.* His omnibus adiunge patrium, & illuſtre exemplum. Ioannes Caſtrius Indiæ Orientalis Prorex tantũ abfuit vt lugeret in acerbiſſimo de morte filij Ferdinandi nuntio, vt lugeri filium prohibuerit. Imò ipſe florida veſte indutus, gemmeo ornatus apparatu vnà cum proceribus in campum proceſſit, ibique quaſi animi cauſa in varios curſus, atque recurſus equum egit; narrant Maffeius hiſtoriarum Indicar. lib. 13. ad medium. Andrada in hiſtoria Regis Ioan. huius nominis 3. par. 4. c. 14. Barrius dec. c. 4. & alij.

Philo. Vide auctorem to. 2. in lib. Reg. c. 4. n. 17. ann. 13. ſect. 1. n. 3. & inde. — *Plutar.* — *Hier.* — *Maff.* — *Andrada.* — *Barr.*

240. *Lacrimæ pietatis indices.*

Nihilominus lacrymæ manſuetudinis, ac pietatis teſtes ſunt, & indices; vnde ſi Aeneæ in obitu amicorum lacrymas poëta denegaret, auſim dicere humanitatem quoque negare poſſet, & maiore iure, quàm Lyricus illi negauit, *qui ſiccis oculis monſtra natantia, qui vidit mare turgidum.* Et Lucanus illi,

—— qui ſicco lumine campos
Viderit Emathios.

Horat. — *Lucan.*

Mendoçæ Viridarium.

& Dido Regina apud Virg. in 4. ipſi Aeneæ,

—— qui nec lumina flexit,
Nec lacrymas victus dedit, nec miſeratus amantem eſt.

Virgil.

Et Terentianus Parmeno in Eunucho illi fœminæ impiæ, *quæ falſam lacrumulam oculos terendo miſera vix vi expreſſit.* Et Plautinus ille Pſeudolus ipſe ſibi, qui vt ſe immiſericordem eſſe dicat, *Pumiceos oculos*, inquit, *habeo, non queo lacrumam exorare, vt expuat vnam modo: genus noſtrũ*, &c. Itaque viris fortibus, ac heroïbus ſæpè à Mantuano lacrymæ tribuuntur. De Alethe in lib. 9. quẽ annis grauem & animi maturum antea vocarat.

Terent. — *Plaut.*

—— Sic memorans humeros, dextraſque tenebat
Amborũ, & vultũ lacrymis, atque ora rigabat,

Virg.

De omnibus Troianorum primoribus,

—— Perculſa mente dederunt
Dardanidæ lacrymas.

Heroum lacrymæ.

De Iulo autem infrà,

Sic ait illacrymans, humero ſimul exuit enſem.

Virgilium verò interrumpo, & eius ſanam mentem ex Homero confirmo; qui non ſemel Heroas ſuos lacrymantes inducit φιλοδακρύες. Inde Græca parœmia,

Viri boni multum lacrymabiles.

Homer.

Plinius certè lib. 11. c. 37. *Hinc illa miſericordia lacryma.* Has lacrymas Alexandro ipſi Annibali, Scipionibus, & viro cuiuis fortiſſimo cum honore potes concedere, vt paſſim illorum hiſtorici concedunt, ſunt enim lacrymæ dignæ magno quouis Principe. Laudo Plutarchum in 2. de fortuna Alexandri, dum criminatur tyrannum Pheræorum, qui ſpectans tragœdiam Hecubæ, & Polyxenæ, rapidus è theatro exſiluit, quòd ſe miſericordia ad lacrymas videret commoueri; & parum abfuit, quin ipſum interimeret Tragœdum, eo quòd Muſam pietate induerit, & ad miſericordiam concitarit. Mitto reliqua.

Plin. — *Plutarch.*

Exempla autem Valerij non feritatis, ſed patientiæ ſunt. Plinius non refragatur; eius verba affigo. *Exit hic animi tenor aliquando in rigorem quendam, toruitatémque naturæ duram, & inflexibilem, affectuſque humanos adimit*, &c. Fortis igitur, & conſtantis viri eſt nullo dolore, nullo labore ſolida de mente deturbari, non autem amicorum, & propinquorum caſus, & infortunia non miſerari, ob idque alliquando collacrymari. Ac proinde in Agelaſtos iſtos inuehitur ipſa Plinij mens, quam in nos inuehi credebãt. Plutarchi nodos ſolue eodem vulnere. Similiter Philonis placita, quæ in noſtram conſpirãt ſententiam, ibi enim laudat moderatas lacrymas, quales etiam habuit Abrahamus in vxoris iuſtis, vt ſacra oracula atteſtantur. Noſter Caſtrius in Dienſi illa obſidione in qua filius pulchrè occubuit, voluit cæteris illa ſtantis animi oſtentatione victoriæ ſpem iam penè deploratam induere. Vide alia quæ annotauimus ad Virgilij loca.

Soluũtur argumenta. — *Plin.*

Capvt IX.

Tullius pro lege Manilia magnopere illuſtratur.

HOmini peradoleſcenti imperium dari optimo iure admiratur Tullius. Verum enim eſt omnium ferè gentium imperia ſenibus deferri ſolita. Macedones, Iuſtino teſte lib. 11. nemini in exercitu, niſi ſexagenario militum ordines admi- 241.

Iuſtin.

niſtrando committebant. Lacedæmonij nullos creabant magiſtratus,niſi prouecta ætate iam maturos, quos proinde γέροντας, id eſt, *ſenes* appellabant: curiam autem dicebant γερουσίαν, id eſt, *conſenſum ſeniorum*. Iam verò inter Romanos nemo niſi ſenex ad Remp.accedebat. quod Ouid. 5. Faſtor. teſtatur,

Senes ad imperium aptiores. Ouid.

Nec niſi poſt annos patuit tunc Curia ſeros,
Nomen,& ætatis mite Senatus habet.

Senibus enim,auctore Salluſtio in Catil.*corpus annis infirmum, ingenium autem ſapientia validũ eſt*. Vnde Plutarchus in Lycurgo ait ex Pindaro, *conſilia ſenum eſſe iuuenum haſtas*.Senes enim experientia ducti maturè omnia aggrediuntur,& cũ ſint variè à fortuna exerciti, rebus meliùs conſulunt. Nocumenta enim, documenta eſſe ſolent. Optimè Plutarchus illas ciuitates diuturnas fore ominatur in quibus ſenum conſilia vigeant, adoleſcentum vires præcellant. Quòd ſi alterum deſiderandum eſt, potiùs iuueniles vires, quàm ſeniles annos prudentes viri abeſſe patiuntur. Quare Caſtritius Carboni in iurgio obiicienti *ſe habere multos gladios*,reſpondit,*& ego annos* Verùm item eſt, imperia, quæ adoleſcentibus deferuntur.peſſum premi, & in præceps labi. Vnde Dardaniorum Rex, auctore Iuſtino lib. 24 inclytum Macedoniæ regnum breui ruiturum eſſe prędixit, *quòd ad iuuenem Regem Ptolemæum deuolueretur.* Nam, vt bene Silius lib.15.paulo poſt initium.

Salluſt. Plutarch. *Imperium ſub iuuene Rege in præceps labitur.* Iuſtinus. Silius.

Nec promptum teneris immania bella lacertis
Moliri regiménque rudi depoſcere in æuo.

& vt Claudianus eleganter,

----tenero tractari pectore neſcit
Publica maieſtas.

242. *Iuuenes apti ad imperium.* Quæ cùm ita ſint, meritò admiratur Tullius vni Pompeio peradoleſcenti, nondum ſcilicet quatuor & viginti annos nato, tot imperia commiſſa, tot bella feliciter confecta. Negari tamen non poteſt aliquos aliquando iuuenes conſilio & prudentia valuiſſe. Nam Diomedem appellat Homerus inter Argiuos reges ætate minimum, prudentia maximum. Demophilum vocat Pindarus annis iuuenem,conſiliis ſenem. Apium Claudium natu minimum, natu maximis Senatoribus Liuius anteponit, quod Perſ. ſat.4. eleganter confirmat.

Hom. Pindar. Liuius. Perſ.

Sunt quibus ingeniũ,& rerum prudentia velox
Ante pilos venit.

Quod Virgilius laudat in Aſcanio,

Ante ãnos animũque gerens,curámque virilem. Virg.

Reliquis parco teſtimoniis.

CAPVT X.

Virgilius in 1.Æneid. liberatur à multorum calumniis, & egregiè commendatur.

243. ARiſtarchi quàm multi, ſed malè ominati, criminantur Virgilium, quòd ipſo in limine Æneidos muſtelam inuenerit,dum ait Æneam è Troia primum ad Italiam appuliſſe, quod nulla ratione videtur conſtare, & ſic argumentantur. Antenor è Troia profectus multò citius Italiam attigit, quàm Æneas: ergo hallucinatur Virgilius, dum canit Æneam priùs Italiam tenuiſſe,

Virgilius à cõtrariis carpitur.

—— Troia qui primus ab oris
Italiam fato profugus, &c. Virg.

Atque adeò adhuc Æneas in Siculis vndis vi tempeſtatis fœdiſſimæ atrociter iactabatur, cùm iam Antenor ſedem in Italia collocarat, cuius rei teſtem locupletiorem non requirunt, quàm Maronem ipſum, apud quem Venus conqueritur, præcluſum eſſe Æneæ aditum in Italiam, Antenori multò antè reſeratum.

Antenor potuit mediis elapſus Achiuis
Illyricos penetrare ſinus,atque intima tutus
Regna Liburnorum,& fontem ſuperare Timaui.

Dubitationem hanc ſoluo, & tollo,ea diſtinctione adhibita,vt dicam Antenorem prius quàm Æneam ad Italiam veniſſe, ſi tempus ſpectemus; verùm ſi fatorum ſeriem attendamus, neminem Ænea priorem Italiam tenuiſſe. Quod Virgilius apertiſſimè demonſtrat,cùm ait,

Antenor prior appulſus ad Italiam,quàm Æneas, qua ratione? Virg.

——Troia qui primus ab oris
Italiam fato profugus, &c.

Adhuc tamen obiiciunt, quia inter eos, qui ducentibus fatis ad Italiam appulerunt, exiſtimãt Æneam haud primum locum tenuiſſe. Nam Euander prior venerat ex Arcadia. Cùm ab eo veteri iam illius regionis incolas Æneas aduena ſuppetias imploraret, vt videre eſt apud Maronem 8.Æneid. Iam verò eius aduentum fatorum auſpiciis eueniſſe optimè videtur demonſtrare apud Ouidium Euandri mater filium his verbis allocuta 1.Faſt. Ouid.

——fortuna viriliter,inquit,
Siſte puer lacrymas,iſta ferenda tibi eſt.
Sic erat in fatis,nec te tua culpa fugauit,
Sed Deus,offenſo pulſus es vrbe Deo.

Ergo nec fatorum auſpiciis credendus eſt Aeneas ad Italiam primus appuliſſe. Nodum explico, expendóque Virgilij verba. Duo inquit, Aeneam à Troia, & fato primum in Italiam penetraſſe. Nam Antenor etſi primus à Troia venerit, non tamen fato. Euander etſi fato ductus anteceſſit,non tamen è Troia ſoluit. Quare omnium primus Aeneas & à Troia, & fatis comitantibus in Italiam delatus eſt. Vnde planum fit nullum in poëta errorem inhærere. Atque adeo omnis dubitandi locus manet intercluſus, nec quod amplius obiiciatur, ſupereſt. Enimuerò nihil in Virgilio,quod Ariſtarchi cenſura dignum videatur,imò omne elegans, omne ſuo loco poſitum, & maturè compoſitum.

Virgilius liberatur.

⁂

Digitized by Google

LIBER NONVS

DE FLORIBVS POETICIS PROLVSIO.

AMOENIORES *viridarij flores ad areolas poſteriores conſultò ſeruauimus; ſpargimus verò plenis manibus, & plenioribus quidem, niſi ardens inuidentis æui aſtrum, plurimos vel omninò perdidiſſet, vel tam malè deſuper afflaſſet vt ars nulla natiuam eis gratiam poſſit reſtituere. Quare floſculos Dialogorum multorum, Elegiarum violas non paucas, Epigrammatum roſas innumerabiles, Carminum lilia propè infinita extra limen viridarij non ſine magno dolore relinquimus. Ecquis valeat delicatos olim, & viuidos flores, modò languidos, & emarcidos æquis oculis intueri? Quid parentis ſui interitum collapſis ceruicibus lamentantur? Certe ſi ſolùm collapſis parum videretur, verùm crudeli etiam pollice demeſſos reperimus. Vtinam & reperiremus; ſed, proh dolor! ambitioſa manus in alienis honoribus præoccupandis delicatiores abſcidit, rapuit, iniectâ deſuper terra ſepeliuit. Hoſce tamen in lucis vſuram reuocauimus, quibus neque ſuus*

Fulgor adhuc, nec dum ſua forma receſſit. Virgil 11. Æneid.

Age verò, in tam ſuaues Muſarum delicias conueniamus.

DIALOGVS.

DE SACRATISSIMA ASSERTORIS Chriſti paſſione.

PERSONÆ.

PROLOGVS.
IVSTITIA.
MISERICORDIA.
RIGOR IVSTITIÆ.
AMOR CHRISTI.
LIVOR.
D. MICHAEL.
CAIN.
ABEL.
SANGVIS ABEL.
ABRAHAM.
AMOR PATRIVS.
ANGELI *quatuor*.
OBSEQVIVM DIVINVM.
ISAAC.
ORACVLVM.
Duo FRATRES IOSEPH.
IOSEPH.
Duo ISMAELITÆ.
IACOB.
Duo MILITES.

PROLOGVS.

CORONA Patrum nobilis, Procerum cohors
Generoſa, ciues patrij, alumni Palladis
Vobis ſalutem plurimam fero, Prologus.
Non qualem aperto capite, curuato genu,
Actor dare ſolet, captet vt vulgi leuis,
Plauſus inanis mobiliſque transferat
In ſe fauorem plebis; illam nuntio
Vobis ſalutem, quam breues intra dies
Sacri Tonantis interitus orbi afferet.
Ergo theatro viſus, ac vanus iocus,
Nugæque plauſibiles, ſaléſque mimici
Penitus faceſſant: prompta ſint vobis precor
Lamenta, gemitus cordi ſint prompti: genis

Parare lacrymas, quas atrox dolor exprimet.
Totius ergo profero actus ordinem.
Certamen aderit: iuſta iactabit minas
Iuſtitia: flammas miſericordia leniet.
Orabit illa criminum pœnas graues,
Hæc mitiorem poſtulabit iudicem.
Amor tonantis minuet has lites, amor
Componet, ipſe ſuum offerens letho caput.
Amoris ille pignus, ac vadem ſui
Offeret Abellum, quem neci frater dedit,
Liuore plenus: Iſacum rurſus manu
Iamiam necandum patria, ni ſiſteret
In vulnus actum deſuper ferrum Aliger.
Tandem Ioſephum venditum fratrum dolis
Plures adibit vltimo pœnas Amor.
Vindicta ſemper impium ſequitur nefas.
Vbique ſceleris pœna ſceleratum manet,
Nulli pepercit numinis iuſtus rigor.
Quas non patrauit, has luet noxas Deus;
Funes, columnam, flagra, clauos, & crucem,
Quibus triumphos inclytus victor geret,
Odiſſe culpam diſce, qui pœnam fugis.

Actus primus.

Scena I.

Iuſtitia *trutinam ſiniſtra tenens,* & Rigor *proferens gladium.*

Iuſtitia. Æthereis delapſa globis Aſtræa per auras
Aduenio, mores hominum inſpectura nefandos,
Virtutum gazas librato examine lancis
Expenſura meæ: ſceleratos dira manebit
Pœna viros: iuſtos cumulabunt præmia mores.
Heu quàm diſſimilis ſimiles fortuna ſequetur
Mortales! Heu quanta togis abolenda nefandis
Corpora Tartareus ſeruabit gurges in æuum!
Corda fides ni ſacra tenet, niſi pectora verus
Fingit amor, ſuperíque mouent data iuſſa parentis.
Ergo virtutum, ſcelerúmque ingentia libro
Pondera, virtutum pono hac in lance talentum.
Infero in aduerſam vitiorum pondera libram.
Huc oculos, huc ferte animos, atque vtra reſidat
Plenior, ac ſuperas leuior rapiatur in auras
Cernite. Depreſſa ſubſidunt crimina lance;
Sublimi volitant trutina benefacta ſub auras.
Heu ſortem inuiſam! dira incrementa malorum
Aſſurgunt. iam mundus hiat, iam terra fatiſcit
Pondere victa ſuo: tanta gens improba moles
Accumulat ſcelerum; virtus tamen vnica terris
Pellitur, & ſuperos compellitur ire ſub orbes.
Quid moror? Heu ſcelerum cur non monumenta reuello
Tartarea fundata manu? iuuat arma parare,
Vltricéſque faces. *Rig.* Procul iſta inſignia ſunto,
Hac libraſſe tenus ſatis eſt, iam dextera ferro
Armetur poſthac, ſæuum manus induat enſem.
Iuſt. En gladius (nec fingo metus) quem ſede recluſum
Vibro ſua; quantos humanæ gentis aceruos
Iſte dabit, quantáque hominum de cæde rubebit?
Rig. Diſpereat mortale genus, ruat orbis in ignes
Nunc face, nunc ferro; ſcelerum tot cauſa voluptas
Diſpereat. *Iuſt.* Primas viſcerum euellere fibras
Enſe iuuat: ſcelerúmque malum reſcindere virus.
Quas pœnas mihi munde dabis? non funera vocis
Auertes, non æqua tuis ſunt vota malorum
Aggeribus. *Rig.* Pereas, lacerato in corpore noſtras
Experiare minas. *Iuſtit.* Pereat gens improba. *Rig.* Dignas
Det ſcelerum pœnas. *Iuſt.* Animo ſententia ſurgit
Firma meo, nunquam ſceleratæ parcere genti.
Rig. Æternum pereat: iaculatos nubibus ignes
Sentiat. *Iuſt.* I ferrum ſtygiis fabricare caminis
In clades hominum. *Rig.* Properè tua iuſſa capeſſo,
Fulmina quanta nigri fabricabo incudibus Orci.
Iuſtit. Quanta per humanas iaculabo incendia turmas.

Scena II.

Miſericordia *oliuæ ramum præferens* Iuſtitiæ *occurrit.*

Miſ. Adſum crudeles hominum miſerata labores.
Iuſt. Qui toties peccant, fruſtra miſereſcitur illis.
Miſ. Heu doleo humanas cõmoto viſcere clades.
Iuſt. Incaſſum dolor eſt: grauiora meretur Adamus.
Miſ. Heu dolor! humanis qua morbis arte medebor?
Iuſt. Non opus eſt tantæ medicinam inquirere peſti.
Miſ. Quæ pauidas modò lapſa meas vox peppulit aures?
Verus amor vel tuta timet: deluſit imago
Vana meas aures. Superis pellentur ab oris
Mortales? nunquámve poli conuexa tenebunt?
Iuſt. Nunquam; ſed calidis Erebi mergentur in vndis.
Miſ. En repetitus adeſt aduerſo murmure clamor.
Iuſt. Diſpereant. *Miſ.* En rurſus. *Iuſt.* Aquis voluatur Auerni
Miſ. Andion? *Iuſt.* Humani quantum bibet iſte cruoris?
Miſ. Quid? *Iuſt.* Pereant. *Miſ.* Hem? *Iuſt.* Cæde.
Miſ. Minæ. *Iuſt.* Moriantur. *Miſ.* Ad aures
Clareſcit ſonitus. *Iuſt.* Moriantur. *Miſ.* Et vſque minatur.
Iuſt. Dent pœnas. *Miſ.* Germana? *Iuſt.* Premat vindicta. *Miſ.* Quid? ipſa es?
O ſoror, ô germana: minas quas fundis? *Iuſt.* Iniquos
Mene diu tolerare dolos. *Miſ.* Omitte dolores
Sume animos. *Iuſt.* Mediis exæſtuat ira medullis.
Miſ. Collige, ſi quis amor, mentem. *Iuſt.* Dolor oſſibus ardet.
Miſ. Fare quid arcano meditaris pectore. *Iuſt.* Prolem
Humanam meditor variis exſcindere pœnis.
Miſ. Heu dolor! vltrices precor ô germana querelas

Depo

Digitized by Google

Deponas. *Iuſt.* Ita corde ſedet. *M.* Nil tale mineris.
I. Excedent iam facta minas. *M.* Heu cruda ſororis
Vulnera. *I.* Mucronem viden'hunc, in cæde natabit
Inſolita: lati ſpumabunt ſanguine campi.
M. Hei mihi quas lacrymas percuſſa mente profundam,
Sanguinei ſi forte cadant tot flumina roris?
I. Iam fletus depone. *M.* Dolet tot millia gentis
Enſe meti. *I.* Sic iuſta iubet vindicta Tonantis.
M. Summe Parens, quos tanta iubes in damna vocari?
I. Mortales. *M.* Quæ cauſa? *I.* Nefas. *M.* Tantum ne malorum
Admiſſum? *I.* Tantum. *M.* Quæ crimina. *I.* Magna. *M.* Sed ipſe
Humanas pietate vales demittere noxas.
I. Ire nefas impune, nefas. *M.* Ergo ne tuorum
Immemor in vanum pariere tot ire labores?
I. Ergo quid? infeſto qui numen marte laceſſunt,
Marte cadant: mihi iuſta nouas vis ſuſcitat iras.
Eia age, mortales manus impigra funde cohortes?
Rumpe moras: iam tempus adeſt; vlciſcere; bella
Dira ſonent, tantiſque immugiat aura procellis.
M. Siſte precor Germana. *I.* Precor deſiſte morari.
M. Parce precor. *I.* Nullum ſupereſt iam parcere tempus.
M. Tela parum depone manu. *I.* Sine, feruidus inſtat
Enſis, Olympiaco propugnaturus honores.
M. Has te ego per lacrymas quæſo, per ſi quis Olympi
Tangit amor, miſerere, preces ne deſere noſtras;
I. Quid me tot precibus ſoror ô germana fatigas?
M. Iuſtitiam ſeruare decet. Miſereſcere maius
Eſt opus. *I.* Indignæ quid me miſereſcere proli
Ipſa iubes? *M.* Honor indignis eſt parcere turbis
Amplior. *I.* Abſiſtas vanis me flectere votis.
Ire libet. *M.* Ne perge ſoror. *I.* Claudantur Auerno
Agmina diuinos toties violantia iuſſus.
M. Heu dolor! heu noſtro defige in pectore telum,
A reliquis auerte malum. *I.* Dabis improba pœnas
Improba gens, ſcelerum tantis imbuta venenis.
M. Huc acies ô ſumme Parens conuerte, querelas
Excipe quas duro Germana ex corde retundit.
I. Suppliciis frænabo ſcelus. *M.* Miſerere cadentum,
O qui res noſtras oculis pater aſpicis æquis!
I. In clades, in tela ruant. *M.* Auerte furorem
Summe Parens, ſi iuſta precor. *I.* Voret improba vortex
Agmina Tartareus. *M.* Fieri ne talia manda
Terrarum, cœlique potens. *I.* Religata catenis
Turba gemat. *M.* Rigidos prohibe de vertice nodos.
I. Iam meus effuſo rorabit ſanguine culter.
M. Hei mihi! tam dirum nequeunt mea ferre dolorem
Viſcera; pone modum nutu qui cuncta gubernas
Inferiora tuo. *I.* Pœnis modus adſit. *M.* Amorem
Mitte tuum, qui tanta nigri de faucibus Orci
Agmina ſupremas in luminis efferat auras.

SCENA III.

AMOR *Chriſti*, IVSTITIA, & MISERICORDIA.

Amor. Diuino producta ſatu, virgo vtraque, mundi
Grandis honos, ſuperi decus immortale ſenatus
Saluete. *Iuſt.* Æternum ſis felix armiger alti
Numinis. *Miſ.* Aduentúmque tuum bene vertat Olympus.
A. Veſter in æthereas ſe clamor ſuſtulit oras,
Audiit omnipotens varias per inania voces
Hinc atque hinc veſtras dubio certamine lites
Ire videt, faciles tunc ne diſcordia mentes
Occupet, ac bellum germanis ſæuiat armis,
Me vocat, & lites (inquit) compone ſororum,
Haud paſſus ſæuire animis, & longius iras
Ducere: tunc celeres vibro per inania pennas;
Electus veſtri certaminis arbiter adſum.
I. Tempore veniſti *M.* Noſtras optatus ad oras
Accedis. *I.* Sed noſtra tuo ſententia voto
Firmior exiſtat. *M.* Per te victoria nobis
Accidet, hæc animos nutrit ſpes vnica noſtros.
A. Cui melior ſit cauſa (nihil contendere verbis
Hic opus eſt) olli certam victoria palmam
Afferet, & iuſto dirimentur iudice lites.
Ergo agite pariter veſtras expromite cauſas.
Singula iam lancis librato examine penſo.
I. Æthereis nutrite rogis, fax vnica cœli,
Huc animos, huc corda precor, genus omne parentis
Primæui de ſtirpe ſatum, magnóque Tonantis
Munere terrarum, pelagíque extrema potitum
Compos olympiaci tot diuos inter honoris,
In ſcelus, in noxas fuſis prorumpit habenis;
Flagitiûm creuere notæ, contagia culpæ
Accreuêre, nefas late dominatur in orbe.
Aſt ego tot ſcelerum flagrare licentius ignes
Non fero, ſed vaſtas vitiorum exſcindere moles
Nitor, & impoſitis reſtinguere crimina pœnis.
Hæc vetat: innectítque moras, ac voce dolores
Mitigat, & blandas interſerit ore loquelas;
Te precor infandos liceat conſumere mores,
Effuſóque meas intingere ſanguine dextras
Iuſtitiæ, ne iura labent. *A.* Opponere contrà
Perge quid aduerſus germanam corde volutes.
M. Patris amor diuine, poli clariſſima lampas
Crudeles hominum cogor deflere ruinas
In pœnas, in damna trahi germana cohortes,
Quas ſuperæ finxere manus, diſcrimine nullo
In ſtygias labuntur aquas, tot millia gentis,
Quàm ſuperis inferre locis prior vna Tonantis
Cura fuit. Grandis dolor oſſibus hæret in imis.
Liquitur in lacrymas vultus, præcordia diro
Rumpuntur gemitu, quatiunt ſuſpiria pectus.
Siccine mortales oculis me cernere pœnas?
Me clades, tormenta, neces? abrumpere vitam
Præſtat, & humanas oculis auertere cædes,
Infandum frænare ſcelus, compeſcere mores
Tartareos, dignum eſt. Scelerum medicina, ſed vnà
Parcere. nam multos tenet indulgentia, multos
Pœna grauis, ſcelerum maiores ducit in auſus.
Ergo per æthereas te quæſo Numinis aras
Affer opem, mihi dexter ades, da tela ſororis
Declinare, viros tantis efferre periclis.

Am.

Digitized by Google

Am. Vtraque compoſitas arcano in pectore cauſas
Protulit, en noſtrum ſonat in certamine votum
Arbiter infandas ſcelerum meminiſſe cateruas
Expedit. *M.* Æternum diuini Patris amorem
Inſpectare decet. *I.* Niſi ferro nata coërcet
Crimina, naſcentur paſſim grauiora. *M.* Bonorum
Semina marceſcent, radicitus omnia ferro
Si tollit germana ſuo. *I.* Sunt crimina pœnis
Caſtiganda. *M.* bono cumulanda eſt munere virtus.
Am. Sit ſatis, ambarum cognoſco in lite querelas.
Iudicium ſpectare meum. *I.* O ſi noſtra ſecundas
Iudicio nunc vota tuo! quas improba pœnas
Turba dabit? quanto ſtillabit ſanguine mucro?
M. O ſi iudicio tam iuſta optata probentur
Noſtro tuo! quàm multa virûm de vertice tela
Auertam? quantis exoluam membra catenis?
A. Audite, & veſtras tandem componite lites.
Vtraque iuſta petit, inſtam gerit vtraque cauſam:
Diuinæ ſtatuunt leges, & parcere dignum eſt,
Et meritas ſcelerum cumulis expoſcere pœnas.
I. Ergo quid? vltrices inquiram ad funera tædas.
Per te iuſta datur vindictæ copia: vici.
M. Non ita, non germana, meis ſententia votis
Illa fauet: caſus hominum miſerebor atroces,
M. State, quid ex vno certamine pugna ferocit
Acrior? ardentem pergo componere litem.
Ipſe meis humeris mortalis pondera culpæ
Dura feram, meritiſque dabo, tot munera noſtris
Digna viris. In me Iuſtos germana furores
Exacuat: tu blanda tuis mortalibus iras
Supremas auerte. *M.* Nouum, ſed iudice dignum
Iudicium. *Iuſt.* Mirum tanto in luctamine fœdus!
Me ne tibi ſæuire? *A.* Mihi iuſtiſſima ſæui:
Fas, & iura ſinunt. *M.* Hominum me parcere proli?
Me diros miſeris tot propulſare labores?
A. Humanas miſerere neces; fert dextera genti
Præſidium. *Miſ.* Iam cuique ſuum compleuit Olympus
O ſoror optatum. *I.* Ceſſent certamina, ceſſent.
Am. Ne qua ſit vlterior diſcordia, iungite dextras.
M. Iungimus. *I.* Æterna dextras cum pace ligamus.
A. Dicite per collum concordi brachia nexu.
Iuſt. Ducimus. *M.* Amplexu compono fœdus amico.
Am. Inſuper, & veſtris mutate inſignia palmis
Quæ ſua cuique datam teſtentur pignora pacem.
I. Arma manus mutare libet. *M.* Cape noſtra. *I.* Minacem
Ipſa tibi concedo enſem. *M.* Iam nulla timoris
Cauſa manet, veteri mucronem in ſede recondo.
Am. Ergo tuo pietate foue. *M.* Iam proſequar amplis
Muneribus mea caſtra tuis. *Am.* Tu quicquid amori
Eſt mihi pendendum, pœnarum quicquid Olympus
Exigit, oſtendas. *I.* In te crudele paratur
Supplicium. *A.* Monſtra: geſtit mens vna labores
Cernere venturos. *I.* Properans acceſſo Rigorem
Qui pro criminibus ſubeunda exempla nefandis
Edoceat. *A.* Nimium flagrans expecto, volatus
Credo motas *I.* Volucres præuertam curſibus auras.
M. Interea laudes ſuperi cantentur Amoris.
I. Cantentur, ſuperi laudes iterentur Amoris.

SCENA IV.

AMOR *Chriſti*, RIGOR *Iuſtitiæ.*
Finito cantu Amor Chriſti.

Amor Chriſti ſolus. ARdeo, diuinas in pectore ſentio flammas.
O hominem! me quanta tuæ, me quanta ſalutis
Cura tenet; quantus mihi flagrat in oſſibus ardor?
Non vndæ, non Auſter aquis pluuialibus ignes
Accenſos in corde valent extinguere: totus
Subſidet pontus bibulis infuſus arenis,
Contigerit ſi noſtra ſuis incendia lymphis.
O hominem! te dura ſequar per tela, per enſes,
Per flammas; te dura ſequar per vulnera ſemper.
Fidus inhærebo lateri comes, omnia fines
Tranſiliant elementa ſuos, te ſemper in imo
Corde geram, noſtro tua pectore viuet imago
Iuſtitiæ proles venio Rigor: ipſa ſalutem
Ferre iubet veneranda parens. *Am.* Rigor optime ſalue.
Quæ mihi fare, tuæ geſtas mandata parentis.
R. Heu nequeo verbis tantum vulgare dolorem.
A. Dic age, nil crudele feres: Amor omnia vincet.
R. Vel meminiſſe dolet. *A.* Sed non mihi ferre dolebit.
R. Heu crudele nefas! grandis tibi. *A.* Præcine
R. Grandis.
A. Fare. *R.* Dolor tibi grandis adeſt. *A.* Mihi grande videri
Dic age, quid poterit? *R.* Tantum Rigor ipſe rigorem
Horreſco referens. *A.* Mihi nullus acerbior aures
Nuntius offendit. *R.* Mihi voces impedit horror.
A. Ne precor interpone moras. *R.* Scelus. *A.* Ade quid hæres?
R. Humanum. *A.* Iam perge. *R.* Tua. *A.* Dic.
R. Morte piandum eſt.
A. Vera refers? *R.* Dico. *A.* Verus mihi nuntius?
R. Aio.
A. Lætitia erumpo: quis lætior iret amori
Nuntius? *R.* O maior pœnis amor omnibus viuis!
A. Sic volo, ſic placet; humanum liber, ipſe piabo.
Morte nefas. *R.* Sed larga tamē tibi ſanguinis vnda
Effundenda. *A.* Meo firmabo ſanguine fœdus.
R. Conuellendi artus. *A.* Lacerentur ab artib. artus,
Ipſe feram. *R.* Sunt oſſa loco remouenda priori.
A. Omnia natiuis moueantur ſedibus oſſa.
Plura feram. *R.* Sulcanda notis ſunt membra canentis.
A. Membra cruentatis ſæuum lanientur ab hamis,
Perpetiar. *R.* Duro ponenda in robore vita eſt.
A. Nil ſuper arborea moueor cruce nudus, ad auras
Suſpenſus, malefacta luam mortalia: lætus,
Oblitúſque mei lethalia crimina pendam.
R. Mirus amor! quò certa tamen reſponſa parenti
Ipſe tui referam! mihi tanti ſponſor amoris
Redde fidem. *A.* Teſtor ſuperos, & olympica teſtor
Atria

Atria, me ſacro loturum ſanguine culpas
Mortales reparanda meo tot funera letho.
Rig. Promiſſi quæ ſigna dabis? *A.* Monumenta piorum
Cerne virûm, quibus ima mei tibi ſurgit imago
Funeris. *R.* Ecqua iubes mihi cernere? *A.* Cerne cadentem
Abellum, patria iugulandum cerne bipenni
Abramidem: tractum ſuprema in damna Ioſephum;
Et quæ plura ſacris radiant ſignata figuris.
R. Forſitan hæc oculis coram ſpectare iuuabit.
Nam mihi plura tuo repetenda ex ſanguine reſtant
Supplicia. *R.* En oculis cernes iam cuncta, rependam
Sed tamen ipſe tibi multò grauiora: theatro
Cedamus, dum cuncta oculis ſunt obuia noſtris.
A. Antiquam è latebris iuuat explorare figuram.

CHORUS.

Quanta diuinus rigor arma ſumit?
Quanta mortales vibrat in cohortes?
Quanta diffuſo lira purpurabunt
Tela cruore?
Blanda ſit blandis medicina plagis,
Grandibus grandis medicina morbis,
Dira tam dirum ſcelerum venenum
Vulnera ſanent.
Nulla ſed tantum reſecare virus
Plaga mortalis poteri: Tonantis
Ergo ſanabit pia mors nefandæ
Vulnera Gentis.

Actus ſecundus.

SCENA I.

Incipit LIVOR *ſolus*, CAIN.

Liu. EXedor, excrutior, diſrumpor, diſſecor, vror,
Sum Liuor, veſtis mihi liuida, liuida frontis
Tegmina. Quid facies? mihi liuida, denique totus
Liuidus aduenio Liuor, ſerpentibus horret,
Læua mihi, lethale ſedet ſub corde venenum.
Ingenium num fortè meum nouiſtis? adeſte,
Plus aliena bona auerſor, quàm incommoda noſtra.
Optarem gemino priuari lumine, vt vnum
Dumtaxat, quibus inuideo conuellere poſſem.
Malo nudari, quàm alienas cernere veſtes.
Eſuriam potius, reliquis quàm grata reponam
Fercula: ſucceſſus horum ſi fortè ſecundos
Aſpicio, totus tabeſco, triſtia riſus
Fata mouent, paſcunt alienæ pectora clades;
Quis tandem alterno firmat veſtigia greſſu?
Fallor; an huc triſtem video ſe ferre Cainum!
Ipſus adeſt. Conſurge manus, iam ſparge venenum?
Sibilet horrendum ſerpens hic noſter ad aures,
Siccine te natu maiorem cedere, fratrem
Ritè coli? proh grande malum! quod attrocius vnquam
Extitit? *C.* Igneſcunt furiæ: dolor oſſibus ardet.
L. Non iniuſta trahis ſuſpiria corde. *C.* Quid ergo?
L. En tibi qui primos rapuiſſe inſultat honores
Auſus inæquali ſe contra opponere fratri,
C. Me ne pati? rigido præſtat ſuccumbere telo,
Quàm mea fraternis poſtponi munera donis.
L. Nempe tuas contemnet opes: contemnet honores
Quos tua dextra ſacras libauit nuper ad aras.
Ipſe ſuas iactabit oues Germanus, & audax,
Quæ ſacra perſoluit radiantibus inferet aſtris:
Te nihili faciet, ſe præferet; hoc ne ferendum eſt?
C. Diſpereo: iam corda furor, iam pectora cæcus
Ardor agit: iam mentis inops, rationis egenus
Sæua fremo. *L.* Iuſtas in pectore concipis iras,
C. Excrucior. *L.* Tua iuſtus edit præcordia liuor.
C. Quid faciam? *L.* Sæuum minuet vindicta dolorem.
C. In fratrem vindicta? *L.* Tace, ſe præſtitit hoſtem.
C. Sic eſt: ille meos rapuit velut hoſtis honores.
L. Ergo age crudeles in funera ſuſcipe flammas.
Rumpe moras. *C.* Qua fraude cades Abelle? quibúſve
Te capiam Germane dolis? *L.* Face, robore, ferro,
Inſidiis, ni luce datur, ſectaberis! *C.* Auſus
Dextra nouos iam ſume. *L.* Nouum meditare furorem,
Rara per inſolitum veniet tibi gloria caſum.
C. Qua tamen arte doces Germanum cædere? *L.* Dicam,
Quære modum, quo frater agris ſpatietur apertis,
Dúmque dolos credit male ſanus abeſſe latentes,
Ter quater à tergo valida conſurge bipenni,
Et celer aduerſo capulo tenus abde ſecurim.
Tunc pede porrectum calcabis corpus arena.
C. Ea gradus moueo, fratre aduenante, redibo.
L. Aſpirat fortuna tuis non inuida ceptis.
Regnare incipio, totus mihi ſeruiet orbis.
Sceptra manus iam noſtra decent: fortuna miniſtret
Inclyta: concordes vario certamine leges
Miſcebo, populos armis agitabo quietos
In clades, in bella fide ſociata reducam
Agmina, & vnanimes armabo in prælia fratres.
Quis dubitet? Quis tanta neget iam robora dextris
Inſediſſe meis? ne longè exempla petantur;
Fraterno primi maduerunt ſanguine campi.

SCENA II.

ABEL, CAIN, SANGVIS
Abel.

Ab. ACceptas gratabor opes, dum paſcua flores
Emittent; dum pulchra ſuis ſe frondibus arbos
Induet, & noſter dum vellera proferet agnus,
Semper ad æthereas noua munera, ſemper ad aras
Dona feram: ſi magna polus dedit, ipſe rependam
Magna polo; ſi parua tulit, non magna repoſcet.
C. Fallor? an eſt. *A.* Vtinam. *C.* Loquitur Germanus. *A.* In omnes
Is penetraret amor. *C.* Bene iam res acta. *A.* Teneret
O vtinam ſimilis fratrem. *C.* Mén'? *A.* Cura Cainum.
C. Quid? *A.* Sed vota leuis capit irrita ventus. *C.* At ipſe

Jam mea complebo. *A.* Rerum pater optime. *C.* Fruſtra.
A. Huc oculos conuerte pios, ne prima tuorum
Germina demittant ſcelerum ſub pondere collum
C. Haud manibus labêre meis. *A.* Me dira parentum
Crimina, fraternis cumulentur poſtea noxis.
C. Nil ſuper his moueor. *A.* Fratris, pater optime, fratris
Tangit amor. *C.* Noſtri te cura remordet? ouilis
Quæ tangit ſic credo lupos. *A.* Perdura malorum
Præcipitem ne quæſo ſinas abrupta moueri.
C. In vanum tot verba. *A.* Meos precor optime rerum
Conditor in fratrem iubeas reuocare fauores.
C. Aggredior verbis hominem, quid inania iactas
Verba puer? *A.* Quis adeſt? *C.* Noſti n'? *A.* Feliciter opto
Frater ades. *C.* Quid agis? *A.* Pro te ſub corde tonantem
Imploro. *C.* Num fortè cupis mea pinguia caulis
Iungere rura tuis. *A.* Meditor nil tale, quod ipſe
Poſſideo, ſi fortè velis tibi largiar. *C.* Eia
Feſtinos Germane gradus in arua feramus.
A. Quò frater nunc ire iubes? *C.* In rura. *A.* Quid inde
Ferre libet, *C.* Nihil: at patulis ſpatiabimur agris;
Accelera. *A.* Timeo. *C.* Venias. *A.* Præſaga mali mens.
C. Perge: quid? inuitus ſequeris? *A.* Non frater, adibo
Quo me cumque vocas. *C.* Aude manus, arma parentur.
Prompta ſatin': bene prompta meum referentur, vſum:
Accelera Germane. *A.* Tuos iam proximus ipſe
Calce pedes inſiſto. *C.* Viæ comes occidet. *A.* Vltra
Quò petimus, Germane agros aduenimus. *C.* Audax
Quas pœnas hoc iure dabis? *A.* Me in rura vocaſti
Vt rigido premeres telo. *C.* Compeſce, cruentas
Experiere manus. *A.* Tantum Germane ſubibis
Auſe nefas? *C.* Depone preces: moriere. *A.* Quid vrges?
Siſte gradum. *C.* Moriere. *A.* Preces pater optime iuſtas
Excipe, Germano tenuit quas pectore frater.
C. Ne quicquam. *A.* Iam tolle minas. *C.* Non vſque minabor.
En caput. *A.* Heu. *C.* Credo tibi findam robore. *A.* Telum.
Summe parens auerte. *C.* Nihil: iam fuſte cerebrum
Elido. *A.* Heu morior, morior. *C.* Nunc ſolus in orbe
Sceptra geram, gaudebo, fruar, dominabor, & omne
Sub pedibus frænabo malum. Sed quis mihi tundit
Oſſa pauor? quæ membra labant formidine? fratrem
Aſpicio? An noſtros excita è ſedibus imis
Anteit vmbra pedes? pauco, tremor occupat artus.
Sang. A. Heu, heu, heu, vindicta mei, vindicta cruoris.
C. Me miſerum! quid agam? tremo, diſſecor, horreo totus.
S. A. Iuſtitia ô Iudex, ô Iudex iuſta cruoris.
Iuſtitia, ô iuſtas fuſo pro ſanguine pœnas,
C. Me procul abripiam, pedibus timor afferet alas.

Scena III.

Amor *Chriſti*, Rigor, Sangvis *Abel.*

Am. Ch. Clamat ad æthereas. *Sang.* O iudex! *A.* Clamat ad auras
Sanguis. *R.* Et ad iuſtas ſcelerum me prouocat iras.
A. Illo feſtino greſſu properemus. *R.* Eamus
O iudex vindicta mei, vindicta cruoris.
Non impune nefas tantum procedet. *A.* Amori
Tot pœnas inflige Rigor. *S.* Vindicta, *A.* Cruorem
Ipſe cruore luam; iam cæde. *R.* Minantia ſupra
Tela vides. *A.* Video. *R.* Fuſo pro ſanguine telis
Summittes iam colla. *A.* Libens: quin pectore plures
Excipiam plagas. *R.* Viden' ipſa vt debita tanti
Sunt immenſa mali. *A.* Noſtri quoque pignus amoris
Immenſum eſt. *S.* Vindicta. *R.* Viden' quàm pergit ad aures
Vindictam clamare cruor. *A.* Satis audio: noſter
Sanguis olympiacas meliùs clamabit ad auras,
Inclamabit Amor, Pietas, Clementia; iuſtas
Parce puer clamare minas, reus ipſe cruoris
Ad pœnas accedo tui. *R.* vindicta paratur
Magna tibi: nunc perge, Cain quas pendere pœnas
Morte nequit, ſuperi ſanguis perſoluat Amoris.
S. Noſter diuino redimetur ſanguine ſanguis?
A. Vidiſti, quàm certa mei tibi dantur amoris
Pignora? *R.* Sat video, plures tamen exigo pœnas.
Quàm quas Abello fraterna iniuria nuper
Intulit. *A.* O quantus pœnarum (ſidera teſtor)
Ardor agit mentem; minus eſt quodcunque laboris
Intuleris, quàm noſtra ſibi vis poſcit amoris.
A. Accipio promiſſa: fidem ne deſere. *A.* Quamuis
Terra labet; cœlum nutet; conuulſa ruinam
Aſtra ferant, non ipſe meis fraudabere votis.
R. Credo, ſed vlterius mihi pignora ſanguinis adſint
Vera tui. *A.* Iam plura tibi manifeſta dabuntur;
Cedamus. *R.* Iuuat ad ſedes remeare priores.

Scena IV.

Abraham, Amor *Patris,* Obseqvivm *Diuinum.*

Abrah. Semper ad æthereos intendi lumina nutus
Longinqua regione ſatus: cœlo auſpice, cœlo
Ignotam monſtrante viam; per inhoſpita moui
Rura pedes: patrios alia cum gente penates
Mutaui, varios terræ, cœlique labores
Suſtinui, iuſſas effœto in corpore plagas
Impreſſi; nihil ætherei mihi iuſſa tonantis
Impoſuere, nihil, facili quod ab aure voluntas
Noſtra recuſaret; ſed quis modò pectora iuſſus
Noſtra quatit? quod prompta mihi præcordia tangit
Imperium? quo ſumme parens languentia fracti
Membra ſenis nunc ire iubes? ad Moria ducis?
Vt quid, an vt moriar? mortē mihi Moria gignent.

Scilicet

Scilicet heu charum mihi iuſſum eſt tollere prolem
In iuga celſa; manus rigidis conſtringere nodis
Poſt tergum,& ſæuam moliri in colla ſecurim.
Am. Quid? tantùm ne malum pater ô tibi præcipit æther?
Proh durum imperium! proh dura iniuria cędis!
Quò patrius vertetur amor? *Obſ.* Quod mandat Olympus
Detractare,nefas. *Ab.* Vario luctamine pectus
Soluitur, *Am.* Impietas horrenda eſt cædere natum,
Parce pias ſcelerare manus Abrahame. *O.* Tonātis
Legibus obſequium debes præſtare;neceſſe eſt
Sedulus arripias diuini iuſſa parentis.
Ab. Heu dolor heu! *Am.* Patriis ne filius occidat armis?
Occidat. *Ab.* Heu. *Am.* Patrias ne proiice pectore curas.
O. Proiice. *Ab.* Proh! *Am.* Sæuum tua ne manus induat enſem?
O. Induat. *Ab.* Hei. *Am.* Charam in prolem reſtringere ferrum?
O. Stringe. *Ab.* Dolor! *Am.* Patriis hæredem occumbere telis?
O. Occumbat. *Ab.* Crucior. *Am.* Te nati ſanguine tingi?
O. Tingere. *Ab.* Proh! quanta lacerant mihi pectora curæ?
Hinc patrius compellit amor; ſed Numinis illinc
Iuſſa mouent:patrius diuinis legibus æquum eſt
Cedat amor, feſtino: meum iam. *Am.* Siſte,quid audes?
Ab. Accerſo natum. *Am.* Te comprime. *O.* Perge. *Am.* Quid inſtas?
Continuas Abrahame gradum. *Ab.* Diuertere. *Am.* Nunquam.
O. Sterne ſolo. *Ab.* Rurſus dico,diuellere. *Am.* Fruſtra.
O. Labere. *Am.* Nequaquam:iam collo vincula nectam.
O. Effuge. *Ab.* Quin potiùs deluſis vincula nodis
Diſrumpam. *Am.* Pereo. *O.* Sic vltra perge rebelles
Infrænare animos. *Ab.* Pedibus iam ſubdere noſtris;
Diſceque diuinis nunquam te opponere iuſſis.
Am. Vincor ab obſequio diuino. *O.* Vincere & auſus
Redde noui meritas mihi penas. *Am.* Vincor ab ipſo
Abrahamo, perij. *Ab.* Ter calcibus ilia tundo
Feralis monſtri. *O.* Fallacibus exue vinclis,
Exue: ne pergat nodos intendere colo.
Diripiam. *Am.* Ne quæſo. *Ab.* Tuis exoluere vinclis
Quæ mihi tentabas innectere:cuncta peribunt.
Heu mea vis periit. *O.* Natum iam quære. *Ab.* Libenter.
O. Hinc tu deuictus celeri te proripe curſu.
Am. Cedo,nec Abrahamum poſthac in bella laceſſam.
O. Magnus in aërio mihi ſurgit in orbe triūphus;
Magnus honos;natura cadet,reuerentia ſummi
Patris ouans, cœlo victricia ſigna locabit.
Qualia diuini fiunt modò ſemina terris
Obſequij? quales naſcentur ſemine fructus?
Quantaque fertilib. veniet ſeges inclyta culmis?
Ipſi vel è ſuperis veniet Deus editus oris:
Diſcet & æterni venerari iuſſa parentis.
Diſcedo, nam noſtra parens poſt terga profatur,

Mendoça Viridarium.

SCENA V.

ABRAHAM, ISAAC *Oraculum.*

Abr. Ritè ſub aërium diuina piacula montem
Aduenio facturus: ades mihi filius. *Iſ.* Adſum.
A. Quas mihi ſumme parens dederis, per ſacra rependam
Lætus opes, quæ larga mihi das munera, creſcunt
Obſequiis colla tuis. *I.* Quò pergimus? oro,
Dic pater. *A.* Ad collem filij properamus. *I.* An ille
Diſtat adhuc? *A.* Quid? adeſt. *I.* Humeris quàm multa recumbunt
Ligna meis. *A.* Succumbis? ego te hoc faſce leuabo.
I. Ergo meas ad ſacra manus accingo: quid vltrà
Immoror,& celeres produco longiùs horas?
En abſunt quæ cuncta valent in ſacra requiri,
Ligna iacent,& culter adeſt,& flamma;ſed vna
Victima non patet, quæſo pater vnde petenda eſt?
A. Parce precor cogitare puer: cura iſta Tonanti
Corde ſedet. *I.* Si fortè libet, velocior Euro
Ad noſtros remeabo lares,& pinguia ſeptis
Corpora taurorum, vel ouili parua minoris
Turba gregis,properè ſacras referentur ad aras.
A. Heu ignara mali, ſupremi neſcia facti
Pectora!quàm triſtes oculi ſoluuntur in imbres?
I. Quid gemis? incaſſum nos huc veniſſe?querelas
Mitte precor: totis errabo ſedulus aruis;
Et prædam, ſi fortè meis obtutibus vnquam
Occurrat, feriam; multáve indagine fallam:
Quam modò diuini ſiſtas ad numinis aras.
A. Heu dolor! heu, ſtudiis natus fallacibus errat,
Sed patriis flumen lachrymarum exundat ocellis.
I. Quid lachrymas? quòd nulla tuo cadet hoſtia ferro?
Quæſitum nunc ire iube,quod ſæpe ro gaui.
Nec dubita quin præda tibi mox detur vt optas.
A. Non is nate dolor mentem, non iſta remordet
Cura meam:nec præda deeſt, nec victima ſacris.
I. Quid?pecus,& validi tibi ſunt in ſacra iuuenci?
Non video, qua rupe latent? *A.* Heu nate! *I.* Quid optas
O genitor? *A.* Doleo! *I.* Qui rumpunt corda dolores
Ingentes. *I.* Iam parce:ſacris operemur,& vnde
Victima quæratur, doceas. *A.* Heu nate. *I.* Quid vltrà
Ingeminas queſtus? *A.* Noſtros dolor exedit artus.
I. Mitte parens luctus:lætas ſolennia voces
Sacra petunt. *A.* Tantum nequeo mi nate dolorem
Mittere. *I.* Ne lacruma:lachrymis nō hoſtia fuſis
Grata Deo. *A.* Quid agam?ſcindit præcordia mœror.
I. Ni potes ô genitor perſoluere ſacra Tonanti
Præ lachrymis,oſtende quibus ſolennia tauris
Ferre decet; ſolito mox ipſa piacula ritu
Exequor, & ſacris adolebo viſcera flammis.
A. Heu dolor,heu,non iſta tuis ſolennia dextris
Offerri mi nate valent. *I.* Non? occidet enſe
Victima quæque meo:taurorum colla ſecuri
Iſta graui fudentur humi. *A.* Non ſanguine fuſo

Digitized by Google

Taurorum, pecudúmve anima modò nate litandum eſt.
Iſ. Quid? res mira! ſacrum, Genitor, ni fallor inibis
Inſolitum. *Abr.* Cunctis ſacrum (nec falleris) oris
Inuiſum aggrediar. *I.* Quibus, oro, altaria cinges
Muneribus? quo rore chalybs, quo ſacra tepeſcent
Sanguine? *A.* Iam promptas aures aduerte, docebo.
Humanus, mi nate, cruor fundendus ad aras.
I. Humanus? ſed nullus adeſt; quæ membra cruorem
Iſta dabunt? *A.* Heu. *I.* Fare. *A.* Dolor præludit cunctis
Vocis iter. *I.* Iam tolle moras. *A.* Heu iuſſa Tonantis
Æqua, ſed humanis nimium nimium aſpera dextris.
Abramides, mi nate, vetat, ſed longiùs altus
Ire dolor. *I.* Ne ſiſte parens. *A.* Mi nate: ſed ingens
Verba retro cogit luctus. *I.* Dic, comprime luctus.
A. Aſpice quod ferrum vaginâ libero. *I.* Cerno.
A. Hoc tua diuelli ſuperi mandata parentis
Colla iubent, dextris morientis, nate, paternis.
I. Me ne mori? ſacris me numen deſtinat aris?
A. Te, mi nate. *I.* Necis quæ cauſa? *A.* Suprema voluntas
Hæc tibi cauſa ſatis. *I.* Diuina capeſſere fas eſt
Iuſſa, pater, rigidos in me pater exue cultros.
A. Nil moror. *I.* Heu patriis occumbam filius armis.
A. Lignorum iam nate ſtruem compone. *I.* Faceſſo.
Hic torus, hic noſtrum ſeruabit funus amico
Amplexu, quàm grata meis datur oſſibus vrna.
Hunc ego lignorum portaui viuus aceruum:
Hic noſtrum alterna retinebit ſorte cadauer.
A. Sat bene iam dextras rigidis puer inſere nodis.
I. Exequar, ac noſtro feriendam tegmine frontem
Dirigo: nunc miſero ſupremos ferre parenti
Me iuuat amplexus: genitor mihi chare, ſupremum
Sis felix, hoc ſume mei tibi pignus amoris.
A. Æternum, mi nate, vale tu cura ſenectæ
Vna meæ: ſine te ſolidos inglorius annos
Traducam. *I.* Iam tende manus, quibus vltima figam
Oſcula, queis noſtrum genitori teſter amorem.
A. Ergo tuum venerare manus in funus ituras.
I. Quin etiam poſitis venerabor vincula labris.
A. Illa tuas ſtringent palmas, tu reddis honores.
I. Nunc mea complectar voluenda in colla ſecurim.
A. O pietas, ô mira fides! complectere ferrum
Quo plectendus eris. *I.* Noſtri quoque pignus amoris
Ligna ferant: veſtris quàm lætus ab ignibus vrar?
A. Heu mihi nate, rogis moriere voracibus vſtus;
Ipſe, ſed in mœſtis lachrymarum naufragus vndis
Diſpereo. *I.* Iam terra vale, iam ſumma valete
Sidera, iam valeant montes, valeatis & vrbes.
A. Heu quantus, mi nate, dolor præcordia rumpit!
Rurſus in amplexus genitor me verto ſupremos.
Viue parens, ſuperaque diu. *A.* Te, nate, perempto
Emoriar. *I.* Iam dura meas in vincula palmas
Inſero. *A.* Poſt tergum religanda, ô nate, catenis
Brachia. *I.* Poſt tergum rigidis conſtringe catenis.
A. Heu dolor! heu pietas! in tales patria nodos
Dextra labat, ſed iuſſa libet properare Tonantis.
Ergo volubilibus religetur natus habenis:
Iámque plagas innodo plagis, iam vincula vinclis
Innecto, varios iam nexibus implico nexus.
Nunc ô nate veni ſacras mactandus ad aras.
I. O genitor, quò ferre libet, veſtigia ducam.
Lætus ad ætherei properabo altaria patris
Victima, fulmineum iugulo nec deprecor enſem,
A. En tibi lectus adeſt; in duro, nate, ſedili
Pone caput: tam dura tuis ceruicibus ara
Mollia compenſet primæ incunabula vitæ.
I. Cuncta libens mandata ſequar, genibúſque volutus
Ad ſuperas tendo lachrymantia lumina ſedes:
Lumina; nam teneras conſtringunt vincula palmas.
Summe parens, quas ire iubes, has lætus ad aras
Aduenio. *A.* Quantos imo ſub pectore fletus
Verba mihi tam blanda mouent. *I.* Extrema ſubire
Fata iubes? moriar, plures mihi ſuffice vitas,
Effundam plures; animos mihi ſuggere plures,
Plures donabo. *A.* Quantum vis poſſit amoris
Mecum ſuſpicio. *I.* Mihi cùm grauiora minaris
Vulnera, ceruicem grauioribus offero plagis.
A. O diuinus amor, pueri qui blanda reſoluis
Corda metu, duce te, properat moriturus ad aras.
I. Non gladium, non vincla queror: non fata, nec ignes,
Cuncta feram; ſolùm meritas mihi deprecor iras.
A. Innocuum iam carne caput. *I.* Cui mitior iras
Emolli, pater alme, tuas, auerte furores.
Accipe, qui noſtra fluet è ceruice cruorem.
Quíque ſolo fuſus, tibi inſtas molliat iras.
A. Sat votis, precibúſque datū, iam ſacra parentur.
Tempus adeſt: accede, thoróque incumbe. *I.* Reclino
Aggere lignorum feſſum caput. *A.* Ipſa tegantur
Lumina ne videant venientem è vertice plagam.
I. Lux ſuprema vale: cæca in caligine poſthac
Semper ero. *A.* Proh quanta meo nox incubat ore,
Dum tua luminibus remouentur lumina noſtris,
Sæua ſed innocuas denudo in vulnera fauces.
I. O ſupreme parens, ô magni cura Tonantis!
O ſuperi! ô diuum proles! ô clara ſenatus
Caſtra Dei! *A.* Superæ, fili, mihi crede, cohortes
Agglomerant, gaudéntque tui ſpectacula fati
Cernere: iam ferrum, ſed tali pondere dextra
Victa cadit: gladium rurſus comprendo: paternas
Summe parens tā dura regas in vulnera dextras.
Vnius & patrem, & natum num immolet ictus.
Ang. Abrahame, Abrahame. *A.* Æterna compellor ab arce:
En adſum. *Ang.* Voluiſſe ſat eſt; iam deſine ferrum
In natum librare tuum: ſpectata fidelis
Signa animi, cœlo, terríſque Abrahame, dediſti,
Nunc acies attolle, vides, quàm multa coruſcent
Aſtra polo, quàm multa maris per littus arena
Fuſa iacet; (noſtrum tibi teſtor numen) honorem
Pignoro, tam multos tibi clara à ſtirpe nepotes
Affore, quo largis cumulabo in ſæcula donis.
Iam puerum ſolue, & patrios inuiſe penates.
A. O me felicem! iam, nate, attollere: rurſus
Obuia luminibus fiant tua lumina noſtris.
I. Quæ noua ſtat rerum facies? quæ forma? quis ordo?
Viuo? ſuperſtes erit Genitori nate. *I.* Superſtes?
A. Iam vinclis enodo manus. *I.* O mira Tonantis
Cura mei! ſuperas venio rediuiuus ad auras?
A. O pietas, ô mirus amor? tu fata minaris
Vltima, ſed vitam duplicato munere reddis.
I. Viuus, & emoriens, locuples & pauper, & æger
Semper ero, pater alme, tuus; quæcunque meatum

Sit rerum fortuna, tuum, pater optime, ſemper
Vertar in obſequium. *Ab.* Venturam in ſecula prolem
Quam mihi promittis, patrius ſimul hauriet enſis,
Hoc tibi ſi placitum. *Iſ.* Quoties mihi iuſſeris enſi
Subdere colla tuo, ſubmittam; cuncta laborum
Pondera, demiſſa tollam ceruice per auras,
Si iubeas hoc, alme parens. *Ab.* Iam Moria tempus
Linquere: ſed tantis prius expedit addere nomen
Collibus: huc acies ſuperi conuerſa Tonantis,
Et patris, & nati durum miſerata laborem,
Hæc etiam monumenta ſuo de nomine dicat.
Ad patrios iam, nate, lares, remeemus. *Iſ.* Eamus.

SCENA VI.

RIGOR *Iuſtitiæ*, AMOR *Chriſti*.

Rig. HÆccine tantorum ſcelerum mihi pignora dantur?
Flagitiûm moles pretio redimetur inani?
Tanta lues ſcelerum tam parua piacula poſcit?
Hîc vbi ſanguis? vbi ſcelerum medicata venenis
Pœna fuit? non vlla rubent infecta cruore
Tela, nec accenſis violantur pectora tædis.
Ergo minis crudele nefas reſecabitur? abſit,
Non ita, non; maiora ſibi vindicta Tonantis
Flagitiûm tormenta petit; maioribus ingens
Culpa focis abolenda; graui medicamine vulnus
Tam graue ſanandū eſt: pœnæ cumulentur atroces,
Non pietas, non blanda valet clementia tantum
Infrænare ſcelus, iam tela minantia tela,
Dextra rotet, pereas tandem; ruat, occidat armis
Dilacerata meis hominum ſcelerata propago.
Non ego non lachrymis ſenioris flectar Abrami,
Non precibus, votiſque, tuæ nec flore iuuentæ
Abramides generoſe puer, me parcere tantis
Flagitiûm cumulis, tantúmque impune per orbem
Diſſimulare nefas? leuibus perſtringere pœnis
Crimina, tartareis nunquam minuenda caminis,
Indignum eſt; quacumque meus vibrabitur enſis,
Cuncta metet, non vlla ſinet, nec fœdera curo
Quæ mihi tam facili iunguntur pignore: cedo.
Sed væ, væ, cui tanta Rigor tormenta minatur?
A. Quis furor, ô proles Aſtrææ, tantus in alto
Corde ſedet? quæ cauſa nouos in mente furores
Excitat? vltrices faciem quid vertis in iras?
R. Non iniuſta queror. *A.* Doceas precor. *R.* Hæccine reddis
Pignora firmandæ pacis? num tanta paciſcar
Debita, tam vili pretio redimenda? ſuperſtes
Iſacus eſt, patriiſque ſedet non læſus in aruis;
Expertúſque minas, gladij nec tantula ſenſit
Damna mei, tam parua meus Rigor inferet orbi
Supplicia? an mites ſoboles dabit improba pœnas;
A. Sume animos, depone metus, compeſce furores.
Non impune feres ſcelerum tot pondera volui,
Omnia diuino rutilabunt tincta cruore.
R. At mihi quod fidei monſtraſti pignus, ab enſe
Intactum eſt, nec vulnus adeſt, nec ſanguinis vndis
Purpurat. *A.* Heu tardas aliena in vulnera, tardas
Verto manus: noſtris celeres infligo ſagittas
Artubus. O vtinam noſtris incumberet harmis
Omnis in humanas pœna intorquenda phalanges!
Ne dubita, quæ tela, neces, quas effugit vnus
Iſacus, in noſtrum vertentur iuncta cruorem.
R. Hoccine promittis? *A.* Promitto. *R.* Porrige dextram.
A. Porrigo. *R.* Librato ceruicem ſubdere ferro
Audebis? *A.* Non vana fides, nil altius imo
Corde iacet. *R.* Nec crede tibi de pluribus vnum
Affore cœlicolam; medio qui à vertice telum
Deflectat veniens, & in aëra ſoluat apertum.
A. Sat teneo, non tela meis ceruicibus ibunt
Irrita: maiores quæſo, pater optime, vires
Sufficias, grauiora feram tormenta; quid optas
Amplius? an moriar? moriar quoque. *R.* Grandis amoris
Feruor & humanæ cura indefeſſa ſalutis!
Victor es, & noſtrum ſuperas Amor ipſe rigorem.
A. Sed tibi plura dabo (ſi quæris forſan) amoris
Signa mei. *R.* Quæcumque tui monumēta ſub imo
Pectore ſeruabo; iuſtas ea pignora flammas
Paulatim minuent. *A.* Eadem mihi pignora amoris
Maiores acuent flammas: cedamus arena;
Omnia dum patulo dantur ſpectanda theatro.

SCENA VII.

Duo fratres Ioſeph, SIMON & LEVI.

Sim. NOs pater exercet crudeli mole laborum;
Semper oues, ſemper teneros cum matribus agnos
Per iuga, per valles, per inhoſpita ſaxa ſequemur?
L. Heu labor immenſus! gelidis concreta pruinis
Membra rigent, pereo ventos perpeſſus, & imbres
Nocte ſuper media: ſi quando maximus agros
Syrius exurit: nimio torrentur ab æſtu
Viſcera. *S.* Dilapſus totis fluit artubus humor,
Indignum facinus! patriis cur otia tectis
Frater agit? *L.* Neſcis, meditatur ſceptra Ioſephus.
S. Quid? *L.* Res vera. *S.* Minor tantos ſe frater in auſus
Erigit? *L.* Haud dubium. *S.* Quæ tanta inſania mentem
Occupat? *L.* Hos animos inſomnia falſa dederunt.
S. Texe precor tantas ambages: texe meatus
Inſolitos. *L.* Audi, cecinit per ſomnia noſtros
Ante ſuum medio poſitos in rure maniplos
Incuruaſſe genu: Solem quoque, ſydera, Lunam
Se coram flexiſſe caput; iam talibus audet
Auguriis fratrum regnum ſperare ſuorum.
S. O caput infidum! noſtris dominarier aruis
Optat, & imperio fratres ſtimulare ſuperbo?
L. Ecce tibi veluti ſummus dominator in æde
Exultat patria, curiſque ſolutus iniquis
Non armenta gerit, ſæuo nec flumina tranat
Dura gelu, ſed membra toto componit eburno;
Primaque ſub tectis quærit ſibi dona paternis.
S. Hoccine tam dirum facinus modo cætera fratrum
Turba feret? Reliquis (audi) iungamur, vt omnes
Vnius exitium, ſupremaque fata paremus.
L. Eia iuuat meritas ob crimina poſcere pœnas;
Siue dolis, & fraude ruat, ſeu viribus, omnes
Huius ad exitium rapiamus tela nefandum.
S. Perplacet. O frater pereas. *L.* Nō frater, at hoſtis
Ioſephus pereat. *S.* Furiis deuotus iniquis
Diſpereat. *L.* Puteo merſus Ioſephus in alto
Occidat. *S.* Enſe ruat. *L.* Ruat enſe. *S.* Voracibus vltra
Membra lupis obiecta cadant. *L.* Lanietur ab vrſis
Alitibúſque feris. *S.* Syluas tua viſcera frater
Sparſa notent. *L.* Fuſo rotent de ſanguine dumi.
S. Quòd ſi nulla necis ſe ſe via monſtret, in oras

Exulet externas. *L.* Peregrinas frater in oras
Mittatur. *S.* Vinclis abeat religatus ahenis.
L. Crudeli det colla iugo. *S.* Procul exulet, vnde
Ad patrios nunquam poſſit remeare penates.
L. Diſcet in egregios configere ſomnia fratres
Inuentor ſcelerum. *S.* Diſcet iuuenilibus annis
Credere. *L.* Quid noſtros modò greſſus lenta retardant?
Ite liber, quacumque necem via monſtret, eamus.

SCENA VIII.

Duo ISMAELITÆ IOSEPHUM *in Ægyptum deferentes.*

1. *Iſm.* PErge puer: tandem patrios poſt terga penates
Reſpice, & ignaros iubeas ſaluere parentes;
Niliacos intrabis agros: ſermones videbis
Iugera: linquendas nunquam migrabis ad oras.
Heu miſer! heu patriis excedo vinctus ab oris!
Quò feror? vnde abeo? 1. Gemitus depone, 2. Dolentis
Ne quicquam tot verba ſonant? 1. Veſtigia firma
Ocyus. 2. Et patrios hinc iam obliuiſcere campos,
Noſter es. *Ioſ.* Heu nunquam me dira obliuia tangent
Aut patris, aut fratrum: remanes pater, ipſe paterno
Vellor ab amplexu: fratres remanetis, in oras
Ipſe peregrinas feror. Heu crudelius vnquam
Quod mihi vulnus erit. 1. Lachrymas compeſce, quid altos
Effundis gemitus? germanos nulla remordet
Cura tui. *Ioſ.* Non parua tamen me cura meorum
Attingit fratrum, vita ſine fratribus ipſum
Interitum præpono: mori mihi dulcius eſſet,
Quàm mea fraterno priuari lumina viſu.
2. O caput inſanum! quorſum ſuſpiria iactas
Irrita? quid cœlum miſeris ploratibus imples?
1. Germani tibi cauſa tui quodcunque pericli eſt,
2. Illi te crudi ſuprema in fata vocabant:
Illi te propriis ſpoliarunt veſtibus. 1. Illi
Sanguineis infecta notis tua ſtragula, tanquam
Te premeret ſæuis rabies inopina ferarum
Morſibus, ad triſtem dederunt referenda parentem.
2. Plura quid enumerem, quò fratrum effuſa tuorum eſt
Impietas: illi puteo merſere profundo,
Ereptúmque iugo noſtro miſere: cruento
Adducti pretio, ſcelus euaſiſſe nefandum.
1. Ergo quid illacrymas? ſuperas quid fletibus oras
Sollicitas. *Ioſ.* Heu triſte nefas! ſed triſtior angit
Corda dolor: potius nodos, & vulnera; duram
Perpetiar mortem potius, quàm triſte ſubibo
Exilium. 1. Proh mirus amor? proh nobilis alti
Cordis honor! 2. Non damna times? non dura tecuſ..s
Vulnera; non animo plagas horreſcis heriles?
Ioſ. Non is corda dolor pulſat: non dira recuſo
Fata: nec indignum phariis ſeruire colonis
Æſtimo: germanos doleo amiſiſſe ſodales,
Inque ſalutatum patrem: feror exul in oras
Heu dolor, externas: patriæ ſaluete nouales.
1. Accelera greſſus, feſtines pergere, Phœbi
Præcipites hortantur equi. *Ioſ.* Heu 2. Quid murmure meſtrum
Fallis iter? *Ioſ.* Doleo. 1. Quid obortis ora fluentis
Clara rigas? *Ioſ.* Superi fratrum miſereſcite. 2. Quales
Imploras ſuperos? noſtras ne euadere demens
Speraſti te poſſe manus? Conſtringe. 1. Quid audes
Arcanos tractare dolos? tua veniit auro
Libertas: meus es. *Ioſ.* Meritas ne pendere pœnas
Germanos Pater alme ſinas. 2. Scelus iſte nefandum,
Ne dubita, commiſit. 1. Adeſt, niſi fallor, in imo
Corde nefas. 2. Nunquam germanum vendere fratres
Auderent, niſi tartareis infecta venenis
Corda ferent. 1. Animos ſuperant tua facta tenellos,
Dira puer, vitiis accreſcis maior & annis.
Ioſ. Teſtor Olympiacos ſupremo ex ordine ciues
Téque parens, quem nulla latent arcana. 1. Quid affert?
Peierat, attendo. *Ioſ.* Nihil vnquam tale, quod iſto
Supplicio dignum foret, admiſiſſe. 2. Nefandum
Portentum. 1. Monſtrum crudelius omnibus vnum!
2. Nil conſcire ſibi ſe prædicat. 1. Euge, quid vltrò
Te manibus fratres religatum ſubdere noſtris
Sunt auſi? memora pretium num pectora mouit?
Falleris; haud emetem, quidquid donatur inemptum,
Vilius. 2. Ergo nefas patraſti grande, quod illi
Caſtigare volunt. 1. Merita pro crimine pœnas
Expoſcunt. 2. Quid adhuc animis fabricata doloſis
Verba paras? 1. Iam fare, files; palleſcere culpa
Incipis? ab ſcelerum noxas timor arguit. 2. Alto
Lumina defigis? ne quicquam. 1. Verba precantis
Diſſimulas? Fruſtra. *Ioſ.* O ſuperi Regnator Olympi!
2. Clamat. *Ioſ.* In externos te ſemper proſequar agros.
Vellor ab aſpectu fraterno, diſtrahor ipſo
Patris ab amplexu, nunquam tuus excidet imo
Corde metus: nunquam tacito de pectore verus
Ibit amor. 1. Propera. 2. Feſtina. *Ioſ.* Rura valete
Patria. 1. Rumpe moras. *Ioſ.* Colles ſaluete paterni.
2. Quid toties hæres? *Ioſ.* Celeres mandata ſub aures
Iacobi deferte Noti, ne quærat in agris
Quem genuit natum; tantum veſtigia greſſus
Inueniet ſignata mei. Procul ipſe ſub oras
Externas, nunquam patrios rediturus in agros
Abripior: ſolum ne quæſo dicito tanti
Autores ſceleris, germanis parcere fas eſt,
At tibi Vlyſſeas puer enutrite per artes
Parcere non dignum eſt. *Ioſ.* Vnum me carpite, mille
Me lacerate modis. 2. Noſtræ ludibria gentis
Ture feres. *Ioſ.* Patiar. 1. Tune ſæua piacula pendes
In fratres admiſſa. *Ioſ.* Nefas purgabo, quod ipſe
Non animo, non ore tuli. 2. Iam perge. 1. Propinqua,
Ioſ. Summe parens noſtros comitare per auia greſſus
Rura precor. 2. Iam carpe viam. 1. Celer atripe fuſtes,
Ni vis ferre meos. *Io.* Patriis feror exul ab oris.

SCENA

Digitized by Google

Scena IX.

Iacobvs, *ac* Nvntivs *veſtem Ioſephi deferens.*

Iacob. FLuctuat incertum pectus: præſaga mali mens
Vertitur huc, illuc. Solus per rura vagatur
Ioſephus patriis in rebus ſolamen egenis,
Ecquid erit; num fortè vagus dum montibus errat?
Incidet in rabidos hamatis vnguibus vrſos,
Exerto ve minas iactantes ore Leones,
Qui teneros morſus validiſque inſultibus artus
Dilanient! heu triſte malum! ne lumina tantum
Noſtra nefas, te ſumme precor Regnator Olympi,
Aſpiciant: num forte odiis ſtimulentur iniquis
Vnius in cædem Germani? auerte furores
Summe parens, noſtras ne talis nuntius aures
Vulneret incolumem quæſo mihi ſidera, natum
Reddite Ioſephum: nihil illo triſte recepto;
Interea ſumma tecti ſpeculabor ab arce
Si qua meus per rura mouet veſtigia natus.
Nunt. Iacobus quæ rura colit? queis viuit in agris?
Iac. Iacobus reuocor. *N.* Quæ me via ducet vt ipſum
Inueniam? *I.* Me non quærit? *N.* Iret quis monſtret in agris?
I. Obuius accedo pueto. N. Sum nactus eundi
Quæ cupio ſub tecta ducem? mihi ſaluus adeſto.
I. O pater, ô paſtor ſis felix. num quid in iſto
Quæris agro? *N.* Venio Iacobo nuntius. *I.* Adſum
Quem quæris. *N.* Iacobus ades. *I.* Iacobus ad autem
Si quis habes iam ferto. *N.* Senex tu forſitan ille es
Quem tot natorum ſoboles numeroſa beauit?
I. Ipſe ego ſum (magno refero quæ dona parenti)
Felix prole virûm. *N.* Natorum in parte Ioſephum
Annumeras? *I.* Numero reliquis gratiſſimus vnus,
Semper erit Ioſephus. *N.* Agros inuiſere nuper
Iuſſiſti? *I.* Iuſſi. *N.* Satis omnibus omnia conſtant,
Hic eſt: ad patrios nunquid de rure penates
Flexit iter? *I.* Nondum. *N.* Noſtin', qua valle moretur?
Ignoro. *N.* Num forte cupis cognoſcere? *I.* Votis
Omnibus expopto. *N.* Vereor ne lapſa per aures
Nuntia de nato, genitori pectus acerbent.
I. Augurium quod triſte canis: quid? triſtia portas
Nuntia? *N.* Confiteor, lætus tibi nũtius adſum.
I. Quid memoras? quæ facta refers? *N.* Crudelia Patri
Facta canam. *I.* Num quid Ioſepho obuenit iniquum?
N. Heu dolor. *I.* O ſuperi quæ triſtia fata minantur!
Dic age quid factum? rerum quis vertitur ordo?
N. Quàm duro patrium temerabo vulnere pectus.
I. Cunctando grauius pungis. *N.* Iacobe ſupremum
Vidiſti natum. *I.* Quid ais? *N.* Non amplius ori
Obuius occurret patrio. *I.* Quid? nuntia portas
Vera patri? *N.* Nunquam patrias remeabit ad oras.
I. Fare quid? exhauſtum iam ſanguine corpus iniquo
Inſtimulas caſu? *N.* Periit Ioſephus in agris.
I. Heu ſortem inuiſam! periit mihi filius? *N.* Auras
Æthereas dura Ioſephus morte reliquit.
I. O durum caſum! ô fatum crudele! Ioſephum
Abripuit mors dira meum? *N.* Mors dira Ioſephũ
Abripuit, nec fallo tuum. *I.* Quibus impia telis
Dic, precor, inuaſit puerum. *N.* Ne quære, doloris
Impatiens ni fata velis extrema ſubire.
I. Dic tamen, extincto ſuprema per omnia nato
Ire libet. *N.* Cùm forte gradus per rura moueret
Incautúſque ſui, caſúſque oblitus acerbi
Ecce volat, morſúque ruit metuenda voraci
Bellua, ſe rapido ſubducere tentat hiatu
Ioſephus: premit illa, puer laceratur, & omnem
Arte locum quærit fugiendi: ardentior illa
Deſuper inſurgit: paulatim in corpore vires
Deficiunt; rabidíſque fremunt ſub dentibus artus
Imbelles, tamen illa tenet; neque ſegnior inſtat,
Nudaque dilacerat puerum, mandítque trahítque,
Ac facili totum Ioſephum deuorat hauſtu.
I. Hei mihi crudeli rumpuntur viſcera motu!
N. Ne dubita. Tunicam noſtin' qua filius ibat?
I. Quàm noui? patrio fuit illa intexta labore.
N. Hanc ego. *I.* Quid? *N.* Pecudes ſectatus. *I.* Fallor? *N.* In aruo
Inueni. *I.* Tunicam nati? *N.* De rore madentem
Sanguineo. *I.* Ludor? *N.* Cognoſce hic ſedulus. *I.* Ipſa eſt.
N. Accipe, cura gregis noſtrum me cogit in agrum.

Scena X.

Iacobvs *filij mortem lamentatur.* Simeon, & Levi *conſolantur patrem.*

Iacob. HEu perij! quorſum triſtem mihi ſidera vitam
Indulgent? vtinam traherent mea fila ſorores
Ocyus; exiguo tantum cum vulnere vulnus
Mutarem, vixi nati viſurus acerbum
Interitum! Proh grande malum! conſperſa cruore
Veſtis adeſt. En ſæua rubet nota ſanguinis: ecce
Vulneribus via facta: dolor, dolor intimus oſſa
Vellit, & inſolitus rumpit præcordia mœror,
Alitibus, canibúſque iacet data præda Ioſephus;
Nec funus lacerum licuit ſeruare parenti.
Hoc vnum ſpolium genitori, Nate, remittis?
Heu crudele nefas! heu tanti præſcia fati
Pectora! Num curas ſine te, Ioſephe, ſeniles
Ferre queam: qualis ſine te mihi diffluet ætas?
Sim. Quid lachrymas fundis? quæ mentem vulnera tangunt
Sæua tuam? *Leu.* Quis corda dolor, quis pectora mœror
Vlcerat? En fratres, ſoboles tua: fare, quid alto
Corde cies? verbis liceat mulcere dolorem.
I. Ite, recrudeſcit verbis dolor: ite, dolorem
Sanabit mors vna meum. *S.* Procul omine ab iſto
O genitor: ſed viue diu. *L.* Tua vita ſuperſtes

Digitized by Google

Natorum vitæ, longum extendatur in æuum.
Iac. Heu mi Nate! *Sim.* Vocas aliquam de fratibus. *I.* Vnum.
Ne quicquam inclamo. *Le.* Momorat, veniétque vocatus.
I. O vtinam. *S.* Veniet. *I.* Fruſtrà contendis. *L.* Adeſſe
Conſpicies. *I.* Neſcis. *S.* Aderit, iam nomen ad aures
Profer, & accedet. *I.* Ioſephum accerſite. *L.* Solus
Ioſephus nequit accerſi: cùm nuper in agros
Pergeret, heu! ſæuis periit laceratus ab vrſis.
I. Heu dolor! heu fratris velamen cernite veſtri!
Cernite ſanguineas noto in velamine guttas.
Scilicet hanc pedibus tunicam lacerauit aduncis
Bellua. *S.* Diſcerptum Ioſephum credit ab vrſis,
L. Quas tibi quas genitor ſolertias noſtras tetendit
Inſidias. *S.* Ludos te fecimus. *L.* Arte fefelli.
S. Viuit. *L.* Sed vitam grauiorem funere viuit.
S. Rurſus ad inſolitos fingamus lumina luctus.
L. Quid lachrymas? pedibus tunicam lacerauit aduncis
Belluæ. *L.* Sed morſu Ioſephi membra triſauci
Corripuit, teneros mali ſtridentibus artus,
Ipſaque ſub duris contriuit dentibus oſſa.
S. Fallitur egregiè. *L.* Salsè deluditur. *S.* Audi.
I. O puer, ô noſtræ columen ſublime ſenectæ,
Qua regione iaces? *L.* Pharias it vinctus in oras.
S. Exul it, ac ſeruus, cui vna in ſomnia regnum
Promiſere. *I.* Iugum ſubiit ſeruile. *S.* Nefandum
Ceſſit in exilium. *I.* Quæ te plaga Solis amico
Excipit amplexu? Morior, nec funera nati
Ferre queo. *L.* Dictis animum ſolemur amicis.
S. Solemur, noſtris etiam deducit ocellis
Fraternum lachrymas funus. *L.* Suſpiria cædes
Immatura iubet fraterno in pectore duci.
S. Ne tamen in lachrymas, atque in lamenta profundas
Corda parens. *L.* En vnus abeſt, ſed plura ſuperſunt
Corpora natorum. *S.* Germanum amiſimus vnũ.
Ni lachrymis adhibere modum, pater optime, curas
Te quoque, quòd noſtris procul exulet omen ab aruis,
Fata ferent. *I.* Vtinam nati mihi funera mortem
Sæua darent! vtinam ſic noſtro fata dolori
Conſulerent! fortuna tamen crudelior vrget
Pectora, ſi telo premeret, mihi lenior eſſet.
L. Hem! dolet abſentem natum? S. Gaudemus at ipſi
Ioſephum procul auferri. *L.* Quid, viuere nato
Non potes extincto? nos contra ſoſpite vitam
Fratre recuſamus. *S.* Frater moriatur, vt omnes
Viuamus. *L.* Frater peregrinis ſeruiet vnus
Gentibus, vt meliùs regno potiamur auito.
Seruiat, en peris incluſa pecunia tinnit,
Quam mihi dura cohors miſero pro fratre pependit!
Sed iuuat his animum verbis mollire doloſis;
Aſt oculis auerte precor velamina rubris
Sparſa notis *I.* Hæc vna meis ſolamina rebus
Semper erunt. *S.* Depone parens: eſt cauſa doloris
Quam manibus geſtas, multo lita ſanguine veſtis.
I. Eripuit fortuna meum ſatis impia natum.
Hoc ſupereſſe mihi monumentum & pignus amoris
Ipſa volet, precibus nati deſiſtere veſtris.
L. Quid lachryma te iuuat? lacryma. *S.* Crudelia nati
Fata doles? doleas. *L.* Sed nos in funera riſu
Soluimur. *S.* O vtinam citius raperetur ab agris
Ioſephus patriis! *L.* Vtinam raperetur in oras
Ipſe paratonias citiùs. *S.* Sta, ſiſte, propinquat.
L. Heu dolor! exhauſtus lacrymis pater vltima quæris
Fata tibi. *S.* Lacrymæ tibi vulnera ſæua parabũt.
I. Felices lacrymæ, me ſi qua morte valerent
Conſortem nato morientum inferre ſub vmbras.
Occultas ergo latebras, & inertia quæram
Tecta domus, ibi vita meos dum texerit artus,
Semper in irriguos ſoluentur lumina fontes.
L. Vnde age, nos tantum ſcelus admiſiſſe pigebit.
S. Noſtraque de lacrymis turgebunt lumina fuſis.
Ergo qua Genitor veſtigia ponit, eamus.

SCENA XI.

RIGOR, & AMOR *Chriſti.*

Rig. NOndum tanta meos exæquant ſigna rigores,
Maiores expoſco tuo pro crimine pœnas,
Improba gens. *Am.* Quid adhuc homini grauiora minaris
Supplicia? heu! quantas ſoboles dabit impia pœnas
Si tua tam duris non exaturata quieſcunt
Corda malis? Solymi quanto de ſanguine calles
Vndabunt? quæ vincla meis, quæ damna colonis
Intendes? quantas facies impune ruinas?
R. Siccine tam multos ſcelerum delebit aceruos
Vnius interitus pueri ſimulatus? an iſtis
Tam facilis iactura malis medicabitur? Ergo
Iuſta manus conſurge: nefas maiorib. æquum eſt
Suppliciis frænare. *A.* Tibi Vulcanius armat
Corda chalybs, duróq; riget de marmore pectus.
Heu rigor! heu ſuperit vindicta æterna Tonãtis!
Vidiſti, quàm dira puer tormenta Ioſephus
Pertulit, vt propriis ſpoliato veſtibus artus
Sorbuit immani patefacta voragine tellus?
R. Hæc data luminibus modò ſunt ſpectacula noſtris.
A. Vidiſtis, quàm ſæua manus in vincula fratres
Immiſere? iugo quàm triſti colla Ioſephus
Subdidit, & quales receſſit vinctus in oras?
R. Omnia ſunt noſtris obtutibus obuia. *A.* Plures
Ergo quid expoſcis ſcelerum pro gurgite pœnas?
R. Non ſatis eſt, grauiora manent te fata ſequeſtro
Mortales: minimas effuſo ſanguine noxas
Sume animos, & corda, lues. *A.* Heu qualia noſtris
Supplicia incumbunt humeris! mihi dira lacertos
Vincula conſtringent: populis mactandus iniquis
Vellar ab aſpectu ſociorum: triſte ſubibo
Imperium: ſcelerata ferat per limina Regum.
Ioſephe ô Ioſephe! tuo quo longiùs ibit
Noſter amor! te ſumma ferent in culmina regni,
Quæ modò deuinctis geſtabas vincula palmis,
Non mihi regna mei gignent, ſed funera nexus.
R. Sic eſt: nunc alia ex aliis tibi fata ſuperſunt;
Nec niſi figendæ ſoluentur in arbore palmæ.
A. Heu dolor! aduerſos in pectore ſentio motus.
Hinc

Digitized by Google

Hinc amor, hinc mœror ſubeuntes pectora curas
In diuerſa trahunt, in funera protrahit ingens
Cordis amor, retrahit crudeli è funere mœror.
Quid faciam ? *R.* Mecum num fœdera iuſſa retractas?
Eſto, ſed æternis mortalia pectora flammis
Dilacerata gement. *A.* Potiùs mihi funera reſtent.
R. Sed quales ibunt lacerato è corpore riui
Sanguinis ? in Solymos quantus cruor effluet agros?
A. Plurimus. *R.* Aſt huius fidei mihi ſigna repone.
A. Nil dubito, conſiſte parum: iam pignora noſtri
Sanguinis aſpicies. *R.* Animis optantibus adſum.

SCENA XII.

DVO *milites portantes racemum ex terra promiſſionis,* AMOR *Chriſti,* & RIGOR.

Prim. EGregium portamus onus. 2. Properemus. 1. Eamus.
2. Diuitis vber agri, terræque opulentia mira eſt.
1. Mira ſolo natura ſubeſt. 2. En fertilis agri
Iudicium. 1. Quantis ſe fructibus induit aruum?
2. Vix duo portamus robuſto in vecte racemum.
1. Dura fatigaret bottyo non amplius vnus
Terga boum. 2. Iam membra mihi ſub pondere nutant.
1. Ergo parum ſiſtamus. 2. Onus releuemus. 1 Anhelo
Pectore vix ſuperos de cœlo colligo flatus,
Feſſa iuuat nunc membra ſolo componere. 2. Feſſus
Membra ſolo compono. 1. Sopor nunc irrigat artus.
2. Poſtea collectis referemus viribus vuam.
A. Heu ades huc: oculos mecum defige: racemum
Aſpice. Idumæis quondam de collibus ortum.
R. Res noua! quis tantum ſe fundit palmes in vnam,
Quóve loco? quo Solo ſatus ſe pandit in orbem
Immenſum? *A.* Accreuit pingui ſatus vbere glebæ.
R. Quantus ab expreſſis bottyonibus effluet humor?
Vnda dabit latè, campóſque effuſus apertos
Obruet, ac ſuperos tandem ſtagnabit in orbes.
A. Nunc animos, nunc corda Rigor ſatiabis, amorem
Cerne meum: totidem noſtrum ſoluetur in vndas
Sanguinis ingenti curuatum pondere corpus.
R. Sacra redundabit plenis vindemia labris,
Ipſaque ſuſpicient effuſum Torcula torem.
A. Hei mihi diuini vel tantula gutta cruoris
Flagitiûm poſſet veteres abſtergere noxas;
Tantula, cœleſtes in pectora verteret ignes.
R. Sed tamen his tantis dureſcunt crimina guttis
Altiùs! O dirum facinus! non vlla malorum
Pœna ſatis? *A.* Conſiſte: meo de ſanguine riuus,
Virtutéſque colet, ſcelerúmque extinguet ariſtas.
R. Sed quæ diuinum calcabunt pondera bottum?
Quæ precor effuſo tingentur præla cruore?
A. Scilicet heu noſtris incumbunt ardua membris
Robora, quæ rotaſ emungent ſanguine venas.
R. Ergo quid vlterius placitam differre ſalutem
Eſt opus; impleri libet hîc promiſſa cruoris
Innocui. *A.* Quocumque velis ea tempore noſter
Egregiè præſtabit amor. *R.* Modò tempus amoris
Redde fidem. *A.* Modò colla iuuat ſubmittere ferro.
R. Eia, quibus telis Amor occidat: obruta quali
Attollat natura caput medicamine, quæram:
Nulla mora eſt, aderunt lethi tormenta nefandi.
A. O vtinam mora nulla meum tardaret amorem!
Excuſſit iam cura meo de pectore ſomnum,
Hora quota eſt noctis? ſi ritè remetior aſtra
Solis ab occaſu nona eſt. Iam ſurgere tempus,
Rumpe moras, mediáque leua iam corpus arena.
Heus tu, quid ceſſas? feſſos complectitur artus
Somnus adhuc? vigila, expergiſcere. 2. Verberat aures
Quæ vox dura meas? 1. Exurge. 2. Reclino parumper
Membra ſolo. 1. Quid adhuc torpent in corpore ſenſus?
Maturemus iter. 2. Sine quæſo, profundus ocellos
Somnus habet. 1. Properant exacta nocte iugales
Phœbei. Repetamus onus. 2. Proh ferrea duri
Iuſſa viri! Sed membra leuo defeſſa. 1. Subire
Præſtat onus. 2. Noſtris ſubeamus pondera tergis,
Et portentoſus ſubeat modò caſtra racemus.

CHORVS.

Innocens fratris nimium furorem
Senſit Abellus, pietas ab ipſo
Maior aſſurgit temerata ferro,
Maior ab igne.
Subdidit collum patriæ bipenni
Iſacus: telo ſibi fulminanti
Maluit vitam dare, quàm ſupremos
Temnere iuſſus.
Exul externas trahitur ſub oras
Venditus vili pretio nefandis
Gentibus, charæ patriæ relinquens
Rura Ioſephus.
Militum binos humeros racemus
Opprimit, binos onerare tauros
Poſſet, expreſſo bottyone multus
Effluet humor.
Plura diuini ſuperant amoris
Signa: maiores tolerabit ictus,
Quidquid antiquum minitatur æuum,
Ipſe rependet.

Actus tertius.

SCENA I.

AMOR *Chriſti ſolus.*

CRudeles expecto manus, crudelia totis
Viſceribus tormenta voco, data pignora tempus
Soluere: iam metas noſtri contingimus æui.
Vixi, & quem dederas curſum, Pater alme peregi.
Nunc moriar, moriárque libens; ſed quantus in vnum
Perſtrepit interitum diuini numinis ardor.
Tartareæ peſtes glomerantur: atrocia flammis
Excudit iam tela furor, iam cæca barathro
Ira faces, iam dura focis ardentibus ignes

Digitized by Google

Sæuities in damna rapit, mucronibus armat
Igniuomis Iudæa manus, quodcumque doloris
In caput innocuum ſcelerati vertere cœtus
Auderent (heu triſte malum!) fabricauit Auernus.
Ipſe Rigor iam dira pauet tormenta, nec audet
Vltrices Aſtræa manus extendere: tantum eſt
Quod furor indomitus Chriſti minitatur amori.
Aſt ego diuinum grauiora in funera pectus
Obiiciam: per tela ruam, per damna, per enſes
Quicquid Auernales ſuprema in fata camini
Exacuant, patietur amor diuinus; adeſſent
O vtinam toto quas innoco pectore clades!

SCENA II.

D. MICHAEL, AMOR *Chriſti.*

D.M. Ætherei pars vna chori tibi nuntius adſum:
Sum Michaël qui iuſta tibi mandata Tonantis
Affero, tu promptos in carmina collige ſenſus.
A. Dic age ſyderei Michaël dux agminis, aures
Aduerto, ſuperi referas mandata parentis.
D.M. Si tibi certa ſedet reparandæ cura ſalutis,
Prolapsámque cupis reuocare in ſyderea gentem,
Tempus adeſt, quo tanta ſacro commercia iungas
Sanguine, ſed magnas in funera ſuſcipe vires.
En aderunt, quæ dura feres tormenta, ſub vnum
Plurima conſpectum reuocari mandat Olympus.
A. O Michaël quam grata dabis ſpectacula noſtris
Luminibus. *M.* Maiora tibi, quam nuper arena
Exhibuit, monſtranda, leue eſt quodcumque Ioſephus
Pertulit; Abramides quidquid perpeſſus, inane eſt,
Exigui, quoſcumque dolos tolerauit Abellus.
A. Geſtio: maiores in me Rigor exerat iras,
Effundátque minas grauiores. Eia ſub vno
Aſpectu defige: moras depone. *M.* Sodales
Accerſo. Superi, ſuperi iam dura parate
Supplicia, & celeres agitate per aëra lapſus.

SCENA III.

DVO *Angeli; quorum alter columnam, alter flagella defert.* MICHAEL, AMOR *Chriſti.*

1. Adſumus & noſtris ſubeunda inſignia dextris
Præferimus 2. Promptáque animus bibit aure vocatus.
A. Saluete Aligeri, ſuperi duo lumina regni.
1. O amor æternum ſalue; ſed munera votis
Accipias optata tuis, en, aſpice, qualem
Compoſuit gens dura torum. *A.* Mihi lectule tantùm
Expectate, meos contritos funibus artus
Excipe, quàm placidos in te iam carpere ſomnos
Ardet amor. 2. Sed quanta ruent in terga flagrorum
Pondera? quàm ſæuus crepitabit in oſſibus ictus?
A. Eia procelloſis in me ruat ictibus omnis
Iſacidum ſcelerata manus: cum pectore funes
Accipio, amplectórque libens. 2. O rarus amoris
Feruor, inardeſcens diuinis flamma medullis!
A. Cædite me, ſi qua eſt pietas, me cædite funes,
Parcite crudeli religatis crimine turbis.
1. Heu dolor! *A.* O reliquis crudelia ſaxa, ſed vni
Blanda mihi. 2. Proh mirus amor! *A.* Quàm mollia veſtro
Membra ſinu. 1. Proh cura Dei! *A.* Quàm membra iacebant
Mollia! 2. Quàm duro reparantur crimina caſu!
A. O nimium ſegnes in atrocia vulnera funes!
Irruite. 1. O grandis feruor! *A.* Me carpite, pœnas
Sumite, ſanguineas diſſoluite corpus in vndas.
1. Adueniet iuſtum pœnæ, ne accerſito, tempus,
Tempus erit, quo flagra tuo lita noſtra rubebunt
Sanguine. *A.* Quæ nobis tempus tam dulce moratur
Sera dies? 1. Duro poſthac aſueſce cubili.
A. O vtinam mora nulla meis contraria votis
Afforet! O vtinam tuerent in vulnera plagæ!
O vtinam rigidos paterentur brachia nexus!
2. Parua mora eſt: aderit mortis iam tẽpus acerbæ.
A. O quàm tarda meis veniet mora quælibet orſis!
1. Accipe ſanguineo ſpargendam rore columnam.
A. O marmor mihi ſolus amor, mihi ſola voluptas!
2. En tibi propono ruiturũ in membra flagellum.
A. His ego ſubiiciam diuinos funibus artus.
M. O amor, an ne ſatis pœnarũ? *A.* Plura repoſco
O Michaël tormenta. *M.* Viden' quàm multa minatur
Flagra Rigor? *A.* Sunt parua mihi quàm multa videntur
Iuſtitiæ. *M.* Num plura tibi ſpectacula quæris
Pœnarum? Nullis ſatiantur pectora pœnis.
Ergo Olympiacis plures compello ſodales
Sedibus O ſuperi, properate, per orbem
Ferte ſaluiferi monumenta inſignia lethi.

SCENA IV.

DVO *Angeli, quorum alter coronam ſpineam, alter clauos gerit;* MICHAEL, AMOR *Chriſti.*

3. Adſumus Ætherei ſupremo ex ordine ciues,
Adſumus. 4. Ingentis gerimus monumenta doloris
A. Iam pede felici noſtri Heroës adeſte
Optatis: quæ dona mihi, quæ munera fertis?
3. En rigidis conſerta gero diademata iuncis,
Horrentem accipies diuina in fronte coronam.
A. O quàm grata meis adducis munera votis!
3. Hi nimium diri penetrabunt tempora vepres.
A. Nil moror: impreſſo conuellam tempora ſulco.
3. Fulmina multiplici de vulnere rubra ſequantur.
A. Sanguineos caput innocuũ ſoluatur in imbres.
3. Hi ſentes mediam crebri mergentur in arcem.
A. Cuſpis adacta ruat niueo ſpargenda cerebro.
3. Aſpice, num tanto valeas te offerre labori.
A. O hominẽ, quantis pro te mea mẽbra, meúmque
Obiiciam telis caput. O tormenta, dolores
Ingeminent, nunquam mea pectora victa reſident.
4. Huc oculos conuerte: meũ quoque ſuſpice donũ.
En tibi crudeles præacuta cuſpide claui.
A. O gratum munus! quo gratius ecquid amori eſt?
4. Hi tamen horrendo lacerabunt vulnere palmas.
A. Dilacerent, reſecéntq; manus in fruſta, ſubibo.
4. Vtraque conſtringent duro veſtigia morſu.
A. Eia, gradus geminus clauo terebretur eodem.

4. Rum

Digitized by Google

4. Rumpentur venæ reſolutis cuſpide fibris.
A. Rumpantur, rigidóſque pedes mucrone fatiſcant.
4. Plurimus effoſſis voluetur greſſibus humor.
A. Sanguinei manent ab hianti vulnere riui.
3. Ergo tibi è dumis horrentibus offero ſertum.
A. Accipio: capiti vepres impono cruentos.
4. Accipe, queis manibus referentur vulnera, clauos.
A. His quoque libabo præacutis oſcula clauis.
Mich. Pœnarúmne ſatis, ſuperæ fax vnica mentis
Eſſe putas? an plura ſuis tormenta? dabuntur
Iam grauiora tibi. *Am.* Properent, expecto. *M.* Redibo
Cùm ſacra portabo diuini pondera ligni.
Ang. 1. Sume animos, cœleſtis Amor. 2. Ne pectora tantis
Exagitata malis, tantíſque infracta procellis
Succumbant. 3. Conſiſte poli fax vnica mundi,
Grande decus. 4. Ne corda graui ſub pondere nutent.
A. Ardua diuinus ſupero minitatur amori
Fata Rigor, grauiora tamen tormenta ſubirem.
2. Scilicet obſcuris modò nubibus intonat aër,
Poſtea detectis rutilabit clarior aſtris.
1. In te ſæua ruunt inſignia, poſtea mundo
Ipſe triumphato victricia ſigna repones.
4. Aude Amor, æternam redimes hoc funere vitam,
Vita necem, tormenta decor, noua palma ſequetur
Prælia. 3. Tam multis viduatæ ſedibus arces
Ætheris, in priſcum venient hac cæde decorem.
A. O mors feſtina, tormenta, & vulnera quæſo.
Feſtinate cruces, accedite, cuncta doloris
Arma ruant; dolor vnus erit ſolamen amoris.

SCENA V.

MICHAEL *crucem deferens* AMOR *Chriſti, quatuor Angeli.*

CHORVS.

Mich. ERgo ſalutifera geſto ſacra pondera ligni,
O Amor, huc aciem referas: ſubeunda ſuperſunt
Hæc humeris monumenta tuis. *Am.* O dulcia ligni
Pondera, in amplexus rapiuntur brachia veſtros.
M. Iam grauis hæc arbor ſacris onerabitur armis.
A. Noſtra ſuperpoſito vincantur pondere terga.
M. Impius ac miles contendet in arbore neruos.
A. Deciſis neruis ſoluantur ab oſſibus oſſa.
M. Afferet hæc durum ſuprema in nocte ſoporem.
A. Fronde ſub hac dulcem capiant iam lumina ſomnum
M. Effluet in lignum nullus niſi ſanguinis imber.
A. Creſcat ab effuſa diuini ſanguinis vnda.
M. O pietas, ô mirus amor! non vlla laborum
Pondera, non ſæuos hamatis funibus ictus,
Non clauos, non vincla timet, non fata recuſat
Verus amor. *A.* Dulci componam tempora lecto.
M. Vndique ſubrigidi mordebant tempora ſentes.
A. Defeſſas hæc vna manus mihi fulciet arbor.
M. Heu dolor! infixi diſtendent brachia claui.
A. Iam mihi iucundo firmabo in robore greſſus,
M. Firmius hærebunt religatæ cuſpide plantæ.
A. Hoc placido mea membra toro compoſta quieſcent.
M. Sopitum iam morte tuum latus hauriet haſtam.
A. O lignum! ô felix arbos, ô lectus amoris,
O ſolium regale! torus mihi dulcior vnus
Quàm quos oſtentat regum precioſa ſupellex.
M. Hæc te ſæua manent rigidi diſcrimina lethi,
A. O quàm tarda meis (aliis mors impigra) votis.
Implorata venis! properos molite volatus.
M. Lentiùs optanti, fugientique ocyùs inſtat.
A. O mors iam ſæuis armare in funera telis.
M. Cernite, fulmineum conſurgit marte duellum;
Hinc amor, hinc ſæuæ glomerantur ſpicula mortis
Dura tamen mors victa cades: ſpoliabere telis,
Antea quæ magno torquebas impia niſu.
A. Tartarus in durum veniat certamen, Amori
Obuius, & ſtygios in prælia conciret ignes!
M. Ergo coruſcantes iaculetur faucibus ignes
Tartareæ regnator aquæ, ſed victus amoris
Igne cadet: ſtygias Amor exarmare cauernas
Aggreditur, rigidíque faces ſopire Draconis.
A. O Michaël clarum videor mihi ferre triumphum;
Cùm mihi cœleſtes victricia ſigna cohortes
Oſtendunt. *M.* Res vera: gerunt ſub pondere ligni
Agmina tartareis deuota in ſæcula pœnis.
Tu tamen egregios ſuperato ex hoſte triumphos
Victor ages. *A.* Quid adhuc extrema in fata moramur.
M. Eia triumphali ducamus in ordine pompam.
En ego iam veſtras præcedam ſignifer alas.
1. *Ang.* Feſtinare libet. 2. Paribus veſtigia plantis
Ipſe premam. 3. Iuuat egregium properare triumphum.
4. Humanæ recident diuino funere clades.

CHORVS.

O Amor, funus reputas triumphum,
Ad necem velox properas iniquam
Tela perpeſſus, grauiora ſemper
Tela repoſcis.

Mich. Arbor Olympiacos conuerſo cardine poſtes
Clauſit: at hæc ſuperos arbor via facta ſub orbes
Humanis reſerat bipatentia limina turmis.

CHORVS.

O Amor, diro ſceleris veneno
Arbor aſſurgit medicina, vitam
Abſtulit lignum, ſimul vna vitam
Afferet arbor.

1. *Ang.* Æthereis depulſa locis gens cæca labaret,
Et Phlegethontæas ruere moritura ſub vndas,
Hæc niſi diuinum religarent marmora corpus,
Quæ cæcas hominum reuocabit in æthera mentes.
2. Qualibus inſcribent ſacros vibicibus artus.
Quæ noſtra nunc flagra manu geſtantur? in ictus
Carnificum vires ſoluentur, corpus in imbres
Sanguineos, grauiora tamen vis poſſet Amoris.
3. O ſuperi, ô ſuperi! veſtri Diadema Regis
Cernite, non auro, clauíſque inſerta lapillis
Irradiant: ſæuis contexta è ſentibus horrent.
Tam duro ſummittet amor ſua tempora ſerto.
4. O claui claues, quibus altus panditur æther,
Diuinas terebrare manus; reſerabitis alti

Clau

Clauſtra Poli: ſacras infigite cuſpide plantas.
Ætherei pandetis iter ſub limina Regni.

CHORVS.

Cerne crudelis monumenta lethi
Marmoris pilam, diadema, clauos,
Flagra, Diuini poſitura membris
Corporis ictus.

Amor Chriſti. Lætus in extremum propero modò funus, amoris
Ardor agit, ne dira tamen per crimina poſthac
Irrue præcipiti curſu ſcelerata iuuentus.

CHORVS.

Maior ardeſcit pietas in imis,
Oſſibus maior cumulatur ardor
Mentis, amorum quoties iniquus
Fulgurat horror.

Mich. Occidit aduerſis ſupremum numen ab armis;
En diræ monumenta necis: iam parcite cœtus
Mortales, faciles agitate in crimina mentes.

CHORVS.

Creſcit aſperſa velut ignis vnda
Maior, & gignunt latices calorem,
Creſcit à ſæuis ita maior armis
Ardor amoris.

Am. Quæ præeunt tormenta pedes, quàm lætus adibo?
O vtinam ſæuum toties renouare dolorem
Accideret, quoties ſcelerum per opaca feruntur
Mortales, laxíſque nefas ſectantur habenis!

CHORVS.

Quò tamen greſſus ſcelerata ducis
Turba? quid ſæuas renouare plagas
Pergis, ac ſummi malè grata Regis
Temnis amorem?
Siſte Diuinos violare iuſſus,
Siſte ſupremi monitus Olympi
Frangere, ac tanto referas amori
Pignus amoris.

SCENA VI.

RIGOR *iuſtitiæ ſolus.*

POEnarum exhauſtum ſatis eſt, mihi ſanguine pœnas
Soluit Amor, cumulata nefas tormenta piarunt.
Ergo iuſtitiæ pono Rigor ipſe rigorem.
Includo vagina enſem, iam mitior iras
Colligo, quin manibus durum procul exuo ferrum.
Exarmo clypeo læuam: caput ære rigenti
Detego; iam palmas ad ſydera præſtat inermes
Tendere, viciſti noſtras, Amor inclyte, vires;
Viciſti; noſtrum ſuperaſti morte rigorem.
Arma manu deprompta mihi, furor actus ab imo
Corde ruit, de me claros Amor ede triumphos.
Interea noſtro de pectore mitto rigores;
Ingenium, non arma cano, non bella, nec enſes
Æternam precor effuſo pro ſanguine pacem.
Exarmauit amor palmas, ac tempora ferro,
Confiteor, iuſtas in pectore molliit iras,
Vos ſcelerum rigidis exoluite pectora vinclis.
Si tamen audetis grauiora in crimina mentes
Fundere, ſi tantum diuini cordis amorem
Temnere, depoſitis in vulnera colligo vires;
Rurſus & igniuomum vagina libero ferrum.
Teſtor Olympiacos tractus, vaga ſydera teſtor:
Teſtor cœlicolas, atque ipſum teſtor amorem
Numinis, humanas tracturum in fata cohortes
Vltima; & auderſa ruiturum in damna ſecuri.
Subſidet tellus, vaſtóque immanis hiatu
Inuoluétque viros, atráque voragine merſos
Hauriet æternam in noctem, religata catenis
Turba fremet ſtygiis flammis depaſta, cauete
Impia, ne poſthac ſurgant contagia culpæ.

CVNÆ BETHLEMICI *Infantis.*

BEthlemica ſub rupe Deum, ſuper ardua cœli
Culmina mortalem video conſurgere cœtum,
Quæ noua ſtat rerum ſeries? quo fœnore tantæ
E cœlo mittuntur opes? quæ dona rependis
Terra polo? quod das tanto pro munere munus?
Viles diuino reddis pro munere merces.
An ſub rupe Deum? cœleſti in ſede profanum
Stare genus? regnare homines? ſeruire Tonantem
Fas, & iura ſinunt? O terris maior, & aſtris
Cura Dei! ô maior votis amor omnibus vnus!
In numeros, in verba manu iam ſume canoram
Muſa lyram, ſuperíque aude vulgare parentis
Diuinas in corde faces; ſilet vndique totus
Orbis, & attentas in carmina commodat aures.
Nox erat; æthereos carpebant aſtra meatus
Iam medium complexa polum, procul omnia latè
Paſcua, ſopitis agitabant otia caulis.
Languebant volucres, nemoroſa per auia nullus
Alituum concentus erat, non dira ſonabant
Flamina, compoſito crepitabant arua ſuſurro.
Parcebant pluuiis Auſtri, ſine murmure riuus
Ibat inoffenſo per aperta noualia lapſu.
Cuſtodes pecudum ſera ſub nocte ſilentes
Explorare greges, procul à præſepibus iras
Vertere prædantum crudeli cæde luporum
Sollicitì, placido fraudabant lumina ſomno.
Cùm ſubito (res mira) nouus clareſcit in alta
Nocte dies, vigilant pecudes, latratibus auras
Turba canum commota ferit; ſtat paſtor, & hæret
Inſcius, Eoo cur matutinus ab ortu
Ardentes ſol vertat equos, quo tempore Phœbe
Ducit anhlantes per amica ſilentia bigas.
Protinus æthereo de cardine deuolat ales
Aureus, & celeres agitat per nubila pennas;
Stramineóque ſuper paſturum culmine ſiſtit.
Quid faciat gens cordis inops? quod ab æthere numen
Eſſe putet; quid in aſtra peti? quò tendere tantum
Credat iter? ſtupefacta nouo præcordia caſu
Hæret hians, gelidúſque in corpore cogitur horror.
Aliger attonito ſimiles propioribus vrget
Vocibus, & promptas in carmina ſuſcitat aures.

Cuſto

Digitized by Google

Cuſtodes pecudum cœlo gratiſſima pubes
Huc oculos, huc ferte animos, noua gaudia terris
Nuncio, cœlicolûm noua gaudia nuncio regnis.
Ille Deus, quem ſacra canunt oracula vatum
Venturum exitio Barathri, populiſque ſub imo
Carcere concluſis, ſummi ad connexa Parentis
Affore ductorem: iam nunc (proh qualia rerum
Nuncia!) Bethlemico iam nunc puer editus antro
Vagit, & æthereos lacrymis iam prouocat ignes.
Eia agite, & nati ſacra ad cunabula Regis
Ferte gradus, aptate rudes in munera nimbos
Lactis, & appenſos baculis agreſtibus agnos.
Ne qua per ignotos colles via fallat euntes
Certa vagos, hæc ſigna pedes ad limina ſiſtent.
Gramineo ſtant membra toro, quæ vilis amictus
Ambit, anhelantes circum præſepe iuuenci
Frigora depellunt tenerum mordentia corpus.
In medio ſtat ſole puer formoſior, aſtris
Pulchrior, at tantum placidum pro vocibus edit
Vagitum, & blandis ſingultibus aſtra laceſſit.
Sic animo incluſum lacrymis teſtatur amorem.
Dixerat; æthereos cùm circumfuſa repentè
Aligerum numeroſa manus, noua carmina iungunt
Carminibus, totos cæli domus alta colonos
Excitat in choreas, totus viduatur Olympus
Cœlicolis, rotúſque in plauſus emicat æther,
Qua citharis, quà voce canunt, qua nablia pulſant
Pectine, quà iungunt dulces in mutua nexus
Brachia, quæ lituos numeroſis flatibus implent.
Hic canit: en Erebi fauces pede proterit infans,
Et Phlegetontæos impreſſo calce Tyrannos
Tundit; Olympiacos, mox incipit alter, in orbes
Pandit iter, vacuas implet cultoribus arces;
Ille venenatis puer vnus morſibus, inquit,
Sacra gerit, nec vana fides, medicamina; rurſus
Alter ait, puer vnus opes, puer vnus honores
Effundit terris; ſcelerum plantaria, dicit
Ille, cadunt; aſt ille, caput noua lilia tollunt,
Virtutum floreſcit ager, violaria florent.
Quidam virgineum fœcundo in viſcere florem
Miratur, quidam latitans ſub imagine Numen
Mortali, quidam Verbum ſine vocibus infans.
Hic paleas, hic antra canit, præſepia verſu
Ille refert: quid plura canet: vox omnibus vna eſt,
Quà terris pacem, cœlo gratantur honores.
Paſtores ſua quiſque prior munuſcula condit
In peras. nam quiſque gradus velocior vrget,
Et ſecum quid tanta ferant miracula, poſcunt.
Eſt locus horrenti quondam ſub rupe cauatus,
Nec volucrum opportuna domus, nec luſtra ferarum
Squalet humus, deſerta rigent laquearia, tectum
Hibernis exſudat aquis, bacchatur in antro
Æolus, ac toto dominatur bruma receſſu.
Huc vbi delati certant intrare priores;
O rupes cœlo maior! quæ prima Tonantem
Oſtendis terris, vbi numen cernitur, illic
Cœleſtis domus eſt; cœlo potiuntur in antro
Paſtores: matrem agnoſcunt, quæ pulchrior aſtro
Lunati fulget, ſtipulis mirantur acutis
Infantem, qui ſole caſam formoſior auget
Lumine, in exiguo totum venerantur Olympum
Fornice, nec plures dicunt ſupereſſe vel agri
Diuitias, vel plura polo ſpectacula rerum.
Stat virgo lacrymans, lacrymiſque vndantia tollit
Ora puer, ſæuis Aquilonibus effera matrem
Torquet hyems, nati rurſus pueritia torquet
Membra gelu. Proh grande malum! puerilibus annis
Sæuit hyems? cœlum cœleſtibus arma minatur?
Æolus immeritas in prælia ſuſcitat iras?
Et ferit innocuos præacutis morſibus artus?
Admirata diu iuuenum manus hæret, in imbres
Liquitur vndantur lacrymarum, ſæpiùs antro
Oſcula deſigunt, gratantes promere voces
Ter conata fuit, ter hianti preſſit in ore
Verba dolor; tandem loquitur nō voce (nec infans
Verba petit) ſed corde. Puer ſpes vnica mundi
Sis felix, rebúſque veni non aſper egenis,
Sit tibi cura gregis, noſtros tibi tradimus agnos:
Paſtorum ſi cura tibi, nos accipe, tantùm
Ne lacryma: pretio poteris reparare minori
Crimina, iam bibulo de pumice fluctus inundat,
Humida iam lacrymis ſaturantur prata refuſis,
Eia age ſi pecudum viles habitare receſſus
Non dubitas: quid corda times habitare? ſub alta
Do tibi mente torum, ſed ſi nos aſpera linquis
Saxa puer, niſi te duris præſepibus aufers,
Et tibi quam molli ſub pectore dedico ſedem
Accipis, ad ſacras rumpam præcordia venas,
Et mea diuinis ſubſternam pectora membris.
Hæc ſecum Paſtor. quid me alta ſilentia cogis
Rūpere, muſa loquax? infans tacet ille: quid vltrà
Verba ſonant? præſtat iunctis ad ſydera palmis
Æternum Numen venerari, Patris amorem
Æterni tacito cordis ſeruare receſſu.

AVGVSTISSIMÆ
Euchariſtiæ miracula.

QVid non poſſit Amor? quæ ſe non vertat in ora?
Quid non efficiat? quæ non miracula rerum
Excitet, & quales non tendat ſemper in auſus?
Ille ſolum cœlo, pretioſis vilia ſummis
Infima, terrenis cœleſtia, mortua viuis
Contulit: humanos ſupremum Numen in artus
Induit, ambroſias diuino è corpore menſas
Obtulit, ac dulces è ſanguine miſcuit hauſtus.
Ergo Sidoniæ taceant conuiuia menſæ,
Alcinoi menſæ, Cleopatræ fercula, Graiûm
Deliciæ, quidquid Sicula fabricauit in aula
Luxus, & impaſtus furor exquiſiuit edendi.
Iſacidæ quondam dum rura per auia greſſus
Nube viam monſtrante ferunt, vrgentur iniqua
Per iuga longa fame. Ductorem vocibus vltro
Compellant. Pharias iterum vel mitte ſub oras,
Dira vel incultis releua ieiunia campis.
Ille Deum feſtinus adit, Deus annuit; ecce
Condimenta polo niueas imitata pruinas
In medios labuntur agros: concurritur, omnes
Accipiunt dulces epulas: ſapor omnis in vna
Sentitur, ſapit vna fauos, & mitia ruris
Poma ſapit, quidquid venatu, quidquid in hamo,
Quidquid in aucupio conquiritur, vndique totum
Vna ſapit; talem terris Deus intulit eſcam,
Cùm ſe diuinis epulandum abſcondit in aris.
O amor in quales rerum mutare figuras
Membra potes diuina, cibum de Numine condis,
Nectareos miſces diuino è ſanguine potus!
O Amor ingenio fœcundus, viribus impar
Miratur natura tuis, candentia pannis
Fruſta videt ſine pane, ſibi libare videtur
Lenæos latices, quos nullos prædicat eſſe.
Ille tamen nullus quem nouit ſenſus in eſca
Chriſtus adeſt. Dubiam geſtas, ô perfide, mentem.
Certa negas fidei miracula, credis inane
Eſſe, quod æterni firmant oracula Verbi;

Digitized by Google

Huc ades, & falſos, ni falleris, exue ſenſus.
Non modò cœleſtis miracula tanta colonus
Suſpicit, humanos non tantum ſenſus adorat
Numen, in exiguo panis velamine clauſum.
Sed genus alituum, pecudum genus, ómne ferarũ
Ante ſacras epulas pronum cadit, exuit iras,
Et quacunque valet teſtatur voce Tonantem.
Non incerta fero, Fidei monumenta per orbem
Diuulgata cano, ſub cardine Phœbus vtroque
Teſtis erit, faciles in carmina pandite ſenſus.
Barbarus infandis quondam vixiſſe rapinis
Fertur, & exutos maculaſſe in ſanguine ciues;
Cæde tumens, ſpoliiſque ferox conſurgit in auſus
Maiores: delubra pedes ad ſacra profanos
Arcanas ſub nocte rapit. Quò perfide tantùm
Auſe nefas? quò vertis iter? laquearia nudat,
Signa rapit, ſacris expilat veſtibus aras.
Poſtquam ſacratos hoſtili more penates
Exuit, & magnos auri conuertit aceruos,
Plura manus in furta mouet, ſacraria pandit,
(Horreſco referens) manibúſq; impune malignis
Corripit ex adyto gemmarum pyxida, mundi
Seruantem pretium, ſcelerúmque piacula: ſecum
Has exportat opes, & præda lætus opima
Maturare fugam, rapidiſque capeſſere plantis
Tuta parat. Dum pergit apum cunabula fortè
Aſpicit, inſolitos acuentem ad verba furores,
Hîc ait, hîc ſacrum, (ſi vera eſt fabula) corpus
Effundam, quòd ſæua ſuis examina pilis
Conficiant, vt nulla mecum veſtigia furtum
Denudare queant, argentum diues, & aurum
Ipſe ferens, lautis onerabo limina prædis.
Sic ait, & ſacri cuſtodem corporis vrnam
Illotis aperit manibus, totámque volantes
Interfundit apes, ac verſis excutit oris.
Grande nefas! lethale malum! cadit hoſtia, latè
Spargitur, informiſque Deus miſcetur arena.
O ſuperi cur ipſa Deo non ſubditis aſtra?
Cur non colla, manus cur non ſupponitis ambas
Ocyus, & medio libratis in aëre corpus
Diuinum? ne tangat humum, de puluere labem
Nec minimam ducat; ſed quis miracula credat?
En ſubitò glomerantur apes, hinc inde frequentes
Aſſiſtunt, quædam pedibus per mutua nexis
Exercent choreas, quædam plaudentibus alis
Murmura læta cient, quædam circúmque, ſupérq;
Aduolitant, mutis venerentur nutibus omnes.
Nec ſatis: Hyblæos conquirunt vndique flores,
Illa thymum ſtudioſa legit, redolentia latè
Illa gerit ſerpilla, roſas, & lilia quædam
Aggerat, & grauiter ſpirantis pondera thymbræ,
Galbaneos ſuccos, lacrymatas cortice myrrhas,
Et matutino lapſum de ſydere rorem
Ore vehunt, remiſq; nemus frondentibus ornant.
Floribus his condunt, vbi conditur Hoſtia, cellã
Arte laboratam, Phrygios imitatur honores
Cælatura domus, Erythreas candida gemmas
Maſſa refert, totis ſudant opobalſama ceris.
Hinc tandem commota ruunt examina, circum
Admirata cadunt, & ſanctum Numen adorant.
Nullos vlteriùs libet explorare receſſus,
Nec latices, nec prata, ſuos oblita labores.
Mella, fauos, ceras, operum monumenta priorum,
Hîc hærent (ô mira fides!) hîc ordine ducunt
Excubias, & ſigna Deum teſtantia promunt.
Cernis vt exiguo venerentur panis in orbe
Numen apes? vt cœca Deum natura latentem
Agnoſcat, meritóſque aris imponat honores?
O amor æternum tu condis Numen in eſcam,
Rurſus in obſequium tu numina pandis, vt omnis
Ignota ſub veſte colat natura Tonantem.

Sed quid in externas nequicquã diſtrahor oras?
Lyſiadum (nec vana fides) ſpectacula ciues
Tanta dabunt, noſtris miracula tanta perennant
Mœnibus, ac tanti mirabile pignus amoris.
Ite ſub excelſas *Scalabis* precor ite ſub arces,
Et veteris certam famam cognoſcite facti.
Hîc olim ſacras mala fœmina venit ad aras
Libatura dapes diuinas: accipit almum
Ore cibum, non ima tamen ſub pectora mittit,
Sed prauos tacita ſub lingua ſeruat in vſus
Mox abit, & primo templi cum limine greſſu
Extulit, è labris leuiter tangentibus eſcam
Corripit, auſa Deum manibus violare nefandis;
In modóque ligat vittæ, qua tempora velat,
Suſpenditque retro ex humero, iam læta ſecũdo
Euentu, carpit celeres ad tecta volatus.
Sed quis diuinos eludat vanus honores?
En ſubitò (res mira!) notæ velamina tingunt
Sanguineæ, maculiſque rubeſcit vitta cruentis,
Mox cruor in guttas paulatim liquitur, inde
Latior exundat ſtagnantis ſanguinis imber.
Tota rubet, totas qua pergit ſanguine foſſas
Implet, & attonitos trahit ad ſpectacula ciues.
Quò ruis infelix, clamant, quæ vulnera geſtas?
Quis cruor hic? oculos poſt tergum fœmina torquet,
Aſpicit & largos noto è velamine fontes
Sanguinis inuaſit gelidus præcordia terror.
Hæret & ancipiti curarum fluctuat æſtu.
Quid faciat? feſtina pedes ad limina tendit,
Sepit ſe tectis, latibúſque includit opacis.
Velamenta rapit de crinibus, implicat illud
Frontis onus, pariter cum ſanguine condit in vrnam,
Et premit arcano ſub pectore conſcia factum.
Nox ruit, obſcuris voluuntur tecta tenebris
Excubat infelix vltrici ſaucia cura.
Cùm ſubitò de parte ſacras vbi condidit eſcas,
Exoritur iubar inſolitum, domus alta coruſcat,
Non ſecus ardentes ac ſi per nubila flammas
Lucifer effundat, roſeiſve Aurora quadrigis
Spargat, & exoriens per terras Phœbus anhelet.
Proripit è lecto ſe fœmina, fluctuat, horret,
Æſtuat, & ſecum tanti gerit omnia caſus.
Quid faciat? celeres effert è limine greſſus,
Delectos populi ad proceres miracula pandit.
Accurrunt omnes, portiſque patentibus intrant.
Expendunt portenta, vident miracula. namque
Hoſtia ſanguineis (noua res) interlita guttis
Paruit, ac miro tumefecit pectore viſum.
Procumbunt omnes, venerantur, pectora cædunt,
Cœleſtes mirantur opes, mirantur amoris
Prodigium, fidei mirantur pignora noſtræ.
Vix ea contigerant, ſubitò pennata per vrbem
Fama volat, iam parua quatit, iam gaudia pulſat
Limina, & ingentem paruis in poſtibus vrbem
Viſendi concludit amor. Miracula poſtquam
Quiſq; videt, viſóq; in ſanguine Numen adorat,
Inſtruitur noua pompa, nouũ componitur agmen.
Ad templum quod in vrbe fuit ſublimius omni
Innumeri præeunt ciues, & ponè ſequuntur
Innumeri, ſua quemque notant inſignia, cantus
Perſonat, exultant choreæ, funduntur odores,
Signa triumphales radiant imitantia pompas.
Ingreditur ſub veſte grauis candente ſacerdos,
Qui ſacras de more dapes protendit in auro
Incluſas: hinc, inde vapor Panchæus ab igne
Halat, & æthereas fertur concentus ad oras.
Ventum erat ad templũ; feſto ruit omne tumultu,
Quà citharæ, quà plectra ſonant, quà nablia pulſu

Feſtino

Digitized by Google

Feſtiuo commota canunt: quà tibia dulces,
Quà tuba terribiles, quà lætos fundit auena
Diuerſa de parte ſonos, iam cymbala nunquam
Intermiſſa crepant, iam fulminat ignibus æthér
Sulphureis, iam tota ſonant per mœnia plauſus.
Ergo ſacrata diuinum Numen in ara
Siſtitur, & meritis colitur per ſecula votis.
Scilicet huc variis è partibus ampla quotannis
Turba ruit, nouus ardor agit præcordia, plenas
Aſpicias tunc ire vias: acceditur, ara
Panditur: attonitæ cernunt miracula turmæ.
Namque omnes diuerſa vident ſimulachra, figuras
Diuerſas: facies neque cernitur omnibus vna.
Ille videt Chriſtum naſcentem, cernit hiantem
Vulneribus mox ille, cruci videt alter acerbæ
Suffixum, validis religatum ad marmora nodis
Alter, Auernali redeuntem à carcere quidam
Aſpicit, ætherea quidam ſuper arce locatum.
O quæ proſiliunt ſuſpiria! quantus ad auras
Clamor it! in quantos ſoluuntur lumina fletus!
Ille dolens, deteſtor, ait, mea crimina, nunquam
Si das, Numen, opem ſceletum per iniqua mo-
uebo
Rura pedes: mox alter ait, mihi deprecor iras
Cœleſtes, tuus iſte meas cruor Optime noxas
Chriſte lauet: vox vna ſonat, ſonat omnibus idem
Clamor, & æthereas magis increbreſcit ad auras;
Quo veteres labes, vitæ monumenta prioris
Oderunt, quo diuinum gratantur amorem,
Quo verum ſacra teſtantur Numen in eſca.

VIRGINIS MAGNÆ Matris Purificatio.

VIr fuit æthereis Simeon gratiſſimus oris
Relligione ſacer, pietate inſignis, Olympi
Cultor, & ardenti cupiens feruore Tonantem.
Hic animo verſans ſacris monumenta figuris
Plena; ſub obſcuris reſerabat plurima verbis
Abdita, diuinæque dabat myſteria legis
Cognoſcenda viris, & magna luce recluſas
Explorabat opes, quas pagina ſacra ſub alto
Verborum amplexu, taciráque ambage recondit:
Forſitan egregios vatum qui primus honores
Promeruit, ſeri memoranda nepotibus æui,
Mortali maiora fide reſponſa canebat,
Virginea de matre ſatum ſubluminis auras
Venturum, patriis totum qui legibus orbem
Temperet, & ſceleris tollat veſtigia noſtri.
Tum Simeon dubia mentem formidine preſſus
Obſtupuit; quæ ſacra nouos inducere partus
Virgo queat, quæ mater opes ſeruare pudoris
Poſſit, & illæſam fœcundo viſcere mentem?
Ergo dum vario curarum fluctuat æſtu,
Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit
illuc,
In partéſque rapit varias, pérque omnia verſat,
Ignorat, quà verba queat rata prodere vatis.
Vnica poſt varias animum ſententia curas
Occupat, An facilis mentem deluſerit error;
Ac vetus irruerit per ſacra volumina mendum?
Sic diuina parat ductis monumenta lituris
Caſtigare, nouos inuertere carmine ſenſus
Fatidico, dubias notulas expungit, & audax
Altera ſubſtituit primis elementa figuris.
Ergo puellari venturum à ſanguine cretum
Numen ait, non virginea de matre ſub auras
Affore vitales. Sed quis ſuprema Tonantis
Conſilia in melius referat? Quis in æthere fir-
mos
Inuertat iuſſus? Quis aperta oracula credat
Irrita? Quis vanis ſuperi mandata Senatus
Ludat imaginibus? ſubitò lita carmina ſarcit
Omnipotens, veteréſque inſtaurat voce figuras.
At Simeon cùm ſigna locos tenuiſſe priores
Cerneret, & priſcos rediiſſe in carmina ſenſus,
Hæret, & obtutu paulum defixus in vno
Multa mouet: diuerſa tamen ſententia mentem
Nulla ſubit: facili ſacros, velut ante, coërcet
Vngue libros, & vera notis interlita falſis
Eximit, ac dubia ſtatuit pro voce puellam,
Quis tamen aduerſus monitus audentior ibit
Æthereos? Iterum primas in carmine voces
Integrat omnipotens: ſubitum Simeonis ad ar-
tus
Frigus abit, gelidúſque ciet præcordia terror.
Quid faciat? Quò vertat iter? Qua luce meatus
Verboram illuſtret? Quibus & miracula dictis
Tanta probet? quæ ſacra fides reſponſa ſequatur?
Dum ſtupet, & curas tacito ſub corde volutat
Ancipites: eadem ſupereſt audacia menti;
Et furioſus agit maiores error in auſus.
Vlteriùs diuina ſuis promiſſa lituris
Temperat; & rurſum iuuenis pro virgine no-
men
Sufficit. Extemplo ſuperis elapſus ab oris
Clamor iit; mediáſque volans Simeonis ad au-
res
Accidit, & pauido tetigit præcordia motu.
Quis furor? O Simeon! quæ te dementia, quæ te
Cæca per ignotos agitat vecordia caſus?
An potes æthereos mutare in carmine ſenſus
Fatidico, facilíque nouas temerarius auſu
Explorare vias? Quid cœlo obſiſtis? & alti
Numinis imperium toties inflectis inani
Conſilio? Maiora polus, quàm mente reſeruas,
Dona parat. Magni ſunt hæc rata iuſſa To-
nantis
Virginea, ne vana putes, puer editus aluo
Aduenìet: non vlla ſacros mendacia libros
Inuadunt, nullis ſuperis annalibus hærent
Errores. Nec tanta deeſt ad munera virtus
Cœleſtis: maiora valet miracula rerum
Edere, nobilius rerum vulgare theatrum.
Quin etiam, iam tolle animos, non ſera dabuntur
Munera, nec tardos referetur pignus in annos.
Iam quæ virgineo ſacram dabit vbere prolem,
Extulit os ſacrum terris. Quid plura: ſuperſtes
Vitales auras carpes, cùm prodeat infans
In lucem, teneríſque tuas vagitibus aures
Commoueat; cernes puerum, & promiſſa To-
nantis
Munera, purpureo paſces in lumine vultus,
Et tua diuinis hærebunt oribus ora.
Hæc ſuperi reſponſa Patris, mouitiſque ſilenti
Nocte daros, premit ipſe ſuo ſub corde ſacerdos.
Iam tacitus magni largos miratur honores
Numinis; audacis ſecum iam crimina dextræ
Arguit, inſolitos veterum per ſæcula partus
Voluit hians; quo tanta latet ſub ſidere Virgo,
Qui tam felices ſobolem genuere parentes
Virgineam; quo ſacra loco cunabula prolem
Diuinam accipient: quando clarebit Olympo
Feſta dies, quam tanta notant miracula partus.
Tandem ſidereas ferit his clamoribus aulas.
Ergo Tartareæ ſedes, ſqualentia Ditis
Regna cadent; tandem validis claudetur Auer-
nus
Poſtibus, & ſuperi pandentur limina regni.

Aduenient optata bonis iam ſæcula, fauſtos
Allatura dies,pacémque datura per orbem;
Noxia primæ uiæ recident contagia culpæ;
Nec ſcelerum fibris ſurgent euulſa renatis
Semina,ſed pulchris creſcent viridaria plantis
Virtutum.Me ne ætherei eunabula Regis
Viſurum,me diuinos in ſtamine vultus?
Me lacrymas?Me patria Dei concreta rigenti
Membra gelu?Mene arcano ſuſpiria corde
Edita?vel tacito miſſos è pectore fletus
Auribus nauſurum?Noſtri proh nobilis æui
Gloria! Proh noſtræ celebres ætatis honores!
Felicem,quem vita meos ſeruauit in annos.
Sic memorat:lætóque ſalit, feſtóque triumphat
Inceſſu;manifeſta oculis,manifeſtaque vultu
Lætitiæ dat ſigna ſuæ,ſtat neſcia pubes,
Miratúrque nouos languenti in corpore geſtus.
Inquirit,quæ cauſa ſenem,quæ nuntia rerum
Commoueant, quæ fata animos tam læta ſeniles
Exhilarent; nouus vnde calor, nouus vnde per
artus
Feruor eat,ſaliant imis quæ gaudia venis.
Ille ſub hæc. Veſtra ô Solymi ſpes vnica ciues
Approperat:tandem cedet, quod veſtra coërcet
Colla iugum:nexis ſoluentur vincula palmis.
Veſtra ſalus agitur,ſummi iam corda parentis
Tangit amor veſtri;pauci Titana labores
Inuertent,paucos ducet noua Cynthia gyros,
Cùm noua progenies cœlo mittetur ab alto
Quæ ſceleris(non vana fides)primordia veſtri
Tollat,& æthæreos duce qua via tendat in orbes.
Sic fatur:ſed mentis inops,rationis egena
Turba manet,nec cæleſtes veneratur honores:
Fert humiles nec tire preces;nec munera gratis
Proſequitur votis:ſtat circumfuſa tenebris
Cimmeriis,gelidúſque riget præcordia circum
Dura chalybs,totóque abſiſtit pectore Numen.
At Simeon ſacrum bibit inflammatus amorem
Largiùs,& maiore ſuam ſpem numine firmat.
Siue dies cœlum,ſeu nox inuicta quadrigis
Aſtra tenent;ſeu feſſa premit,ſeu lumine ſoluit
Clara ſopor;ſeu grata capit,ſeu grata reponit
Fercula;diuinos ſemper meditatur honores.
Te clamat,te ſæpe Puer,te Virgo ſub alto
Corde vocat;iuſtos expoſcit ab æthere rores;
Sæpe diem breuis hora,dies breuis exhibet æuum;
Temporis exiguum metitur grandibus orbem
Curſibus, & longos reddit mora quælibet annos.
Proh pietas! proh verus amor! proh ſacra Tonantis
Relligio!quàm magna paras incendia!quantas
Corde faces!quantos accendis in oſſibus ignes?
Ergo dies aderat niueo ſignanda lapillo;
Æthereis optata locis;grauiſſima clauſis
Diuorum agminibus, metuenda ſilentibus vmbris.
Qua puer æterno ſoboles æquæua parenti
Bethleemica ſub rupe,ſacrum caput exerit aluo
Virginis,& totum diuino numine complet
Hoſpitium, ſuperúmque ferit concentibus auras.
Et iam multa nouo properauerat excita caſu
Paſtorum manus ad cunas;& ruſtica pomis
Tecta caſæ,doniſque ornarat agreſtibus antrum.
Iam cruor innocuos pueri violauerat artus,
Effuſóque ſacri rorarant ſanguine cultri.
Iam nouus Eois radiarat ſedibus ignis
Inſolito fulgore nitens;faciléſque per omnes
Erroréſque viæ,vaſtæque pericula terræ
Duxerat infantis ſacra ad cunabula reges.
Virgo ſuas immota cauo ſeruabat in antro
Diuitias,humiliſque parens in limine,tantas
Includebat opes.Proh quantus ſæpe recurſat
Ventorum furor ad portas! Proh quanta ninales
Adglomerat gyros,& parui culmina tecti
Tempeſtas de more ferit?tonat arduus alto
Iuppiter,ingeminant abruptis nubibus ignes,
Tecta tremunt, iam iámque ruunt: ad pectora natum
Virgo premit, blandíſque fouens amplectitur vlnis.
O Puer,indignis toties exercite fatis,
Quæ vis æætherea tantos ciet arce fragores?
Quid fera ſæuit hyems?totóque impunè vagatur
Æthere? quid gelido præceps furor incubat antro?
Dura manent te fata Puer:nunc parciùs æther
Tela vibret,iaculíſque manus exarmet acutis.
Ne glacies teneros morſu tibi vel licet artus;
Crudeles ne ſacra ruant in limina venti.
Sat fuit obſcura noſtræ ſub imagine formæ,
Velatum gelido caput erexiſſe ſub antro.
Sat ſtipulis iacuiſſe,cauo ſat pumice molles
Inclinaſſe genas,ſat Olympica regna cubili
Commutaſſe gregis. Ceſſent puer inclyte Cori
Murmura,Riphæis ceſſent è montibus Euri.
Ergo quaterdenos Pueri iam Phœbus ab ortu
Eois inuectus equis,& in æquore merſus
Occiduo ſummo confecerat æthere curſus,
Arcano tunc Virgo pias ſub pectore leges
Obſeruat,quæ ſacra iubent ad templa recentes
Offerri natos,placitíſque altaria donis
Ornari,nulláſque moras interſerit æquis
Legibus, ad Solymam feſtinis greſſibus vrbem
Ire parat:tandémque antro diſcedit,ab alto
Ducta polo,puerum ſacras vt ſiſtat ad aras.
Dona gerit reddenda ſuo pro pignore,quamuis
Nulla coërcebant ſuperi mandata Parentis
Ad ſacra virgineos altaria ducere partus.
Vlla nec immunem ſceleris diſcrimine prolem
Relligio,donis redimi cogebat.Olympi
Cura tamen,ſuperique trahit ſtudioſa voluntas
Obſequij Non vlla fugit,non vlla retractat
Pondera verus amor. Sed iam propiora tenebat
Mœnia,iam Solymæ veteres conſcenderat arces
Virgo parens, iam ſumma procul faſtigia templi
Cernebat,cùm fortè ſuo ſub limine tecti
Ingeminat queſtus Simeon,tendítque ſupinas
Ad cœlum cum voce manus. Quò munera differs
Summe parens? Quo læta die promiſſa rependes
Eia, age, rumpe moras, fœcundum concute pectus;
Tempus adeſt,iam ſolue fidem, ne dicta retractes,
Neu quæ iam toties vates cecinere, recuſes.
Vix ea fatus erat,ſubito fulgore per auras
Labitur æthereas,puraque in luce refulget
Aliger & placidis compellat vocibus vltrò.
Quod petis, ô Simeon, tibi donum indulget Olympus
Surge,age,feſtina,celeres ad limina templi
Verte gradus,ac te lætum venientibus offer.
Ille,vides,quem ſacra parens ad pectora geſtat,
Vera Dei ſoboles puer eſt,& ſanguine cretus
Virgineo.Nec plura:leues effugit in auras.
At Simeon tali fugientem eſt voce ſequutus.
Sis felix,quicunque nouo præcordia motu
Exhilaras,& membra ſitu confecta ſenili
Cogis in antiquum fauſtis remeare vigorem
Auſpiciis.An læta ſacris licet oſcula plantis
Figere?diuinóſque meis amplexibus artus
Accipere?& veras audire,ac reddere voces?
Ibo celer,mora nulla gradum tardabit euntis.

Læta

Iam properat,iam prima rapit veſtigia tectis:
Iungit amor vires; pedibus talaria feruor
Subiicit,ac rapidis Euri volat ocyor alis.
Nec labor exagitat: nec ſpiritus angit anhelus.
Qualis in æquoreis nauis cita labitur vndis,
Et ruit ad patrios ignoto ex littore portus.
Qualis Olympiacas volat inflammata per auras
Stella,nec antiquos iterum ſubit ardua tractus.
Qualis præpetibus volucris ſecat aëra pennis,
Ventorúmque præit ſpatioſa per atria curſus.
Qualis,& æthereos reſolutis funibus orbes
Haſta ſubit;demiſſa præit,ſublimia tranat
Nubila,lyncæoſque procul fugit ardua viſus.
Haud aliter fertur Simeon. Sacra limina poſtquam
Attigit,in varias torquet flammantia partes
Lumina,ſi qua valet venientis ſigna Tonantis
Cernere, diuinóſque Dei cognoſcere vultus.
Ecce autem iam Virgo parens veſtigia templo
Prima locat: ſubitò claras in vertice flammas
Agnoſcit Simeon,& flexo numen adorat
Poplite,diuinóſque ſuis amplexibus artus
Mulcet,& in lætas effundit pectora voces.
Vera-ne te facies,verus mihi nuntius affers
Nate Deo? Quis te noſtra ſub imagine natum
Traxit amor? Qua lege ſacras redimendus ad aras
Accedis,noſtri redimis qui damna parentis?
Eia age ſumme Parens,iam dulces auribus hauſi
Vagitus pueri,roſeóque in lumine paui
Lumina,quæ noſtris mora fatis longior obſtat
In terris:iam firma tuis oracula dictis
Deſpondent.Liceat iucundo abrumpere vitam
Limite.Membra labent, placidáque in pace quieſcant.
Nuncia læta feram primorum ad clauſtra parentum
Dixit,& extremas lacrymarum flumina voces
Ore premunt:tacitúſque hæret defixus in vno
Obtutu dum venturos in pectore caſus
Fatidico voluit:lacrymis vndantia tandem
Ora mouet,talíque affatur voce parentem.
Heu dolor, heu crudele nefas, heu quanta per auras
Tela ruunt! video iaculûm concreſcere nimbos
Æthereos,video telorum nubibus orbes
Offundi, crudóque volare ex hoſte ſagittas
In puerum, proh quanta cadent, proh quanta reſurgent
Agmina! Crudelis figet tibi Virgo doloris
Corda chalybs:durum tentabit viſcera ferrum.
Hæc Simeon; at Virgo ſuo ſub corde volutat
Tantarum euentus rerum.Simul Anna futuri
Præſcia diuino celebrat præconia cantu
Infantis,lætiſque ſacros euulgat honores
Vocibus, & magnum Pueri ſub imagine Numen
Prædicat. Inſtructas tandem procedit ad aras
Virgo parens; fert ante gradum ſub veſte ſacerdos
Sacrifica,cui multa premit veſtigia turba
Pone ſequens,totóque micant funalia tecto
Ergo diuinus ſacris altaribus Infans
Siſtitur,& celebres templi ſtatuuntur ad aras
Munera. Virgineos lacrymarum flumine vultus
Vndat, & exundat Ioſephi lumina magno
Imbre natant; ſimul Anna genas ploratibus implet,
In largos Simeon lacrymarum ſoluitur amnes.
Liquitur in lacrymas populus. Tum voce ſacerdos
Primus ait: donum hoc reliquis tibi gratius vnū
Accipe,ſumme Parens, quod non ingrata tulerūt
Viſcera:quod iuſtas in nos tibi mulceat iras.
At dum maiores ætas adoleſcit in annos,
Virgineo permitte ſinu,blandóque foueri
Amplexu:cùm membra viri firmauerit ætas,
Rurſus ad extructas veniet tibi gratior aras
Victima,crudelíque tibi cadet hoſtia ferro.
Interea quæ mater habet,tibi munera votis
Inferiora ſuis dat læta:hoc pignus amoris
Accipe,& Infantem ſacratæ redde parenti.
Dixit,& ex aris Puerum leuat:aurea tendit
Virgo manus,placidiſq; ſuum complectitur vlnis
Infantem: tum verba ſacro dedit vltima templo,
Atque iterum greſſus patriā molitur in vrbem.

IGNATIVS Societatis IESV Auctor,ac Parens ſanctiſſimus, vt quendam è ſcelerum lacu extrahat, in lacum ſe abdit.

HÆrebat quidam vitiis: Ignatius illum
Conuenit,atque animum verbis medicatur amicis:
Ille nihil:ferale regit ſub corde venenum
Callidus, & medicam fugit intractabilis artem;
Inſiſtit monitor; miles ſcelerate ſatelles
Plutonis,Barathri certiſſima præda,quid vltra
Inſanis? præſens è faucibus exprime virus,
Ante veternoſos penitus quàm maceret artus.
Ne quidquam canit ille mouens.Ignatius vrget
Acrior; heu diris Barathri deuote caminis,
Verte gradus te iuſtitia manet vindicta:tuúmque
Exigit in pœnas caput immedicabile. Cerno
In te Tartareos meditari bella Ceraſtas,
Inque manus nodos moliri,in colla catenas,
Duraque lethales fabricare in pectora tædas,
In melius ni verſa trahit ſententia mentem.
Subriſit monitis demens.Quid inanibus,inquit,
Sollicitas verbis vlteráne perge? timores
Ne vanos mihi finge minas interritus omnes
Excipio, vultu ſiquidem fortuna ſereno
Blanditur dubióſque è pectore ſubmouet æſtus.
Talibus à ſeſe monitorem auertit: at ille
Quid faciat? quà tentet iter? quo ſæua furentem
Ambiat affatu primis in poſtibus vrbis
Vallis adeſt, vbi regnat hyĕs,vbi cogitur humor
Montanus,mediáque rigent æſtate paludes.
Huc venit,& præceps gelidas deſultat in vndas:
Ore tenus ſe mergit,aquis glacialibus horret,
Membra gelant,malæ trepidant,veſtigia nutant,
Oſſa crepant, ſanguis concreſcit, frigidus ore
Halitus erumpit,dentes in dentibus hærent?
Lumina deficiunt,& pallida mortis imago
Ore natat,totóque abſiſtit corpore ſenſus.
Sic ait. Aggrediar Stygium violentior hoſtem.
Illác forte pedes ſcelerum dux ille ferebat
Intactus,quò præcipitem rapiebat Erynnis
Impia hybernis vox edita fertur ab vndis
Vade ait,infelix in Tartara, vade.Reſiſtit
Ille tremens,oculiſque locum veſtigat acutis.
Nullus erat: iam carpit iter,reuocatur eodem
Ecce ſono: Stygias peſſundare triſtis in vndas.
Ecquis,ait,ſi fortè latet,me decipit error?
Et ſecum;mentem fallit,niſi fallor,imago
Vana meam?pergit,ſubitò repetitus ad aures
Clamor abit; rapidis ad pœnas labere pennis
Infelix. Tunc ille procul, procul omnia ſumit,
Ergo vias,dumeta, nemus,ſpælea,receſſus

Sedulus explorat: cùm ſummo in flumine quid ſit
Incertus, tamen eſſe aliquid videt, aduolat: ecce
Humanum caput extat aquis: miratur & vltrà
Indagare cupit, propioréſque addere ſenſus,
I demens aliaex aliis in crimina: præceps
Voluere: Tartareas ſectare per aëra flammas;
Hîc ego brumales nudato in pectore morſus
Pro te ſuſtineo, vade, improbe, vade: Tonantem
His immerſus aquis, ſupplex in vota precabor.
Vt quas ipſe meras ſoluant mea frigora pœnas.
Sic ait: at ſcelerum molitor territus hæret.
  Concreſcunt horrore comæ, formidine pectus
Exilit, & variis tremefiunt nutibus artus.
Hîc ait, hîc vel numen adeſt, vel numinis inſtar
Arbiter in terris animorum Ignatius. Ergo
Accedit, ſpeculatur; adeſt Ignatius, inquit,
Ille meos tentare poteſt, & vertere ſenſus,
Ille cupidineos ſedare in pectore motus,
Illéque labentes reuocare in ſydera greſſus;
Ergo pedes & corda libens conuerto: voluptas
Cede procul, fortuna ito, tibi pectoris omnes
Ignati iam credo ſinus, tibi mentis habenas
Trado meæ, laxa, cohibe, preme, ſiſte ſub omne
Verte latus, quocunque trahes retrahéſque ſequentur.
Iuſſa pedes, celeréſque animus conſurgit in alas.
Viciſti, de me, ſiqua eſt ea palma, triumpha.

FRANCISCI XAVERII Herois ſanctiſſimi oracula, & miracula.

SVrgens Eoo de litore Phœbus in vndis
Conſpicit occiduis alium ſplendeſcere ſolem.
Siſtit equos; trepidáque manu molitus habenas,
Hæc ſecum. Quæ cauſa nouat tot in æthere leges?
An ſtabiles natura polos præuertit? & ortus
Cedit in occaſum refugítque occaſus in ortum?
Res noua! Sidereis expellar ſedibus exul,
Ipſe polo nutritus? aget per inania cœli
Arua ſuos ſol alter equos? quæ cauſa? quis autor?
Quod numen regno ſolem ſpoliabit auito?
Non patiar. Faxo contrarius irruat æther,
Et Pirois, & pone ſequens irrumpat Eous
Acer, & inſolitos efflans è naribus ignes;
Dira Phlegon in bella ruat, quibus hoſtis ab alto
Cedat, & aduerſus labefiat in æthere currus
Phœbus, vt in terris dominetur, Phœbus in aſtris
Vnicus, & ſolum venerentur ſidera ſolem.
  Quis furor inſanas te ſol impellit in iras?
Cede polo, depone faces, demitte iugales
Condere; Franciſcus ſub cardine clarus vtroque
Phœbus erit, mihi crede, tuo rutilantior aſtro;
Ille ſolum ſolus luſtrabit, ſolus Olympum.
Tu qua parte tuos præſens moderabere currus,
Hac in parte diem, fateor, monſtrabis; at illam,
Vnde venis, cæco tenebratum inuoluis amictu.
Franciſcus terras præſens illuſtrat, & abſens.
Humanas tu Phœbe genas perfundis amico
Lumine, & externos rutilum iubar edis in artus
Non tamen arcanos animi luſtrare receſſus
Phœbe potes, Franciſcus adit penetralia clauſi
Pectoris, & medias ſecreto in corde medullas
Rimatur, dubiáque animos ambage volutos
Explicat, ac tacitis quæcunque in ſenſibus hærent,
Circum luce tegit, puríſque nitoribus ambit.
Præſentes tu Phœbe dies, præſentia condis
Sæcula, præſenti dominaris clarus in æuo;
At neque venturos annotum conſpicis orbes,
Nec voluenda tuos in ſecula proiicis ignes.
Franciſcus (nec vana fides) in poſtera flammas
Sæcula defundit, præſago lumine cernit,
Quæ ſunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.
An dubitas? An vera negas miracula? tantum
Perfidiæ tribuis, furiíſque procacibus? Audi.
  Soluerat Eoo de littore claſſis iniquas
Exactura rates, pelagóque hauſtura profundo
Quotquot Lyſiadum populabant arua carinæ
Expectata diu, patriis neque reddita campis,
Creditur Æolias per ſyrtes, ſaxa, per vndas
Excepiſſe minas, agitataque fluctibus iſſe
Naufraga, & extremam in ſcopulis traxiſſe ruinam.
Matres lugebant ſua pignora; pignora patres
Lamentata ſuos lugebant; triſtis vbique
Luctus erat; vacuæ reſonabant luctibus ædes.
Hic Franciſcus adeſt; fletus miſeratus inanes
Lyſiadum, & vana trepidas formidine mentes:
Collectam in templum ſpatiorum fatur ad vrbem.
Quò vobis, quò certa poli fiducia ceſſit?
Creditis aduectas inimica in littora puppes?
Submerſasve Salo? Monſtríſve oblata marinis
Corpora Chriſtiadum? Superi meliora; nec vltra
Progreſſus paulum ſubſiſtit. Feruida tingit
Flamma genas; turbata cruor lauit igneus ora:
Stat numquam facies; & pectore vibrat anhelos
Singultus. En, inquit, adeſt, en illa, ſed alto
Hinc atque hinc cerno concurrere prælia ponto
En volat hæc, en illa volat, iam marmore claſſes
Miſcentur; iam tela ruunt: iam ſæua coruſcant
Fulmina; iam denſis armorum nubibus æther
Intonat, ac vaſtos voluit ſuper aſtra fragores.
Falcatas iam roſtra premunt falcata triremes;
Iam gladij gladiis incumbunt; ignibus ignes;
Armis arma, virique viris. O Rector Olympi,
Huc adſis, ac tanta moue pede bella ſecundo:
Nec plura, incubuit tacito ſuper vtraque vultu
Brachia, & exanimis, tanquam ſtet truncus, inhæſit.
Vulgus iners, procerúmque phalanx mirata, quid iſtud,
Inquit, erit, quæ fata canit, quæ monſtra, quod æquor,
Quos hoſtes, quo Marte videt concurrere puppes?
Attollit tandem Franciſcus lumina; ridet,
Plaudit, ouat, geſtit; placidam noua gratia frontem
Imbuit, inſolitos inſpirat vultus honores.
Suſpicit auditor nouitatem frontis, & aures
Erigit attentas. Quid tandem? Vicimus inquit,
Vicimus aduerſæ tandem cecidêre biremes.
Hoſtilis iam regna cruor Neptunia tingit.
Iam voluunt vada cæca viros; iam tela feruntur
Irrita, iam palmæ miſerorum ad ſydera victæ
Tenduntur, faciléſque ruunt in vincula, noſtri,
Quatuor amiſſis, ſeruatis à funere ciues.
  Ergo per æquoreos campos iam Lyſia regnat
Claſſis io, toto pelago dominata triumphat;
Nec dubitate; duos vel tres, non amplius orbes
Phœbus auget; certus veniet cum nuntius, & mox
Affore cernetis victricem in littore claſſem.
Quod ſupereſt, meritis cumulate altaria donis,

Fer

Ferte preces,date vota, ſacras veneremur ad aras.
Tertia vix aderat lux matutina:propinquat
Nuntius,& firmat certis oracula dictis;
Nec mora,felici(res mira)allabitur æſtu
Claſſis,& effuſas ad littora conuocat ædes-
Arma per antennas hoſtilia;geſta,dolones,
Spicula,thoraces,clypei,tormenta,bipennes;
Multa volant vexilla; quibus dat in æthere gyros
Mille notus, quibus aura leuis per cærula lapſus
Mille dat,ac varios fingit ſub ſole colores.
Vndique ſulphureis expreſſa tonitrua flammis
Multa ſonant,inflata ferunt ad ſydera cantus
Cornua,feſtiuos per propugnacula plauſus
Æra cient,hominum vario clamore reſultant
Sidera,multiplici reſponſant murmure valles.
Emicat in terram miles;complexibus hærent
Cognati,quæ quiſque tulit diſcrimina narrat.
Franciſcum memorant omnes; hinc miles, ac illinc
Ciuis,& alterno venerantur carmine Diuum:
Franciſcum(iam miles ait)tela inter, & hoſtes
Agnouère ducem victrices Marte carinæ;
Nobis ille animos,ac vires ille recentes
Præſtitit in pugnas; validis tamen hoſtibus idem
Incuſſitque metus,ac triſtia fata;regebat
Noſtras ille manus;ludebat in aëre iactus
Hoſtiles:ira noſtra ruit cum funere ſemper,
Hoſtilis rediit ſine vulnere ſemper arundo.
Non minus in noſtros(referebat ciuis)alumnos
Franciſci nituit virtus;pugnantibus acrem
Se tulit ille ducem;vatem ſe præſtitit vrbi:
In mediis fuit vna malis medicina,ſecundus
Flatus in aduerſis:oriens in nocte planeta;
In pelago portus;rapido leuis amnis in æſtu,
In mœrore ſalus,in tempeſtate columna;
In deſperatis tandem fuit anchora rebus.
Ille quid externis agitetur cernit in oris;
Ille quid arcano claudatur pectore cernit;
Ille quid annorum ſeries ventura latenti
Congregat amplexu cernit;felicia portat
Nuntia,felices rerum prænuntiat ortus,
Ac trepidam vana formidine liberat vrbem.
Quid ſtat,& incertus, qua ſit ſibi neſcit eundũ
Phœbus, & ardentes cunctatur in æthere currus?
Miratur,mihi crede,ſibi palleſcere vultus;
Loraque de manibus labi;miratur in orbe
Æthereo iubar inſolitum;miratur inanes
Se pro fatidicis dare voces,altera poſci
Numina;& alterius iam reddi oracula Phœbi;
Cedit,& excuſſis ſe dedignatur habenis.
Ergo felices ordire per æthera gyros
Phœbeis inuecte rotis Franciſce,per orbem
I precor,occiduas,& Eoas aſpice gemmas.
Te Tagus auriferis,te poſtulat Indus arenis;
Mundus ab Arctoo te cardine, mundus ab Auſtro
Inuocat,& totus tua numina vendicat orbis.
Aſt oculos huc verte: tuis te paſſibus addunt
Aſtrorũ noua caſtra; vide quàm multa per æquor
Hinc atque hinc collecta volant. En tota propinquat
Auſonia,æternúmque ſuos ſaluere penates
Te ductore iubet: volat, aſpice, Roma, Tarenthum,
Daphnia, Parthenope, Thyrrenia, Piſa, Cyclopum
Quondam grata domus.Pater Apenninus in vndas
Emicat,effundit ſe Gangis in oſtia Tybris.
En alias,& mille alias iam cerne cohortes
Lyſiadum:volat ille,caput cui crinibus ætas
Sparſit olorinis; volat hic, quem feruidus æui
Sanguis alit:volat ille,facit quem gloria fandi
Eximium:volat ille,gerit qui clara docendi
Munera, quíque præeſt ſeruitum gaudet ad Indos
Pergere.Nemo tuis ſe miles claſſibus aufert,
Nulla tuos natos terrent diſcrimina,tota
Ardet in Eoos conſcendere Lyſia portus.

ANTONII LVSITANI
Herois ſanctiſſimi illuſtria facta.

Threicius quondã nemoroſa in valle ſacerdos
Fertur olorinas imitatus carmine voces.
Cum procul annoſæ veniunt è montibus orni,
Circundántque virum:radicibus exilit imis
Caucaſus,& prompta in carmina ſuſcitat aures;
Hircanæque feræ tenebroſa cubilia linquunt,
Et quacunque datur breuior via, dulcibus adſunt
Carminibus, placidóſque bibunt ad plectra ſopores.
Fertur & æquoreas olim vocalis Arion
Tranquillaſſe minas, citharam cùm pulſat eburnam;
Neptuníque greges,Protheíque armenta ſub imis
Clauſa vadis,in ſumma nouo trahit æquora cãtu;
Ac dorſo incumbens Delphini,lata fatigat
Colla iugo,tumidóſque ferit calcaribus armos,
Et premit,& laxat moderator certus habenas
In quaſcunque volet partes. Heu cæca parentum,
Barbaries! Heu vana dolis commenta nefandis:
Non tales humana gerit facundia vires:
Mortalis non artis opus modulamine tigres
Siſtere,& effrænes ad carmina ducere phocas.
Tantum diuino micat hæc è pectore virtus.
Ergo age diuinum fer ad æthera Lyſia partum,
Cuius ad eloquium miteſcant marmora, cautes
Diſſiliant,venti ponant,querceta ſilentes
Contineant frondes, auium ruat agmen ab alto
Æthere; & indomiti linquant caua luſtra leones.
Terrarum tu grande decus,tu ſola ſub orbe
Orbis Olyſipo,cœleſtibus æmula regnis,
Tolle caput:tam læta tuos hæc fata penates
Sola manent:tibi diuinus naſcetur alumnus
Maior Threicio Vates,& Arione maior.
Quà Tagus egregiam,regni caput, alluit vrbem,
Virgine quà tecta domus maiora coruſcant,
Eductiſque polo monumentis aſtra laceſſunt;
Extulit os terris Antonius,extulit vrbi
Formoſum caput:ô qualis noua ſigna decoris
Fronte ſedent!qualis rutilant præſagia vitæ!
Creſce puer,creſce, & virtutum ingentia creſcant
Dona animo,vires ſolidentur corpore,mores
Pectore,creſcentes ſupera virtutibus annos.
Mox vbi prima pedes ætas firmauit, Olympi
Quærit opes,auri cumulos contemnit auitos:
Materna durare nequit ſub ſede,profanæ
Sæpe fugit monumenta domus,ad Virginis ædem
Itque, reditque frequens: puerilibus altior annis
Sacra colit,vanis ſe ludis abdicat,aras
Promptus obit,pingitque roſis altaria, ramis
Limina,purpureis laquearia cella coronis.
O puerum cœlo dignum,quem ſuſpicit orbis,
Quem Phlegethon, quem tota domus veneratur Olympi.
Eia age præpetibus ſuper æthera tollere pennis,
Arma cupidineo rotantia felle voluptas
Tartareo nutrita ſinu iaculatur,& alto

Corde premit,venis ſerpit calor, oſſibus ignis
Labitur,& ſtygiis flaueſcunt corda venenis.
Surge puer teque infando citus eripe letho,
Et Phlegethontæos validis tere calcibus hydros.
Ergo virgineis ſe mundo ſuſtulit alis,
Et quà victrices tollit Vincentius arces
Delituit,diuiſque arcana in clauſtra receſſit.
Rurſus Vlyſſæas oras,& nota parentum
Tecta fugit,natale ſolum commutat in agros
Herculeos,intrat veteris penetralia templi
Sacra,ſalutiferi ſacro cognomine trunci.
Inde aliud molitur iter,cœlo auſpice,cælo
Ignotas monſtrante vias,ſecreta relinquit
Iura domus,tacitæ vitæ ſe legibus aufert;
Te quærit,Franciſce,tuis penetralibus hoſpes
Succedit,comitémque tuis ſe præbet alumnis.
Nuda ſolo ponit veſtigia,vilis amictus
Membra tegit , circum tenerum datur horrida ſetis
Zona latus,non vlla manum,non vlla labantes
Virga pedes,in tanta viæ diſcrimina,firmat.
Terrarum fines,quà Phœbus conditur,& quà
Surgit;Hyperboreas quà tellus cedit in Arctos,
Et quà ſepoſitis Libyæ furit æſtus arenis,
Explorare cupit,pelagíque intrare profundi
Æquora,& extremis mundi ſub finibus exul
Indomitos ad iura greges,ad pabula cœtus
Ducere,& errantes ad ouilia cogere turmas.
Vade age, & inſignes Antoni ordire triumphos,
Auſpiciis in vota ruit felicibus æther.
Quà ſacra diuinæ referas præconia legis,
Tartarei,ne vana putes,in bella Ceraſtes
Torpebunt,vires amittent,ſæuaque plantis
Colla dabunt calcanda tuis,tu pectore virus
Exprime,tu fræno linguas moderare triſculas,
Tu rege calcatis tumidas ceruicibus iras.
Sic impune Dei leges,& iura per orbem
Æqua feres,ſic arma tuens inimica, Tonantis
Signa triumphato pones victricia luxu.
Ergo vbi maiores ſcelerum cumulantur acerui,
Impietas vbi cæca furit,bacchatáque ventris
Ingluuies,vbi regnat amor ſceleratus habendi,
Diraque luxuries fuſis dominatur habenis,
Et ferus inſultat Mauors,ibi Lyſius heros
Attollit vocem;quantus micat ardor ab ore?
Quantus amor ? quantis iaculatur fulmina verbis ?
Flagitiûm moles labefiunt,ira ſerenos
Induitur vultus,ſtygiis nutrita caminis
Flamma ruit , ruit ardor opum , veſana quieſcunt
Arma graui commota manu , furor occidit , orbe
Vana ſuperſtitio procul exulat,impia mores
Dediſcit natura ſuos,nouus editur orbis
Antiquo melior,meliora ſub auſpice tanto
Sæcula naſcuntur;ſed quid non poſſet Auerni
Liuor edax?quibus in pratis non peſtifer erret
Anguis,& intonſas non maceret halitus herbas?
Fortè aderat gens nata Erebo , formata receſſu
Caucaſeo,cùm diuinos Antonius amnes
Solueret,& dulci præcordia voce piaret.
Quo magis interpres ſacrorum pectora mulcet
Vocibus , atque animi duris medicamina plagis
Alligat, hoc ſæuit magis , ægreſcitque medendo
Vulnus iners,& mente ferox agreſtius horret,
Atque animos contra ſeptemplice durat aheno.
Quid faciet? Num verba Notis ludibria fundat?
In caſúmque ferat tot adire per aëra voces?
Fas, & iura vetant : ergo volat,agmina linquit
Perfida, commotis vbi fluctibus æſtuat æquor,
Clamat,& æquoreos contenta voce fragores
Exuperat,pelagíque ciet vada,ſaxa querelis,
Piſces Neptuni cœtus magni agmina; piſces
Huc omnes,iubeo latebris enare profundis
In terram , ſuperúmque in littore carpere lumen.
Nec plura : inſolito miſcetur murmure Pontus,
Exultant latices,æſtu voluuntur arenæ.
Vndique collectæ ſpatioſa per æquora turmæ
Inſurgunt pinnis,tumidóſque laceſſere fluctus
Remigio certant ; ſummáſque adnare ſub vndas.
Emicat in ripam , & fluctus capit ante priores
Turba minor,barbi,ſoleæ,conchylia;maior
Pone ſequens , pelagóque incumbens , ardua prendit
Littora,ſalmones,rhombi,delphines,aloſæ;
Inde alios,& mille alios,mirantur euntes
Cærula;piſtrices immani corpore gyros
Mille trahunt,vaſta ſe voluunt mole,belonæ
Immenſóque ruunt membrorum pondere cete:
Quotquot in æquoreo ſpatiantur monſtra theatro,
Exiliunt,totíſque ſuper ceruicibus extant.
Quid fundis Neptune tuos ad iuſſa miniſtros?
Quid viduæ cultore domus ? quid inania poſſunt
Regna ſatellitio?Nereus tibi tradit habenas
Diue ſuas:moderare diu felicibus vndas
Auſpiciis,eadémque tuos in iura nepotes
Erige, Lyſiadum ſubigant vada feruida puppes.
Ergo ſuſpenſos in ſummo gurgite cœtus
Alloquitur:Piſces veſtri præconia regis
Accipite,& totos adhibete in carmina ſenſus.
Ille domos,& regna vadis habitanda ſub imis
Extruit,ille cibos,& fercula grata miniſtrat:
Ille dat æquoreos pinnis ſulcare meatus,
Et quos exigitis ſemper molitur honores;
Vos igitur grates perſoluite,ferte Parenti
Obſequium , & meritis celebrate hæc munera votis.
Dixerat;at piſces,rerum ſpectacula nunquam
Viſa ſatis,motant ceruices,brachia vibrant,
Excutiunt caudas variíſque natatibus vndas
Impellunt,toto colludunt marmore.Diuo
Applaudunt,certis oſtentant gaudia ſignis;
Eia agite,& veſtras,Antonius inquit,in oras
Cedite,iam terris fidei documenta dediſtis
Firma ſatis,nullo pietas abolebitur æuo
Tanta,nec inſignis minuetur gloria facti:
Quod precor vt donis cumulet maioribus æther.
Illum ſubmiſſa venerantur fronte parentem,
Iámque imas labuntur aquas , & nota frequentes
Tecta petunt,latebríſq; maris clauduntur apertis.
O virtus,ô rarus honos ! tibi cedit Arion
Antoni:tibi Threicius dat victa ſacerdos
Nablia,Thebanæ tibi cedit conditor vrbis,
Cedit Athlantiades,tibi victus cedit Apollo.
Eloquio tu ſaxa trahis Marpeſia, ſyluas
Exuis,indomitos domitas concentibus vrſos.
Cæruleis armenta vadis manſueſcere nullis
Docta ſonis,tu voce regis,tu limina Ditis
Æratáſque fores æternáque robora frangis,
Infernóſque cies latebroſo à carcere manes;
Sume animos generoſa parens,ne defice rebus
Aduerſis,graudis tibi,Lyſia,ſeruit alumnus:
Hoc duce,ſydereos poteris penetrare receſſus,
Vndique felices reuocare in corpora mentes:
Hoc duce,Tartareis violare repagula portis,
Ac trahere horrendas buſtis feralibus vmbras.
Ille tuas molitur opes,meditatur honores
Ipſe tuos,tibi ſceptra parat , tibi frænat aquarum
Murmura,& admiſſum per tot diſcrimina nomen
Reſtituet,conſurge animis,obliuia nati
Nulla tui ſubeant,ſub tanto præſide,maior
Tollere,& æthereis caput inſere Lyſia regnis.

VRSV

Digitized by Google

VRSVLÆ, ET SOCIArum laurea triumphalis.

QVis furor, ô miles, quæ tanta licentia ferri?
Quò gladios, quò tela rapis? voluenda ſecuris
Hæc erat in ſæuos inimico Marte tyrannos.
Quid pia gens? quid puta tuas mucronibus armant
Caſtra manus? iam parce minis; crudelia demens
Proiice tela manu; pudeat calcare cruorem
Virgineum: pudeat ſacras latratibus agnas
Carpere: inæquali pudeat concurrere bello.
Gens ſed nata Erebo, Scythico formata receſſu,
Caucaſiis nutrita plagis, durata ſub ipſis
Cautibus, Hircanis aſſueta cubilibus, iras
Corde gerit, rapidáſque vomit de pectore flammas.
Mox vbi virgineum mediis è nauibus agmen
Emicat in terram, niueiſque phalangibus albent
Littora, crudeles acuit ſub pectore cædes.
In clades, in dura ruit certamina, quaſdam
Enſe ferit, quaſdam rigida tranſuerberat haſta,
In quaſdam torquet valido mucrone ſagittas:
Arida virgineo pingueſcit ripa cruore:
Impaſtus, ceu plena leo cum ſepta peragrat,
Et fremit ad caulas prædam iam nactus opimam
Gaudet hians; immane comas attollit, & hæret
Viſceribus ſuper incumbens, cruor improba teter
Ora lauat; ſic tota furens diſcordibus armis
Turba ruit, iam membra diu ſacrata pudori
Enſe cadunt, iam pura notis interlita rubris
Ora madent, iam pulchra metit falcata bipennis
Agmina: virginei repiuntur in æquora fluctus
Sanguinis, immixto latè rubet vnda cruore.
At vos ſanguineo niueæ de fonte cohortes
Surgite, victrices manibus prætendite palmas.
Ne trepidate feris veſtras apponere vitas
Hoſtibus, & greſſus medios inferre per enſes.
O pietas, ô mira fides, ô quantus Olympi
Tangit amor, quantus rapit in certamina feruor!
Audet in hoſtiles incurrere Virgo phalanges,
Nec vanos horret ſtrepitus, librata per auras
Tela ſubit, reſeràtque ſinus grauiora minanti
Spicula, & emiſſas fouet alto in corde ſagittas;
Quæque prior rigidæ ſupponit colla bipenni,
Et niueam ſacris ceruicem deſtinat aris,
Illa mori gaudet, morientis imaginis illa
Funus amat, quæ parua tulit, maiora precatur
Vulnera, nulla cupit rapidis exire ſuperſtes
Cladibus, imò ſuo maculare in ſanguine vultus
Ardet inexpletum, non tantus in hoſtibus ardor
Ad clades, ad tela pium iaculanda ſub agmen,
Quantus virgineum rapit hæc funera cœtum
Impetus, & medios moriturum vertit in hoſtes.
Virginei pars prima chori vexilla ferebat
Vrſula, queis nullum generis radiabat auitum
Stemma, nec antiqui fulgebant ſigna decoris.
Ergo ſalutifera pendebat ab arbore corpus
Diuinum, rigidis fixum mucronibus, haſta
Ruperat exanimum crudeli corpus hiatu.
Hoc inſigne ſuis manibus congreſſa ferebat
Vrſula, & vnanimes ſtimulabat in arma ſorores.
Huc oculos, huc ora, pias huc vertite mentes,
O ſociæ, magnas vobis in prælia vires
Sufficit, in ſacra quod cernitis arbore, Numen
Affixum grauiora mouet certamina amoris
Maioréſque vibrat liquefacta in corda ſagittas,
Quà iacet hoſtilis reſolutis funibus arcus,
Hoſtes vipereo iaciunt lita ſanguine tela
Vt duplicent mortis cauſas: at Chriſtus hianti
Corde trahit proprióque linit ſua tela cruore;
Sauciat hoſtilis, ſed Chriſti ſanat arundo;
Hæc beat, illa necat; date colla, extendite dextras,
Et celeres duro ceruicem dedite ferro,
Vulnus amor iam lene facit, iam dulcia reddit
Vincula, iam palmas miſeris in cladibus offert.
Vix ea dicta dabat: magnis clamoribus omnes
ingeminant, moriamur, & in media arma ruamus.
Nec mora per medios iam quæque audientior hoſtes
Ire parat, quà ſpiſſa virûm videt agmina, claris
Vocibus inclamat venerabile nomen Ieſus,
Chriſtum oculis, & corde canit geſtare, ſuperbas
Nil curare minas, maiúſque inoleſcere robur,
Frangere quàm valeant iuuenili in pectore vires.
Audiit, & magnò furiatum excanduit æſtu
Barbarus, & ſæuum vagina liberat enſem
Acrior, & magnos effundit gentis aceruos
Innocuæ, latas inceſtat funere ripas.
Illa cadit, mox illa ſuper cumulatur eodem
Multa loco. Ceu meſſa Ceres iam flaua maniplis
Aptandis ſub falce cadit, ceu plurima cœlo
Sydera labuntur liquidis cohibenda ſub vndis.
Sic & Virginibus rareſcunt agmina cæſis.
Nec prius abſiſtit temerata à cæde cruentus
Miles, in attonito quàm totas demetat enſis
Littore, felicéſque rates tot millibus orbet.
Inclyta marmoreo viduantur & oſſa ſepulchro;
Vrſa peregrinis, vrſæ tumulantur arenis:
Felices animi rutilant trans æthera vecti
Purpureis zonis, ſacrum ſtellantia velant
Serta caput, variiſque manus de ſede pyropis
Irradiant, ſic alta volant ad culmina, portus
Æthereos intrant, placidáque in pace quieſcunt.

VICTRICIS CATHArinæ Mauſoleum.

NOn ego Pyramidum ſublimi vertice moles
Niliacos quodam claudentia buſta tyrannos
Expromam cantu: nec Mauſolea ſuperbæ
Reginæ fundata manu: monumenta pudori
Virgineo ſacrata canam. Rege vatis habenas
Diua tui, ſuperique volans per culmina Sinæ
Caſta ſepulchralis fera penetralia molis.
Efferus in collum cùm miles librat ab aure
Mucronem Catharina tuum, fluit vndique lactis
Humor, & in niueos ſoluuntur vulnera fontes.
Protinus æthereos intrat mens inclyta campos,
Exuuiis decorata ſuis, ſtupet aula Tonantis
Inſolitum iubar, ac triplicis diadema figuræ
Cernithians, triplicis meruit quod laude triũphi.
Cùm ſubitò glomerata cohors, Diuûmque Senatus
Circumfuſus, ait, turpi ne inhonora iacebunt
Membra ſolo, quæ ritè valent intrare curules
Sydereos? an pura locus teget oſſa profanus,
Diraque virgineum ſeruabunt marmora corpus?
Id pietas, id iura negant ſuprema Tonantis.
Ergo præpetibus delapſus ab æthere pennis
Quique ruat, tumulóq; ſacros inducat honores.
Sic ait, & Zephyris ſuperas velocior auras

Digitized by Google

Dimouet,& Pharias celeri deſcendir in oras
Remigio alarum,foribúſque parentibus intrat
Mœnia,Pellæo quondam fabricatá Tyranno.
Ergo dum ſuperi perluſtrant omnia cœtus,
Exploránt que vias omnes:inhumata iacebat
In medio Catharina foro,gens impia circum
Admirata decus,niueóſque ex vulnere fontes,
Hærebat,mortis placido languentia ſomno
Lumina ſopitos referebant ætheris ignes,
Oraque puniceos Phœbo ex oriente colores
Pallida reddebant, quantum venerabilis inſtar
Frontis erat;quantus niueo decor ore natabat ?
At ſuperi properant ciues,mediæque per vrbis
Septa ruunt:ſua quemque trahit,ſua quemque voluptas
Ocyùs ite iubet:procul vt videre ſub enſe
Collapſos artus,duróque natantia letho
Lumina,feſtinant,rapidiſque volatibus adſunt.
Virgineas mirantur opes:ſunt debita turmis
Aligeris hæc dona,canunt,& funera læto
Commutant plauſu , celebri dant ordine pompam.
Ergo biſſeni candenti in veſte miniſtri
Succedunt alacres oneri;tollúntque per auras
Sanguineis lita membra notis:præit inclyta ſummi
Turba chori , læuaque ſimul, dextráque feruntur
Millia,primotúmque alij veſtigia cœtus
Ponè premunt , ſpargunt flores , candentia fundunt
Lilia,Idumæis quatiunt opobalſama virg s.
Iam ſuccos ignorat Arabs , iam neſcit odores
Fragrantes Panchaia ſuos, dum thure vaporant
Æthera,dum ſuperas mulcent ſuffitibus oras
Ambroſijs, vox vna ſonat:Catharina per orbes
Æthereos conſcendat io:Catharina per omnes
Terrarum,cælíque plagas,victricia ponat
Signa manu,meritoſque ferat poſt fata triũphos,
Quò ſuperi ?quò fertis iter ? quod tanta ſepulchrum
Membra geret ? quò ſacra iugo tumulabitis oſſa
Æthereis victura locis ?En oſſibus oſſa
Submittit frondoſa caput , iuga Pelion offert
Inclyta,& aërius nemoroſo inuitat Olympus
Vertice, ſubliméſque volunt in culmina montes
Virgineum reuocare decus ? quò tenditis vltra
Syderei gens clara poli?clamoribus omnes
Ingeminant;Si nam,ſi nam properamus in vnum;
Scilicet hæc olim rapidis iuga ſepta caminis
Fumiferis obducta globis,lapsíſque per auras
Territa fulminibus,ſæuóſque experta fragores
Diuinos monitus,& ſummæ dogmata legis
Hauſerunt,heu inde greges effuſa per omnes
Iſacidum,noſtros componunt aurea mores:
Non aliud Catharina iugum ſibi poſcit ab illo,
Sacra quod ætherei decorarunt iuſſa Parentis.
Iamque propinquabant , tenues qua Sina per auras
Erigitur, ſubeunt omnes , montémque ſub altum
Euadunt,celeres,ſummóque in vertice ſidunt.
Quid memorem colles cœlo iuga celſa ferentes?
Lunares contemnit equos , Iouis abiicit ignes,
Saturníque faces,radios Mauortis,& ora.
Spernit Athlantiadis,Cythereæ lumina temnit:
Reſpicit Eoo redeuntem è gurgite Phœbum.
Has nil curat opes,pro tantis ignibus oſſa
Sacra petit,cape Sina meos , mihi ruſus honores
Redde tuos : fulgere polum melioribus æquum eſt
Syderibus:plus diua meis rutilabit in oris,
Quàm vaga ſydereas quæ luſtrant lumina ſedes.

Interea ſuperi variis circúmque ſupráque
Retibus exultant,& feſto more choreas
Exercent,celebríque tremunt cita culmina plauſu
Protinus auguſto niueo de marmore templo
Incumbunt omnes pariter;iam prima per artem
Fundamenta locant , Phariáſque ſub aſtra columnas
Attollunt,iam pulchra ſuis laquearia pinnis
Includunt,auróque trabes,ac tecta coruſcis
Diſtinguunt gemmis, variiſque laboribus ornant.
In medio pluſquam rutilis accenſa pyropis
Inſolito fundata micant altaria ritu.
Hîc viuas ſuperi facies,hîc mille figuras
Inſertant auro,varióque emblemate celant:
Qua gladiis,quà tela micant,quà ferreus vrget
Miles,& aduerſos contrariis orbis in orbes
Voluitur,exiliunt rapido ſub verbere cultri,
Infeſtántque viros,iaculo ſeges horrida rurbam
Verberat,& fulua moribundam extendit arena.
Parte alia diuam ſubigunt in prælia vates,
Diuiníque ſacras contemnere Numinis aras
Impellunt,ac thura diis adolere nefandis,
Immoto ſtat diua gradu,facilíque retorquet
Tela manu,quin cæca ſuis erroribus arcet
Pectora , ſollicitam fouet alto in corde tyrannus
Inuidiam,rabiéque fremit,quem diua fatigat
Calce ſuper, ſtygiúmque ſuper pede proterit hoſtem
Cætera virginei circum monumenta triumphi
Pingit,& attonitas trahit in ſpectacula mentes
Sacra cohors. Hanc diua tuis dedit oſſibus aram
Cœlicolûm generoſa manus , qua ſecla viteſcent
Poſtera,quam longi ſeries mirabitur æui.
Quæ ſuperas ſeruabit opes,quæ maxima ſemper
Dicetur nobis,& erit quæ maxima ſemper.

ERENÆ VIRGINIS Luſitanæ Martyrium triumphale.

AVriferi quis dona Tagi , quis munera verſu
Efferat ,& merito celebret præconia cantu,
Non tantas Pactolus opes,non Hermus arenas
Tam dites,non tot gemmas pretioſus Hydaſpes
Amne trahit,non Indus aquis tam fertilis ambit
Arua ſuis,Nilus non tam felicibus errat
Lapſibus,aut vena currit tam diuite Ganges.
Quid memoro? Tagus vnus opes ſupereminet omnes
Fluminéas.Teſtor Neptunum;ſaxe tridentis
Arbiter,vndarúmque potens Neptune , quid optas?
Quod de fonte bibis iucundius , ecqua ſub vndas
Gratior vnda tuas euoluitur?incipit Heros
Neptunus.Non vlla meos iucundior intrat
Vnda ſinus , quàm miſſa Tago , Tagus omnibus vnus
Gratior Oceano.Condant ſe flumina retro
In caput alta ſuum,condant;iam nulla penates
Influet vnda meos,parior:de finibus errent
Stagna meis expulſa , fero : tamen oſtia pulſet
Noſtra Tagus , noſtríſque ſuas infundat arenas ,
Diues ero : quæ dona Tagus, quæ munera defert
Humanis maiora:ſacros amplectitur artus
O Erena tuos , & mollibus abluit vndis.
His opibus , quàm diues abit , quo marmora faſtu

Ingredit ur,

Digitized by Google

Ingreditur,qua mole ruit, quibus æquora frænis
Vincit,& ætheréos ſupra volat altior orbes?
Tu faciles Erena notos in vela ſecunda,
Tu fluuiis compone minas;tu pande latentes
Amnis opes,tu ſacra tui monumenta pudoris
Detege,& arcanas ſine vatem nare per vndas.
Quà liquidis Nabanus aquis vicina frequentat
Arua Tago;ſub colle iacent fundata ſupino
Mœnia, Lyſiadum quondam penetralia Regum:
Hìc ſata ſydereos obſcuras lumine vultus
Diua tuo:tibi luna faces, tibi Phœbus habenas
Tradit,& in manus luſtrandi vendicat orbem;
Sed quò Diua peris?quid circunfuſa tenebris
Tecta ſubis? quid clara lates? quid viua ſepulchro
Conderis:& gratam violento funere vitam
Mergis, Olympiacas nunquam ventura ſub auras,
Arcanos Erena petit latebroſa receſſus,
Humanóſque fugit viſus. Procul omnis abeſto
Vulgus,ait,procul aula, procul commercia genti
Blandimenta procul:cœli mihi gaudia,cœli
Rura patent; quibus ampla dabunt ſpectacula ciues
Ætherei;ſine labe iubar,ſine crimine morum
Aſpiciam ſecura mei;ſic fata decoros
Exuit,ac viles,dictu mirabile,cultus
Induit.Obſiſtunt crudeli marte penates.
Cui tantas Erena domos,cui tanta paremus
Iugera,cui tantas alio ſine lumine dotes?
Siſte parum, téque aſpectu ne ſubtrahe noſtro;
Hos artus dum vita regit non longa ſeniles,
Hos Erena dolos patrio ſub amore iacentes
Caura fugit:ſecreta petit non ſerius antra,
Legibus adiicit puerilia membra ſeueris.
Hæc Virgo: fraudes ſed enim molitur Auernus,
Peſtifero tabo cuiuſdam corda venenat
Cæca viri,diúmque vomit ſub pectore virus,
Tartareas in corde faces,& in oſſibus ignes
Implicat,ac totis incendia ſæua medullis
Æſtuat,igneſcit,furit,implacabilis ardet:
Humanam iam tentat opem, iam poſcit Auerni
Præſidium,nunc fraude ruit, nunc viribus, omnes
Explorátque aditus,ac tentamenta viarum;
Poſtquam virgineum nec vi, nec fraude pudorem
Euertit,variiſque aſſultibus irritus vrget,
Sæuit;atrox mouet arma, neces meditatur, & enſes.
Ergo flumineas tunc forte Erena ſub oras
Venit,& æthereas multa prece compulit arces.
O ſi virgineum ſeruato in corpore florem
Suſtineam,vel tela ferox ſcelerata minetur
Hoſtis,& aduerſum;per coſtas exigat enſem,
Nunc animis opus eſt; validas mihi ſuffice vires
Summe parens.Nec plura, loco iam miles eodem
Improuiſus adeſt,rapidas vomit ore fauillas,
Corde faces,totis procudit fulgura venis.
Obſtupuit Virgo;vagina liberat enſem
Barbarus,& ſæuos intentat feruidus ictus.
Improbe,quid ſæuas violentus ſurgis in iras
Siſte parum, depone minas, compeſce furorem,
Quò ruis?Inſanus quò te tuus incitat error?
Ille nihil,ſed mentis inops,rationis egenus
Sæua furens:moriere meis nunc obruta telis
Virgo,ait, & mortis cauſam cognoſce pudorem;
Quem colis, hic ſæuo te te pudor immolat ictu.
Attollit cum voce manus Erena;ſupremum
Numen,ait,ciues cœleſtes,agmina ſummi
Clara poli,cœtus diuorum,caſtra Tonantis
Accipite hanc animam, ne quicquam, barbarus inquit,
Quæris opem: moriere libens. In vulnera colum
Extendo, ſupreme parens: fluat vndique ſanguis,
Rumpantur venæ:lacerentur viſcera;totum
Corpus hiet:felix pro te,tot vulnera felix
Accipio:miſero potius truncabere letho
Miles,ait, morere, & morere infelicibus vmbris
Hoſtia:ſic fatus capulo tenus induit enſem
Virginis in pectus:multáque in cæde cruentat
Ora, manus, humeros, & hiantes vulnere malas:
Virgo cadit moritura,color palleſcit,ab alta
Fronte ſupercilium demittitur,halitus exit
Ægrior:areſcunt fauces;conduntur in antrum
Lumina;virgineis priſcus vigor excidit oris.
Inſtat adhuc hoſtis; rotat enſem ſæuus,& ictus
Acrior ingeminat:moriens inclamat IESVM
Virgo ſuum;moriens oculos ad ſydera tendit.
Æternum moriens,inquit,patria arua valete.
Sanguineo de fonte bibunt iucundiùs agri,
Vernat humus, creſcunt flores, languentia ſurgunt
Lilia,marcentes nouus halitus excitat herbas,
Totaque virgineum teſtantur rura pudorem:
At miles ne fortè ſuum veſtigia prodant
Vlla nefas:trahit exanimum, versátq; ſub vndas
Corpus,& in medio ſputum tegit amne cadauer.
Virgineos Nabanus aquis gratantibus artus
Excipit,& placidis paulatim deuehit vndis.
Donec ſeruandas maiore in flumine gemmas
Auriferi ſub regna Tagi deuoluit:ab imo
Fonte Tagus caput attollit: noua munera noſtris
Illabuntur aquis,noua merces additur,inquit.
Virgineos vultus agnoſco,gratia vultus
Mentis opes teſtatur:adeſt Erena,rubeſcit
Vultus adhuc de cæde; patent in pectore plagæ.
Eia meos quæcunque lares, & littora Nymphæ
Accolitis,precor à veſtris excedite luſtris;
Feſtinos huc ferte pedes, date carmina, plauſus
Tollite,iucundis incendite ſtagna choreis.
Accurrunt Nymphæ, celeréſque natantibus vndas
Præuertunt:quæcunque prior feſtinat ad artus
Virgineos labi;varios circumque ſupráque
Adglomerant gyros, & circumplauſibus hærent.
Illa ſacros amplexa pedes ſubit:illa decorum
Prona caput,tenet illa manus, ſuſtentat apertum
Illa latus;latis ſubeunt ceruicibus omnes
Exuuias Erena tuas:quò nobile Nymphæ
Fertis onus?quo ſacra vado tumulabitis oſſa?
Non procul à fluuij ſupremo limite caſtrum
Surgit Vlyſſæis vicinum mœnibus,amni
Deſuper incumbens:veteres cui nomen Iüli
Præſidium dixêre: nouúmque ad poſtera nomen
Fama dedit, Scalabim Græco cognomine dixit:
Nunc Erena ſuo de nomine mœnia ſignat,
Sanctarena vocant:huc Virgo labitur amplo
Nympharum deducta choro, placet iſta liquentis
Meta viæ,ſiſtunt mediis in fluctibus omnes.
Iamque ſepulchralis meditantur pondera molis,
Fundamenta cauant, aduoluunt ſaxa, columnas
Educunt,pinnis includunt tecta ſuperbis.
Cùm ſupera de ſede fragor procul intonat, adſunt
(Nec mora)cœlicolûm numeroſa examina, quorum
Ductor ait,ſuperis fluuiales cedite Nymphæ.
Sit ſatis in veſtris fabricati fluctibus aulam
Virgineis membris,tantos partimur honores:
Vos loca,nos tumulo noſtras impendimus artes.
Ergo omnes operi ſuccedunt;area ſulco

Cin

Digitized by Google

Præbet Erychthonius iunctas de more quadrigas,
  Mercurius pulſat fila canora lyræ.
Etigone plaudit, vocalis plaudit Arion,
  Ardet obire pium Gnoſſia ſtella caput.
Fulmina ſubmittit Iouis armiger, aëra Iuno
  Tranquillat, nullus excitat Hædus aquas.
In choreas, in feſta ruit polus omnis, Olympo
  Ingeminant omnes, *Vrſula* viuas iò.

AMOENISSIMA Tyburtini nemoris conſideratio.

QVa Tyburtini ſe tollit gloria montis,
  Qua liquidas Anio voluit amœnus aquas,
Villa iacet, villæque inter penetralia ſurgit
  Diues natura, ditius arte nemus.
Scilicet vmbroſo ſpecus eſt fabricata receſſu,
  Molliter in curuos vndique flexa ſinus.
Huius multicolor pingit conuexa lapillus.
  Et variis cælat conchula picta notis.
Hinc ſerpunt hederæ natiuo brachia lapſu,
  Illinc in flexus ductilis herba meat.
Qua malè iunguntur bibulo cum pumice tophi;
  Antrum multiplicis luminis inſtar hiat.
Multa cauernoſis volucris ſedet hoſpita rimis,
  Dædala quam duro fecit in ære manus.
Qui cernunt veras imitantia ſigna volucres,
  Non cælata putant ære, locata putant.
Spirat auis quæcumque ſuo maculata colore,
  Vt liber, arguris geſtibus ora mouet.
Excutit hæc plumas, pedibus micat illa, canorum
  Hæc leuat, hæc voluit, deprimit illa caput.
Multa etiam impexas roſtro diſcriminat alas,
  Multaque luminibus circuit antra ſuis.
Altera miranti blanditur, ſyrmate vulgò
  Altera dum criſpat colla ſuperba, tumet.
Et nihil vt viuæ ficta ſub imagine formæ
  Deſit, quæque ſuum fundirat ore melos.
Artis opus natura ſuum miratur, & artis
  Ludum experta, minor ſum, canit, arte minor.
Et quæris quæ tanta gerat miracula virtus?
  Accipe: in hac Siculus claudicat arte faber.
Labitur occultis effuſa meatibus vnda,
  Qua parte aëreas ærea fallit auis.
Hanc vbi paulatim per gyrum ducta recludit
  Vertebra, continuis hauſtibus vrna bibit.
Inde per arcanos emendicata canales,
  Ad volucrum longo ducitur orbe pedes.
In quibus exiguo reſerata foramina clauo.
  Nacta ſubit, ventrem mox adit, inde caput.
Nec mora, libratas, æquali pondere moles.
  Intus obit, medios perfluit vſque ſinus.
Mox vbi machinulas intrinſecus vnda volutat,
  Dulcibus alituum cantibus aura ſonat.
Non it concentus numerorum lege ſolutus,
  Compoſitos ſeruat vox animoſa modos.
Intenti mediis, grauibus ſociantur acuti,
  Æqualique omnes omnibus arte ſoni.
Cuncta ſimul referunt placidos volitantia cantus.
  Diſtinguit proprium ſingula voce melos.
Cantat olor, geminátque ſuos luſcinia queſtus;
  Concinit ad numerum dulcis Acanthis aquæ.
Quæ volucres latè cœlo potiuntur aperto,
  Huc medio vertunt Solis ab axe viam.
Mirantúrque ſuas alieno in corpore voces,
  Alternóſque cient per caua luſtra ſonos.
Hic etiam volucrum turmis inimica, diei
  Neſcia, ſecluſo fornice ſedit auis.
Hæc inter rotulis vndarum mole ſolutis
  Exerit obſcuro limine torua caput.
Mox vt quæque prior (dictu mirabile) frontem
  Aſpicit è triſti rupe micare, ſilet.
Illa de hinc collum extollit, iam pectora, tandem
  Proſilit, & miſero carmen ab ore trahit.
Continuò totus ſiſtit concentus, & inter
  Tam multas ſolùm noctua ſtridet aues.
Cùm tamen ex oculis iterum ſe proripit hoſtis,
  Antráque Cimmeriâ nocte ſepulta petit.
Maiores iterant nemoroſa per auia plauſus,
  Inque ſuos redeunt voce priore choros.
O quæ tam viuas ſimulant per inania voces!
  Tam benè quæ vitam fingit in ære manus.
Cedite Sicaniis olim fabricata caminis;
  Cedite Phidiaca ſigna dolata manu.
Cedite fuſa cauis Temeſes fornacibus æra,
  Cedite Dædaleis ora polita rogis.
Iam meritas antiqua trahant monumenta ruinas,
  Hoc ſeſe Aſtrorum curſibus æquet opus.

DVLCE BELLVM inexpertis.

NVnquam ſæua tulit miſeri diſcrimina belli,
  Qui cupit ardentes Martis adire globos.
Neſcius armorum miles petit arma: ſed odit
  Qui videt à crudo ſaucia membra Deo.
Geſtit in extremum conſcendere nauita littus,
  Qui tumidas nullo proſcidit ære vias.
Si tamen vndarum ſulcauit in æquore moles
  Naufragus, æquoreas effugit ille minas.
Optat obire nouas vtroque in cardine ſedes,
  Qui poſitas neutro vidit in axe plagas.
Qui tamen Arctoi ſenſerunt frigora venti,
  Quique ſub auſtrali diriguere gelu,
Ire nec e regno, patriiſve penatibus audent,
  Ne ſubeant gelidæ triſtia damna niuis.
Pellæus iuuenis dum neſcit feruida quantas
  Euibret è medio vertice zona faces,
Scire cupit terras medio ſub ſole iacentes;
  Et nili arcano nobile fonte caput
Hic tamen expertus, rapidis arentia flammis
  Littora, & æthereis ignibus vſta, fugit.
Icarus ignotas agitare per aëra pennas,
  Molirique nouum neſcius optat iter.
Ardet inexpertus ferri ſuper æthera: tales
  Forſitan expertus nollet iniſſe vias.
Et Phaëthon loris patrios torquere iugales
  Poſtulat, & patrios flectere neſcit equos.
Cùm tamen ad cœli medium conſcenderit axem,
  Senſerit & verſo fræna labare iugo.
Forſitan, & currus nunquam tetigiſſe paternos,
  Tale nec imperium ſuſtinuiſſe volet.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX

Rerum, & verborum memorabilium.

A

A, Absolvtionis nota. 285.1.45
Aaronis, eloquentia & differendi ſubtilitas apud Pharaonem. 196.2
Ablutiones ante ſacrificia in funeribus. 309.2.159
Abrahamus. 189.1.52
Abſynthium 83.2
Abuti operam. 311.2.174
Academia ſuperior,& inferior. 206.1.98
Achabis effrænis licentia. 189.2.2.54
Achilles iracundus. 74.1
Acrochiriſtæ. 294.1
Actio dominatur in oratore. 162.2.136
Actio corporis eloquentia. ibid.
Adamus ſtaturâ perfectiſſimus. 280.2.24
Eius animi & corporis pulchritudo ex Dei habitu. 182.1.1
Additum pro donatiuo. 290.1.70
Adoleſcentia ad perdiſcendum apta. 81.111
ad Aduentum Domini ſpe præparari debemus. 9.1
In Aduentu Saluatoris concipienda ſpes. ibid. 2.24
Aduentus Chriſti vitam puram exigit. 10.1
Mundo puritatem intulit. 16.2.41
Aduentu Chriſti mali mores vertuntur in bonos. 19.2
Aduentu Chriſti propagata Eccleſia. ibid.48
Aduerſa. 168.1
Aduerſitatis cum abſynthio comparatio. 83.2
Ægyptiorum ſacerdotum reſponſum de fontibus Nili. 114.1.217
Ægyptij dum Hebræos inſequuntur,alto obruuntur gurgite. 187.2.47
Ægyptia plaga per ciniphes. 201.1.83
Ægyptiorum imperium. 209.1.106
Æneas,vir per excellentiam. 164.2.145
Dux vigil. 314.1.180
Eius lacrymæ. 319.1.239
Ænigma. 265.2.63
Aër vtrùm nauigabilis ex parte, 117.2
Aëris regio. 214.1.122
Æs dodoneum de homine clamoſo. 279.2.17
Æſculapij fana. 183.2.33
Ætas ad diſciplinas perdiſcendas apta. 88.1
in Æternum,pro longo tempore. 86.2.102
Alarum ingenium. 321.2.214
Alaricus rex Romam obſidet. 94.1
Albanorum regum vetuſtas, ex quibus Syluiorum gens. 237.1
Albio primaria inſula Britanniæ, vnde Anglia. 161.1
Albuquerius 131.2
Albus,bonus. 304.2.137
Alexander Macedo Deus haberi voluit. 82.2.85
Alexandri M. fama, minor ipſo. 331.1
Mira in gloriam cupiditas. ibid.44
Aetas ad regni curam. 241.1.49
Exercitus victoriæ. ibid.
Fortuna ſecunda. ibid.
Alexander ab Apelle mirè delineatus. ibid. 2.50. & 213.2.119
Eius pietas in captiuos. ibid.
Liberalitas. ibid.
Virtutes. ibid.
Perfidia. ibid.51
Pericula. 143.1.52
Alexandri erga præceptorem reuerentia. 154.1.102
Alexander veritatis amator. 158.2.120
Vacat hiſtoriæ. 160.2
Eius ſtatua facta à Lyſippo. 162.2
Alexandri M. ſucceſſores ſorte diuiſerunt prouincias 277.216
Alexander ab Alexandro emendatus. 272.1.126.
Alexandrini oraculum. 73.2.42
Alexander Seuerus. 147.2.77
Allegoria. 265.2.63
Allium in vino potum contra morſum ſcorpionis. 90.1.118
Venenum in ſudorem reſoluit. ibid.
Alphonſus Hiſpaniæ rex litterarum auidiſſimus. 67.1.15
Alphonſus Luſitaniæ Princeps vel in ipſum patrem bellum doloſè machinatur. 186.1.144
Per totum regnum captis armis decurſat. ibid.2
Pater in filium bellum ſuſcipit. ibid.
Filius patrem prope Olyſiponem bello aggreditur. ibid.45
Alphonſus Dionyſij filius. 192.1.64
Alphonſus primus Luſitaniæ rex 150. cœnobia condidit. 193.2.69
Alphonſus rex Luſitaniæ. 22.2.116
Alphonſus Albicaſtrus Epiſcopus & Comes Conimbricenſis. 221.2.142.& 230.2.170
Altare dicatum ſuperis. 196.1.100
Altecinctus, pro viro forti. 298.1.108
Amantes, amentes. 136.2.15
A. Ambroſius. 47.2.
Amicos diligere perfectius, quàm inimicos. 69.2.28
Amici, quàm inimici dilectio magis meritoria. 70.1.26
Amilcaris iracundia. 142.2.51
Amor intelligens. 2.1
Amor matris quàm efficax. 4.1
Vigilet amor, ac Incarnationis beneficium ſentiat. 13.1.32
Amoris ſtimulus, Incarnatio. ibid.
Amoris teneritudo in Scriptura exprimitur. 73.2.42
Amoris vis. 311.1

Aduenient optata bonis iam ſæcula, fauſtos
Allatura dies, pacémque datura per orbem;
Noxia primæuæ recident contagia culpæ;
Nec ſcelerum fibris ſurgent euulſa renatis
Semina, ſed pulchris creſcent viridaria plantis
Virtutum. Me ne ætherei cunabula Regis
Viſurum, me diuinos in ſtamine vultus?
Me lacrymas? Me patria Dei concreta rigenti
Membra gelu? Me ne arcano ſuſpiria corde
Edita? vel tacito miſſos è pectore fletus
Auribus hauſurum? Noſtri proh nobilis æui
Gloria! Proh noſtræ celebres ætatis honores!
Felicem, quem vita meos ſeruauit in annos.
Sic memorat: lætóque ſalit, feſtóque triumphat
Inceſſu; manifeſta oculis, manifeſtaque vultu
Lætitiæ dat ſigna ſuæ, ſtat neſcia pubes,
Miratúrque nouos languenti in corpore geſtus.
Inquirit, quæ cauſa ſenem, quæ nuntia rerum
Commoueant, quæ fata animos tam læta ſeniles
Exhilarent; nouus vnde calor, nouus vnde per artus
Feruor eat, ſaliant imis quæ gaudia venis.
Ille ſub hæc. Veſtra ô Solymi ſpes vnica ciues
Approperat: tandem cedet, quod veſtra coërcet
Colla iugum: nexis ſoluentur vincula palmis.
Veſtra ſalus agitur, ſummi iam corda parentis
Tangit amor veſtri; pauci Titana labores
Inuertent, paucos ducet noua Cynthia gyros,
Cùm noua progenies cœlo mittetur ab alto
Quæ ſceleris (non vana fides) primordia veſtri
Tollat, & æthæreos duce qua via tendat in orbes.
Sic fatur: ſed mentis inops, rationis egena
Turba manet, nec cæleſtes veneratur honores:
Fert humiles nec ritè preces; nec munera gratis
Proſequitur votis: ſtat circumfuſa tenebris
Cimmeriis, gelidúſque riget præcordia circum
Dura chalybs, totóque abſiſtit pectore Numen.
At Simeon ſacrum bibit inflammatus amorem
Largiùs, & maiore ſuam ſpem numine firmat.
Siue dies cœlum, ſeu nox inuicta quadrigis
Aſtra tenent; ſeu feſſa premit, ſeu lumine ſoluit
Clara ſopor; ſeu grata capit, ſeu grata reponit
Fercula; diuinos ſemper meditatur honores.
Te clamat, te ſæpe Puer, te Virgo ſub alto
Corde vocat; iuſtos expoſcit ab æthere rores;
Sæpe diem breuis hora, dies breuis exhibet æuum;
Temporis exiguum metitur grandibus orbem
Curſibus, & longos reddit mora quælibet annos.
Proh pietas! proh verus amor! proh ſacra Tonantis
Relligio! quàm magna paras incendia! quantas
Corde faces! quantos accendis in oſſibus ignes?
Ergo dies aderat niueo ſignanda lapillo;
Æthereis optata locis; grauiſſima clauſis
Diuorum agminibus, metuenda ſilentibus vmbris.
Qua puer æterno ſoboles æquæua parenti
Bethleemica ſub rupe, ſacrum caput exerit aluo
Virginis, & totum diuino numine complet
Hoſpitium, ſuperúmque ferit concentibus auras.
Et iam multa nouo properauerat excita caſu
Paſtorum manus ad cunas; & ruſtica pomis
Tecta caſæ, doniſque ornarat agreſtibus antrum.
Iam cruor innocuos pueri violauerat artus,
Effuſóque ſacri rorarant ſanguine cultri.
Iam nouus Eois radiarat ſedibus ignis
Inſolito fulgore nitens; faciléſque per omnes
Erroréſque viæ, vaſtæque pericula terræ
Duxerat infantis ſacra ad cunabula reges.
Virgo ſuas immota cauo ſeruabat in antro
Diuitias, humilique parens in limine tantas
Includebat opes. Proh quantus ſæpe recurſat
Ventorum furor ad portas! Proh quanta niuales
Adglomerat gyros, & parui culmina tecti
Tempeſtas de more ferit: tonat arduus alto
Iuppiter, ingeminant abruptis nubibus ignes,
Tecta tremunt, iam iámque ruunt: ad pectora natum
Virgo premit, blandíſque fouens amplectitur vlnis.
O Puer, indignis toties exercite fatis,
Quæ vis ætherea tantos ciet arce fragores?
Quid fera ſæuit hyems? totóque impunè vagatur
Æthere? quid gelido præceps furor incubat antro?
Dura manent te fata Puer: nunc parciùs æther
Tela vibret, iaculíſque manus exarmet acutis.
Ne glacies teneros morſu tibi vel licet artus;
Crudeles ne ſacra ruant in limina venti.
Sat fuit obſcura noſtræ ſub imagine formæ,
Velatum gelido caput erexiſſe ſub antro.
Sat ſtipulis iacuiſſe, cauo ſat pumice molles
Inclinaſſe genas, ſat Olympica regna cubili
Commutaſſe gregis. Ceſſent puer inclyte Cori
Murmura, Riphæis ceſſent è montibus Euri.
Ergo quaterdenos Pueri iam Phœbus ab ortu
Eois inuectus equis, & in æquore merſus
Occiduo ſummo confecerat æthere curſus,
Arcano tunc Virgo pias ſub pectore leges
Obſeruat, quæ ſacra iubent ad templa recentes
Offerri natos, placitiſque altaria donis
Ornari, nulláſque moras interſerit æquis
Legibus, ad Solymam feſtinis greſſibus vrbem
Ire parat: tandémque antro diſcedit, ab alto
Ducta polo, puerum ſacras vt ſiſtat ad aras.
Dona gerit reddenda ſuo pro pignore, quamuis
Nulla coërcebant ſuperi mandata Parentis
Ad ſacra virgineos altaria ducere partus.
Vlla nec immunem ſceleris diſcrimine prolem
Relligio, donis redimi cogebat. Olympi
Cura tamen, ſuperique trahit ſtudioſa voluntas
Obſequij. Non vlla fugit, non vlla retractat
Pondera verus amor. Sed iam propiora tenebat
Mœnia, iam Solymæ veteres conſcenderat arces
Virgo parens, iam ſumma procul faſtigia templi
Cernebat; cùm fortè ſuo ſub limine tecti
Ingeminat queſtus Simeon, tendítque ſupinas
Ad cœlum cum voce manus. Quò munera differs
Summe parens? Quo læta die promiſſa rependes?
Eia, age, rumpe moras, fœcundum concute pectus;
Tempus adeſt, iam ſolue fidem, ne dicta retractes,
Neu quæ iam toties vates cecinere, recuſes.
Vix ea fatus erat, ſubito fulgore per auras
Labitur æthereas, puráque in luce refulget
Aliger & placidis compellat vocibus vltrò.
Quod petis, ô Simeon, tibi donum indulget Olympus.
Surge, age, feſtina, celeres ad limina templi
Verte gradus, ac te lætum venientibus offer.
Ille, vides, quem ſacra parens ad pectora geſtat,
Vera Dei ſoboles puer eſt, & ſanguine cretus
Virgineo. Nec plura: leues effugit in auras.
At Simeon tali fugientem eſt voce ſequutus.
Sis felix, quicunque nouo præcordia motu
Exhilaras, & membra ſitu confecta ſenili
Cogis in antiquum fauſtis remeare vigorem
Auſpiciis. An læta ſacris licet oſcula plantis
Figere? diuinóſque meis amplexibus artus
Accipere? & veras audire, ac reddere voces?
Ibo celer, mora nulla gradum tardabit euntis.

Iam

Digitized by Google

Iam properat,iam prema rapit veſtigia tectis:
Iungit amor vires,pedibus talaria feruor
Subiicit,ac rapidis Euri volat ocyor alis.
Nec labor exagitat: nec ſpiritus angit anhelus.
Qualis in æquoreis nauis cita labitur vndis,
Et ruit ad patrios ignoto ex littore portus.
Qualis Olympiacas volat inflammata per auras
Stella,nec antiquos iterum ſubit ardua tractus.
Qualis præpetibus volucris ſecat aëra pennis,
Ventorúmque præit ſpatioſa per atria curſus.
Qualis,& æthereos reſolutis funibus orbes
Haſta ſubit;demiſſa præit,ſublimia tranat
Nubila,lyncæoſque procul fugit ardua viſus.
Haud aliter fertur Simeon. Sacra limina poſtquam
Attigit,in varias torquet flammantia partes
Lumina,ſi qua valet venientis ſigna Tonantis
Cernere, diuinóſque Dei cognoſcere vultus.
Ecce autem iam Virgo parens veſtigia templo
Prima locat: ſubitò claras in vertice flammas
Agnoſcit Simeon,& flexo numen adorat
Poplite,diuinóſque ſuis amplexibus artus
Mulcet,& in lætas effundit pectora voces.
Vera-ne te facies,verus mihi nuntius affers
Nate Deo? Quis te noſtra ſub imagine natum
Traxit amor? Qua lege ſacras redimendus ad aras
Accedis,noſtri redimis qui damna parentis?
Eia age ſumme Parens,iam dulces auribus hauſi
Vagitus pueri,roſeóque in lumine paui
Lumina,quæ noſtris mora fatis longior obſtat
In terris:iam firma tuis oracula dictis
Deſpondent.Liceat iucundo abrumpere vitam
Limite.Membra labent, placidáque in pace quieſcant.
Nuncia læta feram primorum ad clauſtra parentum
Dixit,& extremas lacrymarum flumina voces
Ore premunt:tacitúſque hæret defixus in vno
Obtutu dum venturos in pectore caſus
Fatidico voluit:lacrymis vndantia tandem
Ora mouet,talíque affatur voce parentem.
Heu dolor, heu crudele nefas, heu quanta per auras
Tela ruunt! video iaculûm concreſcere nimbos
Æthereos,video telorum nubibus orbes
Offundi, crudóque volare ex hoſte ſagittas
In puerum, proh quanta cadent, proh quanta reſurgent
Agmina! Crudelis figet tibi Virgo doloris
Corda chalybs:durum tentabit viſcera ferrum.
Hæc Simeon; at Virgo ſuo ſub corde volutat
Tantarum euentus rerum.Simul Anna futuri
Præſcia diuino celebrat præconia cantu
Infantis,lætíſque ſacros euulgat honores
Vocibus, & magnum Pueri ſub imagine Numen
Prædicat. Inſtructas tandem procedit ad aras
Virgo parens; fert ante gradum ſub veſte ſacerdos
Sacrifica,cui multa premit veſtigia turba
Pone ſequens,totóque micant funalia tecto
Ergo diuinus ſacris altaribus Infans
Siſtitur,& celebres templi ſtatuuntur ad aras
Munera. Virgines lacrymarum flumine vultus
Vndat, & exundat Ioſephi lumina magno
Imbre natant; ſimul Anna genas ploratibus implet,
In largos Simeon lacrymarum ſoluitur amnes.
Liquitur in lacrymas populus. Tum voce ſacerdos
Primus ait: donum hoc reliquis tibi gratius vnũ
Accipe,ſumme Parens, quod non ingrata tulerũt
Viſcera:quod iuſtas in nos tibi mulceat iras.
At dum maiores ætas adoleſcit in annos,
Virgineo permitte ſinu,blandóque foueri
Amplexu:cùm membra viri firmauerit ætas,
Rurſus ad extructas veniet tibi gratior aras
Victima,crudelíque tibi cadet hoſtia ferro.
Interea quæ mater habet,tibi munera votis
Inferiora ſuis dat læta:hoc pignus amoris
Accipe,& Infantem ſacratæ redde parenti.
Dixit,& ex aris Puerum leuat:aurea tendit
Virgo manus,placidíſq; ſuum complectitur vlnis
Infantem: tum verba ſacro dedit vltima templo,
Atque iterum greſſus patriã; molitur in vrbem.

IGNATIVS Societatis IESV Auctor, ac Parens ſanctißimus, vt quendam è ſcelerum lacu extrahat, in lacum ſe abdit.

HÆrebat quidam vitiis: Ignatius illum
Conuenit,atque animum verbis medicatur amicis:
Ille nihil:ferale regit ſub corde venenum
Callidus, & medicam fugit intractabilis artem;
Inſiſtit monitor; miles ſcelerate ſatelles
Plutonis,Barathri certiſſima præda,quid vltra
Inſanis? præſens è faucibus exprime virus,
Ante veternoſos penitus quàm maceret artus.
Ne quidquam canit ille mouens.Ignatius vrget
Acrior; heu diris Barathri deuote caminis,
Verte gradus te iuſtitia manet vindicta:tuúmque
Exigit in pœnas caput immedicabile. Cerno
In te Tartareos meditari bella Ceraſtas,
Inque manus nodos moliri,in colla catenas,
Duraque lethales fabricare in pectora tædas,
In melius ni verſa trahit ſententia mentem.
Subriſit monitis demens.Quid inanibus,inquit,
Sollicitas verbis vltráne perge? timores
Ne vanos mihi finge minas interritus omnes
Excipio, vultu ſiquidem fortuna ſereno
Blanditur dubióſque è pectore ſubmouet æſtus.
Talibus à ſeſe monitorem auertit: at ille
Quid faciat? quà tentet iter? quo ſæua furentem
Ambiat affatu primis in poſtibus vrbis
Vallis adeſt, vbi regnat hyẽs,vbi cogitur humor
Montanus,mediáque rigent æſtate paludes.
Huc venit,& præceps gelidas deſultat in vndas:
Ore tenus ſe mergit,aquis glacialibus horret,
Membra gelant,malæ trepidant,veſtigia nutant,
Oſſa crepant, ſanguis concreſcit, frigidus ore
Halitus erumpit,dentes in dentibus hærent:
Lumina deficiunt,& pallida mortis imago
Ore natat,totóque abſiſtit corpore ſenſus.
Sic ait. Aggrediar Stygium violentior hoſtem,
Illác forte pedes ſcelerum dux ille ferebat
Intactus,quò præcipitem rapiebat Erynnis
Impia hybernis vox edita fertur ab vndis
Vade ait,infelix in Tartara, vade.Reſiſtit
Ille tremens,oculíſque locum veſtigat acutis.
Nullus erat: iam carpit iter,reuocatur eodem
Ecce ſono: Stygias peſſundare triſtis in vndas.
Ecquis,ait,ſi fortè latet,me decipit error?
Et ſecum;mentem fallit,niſi fallor,imago
Vana meam?pergit,ſubitò repetitus ad aures
Clamor abit; rapidis ad pœnas labere pennis
Infelix. Tunc ille procul, procul omnia ſumit;
Ergo vias,dumeta, nemus,ſpælea,receſſus

Sedulus explorat: cùm ſummo in flumine quid ſit
Incertus, tamen eſſe aliquid videt, adnolat: ecce
Humanum caput extat aquis: miratur & vltrà
Indagare cupit, propioréſque addere ſenſus,
I demens aliaex aliis in crimina: præceps
Voluere: Tartareas ſectare per aëra flammas;
Hic ego brumales nudato in pectore morſus
Pro te ſuſtineo, vade, improbe, vade: Tonantem
His immerſus aquis, ſupplex in vota precabor.
Vt quas ipſe meras ſoluant mea frigora pœnas.
Sic ait: at ſcelerum molitor territus hæret.
Concreſcunt horrore comæ, formidine pectus
Exilit, & variis tremefiunt nutibus artus.
Hic ait, hîc vel numen adeſt, vel numinis inſtar
Arbiter in terris animorum Ignatius. Ergo
Accedit, ſpeculatur; adeſt Ignatius, inquit,
Ille meos tentare poteſt, & vertere ſenſus,
Ille cupidineos ſedare in pectore motus,
Illéque labentes reuocare in ſydera greſſus;
Ergo pedes & corda libens conuerto: voluptas
Cede procul; fortuna ito, tibi pectoris omnes
Ignati iam credo ſinus, tibi mentis habenas
Trado meæ, laxa, cohibe, preme, ſiſte ſub omne
Veſte latus, quocunque trahes retrahéſque ſequentur.
Iuſſa pedes, celeréſque animus conſurgit in alas.
Viciſti, de me, ſiqua eſt ea palma, triumpha.

FRANCISCI XAVERII *Herois ſanctiſſimi oracula, & miracula.*

SVrgens Eoo de litore Phœbus in vndis
Conſpicit occiduis alium ſplendeſcere ſolem.
Siſtit equos; trepidáque manu molitus habenas,
Hæc ſecum. Quæ cauſa nouat tot in æthere leges?
An ſtabiles natura polos præuertit? & ortus
Cedit in occaſum refugitque occaſus in ortum?
Res noua! Sidereis expellar ſedibus exul,
Ipſe polo nutritus? aget per inania cœli
Arua ſuos ſol alter equos? quæ cauſa? quis autor?
Quod numen regno ſolem ſpoliabit auito?
Non patiar. Faxo contrarius irruat æther,
Et Pirois, & pone ſequens irrumpat Eous
Acer, & inſolitos efflans è naribus ignes;
Dira Phlegon in bella ruat, quibus hoſtis ab alto
Cedat, & aduerſus labefiat in æthere currus
Phœbus, vt in terris dominetur, Phœbus in aſtris
Vnicus, & ſolum venerentur ſidera ſolem.
Quis furor inſanas te ſol impellit in iras?
Cede polo, depone faces, demitte iugales
Condere; Franciſcus ſub cardine clarus vtroque
Phœbus erit, mihi crede, tuo rutilantior aſtro;
Ille ſolum ſolus luſtrabit, ſolus Olympum.
Tu qua parte tuos præſens moderabere currus,
Hac in parte diem, fateor, monſtrabis; at illam,
Vnde venis, cæco tenebratum inuoluis amictu.
Franciſcus terras præſens illuſtrat, & abſens.
Humanas tu Phœbe genas perfundis amico
Lumine, & externos rutilum iubar edis in artus
Non tamen arcanos animi luſtrare receſſus
Phœbe potes, Franciſcus adit penetralia clauſi
Pectoris, & medias ſecreto in corde medullas
Rimatur, dubiáque animos ambage volutos
Explicat, ac tacitis quæcunque in ſenſibus hærent,
Circum luce tegit, puriſque nitoribus ambit.
Præſentes tu Phœbe dies, præſentia condis
Sæcula, præſenti dominaris clarus in æuo;
At neque venturos annorum conſpicis orbes,
Nec voluenda tuos in ſecula proiicis ignes.
Franciſcus (nec vana fides) in poſtera flammas
Sæcula defundit, præſago lumine cernit,
Quæ ſunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.
An dubitas? An vera negas miracula? tantum
Perfidiæ tribuis, furiiſque procacibus? Audi.
Soluerat Eoo de littore claſſis iniquas
Exactura rates, pelagóque hauſtura profundo
Quotquot Lyſiadum populabant arua carinæ
Expectata diu, patriis neque reddita campis,
Creditur Æolias per ſyrtes, ſaxa, per vndas
Excepiſſe minas, agitataque fluctibus iſſe
Naufraga, & extremam ſcopulis traxiſſe ruinam.
Matres lugebant ſua pignora; pignora patres
Lamentata ſuos lugebant; triſtis vbique
Luctus erat; vacuæ reſonabant luctibus ædes.
Hic Franciſcus adeſt; fletus miſeratus inanes
Lyſiadum, & vana trepidas formidine mentes:
Collectam in templum ſpatiorum fatur ad vrbem.
Quò vobis, quò certa poli fiducia ceſſit?
Creditis aductas inimica in littora puppes?
Submerſasve Salo? Monſtriſve oblata marinis
Corpora Chriſtiadum? Superi meliora; nec vltra
Progreſſus paulum ſubſiſtit. Feruida tingit
Flamma genas; turbata cruor lauit igneus ora:
Stat numquam facies; & pectore vibrat anhelos
Singultus. En, inquit, adeſt, en illa, ſed alto
Hinc atque hinc cerno concurrere prælia ponto
En volat hæc, en illa volat, iam marmore claſſes
Miſcentur; iam tela ruunt; iam ſæua coruſcant
Fulmina; iam denſis armorum nubibus æther
Intonat, ac vaſtos voluit ſuper aſtra fragores.
Falcatas iam roſtra premunt falcata triremes;
Iam gladij gladiis incumbunt; ignibus ignes;
Armis arma, virique viris. O Rector Olympi,
Huc adſis, ac tanta moue pede bella ſecundo:
Nec plura, incubuit tacito ſuper vtraque vultu
Brachia, & exanimis, tanquam ſtet truncus, inhæſit.
Vulgus iners, procerúmque phalanx mirata, quid iſtud,
Inquit, erit, quæ fata canit, quæ monſtra, quod æquor,
Quos hoſtes, quo Marte videt concurrere puppes?
Attollit tandem Franciſcus lumina; ridet,
Plaudit, ouat, geſtit; placidam noua gratia frontem
Imbuit, inſolitos inſpirat vultus honores.
Suſpicit auditor nouitatem frontis, & aures
Erigit attentas. Quid tandem? Vicimus inquit,
Vicimus aduerſæ tandem occidêre biremes.
Hoſtilis iam regna cruor Neptunia tingit.
Iam voluunt vada cæca viros; iam tela feruntur
Irrita, iam palmæ miſerorum ad ſydera victæ
Tenduntur, facileſque ruunt in vincula, noſtri,
Quatuor amiſſis, ſeruatis à funere ciues.
Ergo per æquoreos campos iam Lyſia regnat
Claſſis io, toto pelago dominata triumphat;
Nec dubitate; duos vel tres, non amplius orbes
Phœbus auget; certus veniet cum nuntius, & mox
Affore cernetis victricem in littore claſſem.
Quod ſupereſt, meritis cumulate altaria donis,

Fer

Digitized by Google

Ferte preces,date vota, ſacras veneremur ad aras.
Tertia vix aderat lux matutina:propinquat
Nuntius,& firmat certis oracula dictis;
Nec mora,felici(res mira)allabitur æſtu
Claſſis,& effuſas ad littora conuocat ædes-
Arma per antennas hoſtilia;geſta,dolones,
Spicula,thoraces,clypei,tormenta,bipennes;
Multa volant vexilla; quibus dat in æthere gyros
Mille notus, quibus aura leuis per cærula lapſus
Mille dat,ac varios fingit ſub ſole colores.
Vndique ſulphureis expreſſa tonitrua flammis
Multa ſonant,inflata ferunt ad ſydera cantus
Cornua,feſtiuos per propugnacula plauſus
Æra cient,hominum vario clamore reſultant
Sidera,multiplici reſponſant murmure valles.
Emicat in terram miles;complexibus hærent
Cognati,quæ quiſque tulit diſcrimina narrat.
Franciſcum memorant omnes; hinc miles, ac illinc
Ciuis,& alterno venerantur carmine Diuum:
Franciſcum(iam miles ait)tela inter, & hoſtes
Agnouère ducem victrices Marte carinæ;
Nobis ille animos,ac vires ille recentes
Præſtitit in pugnas; validis tamen hoſtibus idem
Incuſsitque metus,ac triſtia fata;regebat
Noſtras ille manus;ludebat in aëre iactus
Hoſtiles:ita noſtra ruit cum funere ſemper,
Hoſtilis rediit ſine vulnere ſemper arundo.
Non minus in noſtros(referebat ciuis)alumnos
Franciſci nituit virtus;pugnantibus acrem
Se tulit ille ducem;vatem ſe præſtitit vrbi:
In mediis fuit vna malis medicina,ſecundus
Flatus in aduerſis:oriens in nocte planeta;
In pelago portus;rapido leuis amnis in æſtu,
In mœrore ſalus,in tempeſtate columna;
In deſperatis tandem fuit anchora rebus.
Ille quid externis agitetur cernit in oris;
Ille quid arcano claudatur pectore cernit;
Ille quid annorum ſeries ventura latenti
Contegat amplexu cernit;felicia portat
Nuntia,felices rerum præuntiat ortus,
Ac trepidam vana formidine liberat vrbem.
Quid ſtat,& incertus, qua ſit ſibi neſcit eundũ
Phœbus, & ardentes cunctatur in æthere currus?
Miratur,mihi crede,ſibi palleſcere vultus;
Loraque de manibus labi;miratur in orbe
Æthereo iubar inſolitum;miratur inanes
Se pro fatidicis dare voces,altera poſci
Numina;& alterius iam reddi oracula Phœbi;
Cedit,& excuſſis ſe dedignatur habenis.
Ergo felices ordire per æthera gyros
Phœbeis inuecte rotis Franciſce,per orbem
I precor,occiduas,& Eoas aſpice geminas.
Te Tagus auriferis,te poſtulat Indus arenis;
Mundus ab Arctoo te cardine, mundus ab Auſtro
Inuocat,& totus tua numina vendicat orbis.
Aſt oculos huc verte: tuis te paſſibus addunt
Aſtrorũ noua caſtra; vide quàm multa per æquor
Hinc atque hinc collecta volant. En tota propinquat
Auſonia,æternúmque ſuos ſaluere penates
Te ductore iubet: volat, aſpice, Roma, Tarenthum,
Daphnia, Parthenope, Thyrrenia, Piſa, Cyclopum
Quondam grata domus.Pater Apennius in vndas
Emicat,effundit ſe Gangis in oſtia Tybris.
En alias,& mille alias iam cerne cohortes
Lyſiadum:volat ille,caput cui crinibus ætas
Sparſit olorinis; volat hic, quem feruidus æui
Sanguis alit:volat ille,facit quem gloria fandi
Eximium:volat ille,gerit qui clara docendi
Munera, quíque præeſt ſeruitum gaudet ad Indos
Pergere.Nemo tuis ſe miles claſſibus aufert,
Nulla tuos natos terrent diſcrimina,tota
Ardet in Eoos conſcendere Lyſia portus.

ANTONII LVSITANI Herois ſanctiſſimi illuſtria facta.

THreicius quondã nemoroſa in valle ſacerdos
Fertur olorinas imitatus carmine voces.
Cum procul annoſæ veniunt è montibus orni,
Circundántque virum:radicibus exilit imis
Caucaſus,& prompta in carmina ſuſcitat aures;
Hircanæque feræ tenebroſa cubilia linquunt,
Et quacunque datur breuior via, dulcibus adſunt
Carminibus, placidóſque bibunt ad plectra ſopores.
Fertur & æquoreas olim vocalis Arion
Tranquillaſſe minas, citharam cùm pulſat eburnam;
Neptuníque greges,Protheíque armenta ſub imis
Clauſa vadis,in ſumma nouo trahit æquora cãtu;
Ac dorſo incumbens Delphini,lata fatigat
Colla iugo,tumidóſque ferit calcaribus armos,
Et premit,& laxat moderator certus habenas
In quaſcunque volet partes. Heu cæca parentum,
Barbaries! Heu vana dolis commenta nefandis:
Non tales humana gerit facundia vires:
Mortalis non artis opus modulamine tigres
Siſtere,& effrænes ad carmina ducere phocas.
Tantum diuino micat hæc è pectore virtus.
Ergo age diuinum fer ad æthera Lyſia partum,
Cuius ad eloquium miteſcant marmora, cautes
Diſſiliant,venti ponant,querceta ſilentes
Contineant frondes, auium ruat agmen ab alto
Æthere; & indomiti linquant caua luſtra leones.
Terrarum tu grande decus,tu ſola ſub orbe
Orbis Olyſipo,cœleſtibus æmula regnis,
Tolle caput:tam læta tuos hæc fata penates
Sola manent:tibi diuinus naſcetur alumnus
Maior Threicio Vates,& Arione maior.
Quà Tagus egregiam,regni caput, alluit vrbem,
Virgine quà recta domus maiora coruſcant,
Eductiſque polo monumentis aſtra laceſſunt;
Extulit os terris Antonius,extulit vrbi
Formoſum caput:ô qualis noua ſigna decoris
Fronte ſedent!qualis rutilant præſagia vitæ?
Creſce puer,creſce, & virtutum ingentia creſcant
Dona animo,vires ſolidentur corpore,mores
Pectore,creſcentes ſupera virtutibus annos.
Mox vbi prima pedes ætas firmauit, Olympi
Quærit opes,auri cumulos contemnit auitos:
Materna durare nequit ſub ſede,profanæ
Sæpe fugit monumenta domus,ad Virginis ædem
Itque, reditque frequens: puerilibus altior annis
Sacra colit,vanis ſe ludis abdicat,aras
Promptus obit,pingitque roſis altaria, ramis
Limina,purpureis laquearia cella coronis.
O puerum cœlo dignum,quem ſuſpicit orbis,
Quem Phlegethon, quem tota domus veneratur Olympi.
Eia age præpetibus ſuper æthera tollere pennis,
Arma cupidineo rorantia felle voluptas
Tartareo nutrita ſinu iaculatur,& alto

Corde premit, venis ſerpit calor, oſſibus ignis
Labitur, & ſtygiis flaueſcunt corda venenis.
Surge puer teque infando citus eripe letho,
Et Phlegethontæos validis tere calcibus hydros.
Ergo virgineis ſe mundo ſuſtulit alis,
Et quà victrices tollit Vincentius arces
Delituit, diuíque arcana in clauſtra receſſit.
Rurſus Vlyſſæas oras, & nota parentum
Tecta fugit, natale ſolum commutat in agros
Herculeos, intrat veteris penetralia templi
Sacra, ſalutiferi ſacro cognomine trunci.
Inde aliud molitur iter, cœlo auſpice, cælo
Ignotas monſtrante vias, ſecreta relinquit
Iura domus, tacitæ vitæ ſe legibus aufert;
Te quærit, Franciſce, tuis penetralibus hoſpes
Succedit, comitémque tuis ſe præbet alumnis.
Nuda ſolo ponit veſtigia, vilis amictus
Membra tegit, circum tenerum datur horrida ſetis
Zona latus, non vlla manum, non vlla labantes
Virga pedes, in tanta viæ diſcrimina, firmat.
Terrarum fines, quà Phœbus conditur, & quà
Surgit; Hyperboreas quà tellus cedit in Arctos,
Et qua ſepolitis Libyæ furit æſtus arenis,
Explorare cupit, pelagíque intrare profundi
Æquora, & extremis mundi ſub finibus exul
Indomitos ad iura greges, ad pabula cœtus
Ducere, & errantes ad ouilia cogere turmas.
Vade age, & inſignes Antoni ordire triumphos,
Auſpiciis in vota ruit felicibus æther.
Quà ſacra diuinæ referas præconia legis,
Tartarei, ne vana putes, in bella Ceraſtes
Torpebunt, vires amittent, ſæuaque plantis
Colla dabunt calcanda tuis, tu pectore virus
Exprime, tu fræno linguas moderare triſculas,
Tu rege calcatis tumidas ceruicibus iras.
Sic impune Dei leges, & iura per orbem
Æqua feres, ſic arma ruens inimica, Tonantis
Signa triumphato pones victricia luxu.
Ergo vbi maiores ſcelerum cumulantur acerui,
Impietas vbi cæca furit, bacchatáque ventris
Ingluuies, vbi regnat amor ſceleratus habendi,
Diraque luxuries fuſis dominatur habenis,
Et ferus inſultat Mauors, ibi Lyſius heros
Attollit vocem; quantus micat ardor ab ore?
Quantus amor? quantis iaculatur fulmina verbis?
Flagitiûm moles labefiunt, ira ſerenos
Induitur vultus, ſtygiis nutrita caminis
Flamma ruit, ruit ardor opum, veſana quieſcunt
Arma graui commota manu, furor occidit, orbe
Vana ſuperſtitio procul exulat, impia mores
Dediſcit natura ſuos, nouus editur orbis
Antiquo melior, meliora ſub auſpice tanto
Sæcula naſcuntur; ſed quid non poſſet Auerni
Liuor edax? quibus in pratis non peſtifer erret
Anguis, & intonſas non maceret halitus herbas?
Fortè aderat gens nata Erebo, formata receſſu
Caucaſeo, cùm diuinos Antonius amnes
Solueret, & dulci præcordia voce piaret.
Quo magis interpres ſacrorum pectora mulcet
Vocibus, atque animi duris medicamina plagis
Alligat; hoc ſæuit magis, ægreſcitque medendo
Vulnus iners, & mente ferox agreſtius horret,
Atque animos contra ſeptemplice durat aheno.
Quid faciet? Num verba Notis ludibria fundat?
In caſúmque ferat tot adire per aëra voces?
Fas, & iura vetant: ergo volat, agmina linquit
Perfida, commotis vbi fluctibus æſtuat æquor,
Clamat, & æquoreos contenta voce fragores
Exuperat, pelagíque ciet vada, ſaxa querelis,
Piſces Neptuni cœtus magni agmina; piſces
Huc omnes, iubeo latebris enare profundis
In terram, ſuperúmque in littore carpere lumen.
Nec plura: inſolito miſcetur murmure Pontus,
Exultant latices, æſtu voluuntur arenæ.
Vndique collectæ ſpatioſa per æquora turmæ
Inſurgunt pinnis, tumidóſque laceſſere fluctus
Remigio certant; ſummáſque adnare ſub vndas.
Emicat in ripam, & fluctus capit ante priores
Turba minor, barbi, ſoleæ, conchylia; maior
Pone ſequens, pelagóque incumbens, ardua prendit
Littora, ſalmones, rhombi, delphines, aloſæ;
Inde alios, & mille alios, mirantur euntes
Cærula; piſtrices immani corpore gyros
Mille trahunt, vaſta ſe voluunt mole, belonæ
Immenſóque ruunt membrorum pondere cete:
Quotquot in æquoreo ſpatiantur monſtra theatro,
Exiliunt, totíſque ſuper ceruicibus extant.
Quid fundis Neptune tuos ad iuſſa miniſtros?
Quid viduæ cultore domus? quid inania poſſunt
Regna ſatellitio? Nereus tibi tradit habenas
Diue ſuas: moderare diu felicibus vndas
Auſpiciis, eadémque tuos in iura nepotes
Erige, Lyſiadum ſubigant vada feruida puppes.
Ergo ſuſpenſos in ſummo gurgite cœtus
Alloquitur: Piſces veſtri præconia regis
Accipite, & totos adhibete in carmina ſenſus.
Ille domos, & regna vadis habitanda ſub imis
Extruit, ille cibos, & fercula grata miniſtrat:
Ille dat æquoreos pinnis ſulcare meatus,
Et quos exigitis ſemper molitur honores;
Vos igitur grates perſoluite, ferte Parenti
Obſequium, & meritis celebrate hæc munera votis.
Dixerat; at piſces, rerum ſpectacula nunquam
Viſa ſatis, motant ceruices, brachia vibrant,
Excutiunt caudas variíſque naribus vndas
Impellunt, toto colludunt marmore. Diuo
Applaudunt, certis oſtentant gaudia ſignis;
Eia agite, & veſtras, Antonius inquit, in oras
Cedite, iam terris fidei documenta dediſtis
Firma ſatis, nullo pietas abolebitur æuo
Tanta, nec inſignis minuetur gloria facti:
Quod precor vt donis cumulet maioribus æther.
Illum ſubmiſſa venerantur fronte parentem,
Iámque imas labuntur aquas, & nota frequentes
Tecta petunt, latebríſq; maris clauduntur apertis.
O virtus, ó rarus honos! tibi cedit Arion
Antoni: tibi Threicius dat victa ſacerdos
Nablia, Thebanæ tibi cedit conditor vrbis,
Cedit Athlantiades, tibi victus cedit Apollo.
Eloquio tu ſaxa trahis Marpeſia, ſyluas
Exuis, indomitos domitas concentibus vrſos.
Cæruleis armenta vadis manſueſcere nullis
Docta ſonis, tu voce regis, tu limina Ditis
Æratáſque fores æternáque robora frangis,
Infernóſque cies latebroſo à carcere manes;
Sume animos generoſa parens, ne deſice rebus
Aduerſis, gaudis tibi, Lyſia, ſeruit alumnus:
Hoc duce, ſydereos poteris penetrare receſſus,
Vndique felices reuocare in corpora mentes:
Hoc duce, Tartareis violare repagula portis,
Ac trahere horrendas buſtis feralibus vmbras.
Ille tuas molitur opes, meditatur honores
Ipſe tuos, tibi ſceptra parat, tibi frænat aquarum
Murmura, & admiſſum per tot diſcrimina nomen
Reſtituet, conſurge animis, obliuia nati
Nulla tui ſubeant, ſub tanto præſide, maior
Tollere, & æthereis caput inſere Lyſia regnis.

VRSV

VRSVLÆ, ET SOCIArum laurea triumphalis.

QVis furor, ô miles, quæ tanta licentia ferri?
Quò gladios, quò tela rapis? voluenda ſecuris
Hæc erat in ſæuos inimico Marte tyrannos.
Quid pia gens? quid pura tuas mucronibus armant
Caſta manus? iam parce minis; crudelia demens
Proiice tela manu; pudeat calcare cruorem
Virgineum: pudeat ſactas latratibus agnas
Carpere: inæquali pudeat concurrere bello.
Gens ſed nata Erebo, Scythico formata receſſu,
Caucaſiis nutrita plagis, durata ſub ipſis
Cautibus, Hircanis aſſueta cubilibus, iras
Corde gerit, rapidáſque vomit de pectore flammas.
Mox vbi virgineum mediis è nauibus agmen
Emicat in terram, niueíſque phalangibus albent
Littora, crudeles acuit ſub pectore cædes.
In clades, in dura ruit certamina, quaſdam
Enſe ferit, quaſdam rigida tranſuerberat haſta,
In quaſdam torquet valido mucrone ſagittas:
Arida virgineo pingueſcit ripa cruore:
Impaſtus, ceu plena leo cum ſepta peragrat,
Et fremit ad caulas prædam iam nactus opimam
Gaudet hians; immane comas attollit, & hæret
Viſceribus ſuper incumbens, cruor improba teter
Ora lauat; ſic tota furens diſcordibus armis
Turba ruit, iam membra diu ſacrata pudori
Enſe cadunt, iam pura notis interlita rubris
Ora madent, iam pulchra metit falcata bipennis
Agmina: virginei rapiuntur in æquora fluctus
Sanguinis, immixto latè rubet vnda cruore.
At vos ſanguineo niueæ de fonte cohortes
Surgite, victrices manibus prætendite palmas.
Ne trepidate feris veſtras apponere vitas
Hoſtibus, & greſſus medios inferre per enſes.
O pietas, ô mira fides, ô quantus Olympi
Tangit amor, quantus rapit in certamina feruor!
Audet in hoſtiles incurrere Virgo phalanges,
Nec vanos horret ſtrepitus, librata per auras
Tela ſubit, reſerátque ſinus grauiora minanti
Spicula, & emiſſas fouet alto in corde ſagittas;
Quæque prior rigidæ ſupponit colla bipenni,
Et niueam ſacris ceruicem deſtinat aris,
Illa mori gaudet, morientis imaginis illa
Funus amat, quæ parua tulit, maiora precatur
Volnera, nulla cupit rapidis exire ſuperſtes
Cladibus, imò ſuo maculare in ſanguine vultus
Ardet inexpletum, non tantus in hoſtibus ardor
Ad clades, ad tela pium iaculanda ſub agmen,
Quantus virgineum rapit hæc funeta cœtum
Impetus, & medios moriturum vertit in hoſtes.
Virginei pars prima chori vexilla ferebat
Vrſula, queis nullum generis radiabat auitum
Stemma, nec antiqui fulgebant ſigna decoris.
Ergo ſalutifera pendebat ab arbore corpus
Diuinum, rigidis fixum mucronibus, haſta
Ruperat exanimum crudeli corpus hiatu.
Hoc inſigne ſuis manibus congreſſa ferebat
Vrſula, & vnanimes ſtimulabat in arma ſorores.
Huc oculos, huc ora, pias huc vertite mentes,
O ſociæ, magnas vobis in prælia vires
Sufficit, in ſacra quod cernitis arbore, Numen
Affixum grauiora mouet certamina amoris
Maioréſque vibrat liquefacta in corda ſagittas,
Quà iacet hoſtilis reſolutis funibus arcus,
Hoſtes vipereo iaciunt lita ſanguine tela
Vt duplicent mortis cauſas: at Chriſtus hianti
Corde trahit proprióque linit ſua tela cruore;
Sauciat hoſtilis, ſed Chriſti ſanat, arundo;
Hæc beat, illa necat; date colla, extendite dextras,
Et celeres duro ceruicem dedite ferro,
Vulnus amor iam lene facit, iam dulcia reddit
Vincula, iam palmas miſeris in cladibus offert.
Vix ea dicta dabat: magnis clamoribus omnes
Ingeminant, moriamur, & in media arma ruamus.
Nec mora per medios iam quæque audentior hoſtes
Ire parat, quà ſpiſſa virûm videt agmina, claris
Vocibus inclamat venerabile nomen Ieſus,
Chriſtum oculis, & corde canit geſtare, ſuperbas
Nil curare minas, maiúſque inoleſcere robur,
Frangere quàm valeant iuuenili in pectore vires.
Audiit, & magno furiatum excanduit æſtu
Barbarus, & ſæuum vagina liberat enſem
Acrior, & magnos effundit gentis aceruos
Innocuæ, latas inceſtat funere ripas.
Illa cadit, mox illa ſuper cumulatur eodem
Multa loco. Ceu meſſa Ceres iam flaua maniplis
Aptandis ſub falce cadit; ceu plurima cœlo
Sydera labuntur liquidis cohibenda ſub vndis.
Sic & Virginibus rareſcunt agmina cæſis.
Nec prius abſiſtit temerata à cæde cruentus
Miles, in attonito quàm totas demetat enſis
Littore, felicéſque rates tot millibus orbet.
Inclyta marmoreo viduantur & oſſa ſepulchro;
Vrſa peregrinis, vrſæ tumulantur arenis:
Felices animi rutilant trans æthera vecti
Purpureis zonis, ſacrum ſtellantia velant
Serta caput, variíſque manus de ſede pyropis
Irradiant, ſic alta volant ad culmina, portus
Æthereos intrant, placidáque in pace quieſcunt.

VICTRICIS CATHArinæ Mauſoleum.

NOn ego Pyramidum ſublimi vertice moles
Niliacos quodam claudentia buſta tyrannos
Expromam cantu: nec Mauſolea ſuperbæ
Reginæ fundata manu: monumenta pudori
Virgineo ſacrata canam. Rege vatis habenas
Diua tui, ſuperíque volans per culmina Sinæ
Caſta ſepulchralis ſera penetralia molis.
Efferus in collum cùm miles librat ab aure
Mucronem Catharina tuum, fluit vndique lactis
Humor, & in niueos ſoluuntur vulnera fontes.
Protinus æthereos intrat mens inclyta campos,
Exuuiis decorata ſuis, ſtupet aula Tonantis
Inſolitum iubar, ac triplicis diadema figuræ
Cernit hians, triplicis meruit quod laude triũphi.
Cùm ſubitò glomerata cohors, Diuúmque Senatus
Circumfuſus, ait, turpi ne inhonora iacebunt
Membra ſolo, quæ ritè valent intrare curules
Sydereos? an pura locus teget oſſa profanus,
Diraque virgineum ſeru abunt marmora corpus?
Id pietas, id iura negant ſuprema Tonantis.
Ergo præpetibus delapſus ab æthere pennis
Quiſque ruat, tumulóq; ſacros inducat honores.
Sic ait, & Zephyris ſuperas velocior auras

Digitized by Google

Dimouet,& Pharias celeri deſcendit in oras
Remigio alarum,foribúſque patentibus intrat
Mœnia,Pellæo quondam fabricata Tyranno.
Ergo dum ſuperi perluſtrant omnia cœtus,
Explorántque vias omnes:inhumata iacebat
In medio Catharina foro,gens impia circum
Admirata decus,niueóſque ex vulnere fontes,
Hærebat,mortis placido languentia ſomno
Lumina ſopitos referebant ætheris ignes,
Oraque puniceos Phœbo ex oriente colores
Pallida reddebant, quantum venerabilis inſtar
Frontis erat;quantus niueo decor ore natabat ?
At ſuperi properant ciues,mediæque per vrbis
Septa ruunt:ſua quemque trahit,ſua quemque voluptas
Ocyùs ire iubet:procul vt videre ſub enſe
Collapſos artus,duróque narantia letho
Lumina,feſtinant,rapidiſque volatibus adſunt.
Virgineas mirantur opes:ſunt debita turmis
Aligeris hæc dona,canunt,& funera læto
Commutant plauſu , celebri dant ordine pompam.
Ergo biſſeni candenti in veſte miniſtri
Succedunt alacres oneri;tollúntque per auras
Sanguineis lita membra notis:præit inclyta ſummi
Turba chori , læuaque ſimul, dextráque feruntur
Millia,primorúmque alij veſtigia cœtus
Ponè premunt , ſpargunt flores , candentia fundunt
Lilia,Idumæis quatiunt opobalſama virg s.
Iam ſuccos ignorat Arabs , iam neſcit odores
Fragrantes Panchaia ſuos, dum thure vaporant
Æthera,dum ſuperas mulcent ſuffitibus oras
Ambroſijs, vox vna ſonat:Catharina per orbes
Æthereos conſcendat io:Catharina per omnes
Terrarum,cælique plagas,victricia ponat
Signa manu,meritoſque ferat poſt fata triũphos,
Quò ſuperi ?quò feſtis iter ? quod tanta ſepulchrum
Membra geret ? quò ſacra iugo tumulabitis oſſa
Æthereis victura locis ?En oſſibus oſſa
Submittit frondoſa caput , iuga Pelion offert
Inclyta,& aërius nemoroſo inuitat Olympus
Vertice, ſubliméſque volunt in culmina montes
Virgineum reuocare decus ? quò renditis vltra
Syderei gens clara poli?clamoribus omnes
Ingeminant;Sinam,ſi nam properamus in vnum;
Scilicet hæc olim rapidis iuga ſepta caminis
Fumiferis obducta globis,lapsiſque per auras
Territa fulminibus,ſæuóſque experta fragores
Diuinos monitus,& ſummæ dogmata legis
Hauſerunt,heu inde greges effuſa per omnes
Iſacidum,noſtros componunt aurea mores:
Non aliud Catharina iugum ſibi poſcit ab illo,
Sacra quod ætherei decorarunt iuſſa Parentis.
Iamque propinquabant , tenues qua Sina per auras
Erigitur, ſubeunt omnes , montémque ſub altum
Euadunt,celeres,ſummóque in vertice ſidunt.
Quid memorem colles cœlo iuga celſa ferentes?
Lunares contemnit equos , Iouis abiicit ignes,
Saturnique faces,radios Mauortis,& ora.
Spernit Athlantiadis,Cythereæ lumina temnit:
Reſpicit Eoo redeuntem è gurgite Phœbum,
Has nil curat opes,pro tantis ignibus oſſa
Sacra petit,cape Sina meos , mihi rurſus honores
Redde tuos: fulgere polum melioribus æquum eſt
Syderibus:plus diua meis rutilabit in oris,
Quàm vaga ſydereas quæ luſtrant lumina ſedes.
Interea ſuperi variis circúmque ſupráque
Retibus exultant,& feſto more choreas
Exercent,celebriique tremunt cita culmina plauſu
Protinus auguſto niueo de marmore templo
Incumbunt omnes pariter;iam prima per artem
Fundamenta locant , Phariáſque ſub aſtra columnas
Attollunt,iam pulchra ſuis laquearia pinnis
Includunt,auróque trabes,ac tecta coruſcis
Diſtinguunt gemmis, variiſque laboribus ornant.
In medio pluſquam rutilis accenſa pyropis
Inſolito fundata micant altaria ritu.
Hîc viuas ſuperi facies,hîc mille figuras
Inſertant auro,varióque emblemate celant:
Qua gladiis,quà tela micant,quà ferreus vrget
Miles,& aduerſos contrarius orbis in orbes
Voluitur,exiliunt rapido ſub verbere cultri,
Infeſtántque viros,iaculo ſeges horrida turbam
Verberat,& fulua moribundam extendit arena.
Parte alia diuam ſubigunt in prælia vates,
Diuinique ſacras contemnere Numinis aras
Impellunt,ac thura diis adolere nefandis.
Immoto ſtat diua gradu,facilique retorquet
Tela manu,quin cæca ſuis erroribus arcet
Pectora , ſollicitam fouet alto in corde tyrannus
Inuidiam,rabiéque fremit,quem diua fatigat
Calce ſuper, ſtygiúmque ſuper pede proterit hoſtem
Cætera virginei circum monumenta triumphi
Pingit,& attonitas trahit in ſpectacula mentes
Sacra cohors. Hanc diua tuis dedit oſſibus aram
Cœlicolûm generoſa manus , qua ſecla vireſcent
Poſtera,quam longi ſeries mirabitur æui.
Quæ ſuperas ſeruabit opes,quæ maxima ſemper
Dicetur nobis,& erit quæ maxima ſemper.

ERENÆ VIRGINIS *Luſitanæ Martyrium triumphale.*

Auriferi quis dona Tagi , quis munera verſu
Efferat ,& merito celebret præconia cantu,
Non tantas Pactolus opes,non Hermus arenas
Tam dites,non tot gemmas pretioſus Hydaſpes
Amne trahit,non Indus aquis tam fertilis ambit
Arua ſuis,Nilus non tam felicibus errat
Lapſibus,aut vena currit tam diuite Ganges.
Quid memoro? Tagus vnus opes ſupereminet omnes
Flumineas.Teſtor Neptunum;faxe tridentis
Arbiter,vndarúmque potens Neptune , quid optas?
Quod de fonte bibis iucundius , ecqua ſub vndas
Gratior vnda tuas euoluitur?incipit Heros
Neptunus.Non vlla meos iucundior intrat
Vnda ſinus , quàm miſſa Tago , Tagus omnibus vnus
Gratior Oceano.Condant ſe flumina retro
In caput alta ſuum,condant;iam nulla penates
Influet vnda meos,patior:de finibus errent
Stagna meis expulſa , fero : tamen oſtia pulſet
Noſtra Tagus , noſtriſque ſuas infundat arenas ,
Diues ero : quæ dona Tagus, quæ munera defert
Humanis maiora:ſacros amplectitur artus
O Erena tuos , & mollibus abluit vndis.
His opibus , quàm diues abit , quo marmora faſtu

Ingreditur,

Ingreditur,qua mole ruit , quibus æquora frænis
Vincit,& æthereos ſupra volat altior orbes?
Tu faciles Erena notos in vela ſecunda,
Tu fluuiis compone minas;tu pande latentes
Amnis opes;tu ſacra tui monumenta pudoris
Detege,& arcanas ſine vatem nare per vndas.
Quà liquidis Nabanus aquis vicina frequentat
Arua Tago:ſub colle iacent fundata ſupino
Mœnia , Lyſiadum quondam penetralia Regum:
Hic ſata ſydereos obſcutas lumine vultus
Diua tuo:tibi luna faces, tibi Phœbus habenas
Tradit,& in manus luſtrandi vendicat orbem;
Sed quò Diua petis?quid circunfuſa tenebris
Tecta ſubis? quid clara lates? quid viua ſepulchro
Condetis?& gratam violento funere vitam
Mergis, Olympiacas nunquam ventura ſub auras,
Arcanos Erena petit latebroſa receſſus,
Humanóſque fugit viſus. Procul omnis abeſto
Vulgus,ait,procul aula, procul commercia genti
Blandimenta procul:cœli mihi gaudia,cœli
Rura patent ; quibus ampla dabunt ſpectacula ciues
ætherei;ſine labe iubar,ſine crimine morum
Aſpiciam ſecura mei;ſic fata decoros
Exuit,ac viles,dictu mirabile,cultus
Induit.Obſiſtunt crudeli marte penates.
Cui tantas Erena domos,cui tanta paternus
Iugera,cui tantas alio ſine lumine dotes?
Siſte parum , téque aſpectu ne ſubtrahe noſtro;
Hos artus dum vita regit non longa ſeniles,
Hos Erena dolos patrio ſub amore iacentes
Cauta fugit:ſecreta petit non ſerius antra,
Legibus adiicit puerilia membra ſeueris.
Hæc Virgo: fraudes ſed enim molitur Auernus,
Peſtifero tabo cuiuſdam corda venenat
Cæca viri,diúmque vomit ſub pectore virus,
Tartareas in corde faces,& in oſſibus ignes
Implicat,ac totis incendia ſæua medullis
Æſtuat,igneſcit,furit,implacabilis ardet:
Humanam iam tentat opem , iam poſcit Auerni
Præſidium,nunc fraude ruit, nunc viribus , omnes
Explorátque aditus,ac tentamenta viarum;
Poſtquam virgineum nec vi , nec fraude pudorem
Euertit,variiſque aſſultibus irritus vrget,
Sæuit atrox mouet arma, neces meditatur , & enſes.
Ergo flumineas tunc forte Erena ſub oras
Venit,& æthereas multa prece compulit arces.
O ſi virgineum ſeruato in corpore florem
Suſtineam,vel tela ferox ſcelerata minetur
Hoſtis,& aduerſum;per coſtas exigat enſem,
Nunc animis opus eſt ; validas mihi ſuffice vires
Summe parens.Nec plura , loco iam miles eodem
Improuiſus adeſt,rapidas vomit ore fauillas,
Corde faces,totis procudit fulgura venis.
Obſtupuit Virgo;vagina liberat enſem
Barbarus,& ſæuos intentat feruidus ictus.
Improbe,quid ſæuas violentus ſurgis in iras
Siſte parum , depone minas , compeſce furorem,
Quò ruis?Inſanus quò te tuus incitat error?
Ille nihil,ſed mentis inops,rationis egenus
Sæua furens:moriere meis nunc obruta telis
Virgo,ait , & mortis cauſam cognoſce pudorem;
Quem colis , hic ſæuo te te pudor immolat ictu.
Attollit cum voce manus Erena;ſupremum
Numen,ait,ciues cœleſtes,agmina ſummi
Clara poli,cœtus diuorum,caſtra Tonantis
Accipite hanc animam , ne quicquam , barbarus inquit,
Quæris opem : moriere libens. In vulnera collum
Extendo , ſupreme parens : fluat vndique ſanguis,
Rumpantur venæ:lacerentur viſcera;totum
Corpus hiet:fœlix pro te,tot vulnera felix
Accipio:miſero potius truncabere letho
Miles,ait, morere , & morere infelicibus vmbris
Hoſtia:ſic fatus capulo tenus induit enſem
Virginis in pectus:multáque in cæde cruentat
Ora, manus , humeros , & hiantes vulnere malas:
Virgo cadit moritura,color palleſcit,ab alta
Fronte ſupercilium demittitur,halitus exit
Ægrior:areſcunt fauces;conduntur in antrum
Lumina;virgineis priſcus viror excidit oris.
Inſtat adhuc hoſtis: rotat enſem ſæuus,& ictus
Acrior ingeminat:moriens inclamat IESVM
Virgo ſuum;moriens oculos ad ſydera tendit.
Æternum moriens,inquit,patria arua valete.
Sanguineo de fonte bibunt iucundiùs agri,
Vernat humus , creſcunt flores , languentia ſurgunt
Lilia,marcentes nouius halitus excitat herbas,
Totaque virgineum teſtantur rura pudorem:
At miles ne fortè ſuum veſtigia prodant
Vlla nefas:trahit exanimum, versátq; ſub vndas
Corpus,& in medio putum tegit amne cadauer.
Virgineos Nabanus aquis gratantibus artus
Excipit,& placidis paulatim deuehit vndis.
Donec ſeruandas maiore in flumine gemmas
Auriferi ſub regna Tagi deuoluit:ab imo
Fonte Tagus caput attollit : noua munera noſtris
Illabuntur aquis,noua merces additur,inquit.
Virgineos vultus agnoſco,gratia vultus
Mentis opes teſtatur:adeſt Erena,rubeſcit
Vultus adhuc de cæde ; patent in pectore plagæ.
Eia meos quæcunque lares , & littora Nymphæ
Accolitis,precor à veſtris excedite luſtris;
Feſtinos huc ferte pedes , date carmina, plauſus
Tollite,iucundis incendite ſtagna choreis.
Accurrunt Nymphæ , celeréſque natantibus vndas
Præuertunt:quæcunque prior feſtinat ad artus
Virgineos labi:varios circumque ſupráque
Adglomerant gyros , & circumplauſibus hærent.
Illa ſacros amplexa pedes ſubit:illa decorum
Prona caput,tenet illa manus, ſuſtentat apertum
Illa latus;latis ſubeunt ceruicibus omnes
Exuuias Erena tuas:quò nobile Nymphæ
Fertis onus?quo ſacra vado tumulabitis oſſa?
Non procul à fluuij ſupremo limite caſtrum
Surgit Vlyſſæis vicinum mœnibus,amni
Deſuper incumbens:veteres cui nomen Iüli
Præſidium dixêre : nouúmque ad poſtera nomen
Fama dedit , Scalabim Græco cognomine dixit:
Nunc Erena ſuo de nomine mœnia ſignat,
Sanctarena vocant:huc Virgo labitur amplo
Nympharum deducta choro , placet iſta liquentis
Meta viæ,ſiſtunt mediis in fluctibus omnes.
Iamque ſepulchralis meditantur pondera molis.
Fundamenta cauant , aduoluunt ſaxa , columnas
Educunt,pinnis includunt tecta ſuperbis.
Cùm ſupera de ſede fragor procul intonat , adſunt
(Nec mora)cœlicolûm numeroſa examina, quorum
Ductor ait,ſuperis fluuiales cedite Nymphæ,
Sit ſatis in veſtris fabricari fluctibus aulam
Virgineis membris,tantos partimur honores:
Vos loca,nos tumulo noſtras impendimus artes.
Ergo omnes operi ſuccedunt:area ſulco

Cin

Cingitur,& vitreis conſternitur apta lapillis:
Hinc atque hinc paries cryſtallo conditus vndas
Excludit,viſus admittit,gemmea ſurgunt
Limina,portarum rutilant in cardine valuæ,
Atque adamanteis incumbunt tecta columnis
Aurea. Quid memorem varias in fornice gemmas?
Lucent Chryſolitus,Saphyrus,Belus,Achates,
Cryſtallus,Beryllus,onix,hyacinthus,Iaſpis
Mille aliæ rutilant gemmæ,velut aſtra : coruſcant
Mille faces , & mille vomunt laquearia flammas.
In medio torus orbe nitet:quem mille pyropis
Diſtinguunt ſuperi , varióque emblemate cælant:
Hæc Erena tuis componitur vrna vel ara
Oſſibus,hîc ſacros diuûm ſortiris honores;
Hic tibi ſacratis adolent altaria flammis
Cœlicolæ,ſpargunt flores,multóque vaporant
Thure lares,huc dona ferunt fluuialia Nymphæ,
Hic piſces,hic monſtra iugo famulantia ſubdunt
Colla tuo,lætóque obeunt hæc templa meatu.
Hunc Tagus auriferis tumulum circũdat arenis,
Sed quis tanta ferat cohiberi dona ſub vndis?
Quis non inuideat tacitis hæc munera lymphis?
Ergo ſecretis miracula profer ab vndis
Summe parens,quas flumen aquis occultat auaris
Diuitias oſtende polo,iam pande ſilenti
Mauſolea vado:iam Virginis eſſet honores.
Æthereas tunc forte plagas pulſabat in vrbe
Selius,vt Numen ſibi Diuæ panderet artus,
Cùm Deus afflatu diuino pectora complet:
Vade,ait,ad ripas,& tecum plurima circum
Turba ruat,dabitur corpus , reperire , quod optas.
Ille volat, totámque implet clamoribus vrbem,
Vt quocunque ferat,veſtigia certa ſequantur,
Millia circunſtant vadentem, plurima tendunt
Agmina, & innumeris vmbrantur littora turmis.
Cùm ſubitò(res mira !)ſui Tagus immemor, ire
Deſinit in præceps : medio ſecat æquore fluctus:
Hos iubet in pelagus rapidos intrare,ſed illos
Frænat,& inſolitos orditur ab inde meatus
In caput,ac refluas in fontem colligit vndas:
Apparent vada ſicca;ſtupent in littore cœtus
Ignari,quæ tanta retro vis cogeret amnem:
Hæc vobis,hæc,ductor ait,via panditur:eia
Ferte pedes:Erena viam,quà monſtrat , eamus:
Inuadunt omnes:quærunt in flumine flumen,
Inque Tago iam nemo Tagum videt , ecce repente
Obiicitur moles oculis operoſa:propinquant,
Turmatímque ruunt:cernunt (mirabile dictu!)
Virgineum corpus,violis florentius,auro
Pulchrius,æthereis rutilantius ignibus,omnes
Procumbunt : nec tam ſtudio meditantur inani
Sedis opus,quàm virgineos mirantur honores:
O quas effundunt liquefacto è pectore grates!
Quas voces?quæ vota ferunt ? quæ carmina pangunt?
Iamque parant ſacra membra ſuis ceruicibus omnes
Exportare, nouus cùm mentibus aduenit horror,
Scilicet oſſa loco nituntur pellere:fruſtra.
Acriùs incumbunt ; ne quicquam plurima vires
Turba mouet , nil præſtat : opem collecta ſub vnam
Agmina tota ruunt, tanquam mons magnus eodem
Hæret firma loco;vanas deponite curas
Selius,inquit,amat ſedes Erena ſub vndis
Cedamus Diuæ,vicinos illa Penates
Pace teget,noſtriſque è flumine conſulet aruis.
Ergo vale,iam Virgo , Tagi cole ſurſus honores;
Ille tuos;hæc ara vadis celebratur in imis,
Æternamque tuam ſeruat tua Lyſia ſedem.
Interea tu corda,domos,iuga,littora,campos,
Mœnia,diuitias,quidquid ſumus,accipe:tecum
Seruemur,tecum pariter claudamur in vndis.
Iamque omnes pariter diſcedunt,lumina retro
Sæpe trahunt,ſacros Diuæ ſaluere Penates
Sæpe iubent ; tumulum lacrymis affantur obortis,
Euadunt tandem celeres,ac tuta capeſſunt
Cùm Tagus à primo dimittit carcere fontes,
Præcipitant vndæ,flumen redit,alueus implet;
Littora,& in campos exundat fluctus apertos,
I Tage,virgineis infundere ſedibus hoſpes,
Tange lares,& tecta,ſinus excurre per omnes,
Diuitias hîc ſiſte tuas,& quidquid ab alto
Fonte refers, totúſque in Virginis addere templum;
Inde per Oceanum,mihi crede,auguſtior ibis.

HISTORIÆ laudes.

SOl ruit;ad placidas Lethæi fluminis vndas
Siſto gradum ; iucunda leues mihi murmura ſomnos
Conciliant:viridis præbet per littora molles.
Herba toros Dum feſſa via potiuntur amœno
Membra ſinu,laſſóſque ſopor complectitur artus.
En animus formata nouis ſimulachra figuris
Cernit,& inſolita turbatur imagine rerum.
Scilicet è medio ſe flumine tollit in auras
Alatus Coluber,celeríque per æthera gyro
Alituum pennas,& Eoos præterit Euros.
Quidquid in aërio latè ſpectabile campo eſt,
Corripit afflatu miſero,morſúque trifauci
Res hominum lacerat , vaſtóque abſumit hiatu,
Proh ſcelus inuiſum Lernæa ſæuius hydra!
Proh monſtrum ! Proh dira lues ! quid atrocius vnquam,
Perniciémque polo,terríſque obnuntiat iras?
Reſtitit ad ſubitas voces,tumidúſque minaci
Ore canit.Ne me dictis incende ſuperbis,
Sum Pater annorum,proles Saturnia ; Tempus
Dicor , & æthereus quidquid complectitur orbis
Imperio,certíque premo diſcrimine lethi.
In varios flector gyros,caudámque reductam
Ore lego tacito,longíſque anfractibus erro;
Namque per emenſos redeunt noua ſæcula faſtos,
Et lapſus ſua per veſtigia voluitur annus.
Sed quia perpetuo labuntur tempora motu,
Effugiúntque leues feſtinis curſibus horæ;
Itque reditque dies , æuóque impellitur æuum:
Has ideo pennas humeris,has greſſibus alas
Innecto,quibus Æolias præuerto quadrigas.
Hoc tamen in fluuio Lethe caput inde ſub auras
Eduxi,mergo veterum monumenta virorum
Inuoluóque vadis,atráque voragine lætos
Euentus rerum.Stant ſæuo in littore Reges
Magnanimíque duces , & longa obliuia potant.
Dixit,& immenſo ſinuata volumine terga
Explicat,ac rabidus violentas ſurgit in iras.
Aſt ego : quæ virtus tantum pede proterat anguem?
Quæ vis colla premat?quæ ſæuas dextera vires
Molliat,ac diros in pectore ſopiat ignes?
Vix ea fatus eram,ſubitò cùm viſa mouere

Nym

Nympha gradus, animóq; metus his demere dictis
Adſum Tartareum vinclis domitura Draconem.
Nec vanos tibi finge metus. Sum Palladis vna
De grege, Palladios inter digniſſima cœtus.
Hiſtoriam dicunt: facili quod deuorat hauſtu
Tempus edax, reparo, mediáque in luce repono.
Dixit, & infenſis excitum ſedibus anguem
Ægra ſoporatis ſpumantem obliuia linguis,
Stagnaque tranquillæ potantem obliuia Lethes
Frænat, & impreſſis colla indignantia tundit
Calcibus: ac veteres mediis è faucibus annos
Exprimit, & claras in luminis elicit auras.
En ait, en veterum ſurgunt exordia Regum;
Aſſyrium (iam tolle oculos) in luce coruſcat
Imperium, tantique potens iacit alta laboris
Fundamenta Ninus: quibus ãpla Semiramis addit
Culmina, dum propriis fines coniungit Eoos.
Sed quia regnandi, ne dira licentia regnet:
Alternat fortuna vices: caput ardua tollit
Media, Medorum ſolio dominatur eburno
Aſtyages: heu ſorte ſua, ſæuóque nepotis
Augurio infelix: validas tum Cyrus habenas
Imperij tractat: Regnorum Perſia clauum
Imperioſa gerit, nullis ruitura procellis,
Fortunæve minis, Macedo niſi cuncta feroci
Regna manu in proprias leges, ac iura vocaſſet.
Sed iam Cæſareum reliquos pertæſa tyrannos
Optauit natura iugum, quo maior in omnes
Terrarúmque plagas, ſæuique in littora ponti
Roma ſuas extendit opes; ſed plura volentem
Dicere, & annorum plures vulgare meatus,
Protinus Eoo ſurgens Aurora cubili
Detinuit: me ſæuus equis afflauit anhelis
Lucifer, ac dulces excuſſit pectore voces.
Hiſtoriæ qua voce queo, quo carmine laudes
Proſequar, ac meritas referã modulamine grates,
Heroum tu facta nigris obſeſſa tenebris
In lucem reuocas, morſúque voranda tenaci
Temporis, in priſcũ reparas monuměta decorem.
Fama tibi, tibi victa comes; non vlla ſeneſcunt
Te duce geſta ducum: memori ſupereminet æuo
Quicquid in antiquis tua ſignat dextera chartis.

NASCENTI VIRGINI *Magnæ Matri, quæ tunc ſcholaſtico anno naſcenti initium auſpicatiſſimum faciebat.*

Felix auſpicium: nouus incipit annus ab ortu
Virginis, vt fauſto ſydere fauſtus eat.
Sydereas tu Virgo faces euincis, ab ore
Namque tuo cœli lumina lumen habent.
Noctiuagas ſubdit tibi Phœbe cornua bigas,
Subdit Atlantiades virgea ſceptra Puer.
Ante tuos ô Virgo pedes Venus abiicit ignes,
Abiicit armipotens tela triſulca Pater.
Iuppiter igniuomas exarmat fulmine dextras;
Tu Saturne tuas exue falce manus.
Phœbus Olympiacis iam ſedibus exulet, vna
Virgo coruſcantis ſyderis inſtar erit.
Abſcondant nunc aſtra ſuos caligine vultus,
Clarior aſtrorum lumine Virgo micat.
Lethales quandoque cient vaga ſydera morbos,
Virgo ſalutiferam ſemper anhelat opem.
Intempeſtiuos effundunt ſydera nimbos,
Virgo ſalutiferis ſemper inundat aquis.
Aſtra procelloſis non vnquam flatibus vrgent,
Eolias frangunt Virginis ora minas.
Eliciunt ruptis è nubibus aſtra fragores,
Sedat Olympiacas vnica Virgo plagas.
Cærula feruefcunt aſtrorum mota figuris,
Virginis æquoreas forma ſerenat aquas.
Ignea flauentes exurunt aſtra nouales;
Pullulat, vt perflat Virginis aura, ſeges.
Sydera gemmantes denudant grandine vites,
Virgo Pampineis induit arua comis.
Aſtrorum rabies florentes macerat agros
Virginea expingit floribus arua manus.
Sæpe ſub obſcuris caligant nubibus aſtra,
Nulla tegit rutilas Virginis vmbra genas.
Sydera temporibus, ſed Virgo præſidet æuo,
Efficiunt noctem ſydera Virgo diem.
Naſcuntur, ſed nata ruunt mox ſydera, Virgo
Nata ſemel nunquam poſtea victa cadit.
Syderibus diues cœlum eſt, ſed Virgine tellus,
Deſpicit illud opes, æſtimat iſta ſuas.
Dat cœlum innumeras vna pro Virgine flammas,
Hoc ſua commutat ſydera flore polus.
Sydera ſyderibus cumula, terra inquit, Olympos
Mille para, maius, da mihi ſiquid habes.
Cernis vt excedat flammis cœleſtibus vna
Nata ſolo, ſuperis digna micare globis?
Ergo felici qui naſcitur annus ab aſtro,
Ardua felici curfat in aſtra pede.

AD VRSVLAM, ET *Comites beatiſſimas.*

Felices animæ, felicia caſtra, puellæ
Felices, felix virginitatis amor.
Quales purpurei diſtinguunt gramina flores,
Tales virgineæ littora cæca manus.
Qualia Erythræos ditant corallia fluctus,
Tales virgineæ falſa fluenta rates.
Qualia cœleſtes illuſtrant ſydera campos,
Talia virginei regna ſuperba chori.
Non ita Mæandrum circa modulantur olores,
Vt pia gens vitreas carmine mulcet aquas.
Neptunus ventis impellit vela ſecundis;
Chriſtus in internos labitur vſque ſinus.
Effluit ignotas medio ſale puppis ad vndas,
Sacra per æthereas corda feruntur opes.
Vrſula diuinos inſtillat pectore rores,
Excitat ardentes Vrſula corde faces.
In ſe fingebant volitare per aëra glandes,
Rumpere virgineas tela cruenta manus.
Carnifices ſæuire, necis ſibi damna parari;
E latebris ardent proſiluiſſe ſuis.
Iam fera gens ſæuit, iam turba furentibus annis
Irruit, vt pectus transferat enſe pium.
Virgineos præbent rigidis mucronibus artus,
Submittunt gladiis colla ſecanda feris.
Sic deſiderio geſtit mens ebria cædis,
Mens meliùs pœnas inter adulta ſuas.
Tale ſuos dulcis iam dudum ad funus amores
Spes alit, illecebris non ſemel acta nouis.
Reſpondent votis felicia ſydera, palmas
Martyrij prendunt caſtra beata ſui.
Viuite felices cœleſti in vertice mentes,
Cingite purpureis tempora clara roſis.
Palma triumphales decoret pulcherrima dextras,
Auratus circum tempora torquis eat.
Vobis parta quies, nullum maris æquor arandum,
Nullus ſollicitat pectora caſtus amor.
Vobis ſyderei gratantur monſtra theatri,
Subiiciunt veſtro colla ſuperba iugo.

Præ

Digitized by Google

Præbet Erychthonius iunctas de more quadrigas,
 Mercurius pulſat fila canora lyræ.
Erigone plaudit, vocalis plaudit Arion,
 Ardet obire pium Gnoſſia ſtella caput.
Fulmina ſubmittit Iouis armiger, aëra Iuno
 Tranquillat, nullus excitat Hædus aquas.
In choreas, in feſta ruit polus omnis, Olympo
 Ingeminant omnes, *Vrſula* viuas iò.

AMOENISSIMA Tyburtini nemoris conſideratio.

QVa Tyburtini ſe tollit gloria montis,
 Qua liquidas Anio voluit amœnus aquas,
Villa iacet, villæque inter penetralia ſurgit
 Diues natura, ditius arte nemus.
Scilicet vmbroſo ſpecus eſt fabricata receſſu,
 Mollitet in curuos vndique flexa ſinus.
Huius multicolor pingit conuexa lapillus.
 Et variis cælat conchula picta notis.
Hinc ſerpunt hederæ natiuo brachia lapſu,
 Illinc in flexus ductilis herba meat.
Qua malè iunguntur bibulo cum pumice tophi;
 Antrum multiplicis luminis inſtar hiat.
Multa cauernoſis volucris ſedes hoſpita rimis,
 Dædala quam duro fecit in ære manus.
Qui cernunt veras imitantia ſigna volucres,
 Non cælata putant ære, locata putant.
Spirat auis quæcumque ſuo maculata colore,
 Vt libet, argutis geſtibus ora mouet.
Excutit hæc plumas, pedibus micat illa, canorum
 Hæc leuat, hæc voluit, deprimit illa caput.
Multa etiam impexas roſtro diſcriminat alas,
 Multaque luminibus circuit antra ſuis.
Altera miranti blanditur, ſyrmate vulgò
 Altera dum criſpat colla ſuperba, tumet.
Et nihil vt viuæ ficta ſub imagine formæ
 Deſit, quæque ſuum fundirat ore melos.
Artis opus natura ſuum miratur, & artis
 Lüdum experta, minor ſum, canit, arte minor.
Et quæris quæ tanta gerat miracula virtus?
 Accipe: in hac Siculus claudicat arte faber.
Labitur occultis effuſa meatibus vnda,
 Qua parte aëreas ærea fallit auis.
Hanc vbi paulatim per gyrum ducta recludit
 Vertebra, continuis hauſtibus vrna bibit.
Inde per arcanos emendicata canales,
 Ad volucrum longo ducitur orbe pedes.
In quibus exiguo reſerata foramina clauo.
 Nacta ſubit, ventrem mox adit, inde caput.
Nec mora, libratas, æquali pondere moles.
 Intus obit, medios perfluit vſque ſinus.
Mox vbi machinulas intrinſecus vnda volutat,
 Dulcibus alituum cantibus aura ſonat.
Non it concentus numerorum lege ſolutus,
 Compoſitos ſeruat vox animoſa modos.
Intenti mediis, grauibus ſociantur acuti,
 Æqualique omnes omnibus arte ſoni.
Cuncta ſimul referunt placidos volitantia cantus.
 Diſtinguit proprium ſingula voce melos.
Cantat olor, geminátque ſuos luſcinia queſtus;
 Concinit ad numerum dulcis Acanthis aquæ.
Quæ volucres latè cœlo potiuntur aperto,
 Huc medio vertunt Solis ab axe viam.
Mirantúrque ſuas alieno in corpore voces,
 Alternóſque cient per caua luſtra ſonos.
Hic etiam volucrum turmis inimica, diei
 Neſcia, ſecluſo fornice ſedit auis.
Hæc inter totulis vndarum mole ſolutis
 Exerit obſcuro limine torua caput.
Mox vt quæque prior (dictu mirabile) frontem
 Aſpicit è triſti rupe micare, ſilet.
Illa de hinc collum extollit, iam pectora, tandem
 Proſilit, & miſero carmen ab ore trahit.
Continuò totus ſiſtit concentus, & inter
 Tam multas ſolùm noctua ſtrider aues.
Cùm tamen ex oculis iterum ſe proripit hoſtis,
 Antráque Cimmeriâ nocte ſepulta petit.
Maiores iterant nemoroſa per auia plauſus,
 Inque ſuos redeunt voce priore choros.
O quæ tam viuas ſimulant per inania voces!
 Tam benè quæ vitam fingit in ære manus.
Cedite Sicaniis olim fabricata caminis;
 Cedite Phidiaca ſigna dolata manu.
Cedite fuſa cauis Temeſes fornacibus æra,
 Cedite Dædaleis ora polita rogis.
Iam meritas antiqua trahant monumenta ruinas,
 Hoc ſeſe Aſtrorum curſibus æquet opus.

DVLCE BELLVM inexpertis.

NVnquam ſæua tulit miſeri diſcrimina belli,
 Qui cupit ardentes Martis adire globos.
Neſcius armorum miles petit arma: ſed odit
 Qui videt à crudo ſaucia membra Deo.
Geſtit in extremum conſcendere nauita littus,
 Qui tumidas nullo proſcidit ære vias.
Si tamen vndarum ſulcauit in æquore moles
 Naufragus, æquoreas effugit ille minas.
Optat obire nouas vtroque in cardine ſedes,
 Qui poſitas neutro vidit in axe plagas.
Qui tamen Arctoi ſenſerunt frigora venti,
 Quique ſub auſtrali diriguere gelu,
Ire nec è regno, patriíſve penatibus audent,
 Ne ſubeant gelidæ triſtia damna niuis.
Pellæus iuuenis dum neſcit feruida quantas
 Euibret è medio vertice zona faces,
Scire cupit terras medio ſub ſole iacentes;
 Et niſi arcano nobile fonte caput
Hic tamen expertus, rapidis ardentia flammis
 Littora, & æthereis ignibus vſta, fugit.
Icarus ignotas agitare per aëra pennas,
 Moliriſque nouum neſcius optat iter.
Ardet inexpertus ferri ſuper æthera: tales
 Forſitan expertus nollet iniſſe vias.
Et Phaëthon loris patrios torquere iugales
 Poſtulat, & patrios flectere neſcit equos.
Cùm tamen ad cœli medium conſcenderit axem,
 Senſerit & verſo fræna labare iugo.
Forſitan, & currus nunquam tetigiſſe paternos,
 Tale nec imperium ſuſtinuiſſe volet.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
Rerum, & verborum memorabilium.

A

A, Absolutionis nota. 185. 1.45
Aaronis, eloquentia & diſſerendi ſubtilitas apud Pharaonem. 196.2
Ablutiones ante ſacrificia in funeribus. 309.2.159
Abrahamus. 189.1.52
Abſynthium 83.2
Abuti operam. 311.2.174
Academia ſuperior,& inferior. 206.1.98
Achabis eff...nis licentia. 189.2.2.54
Achilles iracundus. 74.1
Acrochiriſtæ. 294.1
Actio dominatur in oratore. 162.2.136
Actio corporis eloquentia. ibid.
Adamus ſtaturà perfectiſſimus. 280.2.24
Eius animi & corporis pulchritudo ex Dei habitu. 182.1.1
Additum pro donatiuo. 290.1.70
Adoleſcentia ad perdiſcendum apta. 81.111
ad Aduentum Domini ſpe præparari debemus. 9.1
In Aduentu Saluatoris concipienda ſpes. ibid. 2.24
Aduentus Chriſti vitam puram exigit. 10.1
Mundo puritatem intulit. 16.2.41
Aduentu Chriſti mali mores vertuntur in bonos. 19.2
Aduentu Chriſti propagata Eccleſia. ibid.48
Aduerſa. 168.1
Aduerſitatis cum abſynthio comparatio. 83.2
Ægyptiorum ſacerdotum reſponſum de fontibus Nili. 114.1.217
Ægyptij dum Hebræos inſequuntur,alto obruuntur gurgite. 187.2.47
Ægyptia plaga per ciniphes. 201.1.83
Ægyptiorum imperium. 209.1.106
Æneas,vir per excellentiam. 164.2.145
Dux vigil. 314.1.180
Eius lacrymæ. 329.1.239
Ænigma. 265.2.63
Aër vtrùm nauigabilis ex parte, 117.2
Aëris regio. 214.1.122
Æs dodoneum de homine clamoſo. 279.2.17
Æſculapij fana. 183.2.33
Ætas ad diſciplinas perdiſcendas apta. 88.1
in Æternum,pro longo tempore. 86.2.102
Alarum ingenium. 311.2.214
Alaricus rex Romam obſidet. 94.1
Albanorum regum vetuſtas, ex quibus Syluiorum gens. 237.1
Albio primaria inſula Britanniæ, vnde Anglia. 161.1
Albuquerius 131.2
Albus,bonus. 304.2.137
Alexander Macedo Deus haberi voluit. 82.2.85
Alexandri M. fama, minor ipſo. 131.1
Mira in gloriam cupuditas. ibid.44
Aetas ad regni curam. 242.1.49
Exercitus victoriæ. ibid.
Fortuna ſecunda. ibid.
Alexander ab Apelle mirè delineatus. ibid. 2.50. & 213.2.119
Eius pietas in captiuos. ibid.
Liberalitas. ibid.
Virtutes. ibid.
Perfidia. ibid.51
Pericula. 143.1.52
Alexandri erga præceptorem reuerentia. 154. 1. 102
Alexander veritatis amator. 158.2.120
Vacat hiſtoriæ. 160.2
Eius ſtatua facta à Lyſippo. 161.2
Alexandri M. ſucceſſores ſorte diuiſerunt prouincias 277.216
Alexander ab Alexandro emendatus. 272.1.116.
Alexandrini oraculum. 73.2.42
Alexander Seuerus. 147.2.77
Allegoria. 265.2.63
Allium in vino potum contra morſum ſcorpionis. 90.1.118
Venenum in ſudorem reſoluit. ibid.
Alphonſus Hiſpaniæ rex litterarum auidiſſimus. 67.1.15
Alphonſus Luſitaniæ Princeps vel in ipſum patrem bellum dolosè machinatur. 186.1. 144
Per totum regnum captis armis decurſat. ibid.2
Pater in filium bellum ſuſcipit. ibid.
Filius patrem prope Olyſiponem bello aggreditur. ibid.45
Alphonſus Dionyſij filius. 192.1.64
Alphonſus primus Luſitaniæ rex 150. cœnobia condidit. 193.2.69
Alphonſus rex Luſitaniæ. 22.2.16
Alphonſus Albicaſtrus Epiſcopus & Comes Conimbricenſis. 211.2.142.& 230.2.170
Altare dicatum ſuperis. 196.1.100
Altecinctus,pro viro forti. 298.1.108
Amantes, amentes. 136.2.15
A. Ambroſius. 47.2.
Amicos diligere perfectius, quàm inimicos. 69. 2.28
Amici, quàm inimici dilectio magis meritoria. 70. 1.26
Amilcaris iracundia. 142.2.51
Amor intelligens. 2.1
Amor matris quàm efficax. 4.1
Vigilet amor, ac Incarnationis beneficium ſentiat. 13.1.32
Amoris ſtimulus, Incarnatio. ibid.
Amoris teneritudo in Scriptura exprimitur. 73. 2.42
Amoris vis. 311.1

Digitized by Google

Amor de ipſis etiam diis triumphat. ibid. 166
Amoris potentia etiam in defunctos. ibid. 167
Amphionis eloquentia. 274.2.95
Anathema, munus quod offertur ſuperis. 290. 1. 70
Angelis præferimur ob Ieſum. 18.1.44
Anguſticlauij. 287. 2.56
Animarum triplex ſolutio à limbo Patrum. 33. 2.31
Animæ ab inferno liberantur à B. Virgine. 34.1.32
Multi liberati ante mortem. ibid.
Poſt mortem multi. ibid. 33
Anima an poſſit moueri à ſeipſa. 97.1.144
An ſeparata poſſit moueri corpora à ſe diuiſa. ibid. 2. 145.
An corpora aſſumere & efformare. 98.1.148
Anima Nangati. ibid.
Anima plantalis. 104.1
Mortalis. 319.2.105
Animalia quæ veſcuntur cibis venenatis. 90.2.119
Quæ terrâ. 91. 1.122. & 94.127
Quæ aëre. ibid. 123
Quæ igne. ibid. 124
Quæ aquâ. 92. 1. 136
Quæ hyberno tempore ſine victu. 93. 1.129
Animalia fetire pernicioſæ naturæ ſignum. 146 1. 66
Animantia bruta. 103. 1
Animus diſcinctus. 298. 1.109
Anicus Rex in Delo 305.2.140
Anibalis temeritas. 142. 2.51
Annonæ charitas apud Sarmatas. 94. 1
Apud Gallos an. 1146. ibid.
Apud Germanos an. 849. ibid.
Apud Angelos ſub rege Gulielmo. ibid.
Apud Italos non ſemel. ibid.
Apud Hiſpanos. ibid.
Apud Luſitanos. ibid.
Vide *Fames*.
Annulus in digitis. 160.1
Annulus duplex. 319. 1.202
Antenor Italiam prior appulit, quàm Æneas, qua ratione. 330. 2
Anticyram nauigare, de inſano. adag. 283. 2
Antigonus hoſti cedit. 88. 1.76
Antiochus non gloriatur de victoria parta inſidiis. 156.1.110.
Antipodes, ſeu aduerſi incolæ. 318.2.199
Lactantij opinio de Antipodibus. 319.1.200
Refutatur. ibid.
Antiquitas hiſtoriæ laudabilis. 159. 1. 121
Antiquitatis cognitio ex duplici fonte. 161.2.132
Antitheſis. 266.2
Antœci, ſeu tranſuerſi incolæ. 318. 2. 199
D. Antoninus. 214. 1
Eius imperium. ibid 2.151
D. Antonij lingua, arca fœderis. 223. 1.148
Virga Aaron. ibid.
Gladius Dauid. ibid.
Sedes Dei. ibid.
Clauis cœli. ibid.
Areola aromatis. ibid.
Rationale iudicij. ibid.
Manet incorrupta. ibid.2. 149
Eius in quatuor elementa poteſtas. 225.1.153
De igne triumphat. ibid. 150
Triumphat de aëre. ibid.
De mari. ibid.2. 155
De terra. ibid. 156
D. Antonij miracula poëticè deſcripta 153
Antonomaſia. 265.1
ἄνους ὁ μακρός, amens qui longus, adag. 64 2
Apum rex vel aculeo non vtitur, vel caret omnino. 142. 1
Apis ingenioſa conſideratio. 217. 1.130
Apes ſapientiæ hieroglyphicum. ibid.2. 131
Apum diuinum opus. 218. 1. 132
Earum ingenium. 221.2
Apollo Euripidem prædicat, & in Archiam exardet. 235.2.187
Apollonius Ciceronis auditor, & laudator. 250.1.5
Apoſiopeſis. 267.2.71
Apoſtolorum interitus varij. 57.1.59
Apoſtrophe. 267.1.67
Apparentiæ veteres. 125.2.84
Aqua 91.1.122
An poſſit eſſe alimentum alicuius rei viuentis. 92.2.127
Aqua aurea apud Perſas 136.1
Aquarum laudes. 284. 2.42
Aqua in ritu funerum. 309.1.158
Aquilæ iuuenta. 85.2.97
Eius auguria feliciſſima. 241.2.204
Ingenium regale. 242. 1
Ara terreſtribus & inferis ſacra. 296. 1.100
Arbiter bibendi. 278.2.12
Arbores ſuo cuique Deo ſacræ. 301. 2. 125
Arbores ferales ad ſepulchra. 309. 2.160
Arca veteris Teſtamenti exemplar ſapientiæ 208.2.104
Tria ſeruabantur in illa. ibid.
Archidamus rex Athen. ſtaturâ exigua. 167.1.154
Argentum purum. 146. 1. 69
Argonautæ nauigandi peritiâ excelſi. 149.1.82 & 322.1.216.
Argumentantium doli, ac fraudes. 206.1.97
Argumentum quid, & quotuplex. 259.1.47
Argumentorum ſedes. ibid
Argumenta inſita:
1. A definitione, 259.2.48
2. A partium enumeratione,
3. A notatione,
4. A coniugatis,
5. A genere,
6. A forma,
7. A ſimilitudine,
8. A differentia,
9. A contrariis. ibid.
10. Ab adiunctis,
11. Ab antecedentibus,
12. A conſequentibus. ibid. 49
13. A repugnantibus,
14. A cauſis,
15. Ab effectis,
16. A comparatione maiorum, minorum & parium. 250.1
Argumenta remota;
Præiudicium,
Fama,
Tabula,
Tormenta,
Iuſiurandum,
Teſtes. ibid.
Argumenta à cauſa. 261.2.54
A cauſa capitali. ibid.
A reo. 262. 1
A iudice. ibid.
Argumentationes quatuor, 263.2
Aliæ tres. ibid.
Aricius rex. 305.2.142

Aries

Digitized by Google

Aries bubulo capite ſuperbus. 87.1.105
Arionis eloquentia. 274.2.95
Ariſtoteles amator carminum. 235.2
Eius vigiliæ. 245.1.212
Mors, vbi, & quare. 283.1.33
Arma Chriſti, paupertas, humilitas. 5.1.10
Arma ſcholaſtici interdicta. 198.1.78
Armillæ præmio acceptæ à Sicinio. 246.1.69
Armillæ vnde dictæ. ibid.
Ars ſuperat materiam. 162.1
Ars in poëtis. 168.1
De arte vide 258.2.45. & 259.1.46
Articulus. 269.1
Aſcanius. 155.1.107
Aſſueri ſplendidiſſimum conuiuium. 210.2.140
Aſſyriorum imperium, ætas aurea. 140.1.41. & 209.2.107
Quandiu durauerit, ibid.
Quot gentes ſubegerit. ibid.
Eius finis. ibid.
Aſſyriorum Imp. oppugnat Solymam, & expugnat. 203.2.90
Aſſyriorum Reges primas deferebant ſapientibus. 209.2.107
Aſtromorum gens ſolùm odore ſuſtentatur. 92.1.125
Aſtrorum lux, & motus. 113.1
Aſtrorum influxus. 123.1
Aſtrorum & auditorum comparatio. 233.1.180.
Aſtra errantia. 317.1.192
Aſtrolabium à Luſitanis inuentum. 154.2.104
Aſtrologia Chaldæis adſcripta. 139.1.52
Aſymbolum venire in conuiuium quid. 286.1
Aſyndeton. 266.1.66
Ater, malus. 304.2.237
Athaliæ inſigne facinus. 191.2.62
Athenæ. 210.1
Athenienſes nullo donabant præmio Philoſophiæ candidatos. 144.2.209
Attica fides, pro certa & infragili. 285.2.48
Attollere ſupercilium, id eſt, faſtum pre ſe ferre. 280.1.12
Auarus, inſanus. 283.2.36
Auctoribus adhibenda fides. 139.2.39.
Auditorum ſcrutandus genius. 161.2
Augurio non danda fides. 141.1.45
Auguria læua. 312.1.171
Augurium vnde. 326.1.231
D. Auguſtinus an humiliorem ſe præbuerit in libris confeſſionum, quàm in libris retractationum. 42.1
Libri confeſſionum & retractationum ab ipſo compoſiti. ibid.1
Vterque liber in ſe confertur. ibid.2.2
Auguſtus in ciues ſuos beneuolus. 155.2.108
Literas, natare, & alia docuit. 298.2.111
Auicula, vulgo *manu codiala*, ſolùm aëre viuit, & ſolùm mortua in terram decidit. 91.2
Aues in aqua viuentes apud Sinas. 92.1.126
Aurelianus Imp. de Zenobia triumphat. 281.2
Aurium iudicium ſuperbiſſimum. 268.2.76
Auris memoriæ ſacra. 293.1.85
Aurum, & argentum parui faciebant veteres. 166.1
Auſpicia læua. 312.1.171
αὐτοχειρία. 75.1
Opus à virtute alienum. ibid.51
Improbatur maxime. 76.1.54 & ſeqq.
Seipſum intercimere animoſitatis ſignum. 75.1.52

B

BAbylon à quo ædificata. 150.2.90
Babylonis euerſio. 189.2
Bacchus pompæ triumphalis auctor. 281.1.25
Bacchus digenis vnde. 282.2.32
Baculum aureum geſtare adag. 300.1.119
Barachus Dux ſtrenuus. 217.1.129
Barbam radi Alexander iubet militibus. 130.2
Barba oblata in ſacrificium. 130.2
Nero inter Buthyſiæ apparatum barbam primùm poſuit. ibid.
Barba aquæ & ſali dicari ſolita. ibid.
Barbati, ſiue comati bello apti. ibid.2
Barbaruſſa maris vorago, & Charybdis. 177.2
Barnabas. 65.2.9
Bataui nauigationibus ſuis celebres. 115.1
Beatorum conſideratio. 216.1
Bellerophontis literæ. 294.1.89
in Bello cunctabundi. 170.1
Rapidi. ibid.
Bellum damnatur. 171.1.169
Dulce bellum inexpertis, poëticè. 360
Beneficentia laudata. 303.1.131
Beneficia Dei erga homines. 219.2.136
Beroſi ſcripta. 150.1.88
Beſtiæ quæ oblectantur odore. 103.1.169. & ſeqq.
Quæ necantur. ibid.2.170
Quæ concentu Muſices reficiuntur. ibid. 171.171
Bibacitatis exempla. 142.2.51
Bibendi rex in ludo talorum. 278.2.12
Arbiter. ibid.
Bibulus in bello remiſſus. 301.2
Bombardæ vſus à Germano quodam repertus. 145.2.68
D. Bonauentura. 52.1
Bonica inſula. 85.2.98
Bonorum triplex genus. 260.2
Bona corporis. ibid.
Animi. ibid.
Bonum duplex. 319.2.204
Bos ſub ingenti fœni cumulo. 93.1.129
Braſilia commendatur. 107.2.189
Brigantini ducis famulus cocles. 78.1
Buccas inflare, de irato. 280.1.22

C

C Condemnationis nota. 285.2.45
κακουργία, ſiue γοητεία, Magiæ genus. 95.2
Cadauera aqua calida abluebantur. 308.2.154
Vngebantur. ibid.
Septem diebus domi ſeruabantur. ibid.155
Cremabantur. Ibid.156
Vbicunque abiiſſent, in domum referri, ibique ſepeliri ſolebant. 309.1.158
Cæſaris lachrymæ ad ſtatuam Alexandri. 142.1.49
Cæſar Alexandro præferendus. 143.1.53. & 144.1.60
Eius ſobrietas in honores. ibid.
Clementia in hoſtes. ibid.
Audacia. ibid.
Eloquentia. ibid.54.
Gloria militaris. ibid.
Res geſtæ. ibid.2.
Celeritas in bella gerenda. ibid.
Fortuna ſecundiſſima. ibid.
Tranquillitas animi in anguſtia. ibid.
Ipſius nomen terrificum. ibid.

Fortuna memoranda. ibid.55
Audacia inter exanimes. ibid.
Proſpera felicitas. ibid.
Equus bucephalo ſimilis. 134.1
Cæſar pater patriæ. 154.1.102
Pepercit Alexandriæ. 203.1.89
Aſtronomiæ deditus. 210.1.107
Cæſar reliquis hiſtoricis anteponitur, 144.161. & 252.2.24
Ciceronis egregium teſtimonium de Cæſaris commentariis. 244.1.61
Cæſar diſcinctus,& malè præcinctus. 198.2
Cæſaries Auguſti,& Conſtantini M.magno honore culta. 99.2.153
Calceus malleolus Senatorum inſigne. 2.306.146
Caligula. 169.2.163
Natare neſcit. 298.2.112
Calor,partus lætitiæ. 76.2.57
Cambaraz rex venenoſus 90.1.118
Cambyſes Medorum & Perſarum rex.94.1.114.1. 216.
Eius immanitas 277.1
Campus Martius cur electus à Romanis. 298.1.111
Campus ſceleratus. 325.2.229
Candidus,pro Deo. 304.1.135
Pro bono. ibid.2.136
Canis in ludo talorum. 278.2
Capilli fortitudinis indices. 131.1. & ſeqq.
in Capillis nutriendis nimis diligentes damnantur, ibid.2.
Mediocritas in capillis nutriēdis laudabilis,ibid.
Vide *Coma, Crinis.*
Caput Baptiſtæ donum ſaltatricis fœminæ. 175.1.3
Caput conſpergere , de iis,quos ingens aliquid mœror elidebat. 180.1.19
Caput motare,iracundiæ ſignum. ibid.
Carmina ſecundùm materiam elaboranda. 139.2.36
Caro Chriſti nobis ſpeculo. 14.2
Carolus VI.Galliæ rex venationi deditus.132.2.9
Ceruum alarum pro inſigni habuit. ibid.
Carolus V.Imp. 177.1.9
Belli fulmen. ibid.
Eius pietas in deuictos. ibid.2
In Sforciam. ibid.
Sphæra. 215.2
Carthago Romæ æmula. 315.1.183
Carthaginenſium in Romanos odium. ibid.
Catenarum colonus,apud Plautum. 288.2.59
Caſtellani pro rege pugnant vt ſerui, Luſitani vt filij. 176.2
Caſtor & Pollux erga Pindarum beneuoli. 235.2.187
Catachreſis. 265.1
Catadupa,loci nomen. 318.1.196
Cato. 100.1
Suis manibus periit. 75.2
Eius in hoſtes pietas. 152.2
Catonis locus. 317.1.175
Catulli de ſe iudicium. 163.1.137
Catullus duriuſculus poëta. ibid.138
Liber in metra. ibid.
Cauſarum quinque genera. 262.2.56
Cedrus Dei,pro ingenti. 65.1.7
Cedri vis 166.2.153
Cedrus mortuorum vita,cur. ibid.
Centri triplex acceptio. 116.2.226
Centrum grauitatis, ſitne vnum cum centro vniuerſi. ibid.227
Centuriarum auctor. 307.2.151
Numerus. ibid.
Certamina militaria, & philoſophica dupliciter differunt. 207.1.101
Ceruus. 103.2.171
Cetūm immane. 81.2.81
Chaldæis aſtrologia adſcripta. 188.1.52
Chamæleontes. 95.1
Chariæ opiſthographæ. 289.165
Cherubini,ſapientum ſimulachra. 195.1
Cherſoneſus,dicta *Malacha* à Luſitanis. 204.2
Chius de cane in ludo talorum. 278.2
Chius ad Choum,adag. ibid.
Cholerica ad ſcientias apta. 89.1.114
Chous de ſenione in ludo talorum. 278.2
D.Chriſtophorus. 72.1.72
Chriſtus votorum filius. 2.1
Omnium votis expetitus. ibid.2
Pratum,& viridarium. ibid.
Omnibus deſiderabilis. ibid.3
Chriſti humilitas regum proſapiam nobilitat. 3.2
Chriſti de ſalute noſtra curæ. 41.6
Chriſtus in præſepe quaſi ſcuto poſitus. ibid.2
Chriſti arma,paupertas & humilitas. 5.1.10
Chriſtus ex Virgine naſcitur. 6.1.13
Omnes labores,& miſerias ſuſcipit,vt nos ab iis liberet. ibid.2.15
Dato & accepto Chriſto nihil ſupereſt expetendum. 7.1.16
Chriſtus cur menſe Decembri natus. ibid.2.18
Chriſto nato omnia creſcunt. 8.1.19
Chriſtus flos vernans. 9.1.22
In flore Chriſto omnium florum gratia,& odor ineſt. ibid.2
Chriſti aduentus vitam puram exigit. 10.1
Chriſtus totus deſiderium & noſtrum, & ſui, & noſtri. ibid.2
Velociſſimè ad nos venit. ibid.26
Salutem noſtram optat ardenter. 11.1
Deſcendit vt aſcendamus. ibid.27
Abiectiſſimis hominibus familiariter vtitur, 14.1.34
Chriſti caro noſtrum ſpeculum. 14.2
Eius paupertas noſtræ diuitiæ. ibid.2.35
Chriſtus gemma. ibid.
Lingua noſtra. 15.1.36
Chriſti lingua clauis cœli. ibid.
Chriſti diuinitas pſalterium, humanitas,cithara. ibid.2
Chriſtus Orpheum canendo ſuperat. 16.1
Cantor ſuauiſſimus. ibid.39
Chriſti aduentus, mundo puritatem intulit. ibid. 2.41
Chriſtus ortu ſuo miſericordiam prætulit. 17.1
Chriſtus infans auertit ſupplicia, ibid.42
ex Chriſto infante gloria. ibid.2
Chriſtus infans Deum nobis reddit propitium, ibid.43
Amorem Dei erga nos promeruit. 18.1
Chriſti aduentu Eccleſiæ propagatio. 19.1.48
Chriſto nato libertas naſcitur, iugum excutitur. 20.1
Chriſtus paruulus factus,vt nos adoleſcamus. ibid,
Chriſto iacente in præſepio nos erigimur. ib.49
Chriſtus ſalus noſtra. 21.1.52
Chriſti celeritas ad ferendam ſalutem. ibid.53
Chriſtus ſol meridianus. ibid.54
Chriſtus in præſepio,regis perſonam agit. ibid. 2.56.& 22.2
Omnia trahit ad ſe. ibid.

Chriſtus

Chriſtus electro ſimilis in præſepio. 23.1.60
Chriſti humilitas. 43. 1. 3
Chriſtus redemptor omnium qua ratione. 48.1.22
Recèns natus fugit in Ægyptum. 80,2.77.
Chriſti effigies. 228. 2
Eius militum gloria. 277.1.3
Chriſtus rerum finis. 285.1.46
Chriſti paſſionis deſcriptio poëtica. 331
Vide *Meſſias, Ieſus.*
Cicada rore paſcitur. 92.1.126
Cicero poëticá floruit. 136.1.37.168.2.160
Græcis literis ſtuduit. 139.2.38
Eius poëtica. ibid. 39
Ad omnes artes ſubtile ingenium. 140.1
Quinquaginta carmina ſingulis noctib. pangebat. ibid.
Adhuc adoleſcens. 157.2.116
In orationum initio timidus. 158. 1.117
Viginti & vnum annos natus C. Carbonem accuſauit. ibid.
Nonnunquam precando exorditur. 159. 2.123
Ciceronis encomia. 250.1.257.1
Cicero explanatus. 276. 2. 277. 1.4.301.323. 1. 221.
In bello alacer. 301.2.
Ciconiæ in parentem pietas. 281.1.23
Ciconiis alicuius tergum pinſere, pro irridere, adag. 290.1.69.
Ciconia pro Deo aliquo colebatur ab Ægyptiis. 303. 2. 132
Circulus lacteus. 315. 1.184.
Cithara de Chriſto D. 15.2
Citharœdi elegans deſcriptio. 216.2.127
Ciuem præſtat ſeruare, quàm lædere hoſtem. 155. 2
Scipionis erga ciues charitas ibid. 108
Auguſtus in ciues beneuolus. ibid.
Clamoſior lauto ardente, in hominem clamoſum.. 279.2. 17
Claſſis vela facientis pulchra deſcriptio. 204. 2
Claudius. 164.2. 163
Clauus, pro dignitate ſenatoria. 287.2.96
Claui lati, & anguſti. ibid. 2. 56.
Clementia maximè decet Principes. 152. 1.96
Regnum parat homini. 153.2. 100
Cleopatra. 82.2.85.& 168.1.157
Cleſpydra. 291. 2.79
Clientum labor. 295. 1.95
Studium & celeritas. ibid.
Clypeus Saulis. 201.2.84
Fortitudinis index. ibid.
Cœli motus vnde. 108.1.& ſeqq.
Cœlorum ſoliditas. 123.2.74
Tenuitas. ibid.76
Ternarius numerus. ibid.
Cœlorum numerus ſupputatur. 127.2.init.
Cœlum duobus incluſum vectibus. 317.1.191
Cœna duplex apud veteres. 285 1.49
Cœna pollucibilis. 291. 2.76
Recta. ibid. 77.299.2
Pótificalis, pro ſumptuoſa. 299 1.114.&313.1.75
Adipalis, adipoſa, & adiicialis. 299. 1.114
Dubia, pro lauta & copioſa. ibid.
Cerealis. ibid. 115.
Deûm, pro apparatiſſimo conuiuio. ibid. 2
Diei, pro ſepulchro. 302. 2.128
Cœnobium S. Crucis Conimbricæ. 193.2.67
κοινὰ φίλων πάντα, amicorum omnia ſunt communia. 263.2.140
Collegium Conimbricenſe à Ioanne III. Luſitaniæ rege ædificatum. 223.2.149
Collegium Romanum. 229. 2.167
Eborenſe Spiritui S. dicatum. 244.1
Colorum præſtantia. 98.2.149
Romanorũ factiones coloribus diuiſæ. 98.2.150
Color cæruleus. 99. 1
Viridis. ibid.152
Aureus. ibid.2.153
Rubeus. ibid. 154
Pudoris & verecundiæ index. 100.1
Niger. ibid. 155
Apud Ægyptios Apollini ſacer erat. ibid.
Albus. ibid.2.156
Colum auſpicium regale. 328.1.237
Columba viri ſapientis typus. ibid.
Columba timida. ibid.
Impietatis ſymbolum. ibid.
Columbus rei naualis peritiſſimus. 154.2.104
Coma Deorum. 99.2. 153
Comam radere mollitudinis ſignum. 131.1.5
Iulius Cæſar & Otho Impp. abraſi. ibid.
Vide *Capilli, Crines.*
Cometæ aſpectus. 118. 2.1
Cometa qui Sebaſtiani Regis tempore apparuit. 123.1.73
Cometæ, qui communiter apparent, quales ſint. 127. 2
Comitiarum tributarum cauſæ quæ. 207.2.152
Communio Deifica. 220.1.138.
Comœdia admittit prologos, non verò tragœdia. 56.1.151
Comœdia & Tragœdia differunt. ibid.& ſeq.
Compar. 266. 2
Complexio. 266.1.65
Quæ aptior ad ſcientiam. 89. 1
Conceptio B. Virginis. 31. 2
Conchenchina regio. 114.2. 218
Concilia curiata. 307.1.148
Centuriata. ibid.
Conduplicatio. 266.1.65
Confirmatio. 267.1.58
Congiarium, Imperatorium munus. 290. 1.70
Conimbricenſe collegium per Virginem peſte liberatum. 29.2
Conimbricenſes. 198. 2
Conſtantinopolis per Virginem peſte liberata. 29.1. 16
Conſultandi verbum. 280.2.21
Contrahere frontem, id eſt, triſtitiam præ ſe ferre. ibid.
Conturbare, pro decoquere. 289. 2. 66
Conturbator, pro decoctore. ibid. 67
Conuerſio. 266. 1.65.
Conuiuarum coronæ defenduntur. 133.2
Eorum vitia. 157. 2
Conuiuæ ſapientiæ. 211.1.113
Conuiuarum numerus apud veteres. 299. 1.15
Conuiuæ ad minimum tres, ad ſummum nouem. ibid.
Conuiuæ ſolùm ſeptem, & cur. 315.1.186.
Conuiuere, pro prandere. 157.2.115
Conuiuia ſilentio celebranda. ibid. 1.114
Conuiuium aptius, quàm ſympoſium. bid.2.115
Conuiuium Euchariſtiæ. 220. 1.138
Conuiuium ſplendidiſſimum Aſſueri. ibid.
Hebræorum. ibid.
Conuiuij cæleſtis perpetuitas. 221.1.
Eius typus, æternus ille ignis, quo diuinum quondam ardebat altare. ibid.
Cõuiuia ſapientię & voluptatis differũt. 245.2.213
Conuiuium voluptatis, rationis conuicium. ibid. 214.

Conuiuij vmbræ. 279.2.16
Conuiuia ſplendida in ſacris. 299.1.113
Copernicana hypotheſis. 126.1.
Cor in medio pectoris ſitum. 96.2.141
Vergere ſiniſtram. ibid.
Verius ad neutram vergere, ex opinione Autoris. 97.1.143
Cor vitæ theſaurus. 111.1
Cor facit hiſtrioniam, id eſt, feſtiuo quodam motu exilit. 290.2.71
Corona decorem affert, & ornamentum. 135.2.12
Medetur capitis dolori. ibid.
In conuiuiis maximus honor. ibid.13
Coronæ militares. 146.2.71
Triumphalis ex auro. ibid.
Obſidionalis ex gramine. ibid.
Ciuia è quercu, vel ilice. ibid.
Muralis ex auro. ibid.72
Caſtrenſis ex auro, quæ & vallaris. ibid.
Naualis ex auro, quæ & roſtralis. ibid.
Oleagina. ibid.73
Oualis. ibid.
Chriſtus D. ciuicam meruit. ibid.
Corona oualis, Veneris fronde texta, & myrtea. 147.1.74 ibid.
Corpus humanum veſtis pretioſa Chriſti, & feſtiua. ib. 1.13
Corporis humani dignitas ibid.14
Moderatio. 272.2
Miſeriæ. 316.1.188
Corruptio. 222.1.144
Peccati pœna. ibid.
Cothurnus, calceamenti genus. 383.1.34
Cothurnus verſatilis, de homine inconſtanti. ibid.
Creaturæ inſtar poëmatum. 15.1.36
Cretenſis neſcit pelagus, adag. de eo, qui ea, quæ probè nouit, ſe ignorare diſſimulat. 149.1.82
Cribrum carnificinum, apud Plautum. 288.2.59
Crines flaui ingenium liberale arguunt. 97.2.153
Crœſo ditior, adag. 140.2.42
Culeo dignus apud Iuuenalem quis. 282.1.28
Cunæ infantis Bethleemici. 346
Cupreſſus funeribus adhibita à veteribus. 166.2.153. & 300.1.157.
Curculio in ludo talorum 278.2.12
Curia & curiata comitia quæ. 307.1.148
Curiarum numerus. ibid. 149
Curiales epulæ. 291.1.75
Currus triumphalis. 300.2.120
Cyneas & Neſtor clariſſimi oratores 236.2.
Cyneæ memoria. 269.1.77
Eloquentia. 275.1.96
Cynici Philoſophi elegans exemplum. 141.1.202
Cyrus Perſarum Rex. 94.1
Eius erga Iudæos pietas. 189.2
Memoria. 269.1.77
Cyrus erga conuiuas. 292.1.80

D

D*Ædali* fabula. 310.2.209
Dædalus, redditus cur. ibid.
Eius ingenium. 321.1.212
Damnatorum ad crucem mos. 147.2.76
Damnum lucro turpi præferendum. 156.2.111
Danielis apud Babylonios auctoritas, 247.2.222
Dapes ſaliares, pro Pontificalibus. 299.1.114
Darius forte Perſarum regnum adeptus eſt. 277.2.6
Dauidis in hoſtes miſericordia. 69.2.27
Clementia. 152.2.98
Dauid à Saule & Abſolone fugiens. 280.2.77
Debora Hebræorum moderatrix. 214.2
Eius ſapientia. 216.1.128
Virtus. ibid.
Debora cereos conficit, qui religioſiſſima fana illuſtrent. 217.2.131
December, corona anni. 8.1
Declamator. 270.1.81
In declamatore natura quæ. ibid. 2. & 271.1.81
Declamator fit minimè præcox. 271.1.83
Sit curioſus. ibid.2
Decumanus, pro maximo. 282.1.30
Defuncti conclamati ſoliti per interualla. 301.2.154
Conclamationis verba. ibid.
Deiotarus Rex Galatiæ. 326.1.230
Erga Romanos fidus, & munificus. 327.1.234
Deliberatiuum dicendi genus. 261.1.52
Delius natator. 279.2.17
Delphin. 103.2.171
Democrates linguâ procax. 151.2
Democritus Philoſophus mellis, ſeu panis calidi odore adiutus, per aliquot dies inediam tolerauit. 92.1.125
Demonſtratiuum dicendi genus. 260.1.50
Demoſthenes in fugam datus. 80.1.76
In dicendi initio timidus. 158
Eius vis in dicendo. 275.1.96
Dentatus Dux Romanus. 148.1
Eius gloria. 147.1
Depontani ſenes. 286.2.52
Dercyllidas Imp. 130.1
Deſideria B. Virginis erga filium. 3.2.5
Deſperatio. 101.1.157
Deus nobis per Ieſum propitiatus. 12.1
Magnus Deus in puſillo corpore. 100.1
Deus contraria contrariis repellit. 189.1.52
Deus, mortali iuuare mortalem. 303.2.133
Deorum veſtes. 195.2
Dextera fidei ſacra. 293.2
in Dextra fides & amicitia. 303.1.139
Dextræ coniungere dextram quid. 305.1.138
in Dextra religio. ibid.
Dextris ſe ſalutabant veteres. ibid.
Dexter locus felicior. 306.2
Dextra beneuolentiæ & amoris ſignū 226.1.232
Salutionis index. ibid.2.233
Venerationis ſymbolum. 327.1
Argumentum fidei. ibid.234
Diagoras cum filiis. 138.2.195
Dialectica gladius anceps. 196.1.74. & 197.2.77
Dialecticæ cum ludo gladiatorio comparatio, 196.2
Dialecticæ gladius Chriſtianos tuetur. 197.2
Dialectica ad omnes ſcientias comparandas apta. ibid.77
Dialecticæ encomia. 199.1.79
Neceſſitas. ibid.2
Monſtra. 205.2.96
Dialecticus. 211.2
Dialectici & Rhetores differunt. 267.2
Dibaphum, purpura bis tincta 292.2.83
Dicendi genera. 251.2. & 252.1.13. & 258.45

Digitized by Google

Dicendi verbum. 258.2.45
Tria ſumenda ad dicendum. 261.2.54
Dicendi triplex artifex. 261.1.81
Temerè dicentes improbantur. 262.82
Dido quæritur de Ænea. 165.2
Dies Domini, pro eius natali. 2.2
Dies aduentus Domini,dies ſpei. 7.2
Dies clara,de lege noua. 19.1.47
Dies artificialis primus. 104.1.47
In noſtro illuxit hemiſphærio. 105.2.180
Diem ab occaſu ſupputabant Hebræi. 105.1
Dies naturalis vnde ducenda. 111.2.207
Dies naturalis quatuor principia. 112.1
Heliogabalus diem præuertebat in noctem. ibid.208.
Chriſtus D.diei naturalis conſecrauit initium. ibid.2.211.
Diem comburere apud Plautum, quid. 286. 11 50
Dies atri apud Macrobium,qui. ibid. 51
Dies natalis. 289.1.64
Diem natalem lugeb ant Thraces. ibid.
Feſtis celebrant Romani. ibid.
in Die natali munera mittebant amici. ibid.2.65
Sæpe naſci in anno cogebat auaritia. ibid.
Dies natalis ſine ſanguine. ibid.
Vrbis dies natalis,qualis. ibid.
Dies Curiæ apud Ciceronem. 291.1.75
Diem comburere,quid. 302.1.127
Dies compoſitus. ibid.2.128
Dies moritur,quid. ibid.
Dies atri apud Romanos. 315.1.228
Dies poſtriduani. ibid.
Dies ſeptem hebdomadæ vnde orti. 317.1.92
Digitorum ſupputatio apud antiquos. 288.1
Dij albi. 304.1.135
Diogenes. 100.1
Dionyſij regis licentia. 191.2
Diſcinctus, pro molli homine. 298.1.108
Diſcincta veſtis. ibid.109
Diſcinctus animus. ibid.
Diſcinctus proprìè, quid. 298.2
Diſpoſitio. 259.1.46
Diſpoſitio ſecunda oratoris cura. 262.1.55
Ditior Crœſo,adag. 140.2.42
Diuinitas Chriſti,pſalterium, humanitas,cithara. 15.2
Doctores canonum. 99.2
Facultatis Medicæ. ibid.153
Iuris Cæſarei 100.1
Eccleſiæ. 196.1.73
Tres actiones Theologicæ ad doctoratum neceſſariæ,& omnium difficillimæ. 243
Domitianus Imp. 169 2.163.& 175.1.3
Ad eruditionem minimè idoneus. 145.1.65
Eius crudelitas. ibid.
Superbia. ibid. 66
Exercitatio. ibid.
In propinquos ſæuior. ibid.2
Inopiâ rapax factus. 284.1
Liberalis. 280.2.66
Eius conuiuandi conſuetudo. 291.2.77
Donatica. 146.1.69
Donaticum militum. 290.1.70
Dormientes vigilantium molientes opera. 84.2 92.& 314.2
Dormientium exempla. 93
Septem dormientium hiſtoria. ibid.2.130
Druſus vnde Germanicus. 160.2.128
Duces cognomento illuſtres. ibid.
Duellum inter Hieronymum & Luciferianum. 207.2.
Durus cute,pro ſtolido. 311.2.168

E

Bora peſte liberatur per Virginem. 29.2
Eccleſiæ propagatio ex aduentu Chriſti. 19.2.48
Eccleſiæ cum terreſtri paradiſo comparatio.194. 2.70
Cum florido lecto Salomonis. 196.1.73
Ecarum vetuſtas. 239.1.196
Ecarum gens pro ſtemmate genitilitio regale ſtemma ſibi vendicat. ibid.
Comites, duces,præſules, præſides,dynaſtæque, qui ad Ecas ſuâ referunt originem. ibid.
Effari templa quid apud Horat. 297.2.106
Egeſtas. 238.2.238
Elephas. 103.2.171
Eleus Hippias. 259.2
Eliſabetha regina Caſtellæ. 176.2
Eliſabetha reginaLuſitaniæ. 181.2
Eius in ægrotos obſequium. 182.2.30
Miracula ibid.31
Olyſipone ciuem reddit incolumem. ibid.
Portu puellam. ibid.
Leæriæ puellam. ibid.
Scalabe mendiculum. ibid.
Stremorij duos Equites. 183.1
Singulare pietatis exemplum in homulum miſerrimum Conimbricæ patrauit. ibid.32.
Quàm fuerit regno ſuo officioſa. 184.1.36
Eius cura erga templum Compoſtellæ. ibid.2
Omne genus miſeriæ releuat. 182.2.38
Domicilia Leyriæ & Scalabi erigit pietatis ergo. 185.1.39
Eius liberalitas in communibus beneficiis. ibid.40
Conimbricenſis Academiæ prima fundatrix extitit. ibid.
Eius liberalitatis quo tempore graſſabatur fames. ibid.41
Inter patrem Dionyſium & Alphonſum filium pacem firmat. 186.2
Filium Alphonſum increpat. 187.1
Dionyſium cum germano ſuo Alphonſo componit. ibid.
Dionyſium cum Ferdinando Caſtellæ Rege conciliat. 187.1.46
Ferdinandum Caſtellæ Regem, & Iacobum, Aragoniæ ab armis remouet. ibid.
Ereptâ reginâ quæ Luſitaniæ fuerint calamitates. 188.1
Intereunte Regina interiit Luſitania. ibid
Cum regum Magorum aſtro confertur. ibid.2 51.
Ethnicis præiuit ad fidem. 189.1
Academiam Conimbr. inſtituit. 190.1.55
Militarem Chriſti ordinem cum Dionyſio inſtituit. ibid.2.58
Ludouico Imperatore coætanea. 191.1.59
Eius erga Pont.Max. obedientia. ibid.60
Chriſtianis præiuit ad legis obſeruantiam. ibid. 61.
Eius induſtria ad extirpanda vitia. ibid.2
Charitas erga adulterinam Dionyſij ſobolem. ibid.62
Filium cum patre conciliat. 192.1.64
Medetur Luſitaniæ. ibid.
Scelerum ſentinam publica vi euertit. ibid.2

Suis manibus Parthenoni D. Claræ cæmenta iecit. ibid.
Duplex conſtituit hoſpitium paruulorum. ibid.
Regalem cultum exuit. ibid.65
Eius parſimonia. ibid.
Peregrinatio. 193.1
Oſtiatim mendicat. ibid.
Eius admiranda paupertas. ibid.
Munificentia erga religioſos ordines. ibid.66
Liberalitas. 194.1.68
Elias fugiens à rege Achab. 80.2.77
Elocutio oratoris propria. 162.2
Elocutio quid. 259.1.46.& 263.2.59
Eloquentiæ ſplendor. 236.1.189
Vis. ibid.190.& 274.2.94
Antiquitas. 249.2
Nobilitas. ibid.3
Vtilitas. 250.1
Eloquentia quomodo comparanda. 259.1.46
Eloquentia, enſis. 274.1.93
Eloquentiæ nomina apud Latinos & Græcos. 274.2.94
Elyma vallis. 184.1.35
Emmanuel rex Luſitaniæ. 212.2.116
Empedocles in ardentem caminum montis Ætnæ ſe demittit. 75.2
Emphaſis. 267.2.73
Epaminondas Thebanus vigilantiſſimus. 314.1.180
Epicedium. 310.2.165
Epicedium Eurialis. ibid.
Pallantis. ibid.
Lauſi. ibid.
Epicyclus quid. 126.2.init.
Epigrammatis leges. 164.1.141
Epigramma, pictura breuis. ibid.142
Epigramma ex quouis metri genere. 168.2.152
Epigrammatum genera præcipua. 168.2.161
Epimenidis ſomnus. 93.1.129
Epiphonema. 268.1
Epiſtolæ leges ſeruandæ. 254.2.22
Epitaphium. 310.2.164
Epulæ curiales. 291.1.75
Equitum Chriſti fructus. 290.2.58
Equus ſtupendæ pernicitatis. 81.1.80
Equus Cæſaris bucephalo ſimilis. 144.1
Erena virginis martyrium poëticè deſcriptum. 356
Errandum cùm multis, adag. 66.2.14
Eruditiones ſacræ ac profanæ. 273.2.89
Ethicus. 211.2
Ethopœia. 267.2.71
Euander populo coronatus Herculi ſacrificat. 302.1.126
Eius erga Anchiſen reuerentia. 305.1.138
Euchariſtia. 311.2.& 106.1
Gemma carbunculi à Salomone dicta. 219.2.136
Diuinæ largitatis monumentum. ibid.
Dei liberalitas in Euchariſtia. 220.1.138
Euchariſtia portio vitæ æternæ parcè dicta. ibid.
Vulgare Euchariſtiæ conuiuium. ibid.
& cur. ibid.2
Euchariſtiæ conuiuium vbique apponitur. ibid.
D. Franciſcus vbi collocauerit Euchariſtiam. ibid.140
Hoc conuiuium ſemper durat. ibid.
Euchariſtia poſſidetur ab omnibus. 221.1
Euchariſtiæ miracula poëticè. 347
Euphorbium herbæ genus contra venenum. 90.1.118
Euripus, pro homine inconſtanti. 283.1.33
Exclamatio. 267.2.72
Exercitatio. 259.1.46
Exercitus Dei, pro robuſtiſſimo. 65.1.7
Exercitus Hebræorum. 182.1.27
Exordij deſcriptio. 262.2.56
Vitia communia. ibid.
Virtus. ibid.
Exordium arrogans vituperatum. ibid.
Expectatio, pro ſubſtantia. 9.1
Explicare frontem. 280.2.21
Exporrigere frontem. ibid.

F.

Fabius Max. 80.1.76
Fabius cunctator. 170.1.165
Fabiorum amor erga patriam. 324.2.226
Eorum cædes. 325.1
Facies quæ deceat oratorem. 171.2.171
Facultatum picturæ. 195.1
Famis diræ exempla. 93.2.131
Fames Hieroſolymitana. 94.1
Fames in Piceno, & Æmilia. ibid.
Famis deſcriptio. ibid.2
Fames Conimbricæ. 185.2.41.& ſeq.
Fames & egeſtas. 328.2.238
Vide *Annona*.
Fana ſiſtere apud Horatium quid. 297.2.107
Faſces laureatæ. 299.2.116
Faſcinatio per oculos. 77.2
Faſcinationum modi varij. ibid.59
Faſcinatio vnde. ibid.60
Faſcinatio per laudem. ibid.
Ex imaginatione. 78.1
Ex inuidia. ibid.
Faſcino, id eſt, inuideo. 78.1
Faſcinum naturaliter contingere. ibid.2.70
Faſcini antidotus. ibid.
Faſcinus Deus apud veteres. 147.2.76
Felicitas humana. 82.2.85
Ferdinandi regis Hiſpani exercitus. 202.2.87
Ferire frontem. 280.2.21
Figura quid. 266.1.65
Figuræ verborum. ibid.
Sententiarum. ibid.2.68
Figuræ per detractionem. ibid.1.66
Per ſimilitudinem. ibid.67
Filios alumnos nutricibus ſimiliores euadere, quàm parentibus. 73.2.42
Filij Prophetarum ad necem requiſiti, abdiderunt ſe in ſpeluncas. 80.2.77
Filij nouiſſimi deteriores. 136.1.23
Filij natu maximi optimi. ibid.
Filij matrimonij flores. ibid.2.24
Filij parentibus plerumque ſimiles. 176.2.8
Filiorum reuerentia erga patres in funere. 308.2.154
Flere ad tumulum nouercæ, adag. pro ſimulatè. 293.1.84
Fluctus decumanus, pro maximo. 282.1.30
Fœmina in Connondia annos 18. nihil prorſus guſtauit. 93.1.129
Fœminæ ad iurandum faciles. 284.2.42
Fœtus in vtero matris non habet peculiarem Angelum cuſtodem. 38.2
Forma hominis. 167.1
Foro cedere, pro decoquere. 289.2.69
Franci, ſeu Francones. 161.1

Fritillus,

Digitized by Google

Fritillus, pro vaſculo aleatorio apud Iuuenalem. 278.1.10
Frons caperat, quid. 280.2.21
Frontem exporrigere,
Explicare,
Contrahere,
Conſulcare,
Ferire,
Perfricare. ibid.
Fuga. 79.2
Fugam imperari à fortitudine. ibid. 74
Fuga à Domino ſuadetur. 80.2.77
Fuga ex timore. 81.1.79
Fulmen dextrum & ſiniſtrum. 306.1.145
Funerum ritus. 308.1.153

G.

G*Allia* vnde Francia dicta. 16.1.1
Gallina abſque cibo & potu poſt 80. dies viua reperta. 93.2
Gallinæ filius albæ, apud Iuuenalem, de viro fortunatiſſimo. 279.1.14
Gelimarus Vandalorum rex. 81.2.85
Gentiles, pro nobilibus. 179.1
Genua, miſericordiæ ſacra. 293.2
Germinius, Cæſaris Caligulæ pater. 95.1
Gigantum. etymon. 64.2.& 65.2
Godefredus Brabantiæ Dux tertius. 4.2.8
Gracchi oratoris lituus. 240.1.2
Gradatio. 266.1.65
Græcorum mos in funeribus. 92.2.128
Græcorum imperium, ætas ærea. 141.2.43.& 209.2.109
Ætas ærea vocaliſſima, Alexandri famam immortalem diuinabat. 141.2.43
Quandiu durauerit. ibid.44
Græcia mendax. 159.1
Græcorum ingenia temporaria. ibid.
Græciæ mendacia portentoſa. ibid.2.
Græcia magna vnde. 160.1.130
Græcæ literæ Latinarum altrices. 163.2.140
Græci Impp. pulchri. 167.2
Græci fabuloſi & mendaces. 280.2.47
Græca fides, pro debili. ibid.
Græcorum Legatorum mos. 302.2.129
Grammaticæ munus. 276
Gratia duplex. 37.1.41
Gratias acturi Deo grati eſſe debent. 13.1
Gratianus & Vlpianus cultores Dialecticæ. 197 2.77
D. Gregorius. 49.1
Gregorius XIII. erga Societatem Ieſu munificus. 239.2.167
Gulæ irritamenta varia. 210.2.111
Gulleta inexpugnabilis, collabitur 177.2
Gygis anulus. 170.1.164
Gymnaſium flagitiorum. 288.2.59

H

H*Abis* Hiſpaniarum rex. 74.4
Hæretici definitio. 72.2.39
Hæreticorum peſtis. 190.1.55
Cæcitas, 218.1.132
Haſta pura. 146.1.69
Laureata. 300.1
Hebetes ab oratorio ludo excluſi. 271.1.82
Hebetiores vtplurimum melius adminiſtrant rempublicam, quàm acutiores. 66.2.13
Hebræi, pulchri Principes 167.2.156
Hebræorum exercitus. 182.27
Hebræi dum iter facerent nullam victus, aut cultus indigentiam pertulerunt. 184.1.35
Hebræa copiæ ſicco maris alueo excipiuntur. 187.2.47
Hebræorum ritus in ſuis Regibus creandis. 191.2
Eorum imperium auulſo Salomone corruit. 210.1.111
Eorum nectar. ibid.
Conuiuium. 210.2.140
Hedera Baccho ſacra. 301.2.125
Heliæ mira alactitas. 189.2.54
Heliogabalus. 122.1.208
Helleborum. 91.1.& 287.35
Hemiſpherium. 106.1.183
Eius duplex acceptio. ibid.
Multipliciter accipitur. 107.1.187
Noſtri hemiſphærij dignitas. ibid. 188
Henricus VIII. rex Britaniæ. 67.1
Henricus Ioannis I. regis filius. 154.2.104
Henricus Luſitaniæ Princeps. 211.2.116
Henricus poſtremus Luſitaniæ rex Lyceum condidit Olyſiponenſe. 213.1.117
In literarum ſtudium animos prouocat. ibid.
Henricus rex cognomento Bonus. 2.216.127
Henriquiorum progenies numeroſa & glorioſa. 239.1.198
Ab Henrico Infante deducunt originem. ibid.
Henricus rex Luſitaniæ, Archiepiſcopus & Cardinalis. 305.2.141
Heraclitus fumo bubulo ſe obleuit. 75.2
Hercules duo eloquentes. 271.1.1.96
Hercules in ludo talorum. 178.8.2.12
Hermolaus damnatus. 165.2.149
Herodoti ſtylus. 150.1.87
Herodotus hiſtoriæ parens. 159.2.& 285.1.47
Pater mendaciorum, cur. ibid.
Heroum lacrymæ. 359.2
D. Hieronymus. 45.2
Hieroſolymæ excidium. 189.1.53
Hiſtorici non implorant Numen initio operis. 160.1
Hiſtoria oratori neceſſaria. ibid. 126
Hiſtoria munus oratorium. ibid.
Hiſtoria ab omnibus accepta. 162.1
Hiſtoriæ poteſtas. 234.2
Hiſtoria honoris incitamentum. ibid. 183
Hiſtoriæ libertas. ibid. 184
Hiſtoricum dicendi genus. 254.1.23
Hiſtoriæ leges. ibid. 2.26
Hiſtoriæ poëtica deſcriptio. 358
Homeri poëmate nullum antiquius. 149.84
Homero poëta antiquiores qui. 150.1
Homines facilius conciliari humanitati, quàm ſeueritati. 14.1.34
Homo hymnus Domini. 15.1.36
Angelis præfertur ab Ieſu. 18.1.44
Deo amabilior eſt, quàm Angeli. ibid. 45
Eſt perdici ſimilis, ex Nicephoro. 79.1.72
Homini quandiu creſcendi ſpes. 81.2
Homines caudati in Satyrorum inſula extra Gangem. 87.1.19.5
Capite trunci, oculóſque continentes in pectore. ibid.
Hominis interiora an plus caleant hyeme, an æſtate. ibid. 2.
Homo vltra tres dies ſine victu viuens. 92.2.128
Hominum diuerſa ingenia vnde. 110.2.10
Homo homini Deus. 304.1.134

Homines

Homines immolati apud Tauricam. 306.1.143
Homo multarum imaginum, pro illuſtris familiæ. 314.2.182
Honores promereri, quàm adipiſci glorioſius, 239.1.35
in Honore non ſuperbiendum. 147.2.76
Honorum poſtulat io. 246.2.217.& ſeqq.
Horatius in Oda illuſtratus. 303.1.131.& 311.2.169
Horridus, pro inuenuſto. 295.1.96.
Hoſpitij ius, 314.1
Varium. 326.2
Hoſtibus impenſa miſeratio diuina. 69.2.27
Hoſtem fallere & iuſtum, & fructuoſum eſt. 156.2.112
Hoſtilis incurſus elegans deſcriptio. 197.1.75
Humanitas Chriſti per citharam. 15.2
Humanitatis cura. 276
Hyperbaton. 265.2
Hyperbole. ibid.
Hyperdulia. 32.1.26
Hypocryſis in oratore. 162.2.136.
Hypotypoſis. 267.1.70

I

Iacob. fugiens à fratre ſuo Eſau. 80.2.77
Eius erga fratrem pietas. 153.1.99
Iacobus Aragoniæ rex quàm liberalis. 184.1.36
Iactus venereus in ludo talorum apud antiquos. 278.1.9.& ſeq.
Iacula laureata. 300.1
Iambi etymon. 287.1.55
Ianus bifrons prudentis ſymbolum. 290.1.66
Iapheth, pro populo humano. 19.2.48
Eius etymon. ibid.
Iaponum colloquendi conſuetudo cum aliis. 63.2
Idiomatis patrij ſuauitas. 16.1.39
Ieiunij exempla. 23
Ieſus infans & Imperator ducit exercitum. 4.2.8
Ieſus è Virginis vtero, quaſi è tentorio prodiit. ibid.9
Ieſu nato nemo magnus. 5.2.11
Ieſus infans iram Dei mitigat & auertit. 7.1
Ieſus, Pſalterium decachordum, 15.1.37
Ieſu puero omnia bona prouenimnt, 18.2
Ieſus ſua humilitate triumphauit in cœlum. ibid. 26
Ieſu pueri natales non niſi pura lingua celebrandi. 19.2.48
Ieſus nomen incantat. 96.1.139
Ignatius Martinus ſanctitate, & prœdicatione clarus. 224.1.150
D. Ignatius Societatis fundator diuinis cumulatus beneficiis. 229.1.166
Pontificum & Regum beneficiis auctus. ibid 2.167
Poëticè depictus. 351
Ignis in Cypro. 94.2.134
Ignis amplexus, 212.2.122
Ignea columna ducens Hebræos. 182.1.27
Solis ardores inuerſa vmbra coërcebat. ibid.2
Ignorantia, pro peccato. 45.1.11
Imagines deorum puppibus inſculptæ.149.1.83
Imagines famoſæ, pro antiquiſſimi generis ſtemmatibus. 297.1.104.& 314.2.182
Imago inanis apud Ouidium, pro anima ſoluta è corpore. 297.2.105
Subita. 314.2.182
Immania quid. 322.1.125
Immolandi verbum. 294.2
Imperator bonus, vigilans. 314.1.108
Imperium Aſſyriorum. 140.1.41
Perſarum. ibid.2.42
Græcorum. ibid.43
Romanum. 141.1.45
Imperium Rom. per ſtatuam Nabuchodonoſoris ſignificatum 142.1
Imperij firmitas à ſapientia. 209.1.106
Imperium quàm facilè flectatur à ſapiente. 212.1.115
Imperia nonniſi ſenibus deferri ſolita. 329.2.241
Imperium ſub iuuene rege in præceps labitur. 330.1
Imperio apti iuuenes ibid.2.42
Inaugurandi verbum. 297.2.107
Incantatio ſerpentum. 95.2
Incarnationis beneficium nomine vnum, re multiplex. 12.2.31
Vnus orbis agendis pro Incarnatione gratiis ſatis non eſt. ibid.
Incarnatio amoris ſtimulus. 13.1.32
Vigilet amor, ac Incarnationis beneficium ſentiat. ibid.
Incarnatio amoris glutinum. 14.1
Incolæ terræ. 318.2.199
Indi, antequam ſeneſcant, ſe interficere ſoliti. 75.2
Indus quidam nobilis 340. annorum ſpatio terrefloruit. 84.298
Inferni duplex locus. 33.2.30
Inferni æterna pœna. 34.2.34
Extracti ab inferis. 36.2
Ingenij acumen improbatur in regibus. 97.1.16
Ingenium, de terra. 321.1.212.
pro Inimicis orare quàm pro amicis præſtat. 68.2.23.
Inimicus alius ciuilis, legalis alius. 69.1.25.
Inimici diligendi. 153.2.100
Iniuriæ condonandæ. ibid.
Iniurias vlciſcentes Deo odioſi. ibid. 101
Innuere capite. 280.1.19
Inſaniæ morbus curatu difficillimus. 84.1.91
Inſania de cœleſti afflatu, quo indigent poëtæ. 137.1.28
Inſidiæ propinquorum. 216.1.187.
Inſignia Gallorum tria lilia, & duo cerui, cur. 132.2.9
Inſignia Magiſterij philoſophici. 238.2
Doctoratus theologici. 248.1.223
Inſignia ad ſepulchrum appenſa. 309.1.158
Coniecta in pyras. ibid.2.160
Intellectus. 101.2
Intellectus dithyrambicus, pro difficili, & obſcuro. 282.2.32
Intemperantiæ vitium. 168.1.157
Interamnenſes. 198.2
Interceſſio Deiparæ valde efficax. 27.2.10
Interior, pro ſiniſteriori. 292.1.79
Interrogatio. 266.2.68
Inuentio. 259.1.46.
Inuidiæ malũ omnium præſentiſſimum. 78.2.70
Ioan. Caſtrius Indiæ prorex crinem oppignerat. 131.2
Ioan. III. Luſitanorum rex. 147.2.77
Ioanni II. Pelicanus eſt pro inſigni. 175.2.6
Eius amor eximius in regnum. 176.1
Ioan. I. Luſitaniæ rex. 193.2.67
Ioan. III. Luſitaniæ rex. ibid.
Eius incredibilis liberalitas. ibid 1 69
Ioan. rex Luſitaniæ. 212.2.116
D. Ioan. Baptiſta. ibid.2

Digitized by Google

Eius ſanctitas ab incunabulis. 235.1
Lætitia in ortu Ioannis. ibid.172
Parſimonia. ibid.2.173
Prudentia. ibid.
Abdit ſe in ſyluas. ibid.174
Molliſſimas veſtes exuit,& aſperas induit. ibid.
Eius pœnitentia. 232.1.175
Erga Deum religio. ibid.
Ad Ioannem hominum concurſus. ibid 176
Eius doctrina. ibid.177
Sermo in Herodem. ibid.2
Quaſi Lucifer diuinum Solem prænunciauit. ibid.
obus. 174.2.2
Ionathas & Saul pariter occidunt. 201.2.84
Iordanis fluuius. 212.2.116
Retrò agitur Iordanis impetus. ibid.
Ioſaphat rex Hebræorum. 170.1.17
Ioſephi in condonandis iniuriis facilitas. 153.1 29
Iouianus Vulcaniæ inſulæ perpetua relegatione damnatus. 92.1
Iouius emendatur. 155 2.104
Ire interiorem apud Ouid. 292.1.79
Iſocratis encomia Tulliana. 270.2
Eius dicta. ibid.
Iſraël pugnaturus contra Benjamin. 80.2
Iudicatio. 263.1.58
Iudiciale dicendi genus. 261.2.54
Iudicium. 259.1.46
Iugurtha præmia oſtentare ante bellum ſolitus. 155. 1.107
Iuliano obfuerunt literæ. 66.2.13
Iuliano Medices roſa pro ſymbolo. 172.2
Iulianus Imp. 320.1.207
Iul. Cæſar abraſus. 131.1.5. & 169.2.163
Iupiter hoſpitij præſes. 314.2.179
Iurandi forma apud ſuperos, homines, fœminas. 284.2
Iurandi mos apud Scythas. 303.2.130
Ius lati claui apud Iuriſperitos, pro iure Senatoriæ dignitatis. 287.2.56
Pro ipſo Senatore. ibid.
Iuuentus in ſacris idem quod exultatio. 71.1.32
Iuuenta. 85.2
Iuuenta aquilæ. ibid.97

L

L*Acænarum* mos in pariendis filiis. 4. 2. & 207. 1.100
Lacedæmones bellum paci præferunt. 148.1.78
Lacedæmon. & Athenæ. 210.1
Lacrymæ Dauidis Chriſtum meruerunt. 3.2
Lachrymæ aliquando gaudium produnt. 280. 2. 22
Dolorem ſignificant frequentiùs. ibid.
in à Lachrymis abſtinendis conſtantia. 329.2.239
Lachrymæ pietatis indices. ibid.240
Heroum lachrymæ. ibid.2
Lacona mulier. 302.1.85
Eius ad filium elegans exhortatio de clypeo ſeruando. ibid.
Lactantius Papinij ſcholaſtes caſtigatur. 303. 1. 130
Lætitia. 84.1.91
Læui nomen. 312.1.171
Lapis Indicus, Luſitanè *Bazar*, contra venenum. 90.1.118
Lapis ſtragilis, aëtites, adamas, pyrimachus, anthrax. 95.1
Laribus canes apponi ſoliti. 295.2.97
Laticlauij. 287.2.56
Laurea, pro epiſtola. 300.1
Laureola, pro triumpho. 301.2
Laurus triumphantium inſigne. 300.1.118
Apollini ſacra. 301.2.125
Laus cuiuſque ex ſuo munere prouenit. 182.2.26
Laus & vituperatio in genere demonſtratiuo. 260. 1.50
Laus palmaria à virtute. ibid.2.51
Legati laureati. 300.1.118
Legio Germanorum pro Gallis aduerſus Hiſpanos. 100.2
Legiones decimatæ apud veteres. 276.1.1
Legiones Romanorum. 313.2.717
Leo marmoreus in inſula Cæa ſub tumulo Hermiæ Reguli. 99.1.152
Leo inter animantes clementiæ princeps. 152. 1. 96
Lex vetus vox obſcura. 19.1.47
Noua dies clara, & tuba. ibid.
Leges epigrammatis. 164.1.141
Philoſophici pulueris. 208.1.102
Pelargicæ apud Græcos. 281.1
Lex Mæuia. 308.1.153
Liber Iambus. 287.1.55
Liber Opiſtographus. 289.1.63
Liber & alma Ceres apud Virgil. 295.2.98
Libri cedro notati. 166.2.163
Libellus Ciceronis de conſolatione. 169.1
Liberatores patriæ lætabundi excipiebant Romani. 195.1.4
Liberi in poëtas amor. 235.2.187
Licinius Imp. literis infeſtus. 66.2.13
Lictores laureati. 299.2.116
Limbus Patrum, & limbus paruulorum. 33.2.30
Limina templorum veneranda. 323.1.220
Lingua Chriſti clauis cœli. 15.1.36
Lingua frequentiùs peccat. 222.1.145
Linguæ flagitium. ibid.
Ingenium. 321.2
Literæ nonnullis obfuerunt, & quibus. 66.2.13
Improbantur ad regimen. ibid.14
Improbantur in Rege. 67.1.15
Educant imbellem. ibid.
Literarum ignaris Eccleſia moderanda tradita. ibi. 16
Literæ ſalutares & lethales quæ. 285.1.44
Literæ laureatæ. 299.2.117
Locuples, de teſte, auctore, tabellario, &c. 283.2. 37
Locus honoratior. 134.1
Medius olim præſtantiſſimus. ibid.14
Vir loco, an locus viro ſit ornamento. ibid.2
Locorum dignitas ex perſonis. ibid.16
Locus præſtantiſſimus apud veteres quis. 304.1.39
Longobardia vnde dicta. 161.1
Luciferianus à Hieronymo victus, & de erroribus victor. 207.2
Lucius dentatus victoriis clarus. 81.1.80
Lucretia, Romanæ pudicitiæ lumen, cultrum ſibi adigit. 75.2
Luctus communis. 260.2.51
Luculli encomia. 143.1.54
Commendatio. 156.1.109
Lucullus hiſtoriæ ſtudioſus. 160.2
Eius laus ab Mithridato. 171.1.198
Lucullus nauim laureatam Romam miſit. 300. 1. 118
Lucis encomia. 123.2.214

Ludouic

Digitized by Google

Ludouici XI. regis Galliæ de literarum ſtudiis ſententia. 66.2.14
Ludouici Imp. effrænis licentia. 191.1.58
Ludus talorum. 278.1.8
Ludi gladiatorij in funeribus. 309.1.157
Lumina claudere, pro mori. 135.2.20
Luna an fuerit creata in plenilunio, an in nouilunio. 119.1
An totam ſuam lucem mutuetur à ſole. 110.1
An rectè numeretur inter duo luminaria magna. ibid.2
ex Luna captantur tempora & auſpicia. 121.2.206
Luna cœlum terreſtre, & terra cœleſtis. 119.1.4
Luna. 172.1
Lunæ defectus. 102.2.87
Luna excantationibus defectum patiebatur opinione veterum. 279.2.17
Nobilitatem arguit. 306.2.147
Lunæ encomia. 317.2.194
Sonus. 318.1
Lunula in calceis Romanorum. 170.1
Luperci vnde dicti. 306.2.144
Lupus in fabula, adag. 78.2.70
Luporum vetuſtas in Luſitania. 240.2
Quini Luſitaniæ lupi cum quinis Chriſti vulneribus comparari. ibid.201
Luporum gens regiis inſignibus clara. ibid.
Cum nobilioribus Luſitaniæ dynaſtis coniuncta. 241.1.202
Lupina familia ſola Baronum eſt in Luſitania. ibid.
Luſitani media ſtatura præditi. 66.1.12
Ad Romæ originem conducti. 144.2.64
Arte nauigandi peritiſſimi. 154.2.104
Luſitanorum obſequium erga ſuos reges. 176.1.7
Caſtellani pro rege pugnant vt ſerui, Luſitani vt filij. ibid.2
Luſitaniæ, ſui ſuo cum Philippo naſcuntur reges. 181.1.25
Luſitaniam quanti habuerint Hiſpani reges. ibid.
Luſitanorum fides perpetua. 191.1.60
Luſitania ingeniorum ferax. 198.2
Felix propter Antonium. 224.2.151
Luſitanorum imperium in quatuor orbis partes propagatum. 224.2.152
Eorum naualis peritia. 261.1.52. & 319.1.201
Lycambe. 287.1.55
Lycurgus. 212.1

M

M*acrobius* emendatus. 302.1.126
Magiſtratus virum indicat, adag. 134.2.16
Magiſtratûs honor. 154.1.102
Magiſtratus parentes patriæ. ibid.
Poſt Deum locum habent. ibid.2
Magnus poſt natum Ieſum nemo. 15.2.11
Mahometanorum de Virgine iudicium. 31.1.22
Mahometus & Iulianus in Chriſtianos conſpirant. 197.1.76
Maiores natu geniti, genitoribus chariores. 135.2.21
Malum inexpertum grauius. 134.2.17
Mala oculis hauſta grauiùs affligunt. 135.1.18
Mala permixta bonis. 199.1.79
Manè, pro tota nocte artificiali. 115.2.180
Manus oſculandæ conſuetudo vnde. 193.1.85
Mappam mittere apud Suetonium quid. 300.2.119
Marcus Maleolus, primus parricidij pœnas ſubit. 137.2.31
Marci Antonij conuiuium lautiſſimum. 210.2.111
Margarita regina Caſtellæ & Luſitaniæ virtutibus excellentiſſima. 179.2.19
Eius pietas erga regnum. 180.1.20
Quà ſit futura filio, vaticinatur. ibid.2.22
Maris tempeſtas. 204.2.93
Deſcriptio. 214.2.122
B. Maria V. tria ſacramenta ſuſcipit, & tria non ſuſcipit. 36.1.41
An ſuſceperit extremam vnctionem. ibid.
An præter gratiam ſacramentalem, aliam acceperit ex opere operato. ibid.
& quando, & quomodo. ibid.42
Ex opere operato maiores gratiæ cumulos comparauit. ibid.2.43
Etiam in patria auxit accidentalem ſibi gloriam ex opere operato. 38.1.44
Non fuit martyr per mortem violentam. ibid.
An vnum, aut plures Angelos cuſtodes habuerit. ibid.45
Etiam in via regina extitit Angelorum. 39.1
Habuit cuſtodem Angelum. ibid.48
A Deo ſemper impetrat ſuorum conuerſionem cultorum. 40.2.53
An illa ſola, ac ſæpiùs diuinam eſſentiam intuitiuè cognouerit in hac vita. ibid.
Sola in via vidit eſſentiam diuinam. 41.1.55
Incarnationis tempore vidit eſſentiam diuinam. ibid.56
In filij partu vidit eſſentiam diuinam. ibid.2
Tempore reſurrectionis filij vidit eſſentiam diuinam. ibid.
De tempore ipſius conceptionis quid. ibid.
B. Mariæ Angelus tutelaris quis. ibid.
Quis Angelus Gabriel. ibid.50
Vide *Virgo.*
Marius iunior Pontio Teleſino ſe iugulandum præbet. 101.1.197
Mars gramine natus. 146.2.71
Martis obſeruatio. 124.2
Vnde gradiuus. ibid.
Martialis Catullum excedit. 163.1.138
De ſeipſo iudicat. ibid.
Martialis alter Virgilius. 163.1.138
Plurimum ſalis & fellis habet. ibid.2
Mureti de Martiali iudicium. ibid.139
Martialis explicatus. 301.1.121
Martyrij egregium decus. 197.1.76
Maſiniſſæ encomia. 313.2.177
Mathematicus. 211.1.113
Mathematices regnum. 215.1.123
Matris amor quàm efficax. 4.1
Matris nomen palmarium. 130.1
Mauritaniæ rex pinguiſſimus. 23.2
Mauſoleum victricis Catharinæ. 355
Mecænas diſcinctus. 298.2
Megarenſium lacrymæ. 293.1.184
Melancholia ad ſcientias apta. 89.1.115
Melancholica pollebat Chriſtus D. ibid.2
Membrum. 269.1
Membrorum motus qualis ſit. ibid.2.79
Memoria. 259.1.46. & 269.1.77
Eius encomia. ibid.
Memoria alia naturalis, artificialis alia. ibid.
Memoriæ miraculum. ibid.
Eius exercitatio. ibid.2
Mendacium ab Oratore alienum. 251.2
Mendocij erga Philoſophiam amor. 239.1
Menſarum figuræ apud veteres. 292.2.81
Mercurij & Veneris obſeruatio. 124.1.78
Mercurij fallaciæ. 273.1

Digitized by Google

Eloquentia. 274.2.94
Mercurius & Venus 318. 1. 196
Meroë inſula vnde ſic dicta. 124.1.216
Meridies ſignilfra pars orbis. 292. 1.79
Meſſias ſuſpiriis, precibus, lacrymis vocabatur à Patribus. 3. 1.4
David omnes Pſalmos Meſſiæ deſideriis conſecrauit. ibid.
Meſſias votorum ſumma. ibid.
Meſſiæ aduentu mali mores verſi in bonos. 19.2
Vide *Christus, Ieſus.*
Metalepſis. 265.1
Metaphora quid, & quotuplex. 264. 2.61
Metaphyſicus. 211.2
Metaphyſicæ regnum. 219. 1
Metellus vnde Creticus. 160.2.128
Vnde Numidicus. ibid.
Metonymia. 263. 1
Metus, vide *Timor.*
Miles qui fugit, iterum gloriatur, adag. 80.2.77
Militum Chriſti gloria. 277. 1.3
Auguſti ſententia in milites flagitioſos. 298. 1. 109
Mineruæ cultus ſapientum ſimulachra. 195.2
Minos, Lycurgus, & Pompilius leges acceperunt ab oraculis. 211. 2.114
Μισῶ μνήμονα συμπότην, odi memorem compotorem, adag. 163.2.140
Mithridaticum antidotum. 90.1.118
Mithridates rex. ibid.
Eius memoria. 269. 1.77
Mola ſalſa. 294.1. 90
Numa de ſalſa mola legem tulit. ibid.
Montes Dei pro editiſſimis. 65.1.7
Monſtrum perdicis magnitudine. 86. 2. 104
Monſtra varia. 87.1.105
Monſtrum informe. ibid. 106
Genuenſe. ibid. 2
Africæ. 91. 2.
Morbus Herculeus. 307 2.152
Mortis facies. 23. 2.61
Mors violenta inſtar palmatij habita. 75. 2
Mors naturalis cum voluptate accidit. 76.2.56
Propriis illata manibus ignauia eſt. 316.1.189
Vide αὐτοχειρία.
Mortui excitati à Diuis in peccato decedentes. 34. 2
Mortuis ſcribere non eſt abſurdum. 138.2.33
Mortuos extumulare, barbata ferocitas. ibid.
Mortuos quaſi viuos vt loquentes inducere, æquum. 138.1.34.
Moyſes à Pharaone fugiens. 80.2.77
Moyſes pulcher. 168. 2.156
Deo familiaris. 178.1.11
Eius ſupplicium. ibid.
Moyſes à diuina ſapientia ſacras leges expreſſit. 211.2
Mulieres hominibus clementiores. 30.2
Mulier filium pariens cacodæmonem. 87.1.106
Mulier Patauina 40. dies continuos à cibo abſtinens. 93.1.129
Alia Colonienſis aliquando 20. aliquando 30 dies ſine alimento viuens ibid.
Mulieres crines raſitant. 120.2.4
Carthaginenſes matronæ crines ſuos in tormentorum vincula aduersùs Romanos offerunt. ibid.
Mulieres ad iurandum faciles. 284.2.42
Mundi hypotheſes. 125.2
Mundi partes quatuor. 224.2.152
Elementa. 225.1.153
Mundus, carmen. 232.2.178
& cur. 233.1
Munera Romanorum. 299.2
Murus, de ſanctiſſimo Chriſti corpore. 6.2.15
Mus ille ridiculus apud Martialem. 93.1.129
Muſæ deæ Horatio. 303. 2.132
Muſica ad pellendos animi mœrores accommoda. 103.2.171
Eius triplex acceptio. 317.2.195
Muſtaceum, ſeu muſtaceus, libi genus. 301.1.123
Laureola in muſtaceo. ibid.2
Mutius ſibi dextram ſponte excuſſit.
Myrtus Veneri ſacra. 301.2.115

N

Nabuchodonoſoris ſtatua, Imperij Romani figura. 142.1
Nænia. 310.2.164
Didonis reginæ nænia. ibid.
Narratio. 263.1.57
Triplex virtus in narratione. ibid.
Natales Domini nonniſi pura lingua celebrandi. 19.2.48
Natandi militare ſtudium. 298.2.111
Alexander dolet neſcire natare. ibid. 112
Nec natare, nec literas nouit, adag. de planè indocto. ibid.
Natura. 259.2.46
Natura in poëtis. 168.1.158
Naucleri feſtiua ſimilitudo. 324.1.223
Naues Indiæ. 107.2.189
Naues turritæ apud veteres. 148.2.80
Eius autores. ibid.81
Nauium Indicarum apud Luſitanos magnitudo. ibid.
Nauigandi ars. 149.1
Naues laureatæ. 300.1.118
Nauis oleæ ramis coronata. 303.1.30
Argonautarum nauis. 322. 1.216
Naualis peritiæ autores qui. 149.1.81
Nautæ floribus puppes coronant. 149. 2
Nautarum pericula. 204.2
Nazianzenus, Orator egregius. 158.2
Nectoris eloquentia. 275. 1.96
Eius mater. 3.2.5
Nero ſcire dolet. 66.2.15
Eius crudelitas. 142. 2.51. & 145. 2.67
Nero. 169.2.163. & 171.1.168
Eius cupiditas in aurigando. 300.2.120
Neſtor. 236.2
Nicoſtrata prima literarum rudimenta inuenit. 315. 2
Niger, pro noxio. 304. 2. 137
Nili cataractæ. 318.2
Noroniarum ſplendor regius, & ſtirps clariſſima. 139.1. 197
Noroniæ à Ferdinando Luſitaniæ rege ſanguinem ſuum petunt. ibid. 2
Nouitatum præfecti ad Sinas. 73.1.41
Nox obſcura, de lege veteri. 19.1.47
Nubis comparatio. 218. 2. 134
Numantini. 75. 2
Eorum prælium. 101.1.157
Numinis imploratio in operum initio. 159. 2
123. & ſeq.
Numinum ſacrificia. 296.1.100
Numerus. 268.2

Digitized by Google

Septenarius. 115.2.186
Octonarius,pro ingenti ibid.
Numerianus Imp. 249.2.9
Nutricibus alumnos ſimiliores euadere, quàm parentibus filios. 73.2.42
Nymphæ Macræones. 91.2.124

O

Obſidio Samariæ. 93.2.131
Peluſij admiranda. 150.2.89
Occaſio dum abeſt, torquent ingenia. 244.2.211
Octauius Auguſtus. 169.2.163
Octies,pro ſæpiſſimè 315.2.186
Oculorum aciei maxima vis. 78.1
Oculi aperti olim vitam, clauſi mortem ſignificabant. 135.2.20
Oculorum ardor,de iracundia. 180.2.22
Oculi defixi. ibid.
Odæ Monocolos, Dicolos, Tricolos, Diſtrophos, phos,& Tetraſtrophos apud Horatium. 286.2.53. & ſeqq.
Odores nutriunt. 92.1.125
Odium nouercale, pro inteſtino,adag. 293.1.84
Og, rex Baſan, gigas immenſæ magnitudinis.79.1.72
Olea Mineruæ ſacra. 301.2.125
Oleum coniectum in pyras defunctorum. 309.1.159
Oloris cantus in morte. 103.2.171
Olyſipo reliquis orbis vrbibus præſtat. 236.1.189
Olyſiponenſes. 198.2
Olyſiponenſis iuuentus alacriter Octobre ineunte lyceum repetit. 208.1.103
Omen læuum. 312.1.171
Omen vnde. 326.1.131
Onomotopœia. 265.1
Ophiogagi, ſeu anguiuori, non alio victu,quam ſerpentibus vtebantur. 90.2.119
Ophiogenes, genus hominum in Helleſponto, ſerpentum ictus leuare ſoliti,& manu impoſita venena extrahere corporibus. 90.2.119
Opiniones nouæ & antiquæ arte præualeant. 71.1
Nouis opinionibus qui deditiſſimi. ibid.2.36
Nouis opinionibus præferri antiquas. 72.1.28
Oraculum Alexandri. 73.2.2.42
Ægyptiorum de Nili fontibus. 114.1.217
Orandi triplex genus. 256.1.33
Orare ad clepſydram. 291.2.79
Orationes damnantur. 162.1
Orationis argumentum nonnunquam Oratoris artificio cedit. 162.2
Orationis pronunciatio. 252.1.13
Oratio in quatuor partes diuiſa. 262.2
Orationis ordo. 268.1.74
Oratio decreſcens. ibid.
Redundans. ibid.
Iunctura orationis aſpera & hiulca damnatur. ibid.
Orationis exordium. ibid.75
Orator vir bonus eſſe debet. 157.1.113
Orator malus præfica. ibid.
Hiſtrio. ibid.
Decet Oratorem metus in dicendi principio.158.1.117
Orator imperitus, audax in dicendi principio. ibid.2
Oratores Numen implorant in dicendi exordio 159.2.123
Oratoris definitio. 162.1.134
Mendacium ab Oratore alienum. 251.1
Oratorium dicendi genus. 255.2.302.
Oratoris vox qualis. 256.2.35
Orator. 270.1.81
Orator bonus placidi inſtar fluminis. 271.1.82
Ars & natura quæ præſtent in Oratore. ibid.2
Rationes pro natura. ibid.
Pro arte. ibid.84
Sitne vir bonus. 272.2.87
Stoicorum ſententia. ibid.
Academiorum placitum. ibid.
Oratorum vituperia. 273.1
Oratoris cum ſigillo comparatio. ibid.2.90
Orator inſcius, velut præfica. ibid.91
Improbus,euerſor reipub. 274.1.93
Oratoris munus in quo conſiſtat. 275.1.97
Eius ingenium. 321.2.214
Orbis imperia conſiderantur. 209.1.106
A ſapientia illuſtrantur,ac eidem obſecundant. ibi.
Orca vaſculum aleatorium. 278.1.9
Ordo Io.Euangeliſtæ. 22.1
D. Benedicti. 193.2.69
D. Bernardi. ibid.
D. Auguſtini duplex in Luſitania. ibid.
D. Dominici. ibid.
D. Franciſci. ibid.
Carmelitarum. ibid.
Sanctiſſ. Triados. 194.3
S. Ioannis. ibid.
D. Hieronymi. ibid.68
Equitum Chriſti. ibid.
Societatis Ieſu. ibid.
Orientis imperium ceſſit imperio Luſitano. 212.2.116
Ornatus dicendi genus triplex. 253.2.20
Orphei eloquentia. 274.2.94
Otho 164.2.163
Otho Imp. abraſus. 131.1.5
Ouatio triumphi genus. 281.1.25
Ab ouedicta. ibid. & 171.74
Ouatio & triumphus differunt. ibid.
Ouantium mores. 147.1.74

P.

Paladius curſor. 58.1.63
Pallus,Euandri filius. 65.2.8.& 79.1.72
Pancratiaſtæ. 294.1
Pancraticè valere,apud Plautum,quid. 293.2.87
Pancratium quid. ibid.
Parentes primis filiis nomen ſuum indunt 136.1
Parentum honor. 154.1.102
Pietas in filios. 180.1.21
Paronomaſia. 266.1.67
Parrhaſius pictor inſignis. 250.2.6
Parricidas damnauit vetuſtas. 137.2.31
Parricidarum ſupplicium. 138.1.32
Paſtorum comparatio cum radicibus arborum. 49.2.26
Patris nomen dignitatem arguit. 129.1.1
Arguit diuinitatem. ibid.2
Patris nomen apud Perſas. 130.1
Apud Lacedæmones. ibid.
Apud Romanos. ibid.
Patres conſcripti. 307.1.148
Patria cœleſtis per colorem album adumbrata. 100.2.156

Digitized by Google

Patriæ defendendæ ſtudium. 310.1.206
Patricij. 307.1.148
D. Paulus. 54.1.57.1.59.1.& 60.2
An fuerit eloquens. 54.1.45
Eius patria. ibid.
Veteribus Patriarchis laborum tolerantiâ anteponitur. 57.2.61
Velut pennatus totum orbem docendo percurrit. 58.1.63
Suas laudes prædicat. 59.1.68.& 60.1.72
Puſillæ ſtaturæ fuit. 65.2.9
In ſporta è muro dimittitur. 80.2.77
Pauonis conſideratio. 206.1.98
Paupertas, Chriſti theſaurus. 11.2.28
Paupertas Domini noſtræ diuitiæ. 14.2.35
Paupertas & improbitas germanæ. 184.2.37
Pax bello potentior. 152.1
Pacis vtilitas. 171.1.169
Pelicani ſtudium in filiis alendis. 176.1
Peregrinus rogo ſe immittit. 75.2
Perfricare frontem. 280.2.21
Periodus. 268.2.75
Finis periodi. ibid.
Periodus in medio. ibid.76
Periœci, ſeu obliqui, incolæ. 317.2.199
Periphraſis. 265.2.63
Peroratio. 263.2.52
Perſarum imperium, ætas aurea. 140.2.42
Perſarum regum eximiæ diuitiæ. ibid.
Imperium Perſarum quandiu durauerit. ibid.
Perſarum erga regem ſuum reuerentia. 154.2.103.
Perſarum imperium. 209.2.108
Perſæ regem non niſi ſapientem eligebant. ibid. & 216.1.126
Peſtis per Luſitaniam. 183.2.34
Peſtis hæreticorum. 190.1.55
Phænomena, ſeu apparentiæ veteres. 125.2.84
Phaleræ præmio acceptæ à Sicinio. 146.1.69
Phaleræ equorum ornamenta, & virorum. ibid.
Phaleræ & torques differunt. ibid.70
Phantaſia. 102.1
Pharaonis immunitas. 175.1.13
Pharao inſequitur Hebræos. 186.1.43
Nubes, quæ Hebræos anteibat, ad poſtremam aciem recurrit, & Pharaonis exercitus impetum retundit. ibid.
Pharmaces in Æthiopia. 90.1.119
Philippus Rex Macedoniæ. 100.1
Eius in hoſtes clementia. 151.1.93
Philippi ad iniurias tolerandas regius animus. 151.2
Philippus IV. Hiſpaniarum Rex. 174.1
Eius natalis dies. ibid.1
Ea die naſcitur, qua Chriſtus occidit. 180.2.23
Philippi Prudentis æquitas, religio 177.2
Humanitas. 178.1.13
Philippus II. Rex Luſitaniæ. ibid.2.14
Sanctimonia præditus. ibid.
Eius ſolicitudo in mittendis prædicatoribus in Indiam. 179.1.16
Philiſthinorum ſingulare inuentum in Hebræorum perniciem excogitatum. 197.1.75
Philoſophiæ Magiſtri. 99.1
Triennis Philoſophicæ nauigationis cum trienni Salomonis nauigatione comparatio. 95.1.95
Philoſophia excogitauit nauigia. 215.1.123
Eius inſignia. 240.1
Regnum. 215.1.123
Phlegmatica ad ſcientias inepta. 89.1.113
Phœbus ingeniorum patronus. 321.1.212
Phyſicus. 311.2
Pilati fratres. 315.1.175
Pindari domus ſeruata in cõmuni incẽdio. 202.1.86
Eius carmina. 311.2.169
Pinus Panæ ſacra. 301.2.125
Piſtrino dignus apud Terentium quis. 283.1.29
Placentini 94.1
Planetarum motio. 124.2. & ſeq.
Plantæ. 104.1
Platonis de Ariſtotele querimonia. 71.2.34
Plato poëtarum hoſtis. 161.1
Eius mos erga Dialecticos. 198.1
Eloquentia. 272.2.87
Plauti locus in Menæchmis explanatus. 302.1.127
Pœna talionis in lingua. 157.2
Victi in conuiuio. 278.2.12
Pœnitentiæ obiectum quod & quale ſit. 312
Pœnitentiæ duplex acceptio. ibid. 14
Poëtæ inſani. 136.2.25
Supremo ſpiritu inflati. ibid. 26
Poëtica, miſeriarum præſidium. 237.1.27
Inſani qui poëtas arguunt de inſania. ibid.
Poëtarum inſania vnde orta. ibid.28
Poëtæ vnde dicti ſint lymphati. ibid.
Poëtica optima, non mediocris. 138.1.32
Poëtæ in operum initio numen implorare ſoliti, 159.2.123.
Eorum modeſtia. 163.1.137
Arrogãs poëtarum exordiũ damnatur. 164.2.143
Poëtarum cum apibus comparatio. 168.1.158. & 311.2.169
Poëticæ dignitas. 235.1.185. & ſeq.
Socrates poëticam amauit. ibid.
Poëticæ vtilitas. ibid.2
Poëtæ muneribus affecti à Principibus. ibid.
Liberi in poëtas amor. ibid.2.187
Poëtarum ſtimulus. 312.1.170
Poëtica ſuorum cultorum præſidium. 324.2
Pollinctum, cœna feralis. 165.2.149
Pollinciendi verbum. ibid.
Polluctum cœna opipara. 165.2.149
Pollucendi verbum. ibid.
Pollux. 235.2.187
Polycratis mira felicitas. 123.1.72
Polycratis annulus. 170.1.64
Polycrita, nobilis fœmina. 178.1
Polyſindeton. 266.1.65
Pompilius. 211.1
Ponere ſupercilium, vel demere, pro præbere ſe hilarem. 180.2
Ponendi verbum. 322.1.215
Pontes ſuffragiorum qui. 286.2.52
Popyſma, vel popyſmus. 288.2.60
Populus Herculi ſacra. 301.2.125
Populus alba. 302.1.126.
Populus arbor tempus ſignificat apud Ægyptios. ibi.
Porcus Troianus. 313.1.175
Portugalliæ ſtemma Chriſti plagæ. 181.1.25
Potentia quo nobilior, eo acutior. 72.1
Prælium Numantinorum. 101.1.157
Saguntinorum. ibid
Præmia minora apud Romanos. 146.169.
Eorum qui ſpoliabant hoſtes. ibid.
Præmia, an ſupplicia præualeant apud milites. 155.1
Præmij vis. ibid.106
Præmium quaſi præuium. ibid.
Præmio milites inflammantur ad bellum. 155.1.107
Iugurtha ante bellum præmia oſtentare ſolitus. ibi
Præmia & ſupplicia ſtimulos habent honoris. 310.1.208
Præſepe glorioſum. 22.1.57

Prætermiſſio. 168.1
Prætoris munus. 300. 2. 120
Principes venationi dediti. 132.1.7
Principes decet clementia. 133. 1
Regórum maxima cura. ibid.
Vigilantia. ibid. 11
Suo exemplo præeunt. ibid.
Principum commendatio ex pulchritudine. 167. 1.& ſeq.
Princeps felix quis. 176.2.8.
Principi nemo leges ſcripſit. Plin. 286. 1.51
Principum munus munificentia. 304. 1. 134
Probus Imp. 81.1.80
Proceri homines pulcri. 95.2.8
Inquieti. 66.1.11
Pronunciatio. 259. 1. 46.& 269.1.78
Eius excellentia. ibid.
ad Pronunciationem tria requiri. ibid.
Eius firmitudo. ibid.
Mollitudo. ibid.
Proſopopœia. 267. 1.69
Proſpera. 168.1
Protarchi bibacitas. 142. 2.51
Proteruiam facere quid. 313.1.175
Protozeugma. 266.1.66
Prouinciæ quas Xauerius luſtrauit. 217 2.162
Prudentia ſenilis commẽdatio.323.2.& 324.1.214
Pſalterium decachordum, de Chriſto D. 15. 1. 37
Pſittacus duobus tantùm prioribus annis docilis. 88.2.112
Pſyllorum corpori virus ingenium, ſerpentibus omnibus exitiale. 90.2.119
Ptolomæi impietas. 142.2.51
Ptolæmaica hypotheſis à Mathematicis approbatur. 126.1.86
Commendatur. ibid.87
A Philoſophicis approbatur. ibid.88
Approbatur à Theologis. 127.1.89
P. Lucinius Craſſus barbarum ſatellitem in ſui vocem prouocauit. 101.1.157
Pudor quiſque arma præſtat. 43.2.6
Vitæ Pædagogus eſt. 44.3
Pudor ex peccati actione, & recordatione. ibid.
Puella veneno nutrita. 90.1.118
Puella in Gallia Narbonenſi ſolo aëre tres annos vixit, alia in Germana multos annos, alia decem. 91.2
Alius quis aëre tantùm alitus. ibid.
Puellæ ieiunium in Germania per biennium. 93. 1.129
Per triennium. ibid.2
Puer capite arietino inſignitus. 87. 1.105
Pulchritudo agri, pro gallo ſylueſtri. 81.2.82
Pulueris tormentarij vſus veteribus incognitus. 145.1.68
Punica fides, pro lubrica. 285.2.48
Purgatorium. 33.2.30
Pygmæi veri homines. 79.1.72
Inſanè proceres. ibid.
Diſcurrunt. ibid.
Regio quam incolunt. ibid.
Pygmæos ſimios credidit Magnus Albertus. Ariſtoteles equo & homine conflatos ibid.2
Pyralis ſeu pyrauſta in fornacibus Cypri. 91.2 124. & 94.2.134.
Pyræ pro defunctis. 309.1.158
Pyrrhus rex Epirotarum. 95.1.& 1.217.129
Pythagoræ oraculum. 206.2.99
Pythagoricum ſilentium damnatur. 307. 1

Q

Quæſtio duplex. 159.1
Quercus immenſæ magnitudinis. 81.2.81
Quercus æſculuſque Ioui ſacra. 301.2.125

R

Abazias Machabæus gladio ſe perimit. 75.1. 52
Reddendi verbum. 320. 2.209
Regnum magnum Sionis. 114. 2.218
Regnum regis ſpeculum. 175.2.5
Regni promotio ex precibus Sanctorum. 174.2
Eius felicitas ex quibus coaleſcat. 182. 1. 28
Reipublicæ ordo, cœli concentus. 318.1
Religio, pro ſcrupulo conſcientiæ. 288. 2.61
Religionis dextra. 305. 1.138
Repetitio. 266. 1.65
Reſponſio. 267. 1
Reſponſum Ægyptiorum ſacerdotum de Nili fontibus. 124.1.217
Rex Deo ſimilis in ſcientia. 67.2
Rex ſapiens, lignum vitæ. ibid.
Regem qualem deceat inter ſuos exiſtere. 67.2
Regis eſt etiam diuinare. 68.1
Eius cum nauclero comparatio. 98.1.21
Cum medico. ibid.
Reges virtutum, pro robuſtiſſimis. 79.2.74
Regis cum ſole comparatio. 111.1
Reges Ægypti, diligentes indagatores orbis.113. 2.215
Reges Perſarum in orbe patefaciendo ſtudioſi. 114. 1. 216.
Rex Sebaſtianus venationi deditus. 132.2.9
Rex, lex clientibus. 137.1.29
Regum mores abierunt in leges. 137.2
Rex, populi ſpeculum. ibid.30
Rex, ſimulachrum Dei. 154.2.103.
Regis ac regni fortuna eadem. 175. 2.5
Regum & regni Luſitaniæ mirum inuicem obſequium & beneuolentia. 175. 2.5
Rex, qui. 181.2.26
Regum mores populus ſequitur. 192.1.63
Reges Luſitaniæ erga religioſos ordines. 193.2.67
Rex conuiuij in ludo talorum. 278.2.12
Reges ſacerdotes. 305. 2.140
Regina Angliæ à cibo per triduũ abſtinet. 92.2.128
Rhetor, non orator qua ratione. 162. 1. 134
Rhetor vnde dictus. ibid.135
Rhetor. 211.1. 113. & 270.1.81
Ars & natura in Rhetore. 225. 1
Rhetor & Dialecticus differunt. 263. 2
in Rhetore ars, in Declamatore natura requiritur. 260.2. & 271.1.81.
Rhetores inter & Philoſophos affinitas.258.1.42.
Rhetorica dicendi ars. 250.2.6
Rhetoricæ materia. 257. 2.
Rhetorica quid. 258.2.45
Rhetoricæ officium. 260.1
Finis. ibid. & 274. 2
Materia. ibid.
Partes. ibid.46
Laus. 290.1.81
Rhetorica triplici virtute effloreſcit. 276
Robore dignus quis apud Apuleium. 281.2.27
Roma peſte liberata per Virginem. 29.1.16.
Romæ principium. 141. 1.45
Eius conditores qui. 144.2.63
Romanorũ factiones coloribus diſtinctæ.98.1.150
Romanorum imperium ferro comparatũ. 141.1.45

Nationes

Nationes domitæ à Romanis. ibid.
Quandiu durauerit. ibid.
Eius potentia incomparabilis. ibid.2
Amplitudo,& termini, ibid.46.& ſeq.
Ærarium. ibid.
Romanorum fortuna contubernalis. 141.2.47
Romani Impp.pulchri. 167.1.155
Deformes. 169.2.163
Romanus ſedendo vincit,adag. 170.2.166
Romanorum imperium. 210.1.120
Eius gloria ſapientiæ referenda. ibid.
Romanorum laureata munera. 299.2
Romulus Romæ fundator ex vulgari ſententia. 144.2.64
de Romulo vana opinio. 319.2.203
Roſa. 171.1
Omnium florum regina. ibid.173
Roſæ in conuiuio. 290.2.72
Ruſticus in Germania,ſub ingenti fœni cumulo, per autumnum & brumam dormit.93.1.129
Ruſtici an ad bellum aptiores,quàm vrbani. 148.1
Ruſtica vita vrbanæ præferenda. ibid.

S.

S*Acerdos* Rom.ſolo aëre 40.annos vixit. 91.2
Sacerdotes Ægypti. 92.2.128
Sacrificia Numinum. 296.1.100
Sacrificiorum diſcrimina. ibid.
Saguntinorum prælia. 101.1.15
Salamandra. 91.2.124.& 94.2.134
Conſtantiæ ſymbolum. ibid.
Saliares dapes,pro Pontificalibus. 299.1.114
Salij vnde dicti. ibid.113
Salluſtius carpitur. 132.1.7
Laudatur. 254.1.23
Salomonis expeditio Indica. 204.2
Eius claſſis Ophir appellit. 205.1
In patrios portus remigrat. ibid.94
Salue. 288.2.61
Salutandi ritus apud veteres. 294.2.92
Tempus. ibid.94
Ordo. 295.1
Salutationes diſponere, pro in claſſes diſtribuere. ibid.
Sanſonis coma. 131.1
Samuel. 178.1.12
Sanctorum hominum precibus regnum promouetur. 179.2
Sanctorum conſuetudo in à Deo beneficiis petendis. 247.1.219
Sanguinea ad ſcientias præ ceteris apta. 89.2.116
Sapiens picta tabula. 195.1
Sapientes Eccleſiæ propugnaculum. ibid.2.72
Sapiens,ſol. ibid.
Sapientes vel mortui,orbis propugnacula.203.1.89
Sapientia & Regi & regno prodeſt. 67.1.17
Tantum indigent reges ſapientiâ, quantum animâ corpus. ibid.
Sapientia tutela reipubl. 196.1.73
Medetur inſcitiæ. 200.2
Totum orbem tuetur. 203.1.88
Sapientiæ in nutriendis ſuis alumnis ſeueritas. 207.1.100
Eius laus. 208.1
Coniuium. 211.1.113
Sapientia legum ſeruatrix. ibid.2.114
Sapientiæ opes quæ. ibid.115
Vtilitas maxima. ibid.116
Regnum. 215.1.& ſeq.
Imperium in homines. ibid.2.125
Sapientia nauigationis inuentrix. ibid.123
Sapientiæ mira dignitas. ibid.
Poteſtas ad commouendos animos. ibid.2.127
Solertia. 217.2.131
Suauitas. 218.1.133
Sapientia & virginitas,comites. ibid.2.134
Sapientia olim peregrina. 238.2.195
Sapientia immoderata regem dedecet. 320.1.207
Sara tribus diebus & tribus noctibus non manducauit,nec bibit. 92.1.128
Sarmatarum hiſtoria tragica. 94.1
Sarpedonium littus,de homine clamoſo. 279.2.17
Saul. 201.2.84
Eius clypeus. ibid.
Saxones,Angeli cur. 161.1
Scammonea herba. 91.1
Scelus cuiuſdam immane. 218.1.132
Scientia inflat. 67.1
Regibus eſt neceſſaria. ibid.2.18
Scipionis erga ciues charitas. 155.2.108
Scipio, Africanus à deuicta Africa dictus. 160.2.128
Scipio Æmilianus vnde Numantinus. 160.2.128
Scipionis laus ab Annibale. 171.1.168
Scipionis Africani celebre dictum. 201.2.84
Scipionis nomen vnde. 313.2
Scipio filius degenerauit à Scipione Africano. ibid.
Scipionis Æmiliani facta. ibid.
Scribere ad mortuos,haud eſt abſurdum. 138.2.33
Boni ſcriptores reipubl.vtiles. 156.1
Scripturæ veritas. 255.1.27
Scytharum iurandi mos. 303.2.132
Sebaſtianus rex. 230.1.169
Seleuci annulus. 170.1.164
Semiramis immanis ſtatua. 65.2.8
Semiramis regina Babylonis. 204.1
Senecæ iudicium de incredibili ſui æui luxu. 211.1.112
Senecæ memoria. 269.1.77
Senectus. 85.2
Senes indociles. 46.1.15
Seniores ad regimen electi. 68.1
Senes quàm iuuenes mortem magis reformidant. 70.2.31
Senex centenarius iuuenis prodiit Tarenti.85.2.98
Senex ſilens in conuiuio pro miraculo. 157.2
Senex garrulus. 158.1
Senes ad imperium apti. 330.1
Senum auctoritas apud veteres. 324.1.224
Senio in ludo talorum. 308.2
Senſus interni. 112.1.165
Sepulchrum habere,apud Plautum,quid. 302.1.127
Sermonis patrij ſuauitas allicit animos. 16.1.39
Sermo dilucidus. 252.2.16
Obſcurus. ibid.
Ornatus. 253.1.18
Serpens portentoſæ molis. 81.2.82
Serpentum incantatio. 95.2.& ſeq.
Seruius vnde dictus Iſauricus. 160.2.128
Seruius caſtigatus. 304.2.13
Seſſio. 63.1
Signa laureata. 300.1.118
Signum à curru triumphali dari ſolitum.300.2.120
Silentium in ferme conuiua pro miraculo. 157.2
Canit ſuauiùs qui magis ſilet. 12.2
Silius Italicus expoſitus. 298.2.111
Similiter cadens. 166.2
Similiter deſinens. ibid.
Siniſtræ locus honoratior. 291.1.80

Digitized by Google

Siniſtra nobis,dextra ſuperis. 312.1.172
Sionis regnum. 124.2.218
Siſtere fana quid,ex Horatio. 297.2.107
Sitis. 95.2.131
Smaragdus contra venenum. 90.1.118.& 99.1.152
Societatis Ieſu inſtitutum. 118.2
Amplitudo. 228.2
Inſtar palmæ laboribus magis aſſurgit. ibid. 165
Gregorius XIII.erga Societatem munificus.229.2.187
Reges Luſitani in Societatem liberales. 230.1.168
Socratis tolerantia. 152.2.97
Fœdus. 169 2.163
Socrates è cœlo ſapientiam in terram auocauit.214.1.121
Amauit poëticam. 235.1.185
Solis orientis auſpicium. 122.1.16
Solis occidentis encomium. ibid.17
Solem intueri,pro viuere. 135.2.20
Sol ſimulachrum Dei. 154.2.103
Solis regia. 162.2
Sol liber,cur. 295.2.99
Solis rota;pro rotando eius globo. 302.2
Ortus & occaſus. 306.2
Sol,pro Ioue. 314.1.193
Eius encomia. 317.1.193
Magnitudo. ibid.2
Solimarius. 177.2
Solum vertere,de decoctore. 289.2.69
Somnia vnde. 314.1.180
Somnium Scipionis. 315.1.161
Somnij oraculum. ibid.1.175
Somnus Epimenidis. 93.1.129
Somnus,parua mors. 327.2.236
Sophiſta,Promotheus. 200.2.82
Sophiſticæ vituperia. 199.1.79
Antiqui patres in Dialecticam ſophiſticam excanduerunt. ibid.
Sophocles poëta. 137.1.27
A Libero honoratus. 235.2.187
Eius electra. 274.1.92
A filiis accuſatur de dementia. 324.1.225
Soporis ſimilitudines variæ. 327.2.35
Sors. Multi ad regiam dignitatem ſortito euecti. 277.2.6
Spartani Ophiodori cur. 90.2.119
Spes,Meſſiæ diuitiæ,& maximæ opes. 2.2
Spes in Chriſti aduentu concipienda. 9.2.24
Spei ſymbolum. 99.1.2
Spes animæ anchora. 105.1.158
Columna. ibid.
Sphærarum cœleſtium conſideratio. 214.2.122
Sphæra Caroli Imp. 215.2
Stare æneum apud Horatium quid. 297.2.106
Statio. 63.1
Statua Nabuchodonoſoris, figura Rom. Imperij. 142.1
Statuæ ex ligno fieri potiſſimùm ſolitæ, & cur. 166.1
Stellarum motus. 125.2.85
Statura hominis præſtantior quæ.64.1.4.& 167.1
Statura media cæteris præferenda. 66.1.12
Status quid. 263.1.58
Stellæ auſtrales. 106.2.185.& 317.1.191
Stentore clamotior,adag. 279.2.172
Stiliconis triumphus. 147.2.73
Stimulorum ſeges. 288.2.59
Strumam dibapho tegere quid, apud Ciceronem. 292.2.83
Subiectio. 267.1.69
Supercilium attollere. 280.1.19
Ponere,vel demere. ibid.
Supplicium,vide *Præmium.*
Suſpitia ad Meſſiam. 11.2.79
Sylla crudelitas. 277.1
Syderum pulchra deſcriptio. 118.1.1
Syluiorum ſylua annoſa,fructuoſa, religioſa.237.1
M. Syluius Otho Imp.à quo Syluij Luſitani propiùs procedunt. ibid.
Ioannes Syluius Comes. ibid.2
Didacus Syluius,& Mauricus Syluius. ibid.193
Philippus Syluius apud Belgas Equitum magiſter. ibid.
Iacobus Syluius primus Comes Portalegrenſis. 238.1
Synecdoche. 264.2.61.& 271.66
Synonyma. 266.1.65
Syrenum fabula. 16.1.40

T

T Abſolutionis;θ,condemnationis nota. 285.1.4.5.& 6
Tabernaculi cum ſpelunca Bethlemica collatio. 13.20
Tabetis ſingularis deſcriptio. 195.2
Accommodata ſapientibus. ibid.
Tabulæ laureatæ. 300.1
Tagi fluminis amœna conſideratio. 236.1.188
Talionis pœna in lingua. 157.2
Talorum differentiæ & vſus. 278.1.9
Tantalus. 168.1.157
Telluris motus circularis. 115.1.220
Trepidationis motus. ibid.
Eius deſcriptio. 193.1.& 214.2.122
Anguſtia. 317.1.192
Incolæ. 318.2.199
Ingenium. 321.1.212
Temperamentum quid. 119.2.5
Tempeſtas maris. 204.2.98
Templarij milites. 190.2.57
Templum Salomonis. 213.1.117
Templa,ædes ante augurium. 297.2.106
Templorum veterum veſtibula. 322.2.217
Temporum ſupputatio apud Hebr. 121.2.206
Terra. 91.1.122
Terra immobilis. 115.2.222
Terræ motus. 215.1.123
Eius filij,de iis qui obſcuro loco nati. 279.1.13
Anguſtia. 317.11.92
Ingenium. 321.1.212
Terra ſigillata. 99.2.118
Teſſera hoſpitij. 314.1
Amicitiæ. 326.2.233
Teſtimonium ab hoſte,laudabile. 170.2.167
Teſtudo marina. 78.2.70
Tharſis quæ olim. 113.2.215
Thau litera ſalutaris apud Hebræos. 185.1.46
Pro morte. ibid.
Theodoricus rex Gothorum. 175.2.5
Theodoſij Imp.clementia. 141.2 95
Theologus. 211.2
Theologiæ regnum. 216.1
D.Thomas. 50.2
Thucididis ſtylus. 150.1 87
Tiberius. 164.2.163
Tibiarum genera. 296.2.102
Timor oratoribus,cura,& ſolicitudo. 158.1.119 & ſeqq.

Eius

Eius cauſa. ibid.2.119
Modeſtia,ſeu reuerentia. ibid.
Timor in morte virum dedecet. 316.1.187
Topazion. 99.2.153
Torques. 146.1.70
Traductib. 166.1.105
Tragœdia non admittit prologos 166.1.151
Differt à comœdia. ibid.& ſeqq.
Demetrij præceptum de componenda tragœdia. ibid.2
Tranſmontani. 198.2
Tranſtagani ingenioſi. ibid.
Tribus. 307.2.152
Tribuum ſingularum nomina. ibid.
Tribuni Romani. 313.2.177
Triſtitia. 84.1.91
Triumphus maior.& minor. 147.1.74
Triumphus vnde dictus. ibid.
Triumphi pompa. ibid.
Pompæ ordo. ibid.
Currûs formæ. ibid.
Animalia currum trahentia. ibid.
Triumphus & oratio differunt. 281.1.25
Triumphus quid,& vnde. ibid.
Troiani Principes pulchri. 167.1.155
Troiani barbari. 297.1.103
Trophæa dictij erecta. 321.1.211
Tropi verborum. 264.2
Tropus quid,& quotuplex. ibid.61
Tropi ſententiarum. 265.2
Tuba,de lege noua. 19.1.47
Tubæ præeuntes aream. 212.2.116
Tubæ ac tibiæ in funeribus 310.1.161
In funeribus diuitum. ibid.163
Puerorum. ibid.
Miſerorum. ibid.2
Tuba nunquam adhibita in funeribus inopum. ibid.2
Tullius patronorum optimus. 163.1.137
Vide *Cicero.*
Tunicæ demiſſæ inter Romanos. 198.1.110
Tunica Iouis. 300.2.120
Tunica ex templo Iouis deſſumpta ad triumphos. ibid.
Tunicæ moleſtæ. 301.1.121
Turcarum Imperator. 190.2.17
Turris Dauidici. 204.1.91
Turricula, pro vaſculo aleatorio. 278.1.9
Tyberim tangere,pro natare. 298.2.111
Tyburtini nemoris deſcriptio. 360
Tychonis hypotheſis. 127.1.90
Probatur. ibid.91
Tyrannorum ſæua dominatio. 142.2.51
Tyrannus quis. 181.2.16
Tyrtæus milites ad pugnandum verſibus exacuit. 320.1.206

V

Vale. 288.2.91
Valerius Max.caſtigatus. 160.1.125
Valerius vnde Meſſala. 160.2.128
Vaſcus à Gama Indiam patefacit Luſitanis. 107 2.189
Vegrande,pro nimium grandi. 294.2.93
Veiouis,nomen pernicioſum. 312.2
Velamen ſupplicum. 303.2.128
Vemiſer,pro nimis miſero. 294.2.93
Venationis cura reges decet. 132.1.7. & 133.1
Venatio, ſimulachrum belli. 134.2.9
Venenum. 90.1
Veneni actio qui impediri poſſit. ibid.108
Venetiis homo. 46.annos ieiunos abſoluit. 93.2
Veneris obſeruatio. 124.1.78
Venus vnde calua. 131.1
Venus & Mercurius. 318.1.199
Vepallida mulier,pro valde pallida. 294.2.93
Verbum infans magiſter, & magiſterium exercens. 4.1.7
Verbi infantia diſertiſſima. 12.2
Amplior ad dicendum ſeges Verbi incarnati humilitas,quàm gloria. ibid.
Verbum in fans ſilentio colendum. ibid.
Verbum diuinum medicum agit animi. 15.2.38
Verbi infantis infantia, Tulliana facundia diſertior. 16.1.40
Vide *Chriſtus, Meſſias, Ieſus.*
Verba tranſlata quæ. 264.2
Veritas prima in hiſtoria. 158.2.120
Vermes in Aruerni. 92.1.126
Veſpere,pro toto die artificiali. 115.2.180
Veſtibula templorum veterum. 322.2.217
Quorum olim tam cælata. ibid.219
Veſtis pura. 146.169
Clauata. 287.2.56
Diſcincta. 298.1.109
Victimarum cornua inaurata Græcis, & Latinis ſolemne. 296.2.101
Victoria parta inſidiis. 156.1.110
Non contemnenda. ibid.2.112
Victricis Catharinæ mauſoleum. 355
Vigilantium duo propria opera. 84.2.92
Vigiliæ Ariſtotelis. 245.1.212
Vindicta animum nobilem dedecet. 15.1.91
Vinum cur lætificet. 76.2.57
Vinum laxatiuum ex helleboro, vel ſcammonea. 91.1
Vinum,lac ſenum,adag. 92.2
Aquarum ſpecies. ibid.
Vinum coniectum in pyras defunctorum, cur. 309.2.159
Vir magiſtratum ornat,adag. 134.2.16
Viri locos nobilitant,ac officia. 134.1.16
Virga Moſaica. 212.1.115
Virga in ſerpentem conuerſa. ibid.
Virgarum laſciuia apud Plautum. 288.2.59
Virgæ laureatæ. 299.2.116
Virgilius optimè explicatus. 161.2.131. 304. 135. & 311.2.168
Falſus de Didone. 165.1.147
Eius de Didone commentum. ibid.148
Liberatur à calumniis, & commendatur. 330. 1.243
Virginis Mariæ erga filium ſuum deſideria. 3.2.5
Eius naturale imperium. 25.1.1.& 29.1.15
Multocula dicitur. 26.1.2
Eius miſericordiæ. ibid.
Paſcit eſurientes. ibid.3
Sitientes potat. ibid.4
Nudos operit. ibid.5
Inuiſit ægrotos. ibid.6
Peregrinos ſuſcipit. 27.1.7
Captiuos redimit. ibid.8
Mortuos ſepelit. ibid.2.9
Eius interceſſio valde efficax. 27.1.10
Conſtantino polim peſte liberat. 29.1.16
Liberat Eborum,& Collegium Conimbricenſe. ibid.2
Eius ſanctitas. 31.1
Mahometanorum de V.Maria iudicium. ib.22

B.Vir

B. Virginis triplex dignitas. 32.1.26
B. Virgo adorari poteſt ratione ſolius contactus adoratione latriæ. 33.1.28
Quo pacto meruerit incarnationem. ibid. 2.31
Animas liberat ab inferno. 34.1.32
Virgini deuotus in æternum perire non poteſt. 40.1.52
Quo pacto debeatur gratia congrua. ibid.2.53
Virginis magnæ Matris purificatio poëticè. 340
Virginum encomia. 192.265
Naſcentis Virginis Mariæ auſpicium. ibid.
Virginitas & ſapientia comites. 318.2.137
Virtus ſine exemplo illuſtrior. 36.2
Sibi ipſa præmium. 139.1.35
Virtus & ſapientia Doctoris præcipua laurea. 243 1.207
139.1.35
Virtus præmiis ornata. 261.1
Virtutis pretium. 319 2.204
Virtus negotioſa. 320 1.206
Operoſa. ibid 207
Vitæ humanæ triplex acceptio. 81.1.110
Vitæ exemplum homines immortales reddit. 226. 2.157
Vita laudata. 261.1
Vitæ humanæ miſeriæ. 316.2 190
Vita Iouis. ibid.
Vita mimus. ibid.
Vitiorum in Alexandro comparatio. 142.2 51
Vitulus capite humano exornatus. 87.1.105
Viuere, idem quod epulari. 157.2.115
Vlpianus. 197.2.77
Vlyſſis & Mercurij fallaciæ. 273.1
Vmbræ conuiuij. 279.2.16
Philippus vmbras conuiuij ſui deluſit. ibid.
Vnguenta in conuiuio. 290.2.72
Vocalium congreſſus. 268.2
Votorum filij. 2.1
Summa votorum Meſſias. 3.1.4
Voti reus. 312.2.173
Damnatus. ibid.
Vota iterum templis affixa. 321.1.211
Vox. Vocis duplex acceptio. 74.2.47
Vis, & efficacia. ibid. 45
Moyſes Ægyptium rixantem verbo occidit. ibid.
Xenophilus, Muſicus, vna vocis canoræ ope adiutus 105. annos vixit. 75.1.49
Vox vna dulcis, & canora. 25.1.49
Voces aliquando mortem intuliſſe, vel maturaſſe oſtenditur. ibid.
Vrſula, & ſociarum laurea triumphalis. 355
Vulcanus, ingenioſus artifex. 321.2 214
Vulpium calliditas. 200.2.82
Vulturius in ludo talorum. 296.2.12

X

X*Auerius.* 226.1
In ſe ipſum crudelis. ibid.2.158
Crura funiculis retortis ligauit. ibid. 159
In alios benignus. 227.1
Eius ſtudium circa aliorum ſalutem. ibid.
Prouinciæ quas Xauerius luſtrauit. ibid. 2.162
Eius in Deum charitas. 228.1.163
Oracula, & miracula poëticè deſcripta. 352
Xenophilus muſicus. 75.149
Xenophontis ſuauitas. 150.1.86.& 254.2.25
Xerxis cum Alexandro comparatio. 142.2.51
Xeuſis & Parthaſius aues fefellerunt, & artifices. 240.2.6

Z

Z*Eno* Citicus. 66.1
Oraculũ Apollinis interrogat. 156.1.109
Zenobia, reginæ Aſiæ. 214.1.121
Victa Romam in triumphum ducitur. ibid.
Eius Virtus. 281.2.26
Zonæ cœleſtes, ac terreſtres. 109.1.201
Veterum opinio de zonis terreſtribus reiicitur. ibid.
Zonæ torridæ, & extremæ frigidæ an olim habitabiles. 113.2
Zonæ habitales, quæ. 318.2
Zoroaſtes eadem hora, qua natus, riſit. 89.2.116

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google